ואם נאמר לו אם עמדה החומה בימי
שלמה על עשרי׳ ומאה· למה לא תעמוד
גם כן במקדש בני הגולה על מאה הלא
ישיב לנו רש״י ז״ל כי הכתל הזה נבנה
נשלם ועמד זקוף כל ימי הבית הראשון
בדרך נס· ואין סומכין תמיד על הנס· בפרט
בבית שני שלא רבו זכיותיו· ואם תקראו
בפסיקתא תראו כי יאמנו דבריו אלה· כי
הנה כתוב שם והבית בהבנותו והבית כשהיה
נבנה אין כתוב כאן אלא בהבנותו· מאליה
היתה המלאכה נבנית ופורחת ועולה·
אבן שלמה מסע נבנ׳ אמר ר׳ ברכיה האבן
נוסעת מעצמה ועולה נבנית· הוא ששלמה
אמר בנה בניתי· בנין בנוי בניתי· ואל
תתמה על הדבר· כי לצדיק אחד עשה
הקב״ה כן· והיתית אבן חדא· ושומת
על פום גובא· ומהיכן היתית ליה אבן
בבבל רז״ל אמרו מארץ ישראל נתגלגלה
לשעה קלה· אמר רב הונא בשם ר׳ אסי
הכל מסייעין את המלך אפילו הרוחות
אפילו המזיקין· עד כאן לשונו· ובמדרש
רבה אמרו עוד חכמינו ז״ל שבהיות הנדבך
משתלם והיה צריך אבן אחת להיותה
סוגרת הנדבך ששמה היה האבן הצריך
להשלי׳ אותו המקום פורח מאליו ונבנה
מאליו· וזהו שאמ׳ אבן שלמה מסע נבנה.
שהאבן שהיא שלמה רוצה לומר כמדת
אותו המקום שצריך למלאות אותו בה זהו
שאמר שלמה היתה נוסעת מאליה ונבנה
זהו שאמר מסע נבנה· עד כאן.

הן אלה קצות דרכי בפרכות ובכתל
המבדיל כאשר שמעתם. וגם אחריהן
דברי ישנו ועלימו תטוף מלתי לדעת אם

quamvis in primo Sanctuario esset in Adyto contignatio 20. cubitorum, & alia contignatio in templo 30. cubitorum, tamen hic murus intergerinus findebat contignationes, & adscendebat usque ad tectum superius, quod erat prope loricam; ideoque non est mirandum, in crassitie unius cubiti potuisse sustinere parietem excelsum; qui in Sanctuario secundo centum cubitos altus erat, ideoque in cap. I. *Bathra* in *Gemara* juxta hæc verba simpliciter scriptum est. Verum in secundo Sanctuario non ædificarunt hunc parietem, quia unius cubiti ejus crassities erat, neque in altitudine centum cubitorum consistere potuisset.

Si vero illi dicatur, si substitit tempore Salomonis paries in 120. cubitis, cur pariter non debuit subsistere in Sanctuario filiorum captivitatis in 100. cubitis? Respondebit *Raschi* f. m. hunc murum fuisse integrum exstructum, & divinitus substitisse erectum toto tempore primæ domus, nec semper miraculis confidendum est, presertim in domo secunda, in qua multa non erant merita; & si legatur in *Pesiktha* vera hæc ejus verba videbuntur; ubi scriptum est 3. Reg. VI. 7. והבית בהבנותו; & domus cum ædificaretur, non est hoc loci scriptum, sed בהבנותו. Per se ipsum hoc opus ædificabatur, & assurgebat & adscendebat אבן שלמה מסע נבנ׳. Dixit R. Berachja; Lapis se movebat, & adscendebat, & ædificabatur; Hoc est quod dixit Salomon *ibid.* VIII. 12. *Ædificans ædificavi*; ædificium ædificatum ædificavi; neque hoc mireris, quod ita cuidam justo Deus fecit; *Daniel.* VI. 17. *Allatusque est lapis unus, & positus est super os laci*. Et unde Babylonem allatus est hic lapis? Sapientes f. m. dixerunt; ex terra Israelis brevi tempore devolutus est. Dicit R. Huna nomine R. Asse; omnia Regis menti obsecundabant, vel venti, vel dæmones; Hactenus ille. Et in Medras Raba dicunt præterea Sapientes nostri f. m. quod cum perfecta esset series lapidum, si lapis necessarius esset ad eam seriem obserandam, lapis, qui necesse erat, ut ibi statueretur, sponte advolabat, & ædificabatur; Ideoque dictum est אבן שלמה מסע נבנה; sc. lapis integer sc. juxta mensuram loci, quem complere debebat, [ideoque dicitur שלמה] se ipsum movebat, & ædificabatur; idcirco dicitur מסע נבנה. Hactenus *Medras*. *Quæ portenta*!

Hæc est pars mearum explicationum quoad vela, & murum intergerinum, uti audistis; atque etiam posthæc iterabuntur mea verba, & super illa stillabit

מתקרת ההיכל ולמעלה עד הגג העליון הסמוך למעקה היו או כתל או פרכות המבדילות בין הקדש ובין קדש הקדשים כמו שהיו בהיכל למטה מהם.

דעו אפוא כי רד״ק ז״ל תכף על הדרוש הזה ישים אמריו בלבבכם ויאמר לכם כי לא היה שם מסך מבדיל בבית שני הואיל כי בבית הראשון לא היה שם בנין כמו כאשר זמם על האולם לבדו ולמה יאמר רד״ק היה להם לבני הגולה לעשות הדבר הזה שלא לצרך וללא הועיל הלא ידענו כי המסך המבדיל ימצא במקדש במצות ה׳ לשתי סבות מיוחדות והאחת היא כדי שיבדיל בין קדושת ההיכל לקדושת קדש הקדשים עד שלא יכנסו שם בשגגה הכהנים ההדיוטים במקום אשר צוה ה׳ שלא יבא בו אלא הכהן גדול יום אחד בשנה ככתוב בפרשת אחרי מות בפירוש · והאחרת היא כדי שלא יחזו את האלהים ויזונו עיניהם הכהנים מבית קדש הקדשים שלא כדת כי זה הוא להם באזהרת מיתה · והסבו׳ האלה כבר סרו יאמר רד״ק ולא עמדו גם שתיהן בתקרת העליונה הואיל כי באמת עשו בה ההבדלה הנכונה אשר בעבורה לא יחטאו הכהנים ולא יבאו לפסוע על ראש הדביר ואשמו · כי הנה שם ככתוב במשנה חמשית מפרק רביעי דמדות היו ראשי פספסין מבדילין בעליה בין הקדש ובין קדש הקדשי׳ וגם מן המקום ההוא לא יוכלו לראות הכהנים ולבקר בעיניה׳ משם לעולם את מקדש ה׳ המרומם שבקדושה בעבור מחיצת התקרה המכסה מעינ יהם מכל וכל הדביר וחלקיו כלם שהם ברב טובו וחסדו כסא כבוד מרום קדש ישראל יתברך שמו ויתעלה זכרו הרי שרד״ק ז״ל יפה יאמר שלא היו במקום ההוא פרכות מבדילות ללא הועיל · ואם תאמרו לו הלא היו שם חלולין ההן שאמרו רבותינו ז״ל בפר׳ פתחו של אולם משנה חמישית שמשלשלין מהן הכהנים האומנים בתיבות ומשם כל שאר הכהני׳ שירצו בלתם תמונת כסא הכבוד יביטו מתוך חלולין בכל עת ובכל שעה ובכל רגע · באולי ישיב רד״ק ז״ל לכם כי גם על חלולין ההן מתחילת עשייתן ישימו דלתים ובריה שעמהם יסוגרו ולא יפתחו אלא בשעת הצורך בשירדו משם בתיבות הכהנים

vox mea, ut intelligi poſſit, utrum a contignatione & ſuperius uſque ad tectum ſuperius prope loricam eſſet paries, an vela, quæ ſepararent inter Sanctitatem & Sanctum Sanctorum, quomodo erant in templo infra illa.

Scitote igitur, quod *R. David Kimchi* f.m. hoc illuſtrandum ſuſcepit, & perſuadebit dicens, nihil ibi fuiſſe, quod ſepararet in ſecunda domo, cum nullum ibi fuerit in prima domo ædificium, ſicuti fuit (uti putat) ſuper veſtibulo duntaxat. Cur [dicet *Kimchi*] debuerunt hoc ædificare filii captivitatis, cum nullus ejus eſſet uſus atque neceſſitas? Nonne ſcimus ſeptum quod ſepararet, factum fuiſſe Dei mandato duabus de cauſis præcipuis? Nempe ut ſepararet inter Sanctitatem templi & Sanctitatem Sancti Sanctorum, ne per ignorantiam Sacerdotes vulgares ingrederentur in illum locum, quo Deus juſſerat unum ſummum Sacerdotem ſemel in anno ingredi debuiſſe uti ſcriptum eſt plane in ſectione, *quæ inſcribitur*, poſt mortem filiorum Aaron. Præterea ne Sacerdotes vulgares divinitatem adſpicerent & fixis oculis intuerentur intra Sanctum Sanctorum contra legem, qua mortis pœna præmonebantur. Hæ cauſæ (dicet *Kimchi*) jam ſublatæ ſunt, neque earum ulla ſubſiſtit in contignatione ſuperiori, ubi peculiaris ſeparatio facta erat, ita ut Sacerdotes peccare non poſſent, neque ſuper Adytum incedere, ut rei fierent; ſcriptum eſt enim IV.* 5. *Middoth. Et tignorum capita ſeparabant in cœnaculo inter Sanctitatem & Sanctum Sanctorum*; neque ab eo loco poterant Sacerdotes videre, & oculis perſcrutari unquam Sanctuarium exaltatum in Sanctitate propter ſepimentum contignationis, quæ omnino ab eorum oculis operiebat Adytum, omneſque ejus partes, quæ erant pro ſua magna miſericordia & pietate thronus magnificus excellentiæ Sancti Iſraelis, cujus nomen ſit benedictum, & exaltata ejus memoria. Ecce *Kimchi* f.m. recte ſentit, eo loci non fuiſſe vela ſeparantia, quorum nullus eſſet uſus. Si dicantur fuiſſe foramina, de quibus loquuntur noſtri Sapientes IV. 5. *Middoth*, quibus demittebantur Sacerdotes artifices capſis, & hinc omnes reliqui Sacerdotes, qui vellent, præter hos per hæc foramina poterant intueri thronum magnificum quo tempore, hora & momento voluiſſent. Vobis fortaſſe *Kimchi* f. m. reſpondebit vel ab initio, quo exſtructa ſunt, his foraminibus impoſitas fuiſſe valvas, quibus foris obſerarentur, nec fuiſſe aperta niſi quo tempore neceſſitas poſtularet, cum in capſis de-

הראיים

הראיים לתקן או לטהר בית קדש הקדשי׳ כפי ההזדמן.

אך רש״י ז״ל שהאמין שבמקד׳ ראשון היה שם בנין על התקרה שבהיכל ושהכתל המבדיל היה בוקע ועולה עד הגג העליון שאצל המעקה יאמר לכם שלא היה שם כתל בבית שני על התקרה לשתי סבו׳ והאחת היא מפני שאינו מן הראוי שיהיה שם מסך אחד משונה בחלקיו עד שיהיה חלק התחתון ממנו פרכת וחלק העליון ממנו כתל והשנית בעבור גודל הסכנה פן ח״ו יפול תחתיו הכתל בזמן מהזמנים ויסופו ויגועו בגלל זה גם כהנים בודאי וגם באולי ישראלים רבים ואם האמינו בני הגולה שהכתל המיוסד בקרקע חזק ועל רצפת אבני שישא ומרמירא לא יעמוד כתקונו על ארך ארבעים אמה איך ישקוטו ויבטחו בו שלא יפול בששים אמה בפרט כשיהית סמוך על תקרת עץ חלושה בערך אל הרצפה שהיתה מאבנים יקרות וגדולות של שמנה ושל עשרה אמו׳ שלא תוכל תקרת העץ להכיל ולישא אלא לפי מעט השנים את כובד משאו של כתל על תקרתו ולכן יאמר לנו כי על התקרה העליונה לא היה שם כתל בבית השני אך במקו׳ הכתל היו גם כן שתי פרכות להבדיל בין הקדש וקדש הקדשים כי כן אמרו רז״ל ביומא פרק הוציאו לו שלש עשרה פרכות היו במקדש שני וכו׳ ושתים כנגדן בעליה ואם תאמרו לו ולמה היו צריכים שמה הפרכות אם עשו בני הגולה על התקרה הפספסין המבדילין בעליה ישיב לכם רש״י ז״ל כי לשתי סבות היו צריכים שם גם הפרכות וגם הפספסין יחדיו והאחת היא בעבור חלולין שהיו בתקרה כי באולי האמין רש״י ז״ל שהיו לעולם פתוחין וכדי שלא יזונו עיניהם הכהני׳ מהדביר דרך שם בעבור זה שמו לדעתו במקום ההוא גם הפרכו׳ המבדילו׳ אצל הפספסין׃ והשנית היא כי לפעמים יטמאו הפרכות ויוסרו משם עד שיוטבלו ובגלל הדבר הזה היו שם הפספסין כדי שיכירו בעדן עד פריסת הפרכות מחדש אחרי טהרתן אי זהו גבול ההיכל המובדל מראשית גבול בית קדש הקדשי׳ המקודש ממנו.

עם כל זה רד״ק ז״ל ירחיק לעולם הפרכות

mitterentur Sacerdotes, qui idonei essent disponere & emundare Sanctitatem Sanctitatum, uti opus erat.

At *Rascbi* f. m. qui putat in primo Sanctuario fuisse ædificium super templi contignatione, & parietem intergerinum adscendisse usque ad tectum superius, quod loricæ proximum erat, vobis dicet duabus de causis non fuisse murum in secunda domo super contignationem; Quarum altera est, quod non sit conveniens ibi fuisse sepimentum differens in suis partibus, itaut ejus pars inferior esset velum, & superior esset murus; altera vero est propter magnitudinem periculi; poterat enim fieri (absit) ut caderet murus quo tempore convocati & congregati essent, hac de causa morerentur Sacerdotes certo certius, & multi forsitan Israelitæ. Si existimabant filii captivitatis parietem fundatum in solo firmo, & super pavimento lapideo, & marmoreo non substitisse uti opus erat ob longitudinem 40. cubitorum, quomodo poterant quieti esse & confidere, ne caderet in 60. cubitis, præsertim cum fundatus esset in contignatione lignea infirma, respectu pavimenti ex lapidibus gravibus & magnis octo & decem cubitorum, ut non posset contignatio lignea continere & sustinere nisi paucis annis onus grave parietis super ejus tabulato? Idcirco nobis dicet super contignationem superiorem non fuisse murum in domo secunda, sed pro muro fuisse duo vela, quæ separarent inter Sanctitatem & Sanctum Sanctorum; uti dixerunt nostri Sapientes f. m v. *Joma. Tredecim vela erant in Sanctuario &c. Duo contra illa in cœnaculo*. Si vero illi opponatur, cur eo loci necessaria erant vela, si filii captivitatis fecerunt super contignationem asseres, qui separarent in cœnaculo? *Respondebit Rascbi* f. m. duabus de causis ibi necessaria fuisse vela, atque etiam asseres; 1. pro foraminibus, quæ erant in contignatione; quia fortasse existimabit *Rascbi* f. m. semper illa fuisse aperta, ne oculis Sacerdotes Adytum intuerentur; ideoque hac de causa juxta ejus opinionem posuerunt in eo loco vela ut præter asseres separarent; deinde quod aliquando vela polluerentur, & illinc detrahebantur, donec lavarentur; eaque de causa ibi asseres necessarii erant, ut ex his cognoscerent, usque dum iterum extenderent vela postquam emundata essent, quis esset terminus templi separati a principio termini domus Sancti Sanctorum, quæ illo sanctior erat.

Verumtamen *Kimchi* f. m. removet semper vela a cœnaculo, quia ibi sicuti

מהעליה בעבור שהיו מתוקנים כהלכה הפספסין שם ושהיו חלולין מוסגרים · וישיב ויאמר על מה שכתבו רז״ל בפרק הוציאו לו כי הסתם משנה דפרק פתחו של היכל דמדות לא קיימא לידה כמאן דאמר ביומא ושתים כנגדן בעליה.

אמנם על הדרוש הששי אשר שאלנו מפני מה ברגל אין אומרים לכהנים עמי הארץ הזהרו שלא תגעו בפרכות כמו שמזהירין אותן ואומרים להם הזהרו שלא תגעו בשלחן אם פרכת שנטמאת באב הטומאה הטבילין אותה לחוץ ושוטחין אותה בחל מפני שצריכה הערב שמש כמו ששנינו בשקלים פרק כל הרוקין משנה רביעית ואם יסירו הפרכות מתוך ההיכל הלא יפתחו הדביר עד כי לא יוכלו בעת ההיא הכהני׳ להשתחוו׳ ולשרת בבית האלהים כחיובם לזה אשיב אמרי אתכם כי על שלשה דברים עמדו אז רבותינו ז״ל בשתיקה וסתמו דבריה׳ כהלכה · והאחד הוא כי השלחן צריך שיעמוד תמיד בבית ה׳ לא יסור ממנו כדכתיב ונתת על השלחן לחם פנים לפני תמיד · ולכן אין מטמאין אותו · וע׳ אין נוגעים בו מפני שאין לו חליפין · לא כן הפרכו׳ כי לא נצטוינו להעמיד אותן לבדן שם בתמידות ויש להם חליפין כשאר הכלי׳ שיש להם שניים ושלישים · שאם נטמאו ראשונים יביאו השניים תחתיהם כמו שאמרו רבותינו ז״ל במסכת חגיגה פרק חמר בקדש משנה שמינית · ועתה אם יטמאו הפרכות יביאו תכף ומיד פרכות אחרות טהורות תחתיהן · ולא יסלקו לעולם שתיהן כאחד · אלא פרכת אחת בלבד בפעם אחת · ואם יסירו דרך משל הפרכת הפנימית ראשונה הרי החצונה בעת ההיא תבדיל הדביר מההיכל · ואחרי תיקון הפנימית כשיסירו החצונית הלא הפנימית תבדיל בין ההיכל והדביר כמו שצריך · עד כי לא ישאר המקדש בזמן מהזמנים מבלי ההבדלה המצווה בתורה כאשר אמורה והבדילה הפרכת לכם בין הקדש ובין קדש הקדשים.

וכי תאמר ואיך יוכל הכהן אחת המשולשל מן חלול שבעליה בתיבה אחת קטנ׳ לתקן המקולקל בדביר ולהסיר הוא לבדו הפרכות שהן משא כבד וגם הן מחוברין בפסין שעל התקרה שהיא גבוהה ארבעים אמה אשיב לכם כי לא לעולם צריך לעמוד בכהן

opus erat, diſpoſiti erant aſſeres, & foramina erant obſerata; & reſpondebit, vobiſque dicet quod ſcripſerint ſapientes noſtri ſ. m. cap. v. *Joma*, quod autor cap. IV. *Middoth* non idem ſentiat ac autor cap. v. *Joma* circa quæſtionem, *& duo contra illa in cœnaculo*.

Cæterum circa quæſtionem, de qua quæſitum eſt, qua de cauſa in ſolennitate non diceretur Sacerdotibus vulgaribus; Cavete, ne tangatis vela, ſicuti præmonebantur, & dicebatur; cavete, ne tangatis menſam; ſi velum patre immunditiei pollutum eſſet, foris immergebatur, & in Hel extendebatur, quia tenebatur occaſu ſolis, uti legitur VIII. 4. *Sekalim*; ſi de interiori templo detracta eſſent vela, apertum fuiſſet Sanctum Sanctorum, ita ut id temporis non licuiſſet Sacerdotibus adorare & miniſtrare in domo Dei, uti eorum officium poſtulabat; Referam vobis meam ſententiam dicens, tribus de cauſis tacuiſſe noſtros Sapientes ſ. m. & obſignaſſe verba ſua, uti conſtitutio requirebat; Primum quod menſa neceſſe erat, ut ſemper ſtaret in domo Dei, non erat illinc removenda, ſicuti ſcriptum eſt *Exod.* XXV. 30. *Et pones ſuper menſam panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper*. Idcirco non erat immundanda, & præterea non erat attingenda, quia non erat unde commutari poſſet. Non idem erat de velis, de quibus non eſt præceptum, ut ibi ſemper ſola conſiſterent, & erat unde commutari poſſent, uti reliqua vaſa, quibus erant ſecundaria, & tertiaria; ut ſi prima polluta eſſent, pro iis ſecunda adducerentur, uti dixerunt Sapientes noſtri ſ. m. III. 8. *Chagigah*; ſi vela immundata eſſent, confeſtim alia vela munda adduci potuiſſent; neque ambo una ſimul removebantur ſed unum tantum una vice, ſi prius v. g. velum interius removebatur, tum exterius ſeparabat Adytum a templo, & poſtquam diſpoſitum eſſet, cum exterius removeretur, interius ſeparabat inter templum & Adytum, uti opus erat; ita ut nullo tempore relinqueretur Sanctuarium ſine ſeparatione, quæ præcipitur in lege, ſicuti dictum eſt *Exod.* XXVI. 33. *Ut velum id Sanctum a Sancto Sanctorum dividat*.

Vos fortaſſe dicetis quomodo poterat unus Sacerdos, qui per foramen cœnaculi in capſa parva demiſſas eſſet, diſponere quod erat depravatum in Adyto, & ipſe ſolus detrahere tanti oneris vela, quæ conjuncta erant aſſeribus contignationis, quæ quadraginta cubitos alta erat? Uobis reſpondebo, non unum ſemper Sacerdotem neque unum artificem ibi conſti-

יחידי

יחידי ובאומן אחד בלבד בתקון הדביר· ואם לא יספיק הכהן האחר לירד משולשל בתיבה מן חלול שבתקרה· הלא יכנסו לפני לפנים כהנים רבים באגודה ובדרך סלולה מן ההיכל אל קדש הקדשים ויעמדו שם עד שיתקנו הדברים כלם על תלם· כי כן כתבו בתוספת׳ דכלי׳· הכל נכנסין לבנות ולתקן ולהוציא הטומאה · מצוה בכהנים אין כהנים נכנסין לוים· אין לוים נכנסין ישראלים· אין טהורים נכנסין טמאים· מצוה בתמימים· אין תמימים · נכנסין בעלי מומין· מצוה שיכנסו בתיבות· אין שם תיבו׳ יכנסו דרך פתחים כו׳.

אך הדבר השני אשר בגללו לא הזהירו רבותינו ז״ל בחג הכהן עם הארץ בפרכות הוא מפני שהאזהרה הזאת היתה ללא הועיל· הואיל כי מבלעדי הכהנים עמי הארץ בחג יטמאו לפעמים על ידי אחרים הפרכות שלא בפסח שבועות וסוכות הנקראים בפרטות חגים· והם לבדם בחיוב שלש פעמים בשנה וגו׳ כי הנה רבינו ז״ל בפירוש המשניות ממסכת יומא פרק הוציאו לו משנה ראשונה כתב שלא להבעית את ישראל · כלומר שלא להפחיד · שאילו היה מתאחר הכהן גדול היו מפחדין שמא אירעו מיתה· כי הרבה כהנים גדולים היו מתים בקדש הקדשים אם לא היו ראויים· או אם ישנו דבר במעשה הקטרת · הל תראה שאמר יתעלה לאהרן ולא ימות כי בענן אראה על הכפרת.

אמנם הדבר השלישי שבעבורו לא הזהירו חכמים הכהן עם הארץ על הפרכו׳ הוא מפני שלא היו מגביהין אותן כמו שהיו מגביהין את השלחן כדי שיראו אותו וישמחו בו כאשר אומר בפרק י״ח ועוד מפני כי כבר הוא מוזהר על זה מן התורה בשני שמות אלה היינו כמו טמא וכמו כהן בעל מום· כמו כהן בעל מום· מפני שהמום שהוא בנפש במה שהוא עם הארץ· הוא גדול ממה שהוא המום שבגוף · ומנא לן דהטמא נזהר על הנזירה דכתיב בפרשת אמור וינזרו מקדשי בני ישראל ולא יחללו· ותניא בסנהדרין פרק אלו הן הנשרפין· טמא ששמש וטבול יום ששמש הרי הן במיתה · טמא מנא לן דכתיב דבר אל

tiſſe, ut Adytum ordinaret. Si enim unus non ſuffeciſſet Sacerdos, qui illuc deſcenderet in capſa demiſſus per foramen, quod erat in contignatione; introibant in Adytum multi una ſimul Sacerdotes per viam tritam, quæ deducebat a templo in Adytum, ibique conſiſtebant, donec omnia ordinata eſſent. Sic enim ſcribunt *in Toſaphta Celim*. Omnibus licebat ingredi ad conſtruendum & ordinandum, & removendum immunditiem. Præceptum incumbebat Sacerdotibus, ſi non adeſſent Sacerdotes, introibant Levitæ, ſi non affuiſſent Levitæ, ingrediebantur Iſraelitæ, ſi non adeſſent mundi, introibant immundi, præceptum incumbebat puris; ſi non adeſſent puri, introibant labe affecti; præceptum erat, ut capſis ingrederentur, ſi capſæ non adfuiſſent, per portas introibant.

Secunda cauſa, quare Sapientes noſtri f. m. non præmonebant Sacerdotem indoctum in ſolennitate de velis, eſt, quia hæc præmonitio erat inutilis, cum præter Sacerdotes vulgares in ſolennitate aliquando ab aliis vela polluerentur, vel extra feſtum Paſchæ, Hebdomadarum, & Tabernaculorum, quæ peculiariter ſolennitates appellantur; Illi ter duntaxat in anno comparere debebant. Etenim præceptor noſter f. m. in commentario ad v. I. *Joma* ſcribit. *Ne Iſraeli metus incuteretur*; nam ſi diu commorabatur ſummus Sacerdos, metuebat Iſrael, ne ipſi mors obveniſſet; nam multi Pontifices maximi mortui ſunt in Sancto Sanctorum, ſi non erant idonei, aut ſi opus ſuffitus immutabant; Jam vides, quod Deus exaltatus Aaroni dicit *Levit.* VI. 2. *ut non moriatur, quia in nube apparebo ſuper oraculum*.

Tertia cauſa, quamobrem ſapientes non præmonebant Sacerdotes indoctos de velis, eſt, quia non extollebantur, ſicuti extollebatur menſa, ut eam intuerentur & lætarentur, uti cap. XVIII. dicetur. Præterea de hoc a lege præmonebantur, his duobus nominibus, ſc. uti Sacerdos immundus, atque uti Sacerdos labe affectus; uti Sacerdos labe affectus, quia habet maculam in anima; uti Sacerdos indoctus; majus erat hoc quovis *vitio*, quod in corpore ineſſe poſſet. Et unde probatur, quod immundus de ſeparatione præmonetur? Ex eo quod dictum eſt *Levit.* XXII. 2. *Ut caveant ab his, quæ conſecrata ſunt filiorum Iſrael, & non contaminent nomen Sanctificatorum mihi*. Traditio eſt *in Gemara Sanhedrin* IX. Immundus qui miniſtraſſet, & diei lotus qui miniſtraſſet, rei ſunt mortis; immundus unde probatur? ex eo quod ſcriptum eſt

אהרן

אהרן ואל בניו וינזרו מקדשי ונומ׳ ותניא
בתורת כהנים אין נזירה אלא פרישה · וכן
הוא אומר נזורו אחור · כלומר יפרשו מן
הקרשים בימי טומאתן ולא יחללו וגו׳ · נאמר
כאן לא יחללו ונאמר בתרומ׳ ומתו בו כי
יחללוהו מה חלול האמור שם במיתה בידי
שמים אף חלול האמור כאן בידי שמים
וכל לאו שחייבין עליו מיתה בידי שמים
לוקין עליו ואף על פי שאם עבד בטומאה
אינו חייב בבית דין אלא מלקות · שנינו
שאחיו הכהנים לא היו מביאין אותו לבית
דין · אלה מוציאין אותו לחוץ · ופוצעין את
מוחו בגיזרין · ואין מוחין עליהם בכך · וטבול
יום מנא לן דכתיב קדשים יהיו לאלהיהם
ולא יחללו · ונמר חלול חלול מתרומה ·
אם אינו ענין לטמא ששימש · דנפקא לן
מוינזרו · תנהו ענין לטבול יום · ומנא לן
דלא יכנסו בעלי מומין אל הפרכת ואל
המזבח דכתיב בפרשת אמור אל הפרכת
לא יבא ולא המזבח לא יגש להקריב כי
מום בו · ותניא בתורת כהנים · אם נאמר
מזבח למה נאמר פרכת אילו נאמר מזבח
הייתי אומר אל המזבח שהוא כשר לעבודה
יהיה אסור · אל הפרכת שאינו כשר
לעבודה · לא יהא אסור · לכך צריך פרכת ·
ואילו נאמו׳ פרכת הייתי אומר אל הפרכת
שבפנים יהא אסור למזבח מבחוץ לא יהיה
אחור לכך נאמרו שניהם ·

ואולם במה שאמרו רז״ל אבל בנין האחרון
לא היה בו כתל אלא שני פסין וכו׳
קודם שאגיד לכם דעתי עליו . אציע בראשונה
כי כל דבר הנמדד הוא נמדד או על דרך
כל · או על דרך חלק · ועתה כל עוד שיהיה
הכל שלם או החלקים ולא יחסרו מהמדה
הנעשת בפרטות · אמנם כשיהיה הכל שלם
כמו שהיה בראשונה והחלקי׳ יהיו נפרדים
כפי המחשבה או כפי השמוש בלבד עם
שיהיו בחבור לכל עצמו אשר ממנו לוקחו על
פי הדמיון · הכל יקרא ארוך ורחב כפי
מדתו הראשונה · והחלקים פעמים יקראו

ibid. Loquere ad Aaron & ad filios ejus, ut caveant ab his quæ consecrata sunt &c. Est quoque traditio in *Siphra*; Hæc separatio non est nisi segregatio; pariterque dictum est *Isai.* I. 4. נזורו אחור; sc. se separabunt a Sanctitatibus diebus suæ immunditiæ. *Et non contaminent* &c. Dictum est hic לא יחללו, & dictum est *Levit.* XXII. 9. *Et moriantur in Sanctuario cum polluerint illud*. Sicuti profanatio eo loci dicta *plectitur* morte divinitus illata, etiam profanatio hic commemorata *plectitur* morte divinitus illata. Et pro quovis præcepto negativo, quo morte divinitus illata tenebatur, 40. plagis vapulabat; & quamvis si immundus ministrasset nulla alia pœna nisi 40. plagis tenebatur per Sinhedrium, tamen legimus fratres ejus Sacerdotes non deduxisse illum in Sinhedrium, sed extrinsecus educebant, & securibus ejus cerebrum contundebant, nec ab ullo prohibebantur. Et ipsius diei lotus unde probatur? Ex eo quod dictum est *Levit.* XXI. 6. *Sancti erunt Deo suo, & non polluent*. Profanatio ex profanatione explicatur a Teruma; si non possit explicari de immundo, qui ministraverit; quod de ipso jam eruitur a וינזרו explicabitur de loto ipsius diei. Et unde probatur, quod labe affectis non liceat accedere ad velum & altare? Ex eo quod dictum est *Levit.* XX. 23. *Ita duntaxat ut intra velum non ingrediatur, nec accedat ad altare, quia maculam habet*. Legitur in *Siphra* si dictum est altare, cur dictum est velum? Si tantum altare commemorasset, ego dicerem, ab altari, quod sacrificio idoneum est, prohibetur, a velo, quod non est idoneum sacrificio, non arcebitur; ideoque necesse fuit commemorare velum; si vero duntaxat velum commemorasset, dicerem, a velo, quod est intrinsecus, prohibetur, ab altari, quod est extrinsecus, non arcebitur, ideoque utrumque fuit commemorandum.

Quod vero dixerunt nostri Sapientes f. m. in ultimo ædificio non fuisse murum, sed duos asseres &c. priusquam meam de hac re vobis declarem sententiam, hoc primum dicam; quod dimensum *quis soleat* vel totum, vel per partes metiri; nunc sive totum sit integrum, sive partes alia ab alia sint divisæ, tum earum extensio erit, quæ revera est, nec deerunt ab ea mensura, quæ individua facta sit. Verum si totum, uti prius erat, sit integrum, & partes mente abstrahantur, aut concipiantur juxta usum, qui mente illis attribuitur, quamvis cum toto conjunctæ sint, totum dicetur longum & latum, juxta primam ejus men-

ביחוד

ביחוד על פי השמוש או המחשבה ולפעמי׳
יקראו דרך כלל על פי מדת הכל כמלפנים׃
וכבר ידענו שכל המדה היתרה קרויה ארך
והפחותה רחב.

וכדי שיאירו דברי על פי המשל הנאורת
להבין ממנו כל מה טהצענו׃ תציירו
בשכלכם שיהיה לכם נסר או קורה שתהיה
מן המזרח למערב שלשים אמה ומן הצפון
אל הדרום טו׳ אמה אז על פי המדידה
תאמרו שהנסר או הקורה תהיה ארוכה
מן המזרח למערב שלשים אמות ורחבה
מן הצפון אל הדרום טו׳ אמו׳׃ ואם תחלקו
אחרי כן בפועל הקורה או הנסר בארכו
על פי רחבו לחמש׳ חלקי׳ שוים׃ אז תראו
שכל חלק וחלק מהנסר בפרוד יהיה ו׳ אמו׳
ברחבו ובארכו יהיה טו׳ אמו׳׃ אך אם תניחו
הקורה שלמה כמו שהית׳ בתחלה ובחוט
הסיקרא בלבד מבלי פרוד החלקים תרשמו
על גב הקורה חמשה רשומין שוין כמו
שהיו בחלוקה האמתית האמורה׃ אז
תאמרו שהקורה השלמה היא בארכה
וברחבה כמו שהיתה מלפנים שלשים אמה
בארך וטו׳ אמה ברוחב׃ ושחמשה החלקים
הצבועים בסיקרא לפי השמוש השתחפצו
או המחשבה שתרצו יהיו טו׳ אמות בארך
וששה אמות ברחב שיעמדו כן במרחק
המדומה כל זמן שתציירו בדעתכם שיהיו
חלקים נפרדים לפי צורך השמוש׃ או לפי
דמיון המחשבה שנגמרת׳ בשכלכם׃ אמנם
אם תמחקו החוטים הרשומים בסיקרא ויהיו
בעיניכם רשמי החלקי׳ האלה המדומים לאין׃
אז יחזרו החלקים ההם להיות כמדתם
הראשונה עם הכל טרם שיפרדו מהכל
עצמו ברשומי׳ ותאמרו עליהם שהם בין
כלם על ארך ורחב האמורים כראשונ׳ היינו על
שלשים אמה בארך וחמש עשרה אמה
ברחב.

והנה על פי דרך זה נאמר שהעזרה
המוחלטת היא בארך קפ״ז אמו׳ על רחב
קל״ה׃ וגם נודה ונאמר תכף ומיד שכפי
השמוש עזרת ישראל תהיה בארכה קל״ה
אמות וברחבה י״א אמות וכן כל שאר
חלקי המקדש על דרך זה יהיו כמדה
ההיא אשר כתבתי כאן בפרקי על פי השמוש
שלהם לא זולת. אך כשנחזור לצייר בדעתנו
שתתהוה ותחזור העזרה המוחלטת להיות
לגוף אחד בלבד מבלי הבדל חלקיה על פי
השמוש׃ אז נחזור המרחקים האלה כלם
לערך הכל שהוא בהחלט ולא לערך החלקים

ſuram & partes aliquando vocabuntur ſingulares, juxta uſum aut ideam, qui illis tribuitur, & aliquando generales juxta menſuram totius, uti prius erant. Jam conſtat majus ſpatium vocari longitudinem, & minus latitudinem.

Ut melius mea verba intelligatis, afferam exemplum, quo clarius illuſtrentur. Fingite vobis mente aſſerem aut tignum, quod ſit ab oriente ad occidentem triginta cubitorum, & quindecim ab aquilone ad auſtrum, tum juxta ejus menſuram dicetur aſſer aut tignum eſſe longum ab oriente ad occidentem 30. cubitos, & quindecim latum ab aquilone ad auſtrum; Poſthæc ſi actu dividatur tignum aut aſſer in ſua longitudine per ſuam latitudinem in quinque partes æquales, tum videbitis ſingulas ex his partibus diviſis fore latas ſex cubitos, & quindecim longas; Si vero tignum relinquatur integrum, uti erat a principio; & filo minio tincto duntaxat, ita ut partes non dividantur, deſignentur ſuper tigno quinque ſigna æqualia, uti erant in jam dicta reali diviſione, tunc dicendum tignum integrum eſſe in ſua longitudine, & latitudine, uti prius erat, nempe longum triginta cubitis, & quindecim latum, & quinque partes filo rubro tinctas juxta uſum, qui deſideratur, aut ideam, qua explicantur, eſſe longas quindecim cubitos, & ſex latas, quæ in hujuſmodi extenſione imaginaria ſubſiſtent, quandiu mente eas volueritis conſiderare veluti partes diviſas juxta neceſſitatem uſus, aut juxta ideam, quam de illis habetis. Si vero ſigna illa deleantur filo rubro deſignata, eaque ſigna veſtris oculis videantur, perinde ac ſi nunquam fuiſſent, tunc illæ partes reſtituentur in priſtinam menſuram cum toto, priuſquam his ſignis diviſum fuiſſet; dicendumque ea omnia eſſe ea longitudine, ac latitudine, qua prima erant, ſc. triginta cubitos in longitudine, & in latitudinem quindecim.

Hoc quoque modo dicendum eſt, totum atrium patuiſſe in longitudinem 187. cubitos, & 135. in latitudinem; pariterque extemplo fatendum ac dicendum eſt, juxta uſum atrium Iſraelis fuiſſe longum 135. cubitos, & 11. latum, pariterque ceteras partes Sanctuarii hoc modo fuiſſe in ea extenſione quam cap. 11. ſcripſi, juxta uſum qui illis tribuitur, non autem diverſa ratione. Si vero iterum nobis mente fingamus, unum ſimpliciter eſſe corpus, nulla habita ratione ſeparationis ſuarum partium, juxta uſum, qui illis tribuebatur; tunc aſſignanda erit harum rerum extenſio toti, non vero illis

שבראשונ׳ ציירנו במחשבתנו שיהיו כן על פי השמושי ובגלל הדבר הזה בפרק כל העזרה דמדות רבותינו החזירו הי״א אמה של רחב עזרת ישראל למדת הארך ואמרו מן המזרח למערב קפ״ז אמה מקום דריסת ישראל י״א אמה וכו׳ ולפי דרכם גם כן כל הדברים שיהיו בחבור לעזרה המוחלטת לעולם יהיה ארכן מן המזרח למערב ורחבן מן הצפון אל הדרו׳ גם כי מצד עצמו יהיה הדבר ההוא קצר או ארוך כמו שיזדמן׳ כי אל מקום שיהיה שם בחבור ובדבוק לעזרה הארך שלו יהיה לעולם מן המזרח למערב והרחב מן הצפון אל הדרום גם כי מצד עצמו יהיה יותר ארוך מן הצפון אל הדרום ממה השוא מן המזרח אל המערב.

נחזור אחרי ההצעה הזאת למה שהעתיק השמעוני ז״ל בפרשת׳ תרומה סי׳ ש״ס על פי רז״ל במס׳ יומא פרק הוציאו לו כשאמרו אבל בנין האחרון לא הים לו כתל אלא שני פסין היו לו וארכו של כל אחד וא׳ אמה ומחצה׳ ושני פרכות של זהב היו פרוסות עליהן מלמעלה והיה נקר׳ אמה תיקוסין. דעו בני כי ביאור מה שאמרו שם הז״ל לפי סברתי הוא זה׳ הבנין האחרון היינו של בית שני שעשו בני הגולה לא היה לו כתל עד הגג העליון שאצל המעקה כמו שפי׳ רש״י שהיה ברום מאה אמה׳ או עד הספון או התרה ראשונה של היכל כדברי רד״ק שהם אליבא דהגאון המופלא שבדורנו כמהר״ר שמה קזיס נר״ו היות נכוני מפני שהתקרה היתה גבוהה מ׳ אמה שהם עשר אמו׳ על גובהו של בית ראשון׳ ובעבור זה בני הגולה לא בנו הכתל המבדיל באבנים בבירת שעשו פן חו״ יפול הכתל תחתיו׳ כי לא היה בעביו אלא אמה׳ אבל נתנו במקומו שתי פרכות על שני פסין היינו שתי קורות קבועים בתקרה המשותפת להיכל ולדביר על מקום הכתל הסוגר נרחוק זה מזה כמו י׳ טפחי׳ מצומצמים והיו הפסין האלו אחד מהם קבוע בתקרה שעל ההיכל במקום שהיה מתחיל הכותל הסוגר׳ והאחר תקוע בתקרה ההיא שעל הדביר אל מקום שהיה מגיע ופוסק עובי כתל זה המבדיל ביניהם כדי שירדו מהפסין הפרכות בכוון מן תקרת ההיכל והדביר בשתוף ויהיו שם להבדיל במקום הכתל זה שהיה בבית המקדש ראשון כמו שאמרנו׳ וארכן של כל אחד ואחד מהפסין היה אמה ומחצה׳ ועליהן היו נתונין שתי פרכו׳ פרכ׳ א׳ ע״ג הפס האחד ופרכת אחרת ע״ג הפס האחר

partibus, quas mente conceperamus ibi fuisse juxta earum usum; Ideoque v. *Middoth* a nostris sapientibus undecim cubiti latitudinis atrii Israelis restitutæ sunt mensuræ longitudinis; ldcirco dixerunt; *ab oriente ad occidentem* 187. *cubitos*, *ambulacrum Israelitarum* 11. *cubitos* &c. Pariterque hoc modo omnia quæ conjuncta erant cum toto atrio, semper habebant longitudinem ab oriente ad occidentem, & latitudinem ab aquilone ad austrum, quamvis res ipsa vel brevior vel longior esset; quia loci, qui erat annexus & conjunctus cum atrio, longitudo semper erat ab oriente ad occidentem, & latitudo ab aquilone ad austrum, quamvis ipse longior fuisset ab aquilone ad austrum, quam ab oriente ad occidentem.

Reptendum posthæc quod refert Simehoni in sect. *Teruma* §. 367. ad id quod dixerunt nostri Sapientes f. m. v. *Joma*, ubi scripserunt. Verum in ultimo ædificio non erat murus sed duo asseres, quorum singulis longitudo erat unius cubiti cum dimidio, quibusque duo vela superius extendebantur; & hic vocabatur cubitus Tikosin. Scitote mei filii hanc esse juxta meam sententiam nostrorum Sapientum f. m. hujus loci explicationem; Ultimo ædificio, sc. domus secundæ, quam ædificarunt filii captivitatis, non fuisse murum usque ad tectum superius, quod loricæ proximum erat, uti sentit *Raschi* f. m. in altitudine centum cubitorum, aut juxta sententiam *Kimchi* f. m. usque ad primam templi contignationem, quæ est (uti sentit, magnificus *R. Mose Kazes*, miraculum nostri seculi quem Deus servet,] probabilior, quia contignatio alta erat 40. cubitis, nempe 10. cubitis illa altior, quæ erat in prima domo; ideoque filii captivitatis non exstruxerunt murum intergerinum ex lapidibus, uti factum est in prima domo, veriti, quod Deus avertat, ut caderet murus, cujus unius tantum cubiti erat crassities; eaque de causa duobus asseribus duo vela imposuerunt, nempe duobus tignis infixis in contignatione, quæ simul templum & Adytum conjungebat, in eo loco, ubi erat murus, qui claudebat spatium inter utrumque quasi decem palmorum angustorum, & horum asserum alter fixus erat in contignatione templi, ubi initium ducebat murus, qui claudebat, & alter constitutus erat in ea contignatione, quæ erat super Adyto in eo spatio, ubi pertingebat, & desinebat crassities hujus parietis, qui inter ea separabat; ut ab his asseribus recte demitterentur vela a contignatione templi & Adyti æqualiter, & separarent loco parietis, qui erat in

וביניהן

וביניהן היה מקו׳ כתל תיקוסין · שהי׳ ברחבו
או בעביו אמה שוחקת · וכדי שלא תאמינו
שארך הפסין יהיה אמה וחצי ולא יות׳ עד
שיניחו מקום הכתל פרוץ ועומד ויהיה קדש
הקדשים פתוח להיכל כחדר וכחצר א׳
בהחלט מבלי שום הפרש והבדל · אין הדבר
כן כי השתי פרכו׳ היו סותמין היטב מקום
בית קדש הקדשים כמו שהכתל היה נועל
וסוגר בבית הראשון קדש הקדשים ומבדיל
אותו מן ההיכל · וכדי שהכסין יהיו חזקי׳ ולא
ישברו בשביל משקל הפרכו׳ שהיו בעבין
טפח · ועוד מפני שהיו של זהב שמשקלו
מרובה אמרו שארכן המדומה לפי מרחק
ארך הבית האמתי מן המזרח למערב היה
אמה וחצי היינו היה כל א׳ מהפסין בעביו
שהוא הרחב האמתי שלו אמה וחצי · כי
נקר׳ רחב הפסין ארך מדומה בערך הבית
שהיו תקועין שם הפסין בתקרה לארכו·
וארכן נקר׳ רחב · מפני שהיו נתונין הפסין
ההם מן הצפון אל הדרום שהוא הרחב
העצמי של היכל כאמור במשנה · ועל כן
בעביין של פסין שבאמ׳ וחצי הנקר׳ ארך
כפי מרחק העזרה המוחלטת על ארך עשרים
אמה של פסין הנקר׳ רחב כפי מרחק ההיכל
עצמו כאמור היו הפרכות פרוסו׳ עליהן
ומבדילות הקדשים זה מזה כדין וכשורה
עד שהיו סוגרים הדביר לפני לפנים ומבדילין
אותו מן ההיכל שהוא חוץ ממנו כמשפט
ההוא בעצמו שהיה עושה הכתל של
אבנים במקדש ראשון בכל מכל כל.

ואני לא אוכל להתעלם מלהגיד לך אתה
הקור׳ · כי כל מה שכתבתי על דברת הפסי
האלה הוא מה שלבי אמר לי ומאומד
הדעת הפשוט במקו׳ שהמפרשים החשו
ולא ענו עליו דבר · וגם מפני המניעה
הידועה לא ראיתי מה שבאולי אמרו עליהן
בגמ׳ · ואם ירצה ה׳ שתוכל בטובו וחסדו
לינק דבש וחלב דברי רז״ל שם ויחפוץ ה׳
שיהי׳ ג״כ זה ברשיון מלכינו ושרינו ישמרם
ה׳ אתה עתה ברוך ה׳ עמוד על דבריה׳
בלבד · ויהיה פירושי זה אצלך נחשב לכלום

primo Sanctuario, uti diximus; & longitudo ſingulorum aſſerum erat unius cubiti cum dimidio, quibus duo vela impoſita erant, alterum ſuper altero aſſere, & alterum ſuper altero, atque ea inter intererat ſpatium cubiti Tikoſin, cujus latitudo & craſſities erat unius cubiti extenſi. Ne vero credatis aſſerum longitudinem fuiſſe tantum unius cubiti cum dimidio, ita ut muri ſpatium relinqueretur apertum, & Sanctum Sanctorum in templum apertum eſſet, quaſi conclave, & atrium, ita ut nulla eſſet diviſio & ſeparatio; non ita ſe res habebat; imo duo vela optime claudebant locum Sancti Sanctorum, ſicuti paries claudebat & obſerabat Sanctum Sanctorum in prima domo, & a templo ſeparabat. Ut vero aſſeres validi eſſent, & ne frangerentur propter pondus velorum, quorum craſſities erat palmaris, quæque cum auro contexta eſſent, erant graviora, dixerunt eorum longitudinem imaginariam juxta diſtantiam veræ longitudinis domus ab oriente ad occidentem fuiſſe unius cubiti cum dimidio, ſc. aſſerum ſingulos in ſua craſſitie quæ vera erat eorum latitudo, fuiſſe unius cubiti cum dimidio. Vocabitur latitudo aſſerum longitudo imaginaria reſpectu domus, ubi infixi erant aſſeres in contignatione ad ejus latitudinem; & eorum longitudo appellabitur latitudo, quia collocati erant hi aſſeres ab aquilone ad auſtrum, quæ vera erat latitudo templi, ut in Miſna dictum eſt; ideoque in craſſitie aſſerum, quæ erat unius cubiti cum dimidio, quæ vocatur longitudo juxta eſtenſionem atrii peculiaris, in longitudine viginti cubitorum aſſerum, quæ vocatur latitudo juxta eſtenſionem ipſius templi, uti dictum eſt, vela extendebantur, & ſeparabant, uti decebat alteram ab altera Sanctitate, ita ut clauderent Adytum, & ſepararent a templo, quod illo erat exterius, ſicuti omnino murus lapideus in primo Sanctuario præſtabat.

Verum mihi referendum neceſſario eſt, lector, quæ de his aſſeribus ſcripſi, tantum ſcripſiſſe uno judicio, & ratione adductum, cum in his interpretes tacuerint, neque ullum verbum dixerint; Accedit quoque, quod propter notam prohibitionem, fortaſſe non viderim, quod dixerint in *Gemara* noſtri ſapientes f. m. ſi Deus benedictus velit, ut poſſis ejus bonitate & miſericordia ſugere mel & lac verborum noſtrorum Sapientum f. m. quod Deus velit, ut concedatur venia & permiſſu noſtrorum Regum & Principum, quos Deus ſervet; Tum vero tu benedictus a Deo tantum eorum verbis

כי על מנת כן כתבתי אותו כאן· וכבר ידעת כי אני לא באתי חו̇ לחלוק על דברי רז̋ל מעולם ועד עולם· כי הם אמת ודבריהם אמת· ברוך שבחר ושיבחר בם ובמשנתם ובתורתם.

והנה על משפטי תלות הפרכו̇ המבדילו̇ בין ההיכל והדביר· ראוי להזכיר לכם בראשונ̇ ארך ורחב ועבי שלהן אחרי כן טוב הוא שאומ̇ לכם כאן בפ̇ זה מה שדימיתי אני על תחיברת הפרכו̇ בפסין לעמוד שם באופן נאות כל ימי טהרתן.

הלא אמר רשב̋ג בש̋ר שמעון בן הסגן במס̇ שקלים פ̇ כל הרוקין משנה חמשית שהפרכת עביה טפח ושארכה מ̇ אמה ורחב̇ עשרי̇ אמה· ואתם דעו כי שתי פרכות היו בעליה כמ̋ש רז̋ל ביומא למעלה מהשתי פרכות שהיו בין ההיכל והדביר ארכן ששים ורחבן עשרי̇ אמה; ועוד ג̇ פרכות אחרו̇ היו במקדש על פי מדה אחרת בשוה וכמעשה האחרת כן היה מעש̇ שלשתן אליבא דר̇ שמעון בן הסגן דפליג עם מאן דאמר דפרכות המבדילו̇ היו של זהב· והנה הג̇ פרכות הן השתי פרכות של אמה תיקוסין והפרכת האחרת שהיתה על פתח האולם וכל פרכת ובפרט הג̇ שבזכרו על שבעי̇ ושתים נימין נארגת ועל כל נימא ונימא כ̋ד חוטין לפי שנעשין הנימין מד̇ מינין שהם תכלת וארגמן תולעת שני ושש· וכל מין ומין חוטן כפול ששה כדאיתא ביומא· נמצא שהיתה נארגת כל פרכת באלף ותשכ̋ח חוטין· ואני לא הבנתי הפירוש הראשון שעשה הרב מבירטאנורה כשאמר ובשמנים ושתי̇ רבוא כך היה מנין החוטין שהיא נעשת מהן· אם לא ירצה שכל אחרת מהפרכו̇ היתה נעשת משלם עם החוטין האלו בלבד ולא יעבורו ואם קבלה היא נקבל כי אינו מן האפשר אצלנו להודיע לכם זה במופת צורק· אמנם רבינו ז̋ל אמר ובשמני̇ רבוא נעשה שהוא מנין שמנה מאות אלף ועשרים אלף דינר והר̋ עובדיה הוסיף זהב ורבינו לא זכר הזהב· ואם נאמר שהיו דינרי זהב אולי היה זה אליבא דמי שאמר שהפרכות המבדילו̇ היו של זהב ואני באמת לא רציתי לכוין שווים של דינרים

inniteris; & hæc mea explicatio pro nihilo habebitur; Hoc enim pacto quæ ſcripſi ſcripſi, neque enim ignoras me nolle adverſari verbis noſtrorum Sapientum f. m. neque modo, neque unquam, quia illi ſunt veritas, & verba eorum ſunt veritas; benedictus ſit, qui elegit, & eliget illos, & eorum ſtudium, & ſtatuta.

De ratione vero appendendorum velorum, quæ inter templum & Adytum ſeparabant, mentio primum facienda eſt de eorum longitudine, latitudine, & craſſitie. Poſthæc conveniens erit a me vobis referri in hoc capite, quod mihi videtur de infigendis velis in his aſſeribus, ut ibi conſiſterent forma qua decebat, quo tempore munda eſſent.

Jam dixit Raban Simeon filius Gamalielis nomine R. Simeonis filii Sagan VIII. 5. *Sekalim*, veli craſſitiem fuiſſe palmarem, & ejus longitudinem quadraginta cubitorum, & viginti latitudinem. Conſtat præterea duo in cœnaculo fuiſſe vela, uti dicunt noſtri Sapientes f. m. in tractatu *Joma*, ſuper duo vela, quæ inter templum & Adytum intererant in longitudine 60. cubitorum & in latitudine viginti; & tria præterea erant vela in Sanctuario ejuſdem menſuræ, & cujus operis erat unum, ejuſdem tria erant, juxta ſententiam R. Simeonis filii Sagan, contra illum diſputantis, qui contendit vela, quæ ſeparabant, aurea fuiſſe; & ecce ex tribus velis duo vela erant cubitus Tikoſin, & aliud velum erat ſuper portam veſtibuli; & ſingula vela, præcipue tria commemorata contexta erant duobus & ſeptuaginta funiculis, & quiſque funiculus quatuor & viginti filis, quia funiculi quatuor conſtabant ſpeciebus, ſc. hiacyntho, purpura, Cocco dibapho, & byſſo; & ſingulæ ſpecies ſexies duplicatæ erant, uti refertur in tractatu *Joma*; deprehenditur velum 1728. filis fuiſſe contextum. Ego vero non intelligo primum commentarium, quod fecit R. *Bartenora* dicens, octoginta duas Myriades fuiſſe numerum filorum, ex quibus conſtabat; niſi ſi hoc dicere velit; ſingula vela abſolute his duntaxat filis confecta eſſe; ſi ſit traditio, nobis eſt accipienda; quia fieri non poteſt, ut evidens demonſtratio a nobis adducatur. Verum noſter præceptor f. m. dicit; ex octoginta myriadibus confectum eſt, ſunt octingenta & viginti millia denariorum; & R. *Obadia* addit aureorum; at noſter præceptor nullam auri facit mentionem; ſi dicere libeat fuiſſe denarios aureos, hoc erit fortaſſe juxta opinionem illius, qui putat vela ſeparantia fuiſſe aurea. Ego quidem nolui inveſtigare eorum pretium,

סתם

סתם או של זהב ביחוד ולא עמדתי על פי חשבון הפשוט לראות כמה היה הסך ההוא שהיתה עולה כל פרכת בדינרי׳ שלא של זהב מפני שלא רציתי לטרוח אתכם בקריאת דבר זה ללא הועיל.

ויש ספרי׳ שכתו׳ בם לפי דברי הבירטאנורה ז״ל בשמנים ושתים ריבות כלומר נערו בתולו׳ שהיו מתעסקות בעשייתה ושתים עושים בכל שנה ולא ידעתי נ״ב אני אברהם למה שתים בלבד ולא שלשה לפחות הואיל כי יוכל להיות ולהזדמן לפעמי׳ שיטמאו כמו בי״ה שלשתן בעבור מיתת הכ״ג בבית קדש הקדשי׳ כאמור ומן הנכון הוא שנאמין שהיו עושין נ״ב הפרכו׳ יותר מג׳ אך לא במדה זאת אלא שתי׳ בארך ששים אמה על רחב עשרי׳ והשאר כמדת שערי המקד׳ שהיו כלם בארך עשרים על רחב עשרה חוץ משער האולם שהיה ארבעים על עשרים כדתנן במדות פ׳ הר הבית משנ׳ ג׳ והב פרכו׳ של אמה תיקוסין שהיו כמדת פרכת האולם וג׳ מאות כהנים מטבילין אותם׃ דכלי׳ הנטבלין אע״פ שנגמרו בטהרה צריכין טבילה לקדש כדאיתא במסכת חגיגה פ׳ חמר בקדש משנה ב׳ ורבינו ז״ל אמר כפי׳ המשנה דשקלים כי כל מה שנזכר בפרכת הכל לשון הבאי וכן ביארו בגמ׳ היינו במסכת חולין פ׳ גיד הנשה אמנם הרב ר׳ עובדיה ז״ל כתב וג׳ מאות כהנים דתנן במתני׳ לשון גוזמא והבאי הוא דלא הוה צריך כל כך כהני׳ להטבילה׃ שנרא׳ מדבריו שכל שאר הפרטים בפרכות כן היו חוץ ממנין הכהנים בטבילה.

ועתה מהמשנה הזאת ראינו שצריך השתדלו׳ רב לתקן את הפרכות במקומן במקדש אם היו נעשו׳ בהוצאה מרובה ובעמל גדול כזה׃ לכן האמנתי שעל שפה העליונה של כל פרכת שהנ׳ הנזכרי׳ היו עושין שני טסי זהב הסוגרי׳ בתוכ׳ שפת הפרכת העליונ׳ מב׳ צדדיה׃ ארכן של טסין כארך הפרכו׳ ורחבן ב׳ טפחי׳ ועובי הטס שנעשה עליו תלית הפרכו׳ בטס היה כשתי אצבעו׳ וממנו היו יוצאים מאה ועשרים קנים חלולים מלמטה ומלמעלה עומדים כשלשה אצבעות נ״ב בזקיפה ויוצאי׳ בשורה שוה מעצמות הטס האמור רחוקי׳

sive simplices denarii essent, sive aurei; neque in hac ratione putanda immorandum censui, ut investigarem, quanta singula vela summa constarent in denariis, qui non essent aurei; noluique in hoc vobis esse molestus quod nullæ sit utilitatis.

In quibusdam libris scriptum est juxta verba *Bartenoræ* שמונים ושתים רבות sc. quod octoginta duæ virgines intentæ erant toto anno illi perficiendo; duoque singulis annis conficiebant; ego vero Abraham ignoro, quod duo tantum, non vero tria saltem confecta sint; poterat enim contingere, ut aliquando præsertim in die Expiationum, tria hæc summi Pontificis interitu in Sancto Sanctorum polluerentur, uti dictum est; Ideoque credendum esse videtur præter hæc tria alia pariter vela confecta esse, non ejusdem tamen mensuræ, sed duo in longitudine 60. cubitorum, & in latitudine viginti, & reliqua juxta mensuram portarum Sanctuarii, quæ omnes longæ erant viginti cubitos, & decem latæ, excepta vestibuli porta, quæ longa erat quadraginta cubitos, & viginti lata, uti refertur in Misna II. 3. *Middoth*; *exceptis* duobus velis cubiti Tekosin, quę erant juxta mensuram veli vestibuli. Et trecenti Sacerdotes illud lavabant; vasa enim lavabantur; quia quamvis perfecta essent cum puritate, tamen lavanda erant propter sanctitatem, uti traditur III. 2. *Chagigah*. Noster præceptor in commentario ad l. c. *Sekalim* scribit, quicquid de velo dictum est, per modum excellentiæ dictum esse; ideoque R. *Obadia* f. m. scribit; quod Misna dicit, *trecenti Sacerdotes lavabant illud*, accipiendum est hyperbolice; non enim erant necessarii tot Sacerdotes ad abluendum; ex quibus verbis apparet reliquas omnes proprietates velorum eo quo describuntur modo fuisse, excepto numero Sacerdotum ad abluendum.

Nunc in hoc paragrapho videmus magnam adhibendam fuisse diligentiam, ut in suis locis vela in Sanctuario disponerentur, si tanto impendio & opera conficienda erant. Idcirco arbitror ad extremitatem superiorem cujusque ex tribus velis, quæ sunt commemorata, confectas fuisse duas laminas aureas, quæ inter se clauderent veli superiorem extremitatem a duobus lateribus, fuisseque harum laminarum longitudinem eandem ac velorum longitudinem, & earum latitudinem duorum palmorum, & laminæ crassitiem, qua asseri velum appenderetur, fuisse duorum circiter digitorum, ab eaque productas fuisse centum & viginti

זה מזה טפח אח׳ בלבד והטס הב׳ שכנגדו
היה לפי דעתי בארכו ורחבו כטס האחר
והי׳ בלי קנים מכל וכל׳ אך בעביו היה
אצבע אחד ולא יותר ׳ וגם האמנתי שעל
שני הטסין היו עושין ד׳ שורות שוות של
נקבים רבים שילכו נקבי הטס שבו הקנים
לעומת הנקבים שבטס האחר שאין בו הקנים
בכוון והיו תופרים ב׳ הפסין בפרכות בחוט
זהב טווי ושזור כהלכה׳ ואולי בגסותו היה
החוט הזה כגסות מתרי הנבל עשור הבינוני
שהם בסדר החמשי מהמותרי׳ שלו׳ ובשורה
העליונה מהנקבי׳ בראשיתו של ארך הפרכ׳
יחליפו ויתקעו חודו של מחט ארוך של זהב
שיהיה בקצהו האחת מוכנס בו החוט האמו׳
כהלכ׳׳ וכשיחליפו המחט מעבר אל עבר
מהנקב הראשון מהטס שבו הקנים עד שיכנס
ג״כ בנקב הראשון שבטס שאין בו הקנים
שכנגדו אז ירכיבו חוט הזהב למעלה משפת
שני הטסים והפרכת המוסגר בם ויחזרו
לתחוב המחט בנקב הב׳ מהטס שבו הקני׳
ללכת בנקב הב׳ של הטס שאין בו הקנים
שכנגדו ׳ אחרי כן ירכיבו החוט למעלה
משפת הפסים והפרכת כאמור ויחזרו לתחוב
המחט בנקב הג׳ מהטס הראשון עד שיצא
מנקב הג׳ שבטס הב׳ ויעשו כן בהדרג׳ כאשר
אמרנו עד שיגיעו לסוף או לקצה שורה
הראשונה של נקבי׳ שהן בארכן של טסים
שעל הפרכת כי זאת תהי׳ תפירה מעליתא
הנקר׳ בלעז סופרה פונטו או סופרה מאנו.

אחרי כן בשורה הב׳ מהנקבים שבטסין
יתחבו המחט שבו חוט הזהב בנקב הראשון
שבטס האחד עד חוץ לנקב הראשון שבטס
הב׳ . אחרי כן יתחבו המחט בנקב השני
שבטס השני עד שיצא חוץ מהנקב הב׳
שבטס הראשון׳ אחרי כן יתחבו המחט
בנקב הג׳ שבטס הראשון עד שיכנס בנקב
הג׳ שבטס הב׳ ומהנקב הד׳ ממנו יצא חוץ
לנקב הד׳ שבטס הראשון׳ וכן יעשו בכל׳
נקבי השורה הב׳ שבטסים עד תכליתה כי

cannas infra & supra perforatas, quæ quasi tres rectos digitos attollebantur, & producebantur in æquali serie ab ipsa lamina, palmo tantum alia ab alia distantes; & alteram laminam, quæ e regione alterius erat, juxta meam sententiam ejusdem fuisse ac alteram laminam, longitudinis ac latitudinis, nullasque omnino habuisse cannas, ejusque digiti tantum crassitiem fuisse; Atque etiam arbitror, super duas laminas factas fuisse duas series æquales multorum foraminum ita ut apte responderent foramina laminæ, in qua erant cannæ, foraminibus laminæ quæ cannis carebat. Et velis duas laminas filo aureo neto & contorto, uti decebat, assuebant. Et fortasse hujus fili crassities erat quasi crassities fidium lyræ mediocris, quæ decem constat fidibus, sc. illis, quæ sunt in ejusdem quinta serie; Atque in superiori foraminum serie in principio longitudinis veli inducebatur & infigebatur acumen acus longi aurei in cujus altera extremitate induceretur filum aureum, de quo dictum est, uti decebat; & quando inducebatur acus ex uno in aliud latus a primo foramine laminæ, cui inerant cannæ, usque dum pariter induceretur in primum foramen laminæ, quæ cannis carebat, quæ e regione illius erat; tum imponebatur filum aureum super extremitates duarum laminarum, & veli inter illas comprehensi; atque iterum infigebatur acus in foramen secundum laminæ, ubi inerant cannæ, ut deduceretur in foramen secundum laminæ, quæ carebat cannis, quæ e regione illius erat. Posthæc imponebatur filum super extremitatem laminarum, & veli, uti dictum est, atque iterum infigebatur acus in tertium foramen primæ laminæ, usque dum deduceretur in foramen tertium secundæ laminæ, atque ita gradatim fiebat, uti dictum est usque dum perveniretur ad finem, aut extremitatem primæ seriei foraminum, quæ erant in latitudine laminarum, quæ erant super velo; etenim hæc erat optima futura, quæ Italice *sopra punto*, aut *sopra mano* appellatur.

Posthæc in secunda serie foraminum in laminis existentium infigebatur acus, cui inerat filum aureum, in primum foramen, quod erat in altera lamina usque ad partem exteriorem primi foraminis, quod erat in lamina secunda. Deinde infigebatur acus in foramen secundum, quod erat in lamina secunda, donec egrederetur extra secundum foramen primæ laminæ. Posthæc infigebatur acus in foramen tertium primæ laminæ, usque dum ingrederetur in foramen tertium

גם

גם זאת תהי׳ תפירה טובה והגונה וכן יעשו בשורה הג׳ מהנקבי׳ עד סופה : אמנם בשור׳ הד׳ שבנקבים שבטסים יכניסו המחט המתוקן בחוט של זהב כמשפטו מהנקב הראשון שבטס שבו הקנים עד שיצא חוץ מהנקב הראשון שבטס הב׳ שאין בו הקני׳ · אחרי כן בצד עצמו שבו הטס הב׳ יתחבו המחט והחוט בגוף הפרכ׳ בכוון בין הנקב הראשון והשני שבטס השני ויחליפו המחט עד חוץ לפרכת אל מקום הטס הראשון שבו הקנים בין נקב הראשון ושני · ומההטס שבו הקנים יתחבו המחט בנקב השני שלו עד שיעבור תוך הנקב הב׳ שבטס הב׳ שכנגדו · ואה בצד ההוא עצמו יתחבו בגוף הפרכת המחט בכוון בין הנקב הב׳ לג׳ עד שיצא אל מקום שבו הטס האחר שבו הקנים · אחרי כן יתחבו המחט בנק׳ הג׳ מהטס הראשון שבו הקני׳ ויחליפו אותו עד שיצ׳ בנקב הג׳ מהטס הב׳ · אחרי כן יתחבו המחט בגוף הפרכת מתחת הטס בין הנקב הג׳ וד׳ עד שיצא אל הצד שכנגדו · וכן יעשו בהדרגה מנקב הטס הראשון אל נקב הטס הב׳ ומגוף הפרכת אל מחוץ הצד שכנגדו וממנו בנקבי הטס הראשון עד נקבי הטס השני באופן שיכלו ויגמרו לתפור כל נקבי הטסים בפרכת כאמור עד סוף השורה הד׳ שזאת ג״כ היא תפירה טובה וחזקה הנק׳ בלעז סוטה פונטו או סוטה מאנו : ועד כאן פרנסנו הפרכות · ואם נרצה גם לפרנס הפסין עצמן · נאמר כי בכל פס ופס צריך לתקוע בם מאה ועשרים מסמרים או יתידות של זהב ברחוק טפח א׳ מזה לזה · ובפס עשל ההיכל יביטו הידתו׳ התקועו׳ בו נגד הדביר · ובפס שעל הדביר יביטו היתדוי כנגד ההיכל · וארכן של יתדוי הי׳ כשנ׳ טפחי׳ ועביך כמו ב׳ אצבעו׳ ברבוע · ויכנסו בפסיך כמו ו׳ אצבעו׳ ויעדיפו לצד חוץ כמו ב׳ אצבעו׳ · ועל ראש׳ העודף שם יהיו כמו צירי׳ ענולי׳ והקופי׳ קרוב לד׳ אצבעו׳ בארך להכניס שם הקני׳ של זהב שבטסי הפרכות

Et in bellis Cananæorum vobis plane præcipit dicens; (*Jos.* VIII. 2.) *Prædam vero & omnia animantia diripietis vobis*. Pariterque scriptum est. *Dixit ad eos in multa substantia atque divitiis revertimini ad sedes vestras cum argento, & auro, ære ac ferro, & veste multiplici; dividite prædam hostium cum fratribus vestris*. (Jos. XXII. 8.) Neque hoc loci dictum est; Dividite prædam vestrorum hostium cum fratribus vestris, & separate prius separationem Domino. Pariterque Asa Rex in bello Æthiopico sibi prædam accepit, neque aliquid ex ea separavit Domino, sicuti scriptum est. *Et multam prædam asportaverunt; sed & caulas ovium destruentes, tulerunt pecorum infinitam multitudinem, & camelorum, reversique sunt in Jerusalem*. (2. *Paral.* XIV. 14. 15.) Neque Azarias filius Oded propheta, qui erat in ea statione, eum hac de causa castigavit, sed corroboravit manum ejus, dicens. *Vos ergo confortamini, & non dissolvantur manus vestræ; erit enim merces operi vestro*. *Ibid.* XV. 7. Hoc idem pariter actum est ab Josaphat ejus filio in bello Moabitico, & Ammontico, sicuti scriptum est 2. *Paral.* XX. 25. &c. *Venit ergo Josaphat & omnis populus cum eo ad detrahenda spolia mortuorum, inveneruntque inter cadavera variam supellectilem, vestes quoque & vasa pretiosissima, & diripuerunt ita ut omnia portare non possent, nec per tres dies spolia auferre præ prædæ magnitudine. Die autem quarto congregati sunt in valle benedictionis*; Neque aliquid in thesauris domus Dei reposuerunt. Dictumque est. *Reversusque est omnis vir Juda* &c. *Ingressique sunt in Jerusalem cum lætitia magna, & cytharis, & tubis* &c. Si vero David, ejusque filius Salomon, ceterique Reges Juda aliquando adduxerunt spolia hostium in domum, & in thesauros Dei magnam auri argentique vim, non id ex debito fecerunt, ut quintam partem solverent, quæ de jure de spoliis separanda esset, sed sponte & libere hanc separationem separarunt.

Tu vero, princeps stationis, scias velim, quod Deus, quo tempore Israelem punivit Jerichuntis causa, non puniverit, quod accepissent ex parte prædæ, quæ sorte contigisset; quia non præceperat Josuæ, ut hanc urbem ejusque spolia anathemati devoveret, ideoque filii Israelis converterunt cervicem coram inimicis suis, eo quod prævaricati essent in Domino, postquam urbem, & Jerichuntis spolia anathemati devoverant, & deinde in anathemate prævari-

לה׳

לה׳ מאת אנשי המלחמ׳ וגו׳ כמדבר לא׳ כי המצוה ההיא לא היתה לדורות אלא לפי שעה כדי ששבט לוי יקבל גם הוא בזכות פנחס מה שהי׳ ראוי לקבל פנחס עצמו מהבזה בעבור שהיה סבה שינצחו ישראל המדינים בעבור שתי פעולותיו · האחת מפני שהרג זמרי והאחרת מפני שהרג בלעם בן בעור שהיה משתדל בכל עוז עם אנשי מדיי להכחיד שם ישראל מגוי · וכבר ידעת שמי שממית המלך או שר הצבא או הגבור המופלג במלחמת לו יאתה ראשית הבזה כי במיתתם יפלו האויבים חללים מבלי עמל ויגיעה · הלא קרית מה שאירע במלחמת פלשתים כשנאספו בין שכה אשר ליהודה ובין עזקה באפס דמים · אמר הכתוב ויראו הפלשתים כי מת גבורם וינוסו שמואל א׳ יח ובמלחמות אבשלום תכף אחר מיתתו כתוב וישראל נס איש לאהליו.

והנה פנחס בחיר ה׳ הוא היה שהרג בלעם עד שבגלל מיתתו הכריתו ישראל ברצון ה׳ את בני מדין · צא וראה במה שתרגם הקדוש יונתן בן עוזיאל על פסוק ואת מלכי מדין הרגו על חלליהם כי כתב וית מלכי מדינאי קטלו על קטולי משריתהון ית אוי וית רקם וית צור הוא בלק וית חור וית רבע חמשת מלכי מדין וית בלעם בר בעור קטלו בסייפא · והוה כיון דחמא בלעם חייבא ית פנחס דהוה רדיף מן בתרוהי עבד מילתא דקסמין ופרח באויר שמייא · מן יד אדכר פנחס שמא רבא וקדישא ופרח בתרוהי ואחדיה ברישיה ואחתיה · שלף סייפא ובעא למקטליה פתח פומיה במילי דתחנוני ואמר לפנחס אם תקיים ית נפשי משתבענא לך דכל יומין דאנא קיים לית אנא מלטט ית עמך · עני ואמ׳ ליה הלא אנת הוא לבן ארמאה דבעית למשיצי ית יעקב אבונן · ונחתתא למצרים בגין למובדא זרעיה · ומן בתר דנפקו ממצרי׳ גריתא בהון עמלק רשיעא · וכדין אתגרתא אתגרא למילט יתהון · וכיון דחמית דלא אהניין עובדך ולא קבל מימרא דה מינך · אמליכתא מילכא בישא ית בלק למוקמא ית בנתיה בפרשת ארחתא למטעיא

cati sunt´. Neque modo mihi objicias, princeps stationis, quod præcepit Deus in bello Madianitico; *Et separabis partem Domino ab his qui pugnaverunt & fuerunt in bello*. [Num. XXI. 28.] Et quod hoc præceptum non mandatum sit generationibus, sed eo duntaxat tempore, ut tribus quoque Levi acciperet ob promeritum Pinehas, quod ipse Pinehas accepturus erat ex præda, cum ipse effecisset, ut Israelitæ superarent Madianitas, duabus ejus actionibus; 1. quod occidisset Zimri; 2. quod interemisset Balaam filium Begor, qui omnem dabat operam, ut Madianitæ delerent nomen Israelis ex gentibus; Jam tibi constat, quod qui interemit Regem, aut Imperatorem, aut celebrem bellatorem, illi primitiæ prædæ debeantur, quia his morientibus facile hostes cæduntur. Legas quoque velim, quod accidit in bello Philistæorum, quando congregati sunt inter Soco Judææ & inter Hazeka in Efes Damim; dicit Scriptura. *Videntes autem Philistiim, quod mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt*. (1. *Reg.* XVII. 51.) Et in bello Absalomis confestim post ejus mortem scriptum est; *Omnis autem Israel fugit in tabernacula sua*. (2. *Reg.* XVIII. 17.)

Et ecce Pinehas electus Domini fuit, qui interemit Balaam; ita ut causa ejus mortis juxta beneplacitum Domini Israelitæ deleverint Madianitas. Veni & vide, quod paraphrastice scribit sanctus Jonathan filius Uzielis in textum ואת מלכי מדין הרגו על חללים *& Reges Madian occiderunt super eorum occisos*; ita scribit; *Et Madianitæ occisi fuerunt super occisos suorum exercituum, Evi, & Recem, & Sur, & Hur, & Rebe, quinque Reges Madian; Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio.* Quando vero Balaam peccator vidit Pinehas se insequentem, perfecit divinationes suas, & per aerem cœli advolabat; confestim Pinehas nomen sanctum & magnum Dei invocavit, post eum advolans tetigit caput ejus, fecitque illum descendere; sumtoque gladio occidere volebat; tum aperuit os suum verbis obsecratoriis & dixit; Pinehas, si me vivum dimittas, tibi juro, quod omnibus diebus vitæ meæ non maledicam tuo populo; Cui respondit; Tu es Laban ille Syriacus, qui voluisti consumere Jacob patrem nostrum, & profectus es in Ægyptum, ut perderes ejus semen, & postquam ex Ægypto egressi sunt, excitasti contra illos Amalek impium; nunc vero venisti ut malediceres, & quando vidisti nihil tibi tua prodesse opera, consilium

יתהון

·יתהון ונפלו בניך כן מנהון עשרים וארבעה
אלפין· בניך כן לית אפשר תו למקיימא
ית נפשך · ומן יד שלף סייפיה מן תיקה
וקטליה.

עד שעד עצם היום הזה לא תמצא אתה
הישראלי שישאל ה׳ מאתך לעולם החמש
הזה אשר היית הייב לו· על כן תן לו
משלך עתה בסבר פנים יפות שני לוגין וחצי
יותר על החומש המוטל עליך בפירות הארץ
כי הנה יותר לך ה׳ אלף אלפי אלפים פעמים
על הסכום הזה ממה שהיית חייב לו מחמש
הבז׳ שבאו לידך במלחמו׳ והנה קודם התימת
פרקי זה הואיל כי בא לידינו זכירת מכס
ביזת מדין נכון הוא שנלכה נרדפ׳ לדעת שני
דברים אלה על רגל א׳ היינו מהות המכס
הזה וטבעו והבדלו ועלמה ועל מה העלימה
ממנו התור׳ חקדוש׳ סך הפרשת הביזה הזאת
המגעת ללוי בעד חלקו אם פרטה בשלמות
המכס שנתנו לכהן במצות ה׳ אנשי המלחמה
שיצאו לצבא· ואען ואומר על ראשון ראשון
כי ה׳ אלהינו ותברך שמו אינו מקפח שכר
כל בריה· ועל כי ראה שיעקב אבינו מרב
ענותנות הדריך לו החומש מכסיו עם כי
היה יכול לפטור את עצמו בעשור קנינו
ורכושו מבלי פשע ואשמה· גם הוא מדה
כנגד מדה בגודל טובו וחסדו מחל לבניו
בביזת מדין החומש הראוי בתורת יעקב
והמעשר חבא בתורת אברהם · ונתרצה
בדבר מועט שהיא התרומה כי כן קרא
הכתוב המכס הזה בהדיא מכס תרומת ה׳
בפרשת מטות · ועם כי שעור התרומה לעין
יפה היא אחת מארבעים לתנא קמא· או
אחת משלשים לבית שמאי· עם כל זה בחר
ה׳ בתרומה הזאת כפי ראות העין הבינונית
בלבד שהיא אחת מחמשים כנראה בב׳ רביעי
ממסכת תרומות משנה שלישית ולא שנה
את טעמה דבר כדי שיהיה משפט שלום
באמת בין הישראלים שהלכו בצבא למלחמה
ובין הכהני׳ והלוי׳ שישבו במחנה בהשקט
ובבטחה · ומפני שהלוים היו רבים במספר
צוה שיתנו להם התרומה הזאת משלם
כדכתיב תקח אחד אחוז מן החמשים שהיא
היא התרומה גדולה בעצם · מנה באמת

dedisti Balak regi impio, ut sisteret filiam suam in capite viæ, ut peccarent ideoque vigintiquatuor millia ceciderunt; idcirco fieri non potest, ut te vivum dimittam, & statim evaginato gladio interfecit.

Usque ad hunc diem non invenies, Israelita, quod abs te unquam postulaverim hanc quintam partem, quam deberes, ideoque impertire illi libens hilari vultu de tuis bonis duos logos cum dimidio ultra quintam partem, quæ tibi danda est pro fructibus terræ, & quia dedit tibi Deus plusquam decies centena millia ultra hanc summam ex eo quod deberes ex quinta parte prædæ, quæ tibi ex bello comparatur. Verum priusquam hoc caput absolvam, quoniam eo ventum est, ut mentio fieret de vectigali prædæ Madian, conveniens est, ut hæc duo breviter investigemus, sc. qualitatem hujus vectigalis, ejusque naturam & distinctionem; & qua de causa nobis non aperuerit lex sancta summam separationis, quæ Levitæ impertiebatur, cum peculiariter ostenderit quantum dederint Sacerdoti Dei jussu viri bellatores, qui ad pugnandum profecti sunt. Respondebo primo ad primum, Deum, cujus nomen sit benedictum, nullius mercedem præcidere; & quoniam vidit, Jacobum patrem nostrum propter magnitudinem humilitatis suæ sibi obtulisse quintam partem suarum facultatum, quamvis decima parte suarum possessionum, & bonorum nulla sua culpa & peccato se absolvere potuisset; idcirco ipse juxta mensuram remensus est propter magnitudinem benignitatis & misericordiæ suæ, condonavit ejus filiis in præda Madian quintam partem, quæ ex lege Jacobi & decimam, quæ ex Abrahami lege debebatur; & parva re sc. Thruma sibi conplacuit. In textu enim hoc vectigal appellatur separatio Domini in Parascha מטות Et quamvis in mensura separationis oculus bonus, *sc. liberalis* dat partem quadragesimam, juxta primam opinionem, aut trigesimam, juxta Sammæanos, tamen Deus elegit hanc separationem juxta usum mediocrem; nempe quinquagesimam, uti legitur IV. 3. *Trumoth;* neque aliquid immutatum est, ut judicium & veritas esset inter Israelitas, qui ad bellum proficiscerentur, & Sacerdotes & Levitas, qui quiete & tuto in castris morarentur. Cum vero Levitarum magnus esset numerus, præcepit, ut integra hæc illis separatio traderetur; sicuti scriptum est *Num.* XXXI. תקח אחד אחוז מן החמשים, quæ proprie est separatio magna; pars profecto digna, qua

יפה שיכלו להתכבד בה כל הלוים באגודת · אמנם מפני שהכהנים היו מועטים וכל היתר למשפחותיהם היה בנטול מאת אנשי הצבא שלא כדין וכשורה· גזרה חכמתו יתברך שיתנו להם אנשי המלחמה המעשר הפשוט מהתרומה גדולה כי בו היו הכהנים כלם מקבלי׳ גם כן מתנה ראויה להתעדן ולהתענג בה בני מלכים השרים בחצריהם ובטירותם · ועל כן אמר הכתוב אחד נפש מחמש המאות שהם שנים לכל אלף שהוא המעשר של עשרים הנאות והשלם לאלף המוחלט בתורת תרומה גדולה.

ואולם על הדרוש השני אומר כי התורה הציבה גם לנו ציוני סכום התרומה ללוים חרותה על הלוחות ספיר נזרתם ואין מי שיוכל להרהר על זה אלא איש שוגח ופתי חסר דעת ותבונ׳ · וכדי שאסיר מעל פניכם בני היקרי׳ מסוה ההוללות והסכלות כמוטל עלי · דעו כי סכום מכס תרומת ה׳ לכהנים היא הוא בעצמו סכום המכס המגיע ללוי׳ משלם · אם תחליפו האחדי׳ של כהנים לעשרות והעשרות למאות והמאות לאלפים · צאו וראו כי מכס תרומת ה׳ לכהן מן הצאן היא שש מאות חמש ושבעי׳ · ומכס תרומ ה׳ ללוי הוא ו׳ אלפים ז׳ מאות וחמשים · גם מכס הבקר לכהנים הוא ע״ב וללוים הוא ז׳ מאות ועשרי׳ · עוד מכס החמורים לכהן היה אחד וששי׳ וללוים הוא ו׳ מאו׳ ועשר׳ סוף סוף מכס נפש האדם לכהן היה שנים ושלשים · ללוי שלש מאות ועשרים שזהו החשבון הנאות והצודק הנעשה והרשום בדיו ובקולמוס על הנייר והדפתרא· עד כי גם קטני אמנה לא יוכלו להכחיש את המוחש בזה· ואחרי אשר הפליא ה׳ חסדו עמי ולמד את לשוני על הדרוש הזה שלא מההעתק כי לא מצאתי שמץ דבר שמעתי או קראתי בו מהחכמים הראשוני׳ והאחרוני׳ אחתום הפרק ואחזור בפרק הבא בעזרת צורי וישעי להשלום פרטי הדבר אשר אנחנו בו.

omnes simul Levitæ decorarentur. Quoniam Sacerdotes perpauci erant, si quid reliquum a viris bellatoribus pro suis familiis accepissent, fuisset contra æquum & jus, decrevit sapientia Dei benedicti, ut a viris bellatoribus daretur illis simplex decima ex separatione magna; ita ut Sacerdotes quoque hac ratione acciperent hujusmodi dona, ut quasi filii regum & principum in atriis & palatiis suis deliciis affluere possent; ideoque dictum est, *ibid. v. 28. Unam animam de quingentis*; sc. duas de mille; quæ est decima viginti partium, quæ proprie numerum millesimum perficiunt in lege separationis magnæ.

Ceterum quod secundam quæstionem spectat, dicam, legem quoque præbere nobis signa summæ separationis pro Levitis expresse exarata & numerata; neque decipi potest nisi rudis & indoctus, & qui scientia & sapientia destitutus sit; ut removeatur, uti debeo, a vestris faciebus filii charissimi, ignorantiæ velum; scitote, summam vectigalis separationis Dei pro Sacerdotibus esse eandam, quæ integra Levitis obtingebat; Si commutentur unitates Sacerdotum in 10. & 10. in 100. & 100. in 1000. Venite & videte, vectigal separationis Dei pro Sacerdote ex ovibus fuisse 675. & vectigal separationis Domini pro Levitis fuisse 6750. & vectigal ex bobus pro Sacerdotibus fuisse 72. pro Levitis 720. præterea vectigal ex asinis pro Sacerdote fuisse 61. pro Levitis 610. denique vectigal ex anima humana pro Sacerdote fuisse 32. pro Levita 320. qui proprius & legitimus est computus, perfectus, & descriptus manu & calamo super charta & pergameno, ita ut ne ab incredulis quidem res tam manifesta negari possit. Et postquam Deus propter suam magnam in me misericordiam me hæc docuit, non ex aliorum descriptione & translatione; Neque enim quicquam inveni, audivi, & legi in libris veterum aut novissimorum sapientum, obsignabo hoc caput, & in sequenti capite, meo creatore & salutari opitulante, absolvam, quæ peculiariter ad hanc rem pertinent.

פרק יא.

CAPUT XI.

וידיע איך עם החומש הזה שהוא חלק ה׳ ינתן לרעבים לחם וגם חלקם משלם לכהן וללוי כאלו היה להם חלק בארץ כשאר השבטים אחיהם ואם יעדיף הרבה על הנחלה הראויה להם ועמו בחברת הערים והמגרשים הם מקבלים גם כן תמיד

Demonstratur quomodo hac quinta parte, quæ est portio Dei, præbeatur esurientibus panis, & his partibus perficiatur, ut Sacerdotes & Levitæ quasi partem habeant in terra, sicuti reliquæ tribus fratrum suorum; & si multum angeatur hæreditas, quæ illis conveniret, cum civitatibus & suburbiis, quæ acce-

משלם

משלם שכר עבודתם למה לא יעבדו בלבב שלם הדיר במקדש אם הכהן האחד לא ישרת מלובש בבגדי בכהונה ויחף אלא במו שנים או שלשה שעות ביום אחד עד שיקריב עולת תמיד של שחר ושל בין הערבים כפי מה שזכח בפיס שני ימים בשנה ולא יותר והלוי לא ישמור המקדש אלא שני לילות בלבד בכל שנה וכשקבלו כלם עליהם את הדין והכירו שישרים הם דרכי ה׳ נתנו תודה לאלקינו וחייבו עצמם לעשות ככל אשר צותה התור׳ ושסדרו הסנהדרין משלם על פי ה׳.

אחרי הוריע אלהים לנו את כל זאת· נתן ראשונה מעוז לדל ומחסה לאביון בצר לו מחלק ה׳ ונחלתו· ועיניהם ישברו אל הלקט שהוא מהחלק המוטל על כל ישראל לשנה כו״ סאין ד׳ קבין· וישבעו גם כן ברצון ה׳ ממעשר עני כי הנה בכל שנה יופרשו מהשבטים ארבעה ושלשים סאין וג׳ קבין שהם בין הכל ס״א סאין וא׳ קב ואכלו אכול ושבועו והללו את שם ה׳ אלהיהם אשר עשה עמם טובה לתת להם די מחסורם אשר׳ יחסר להם.

אחריהם בא יבא ברנה הלוי הנושא לביתו׳ אלומות החטים אחרי קצירה· עמירה· דישה· זרירה· וברירה· עבור נחלת חלקו בארץ· ובזה תראה אם יש לו מקום להתלונן על מה שצוה הוא יתברך בכתוב דברים י״ח לא יהיה לכהנים הלוים כל שבט לוי חלק ונחלה עם ישראל· כי שם הוסיף בדבור ה הוא נחלתו· ובמדבר יח כבר אמר כי את מעשר בני ישראל אשר ירימו לה׳ תרומה נתתי ללוים לנחלה על כן אמרתי להם בתוך בני ישראל לא ינחלו נחלה· כי הנה גם כי לא נתן לשבט לוי שדות וכרמי׳ להוציא מהם בר ולחם ומזון כפי צרכו ע״ז הכין לו בלי עמל וטורח כל מחסורו· ופתח לו את אוצרו הטוב שעבר על המדה המשקל והמשורה שנפל למי שיהיה משבטי ישראל אחרי זעת אפו בעבוד ארצו· וקודם שנראה אם אמת זה אם לאו צריך להדיע שלכל שבט מהי״ב שבטים היה לו חלק אחד בלבד בארץ חוץ מיוסף שהי׳ לו פי שנים בעבור

perunt , tum quotidiana solutione mercedis pro ministeriis suis , cur non ministrabunt perfecto corde , si Sacerdos unus non ministrat indutus vestibus sacerdotalibus , & discalceatus nisi fere duabus aut tribus horis uno die , donec offerat holocaustum iuge matutinum & vespertinum juxta sortitionem duobus in anno diebus , & non amplius , & Levita non custodiet Sanctuarium nisi duabus tantum noctibus singulis annis? Postquam susceperunt super se judicium, & cognoverunt rectas esse vias Domini , laudaverunt Dominum, & se ipsos obligarunt ad faciendum , sicut præceperat lex , & ex ore Domini adsessores Synhedrii ordinarunt .

Postquam hæc omnia significavit nobis Deus; corroborabimus pauperem, & miserbimur mendico in tribulatione sua ex parte Domini, & ejus hæreditate, & eorum oculi respiciant spicilegium, quod est illa pars, quæ Israelitis præcipitur, sc. sex & viginti sata, & quatuor cabi ; & saturabuntur pariter ex beneplacito Domini ex decima pauperis , ita ut singulis annis ex tribubus separarentur quatuor & triginta sata, & tres cabi, ex quibus omnibus perficitur summa 61- satorum , & unius cabi ; & comedent , & saturabuntur , & laudabunt nomen Domini Dei sui , quod bene egerit cum illis , ut iis tribueret ea quæ opus essent.

Post illos venientes venient Levitæ cum canticis portantes domos suos manipulos frumenti post messem , manipulationem, triturationem , ventilationem , & purificationem propter hæreditatem partis suæ in terra ; ex hoc videbis , si ei liceat murmurare de eo , quod præceperit illi Deus benedictus, sicuti scriptum est *Deut.* XVIII. I. *Non habebunt Sacerdotes & Levitæ , & omnes qui de eadem tribu sunt , partem & hæreditatem cum reliquo Israel .* Uti additur . *Dominus enim ipse est hæreditas eorum* . Pariterque *Num.* XVIII, 21. *Filiis autem Levi dedi omnes decimas Israelis in possessionem* ; ideoque dixi . *Nihil aliud possidebunt* . Quamvis enim tribui Levi non dati sint agri & vineæ , a quibus sibi compararetur triticum , & panis , & alimentum sibi necessarium , tamen præparavit illis omnia necessaria sine labore & molestia , aperuitque illis thesaurum bonitatis suæ ultra mensuram oneris , quod impositum est tribubus Israelis post sudorem vultus sui in cultura terræ suæ . Antequam videamus utrum hæc vera an falsa sint , sciendum est singulis ex duodecim tribubus singulas partes assignatas fuisse , excepto Josepho , cui jure primogenituræ

הבכור׳ · אמנם הלוי שלא היה בכור היה לו
כמעט כפלים ממה שקבלו שאר השבטים ·
נוסף על המ״ח ערים והכ״ד פרסאו׳ שקבל
לשכר עבודתו · ובא האות והמופת כמשפט
הזה ·

לוי הוא שבט אחד בלבד · וכשם שליהודה
ראובן ושמעון וכן לכלם הגיע חלק אחד
בלבד · כי יהודה לא קבל חלק אחד בעדו
ושלשה חלקים אחרים בשביל בניו שהיו
שלשה שלה · ופרץ · וזרח · כן ללוי דין הוא
שיקבל כיתר אחיו חלק אחד בכלל · ועם
שהיו לו שלשה בנים גרשון · קהת · ומררי ·
לא היה לו לקבל אלא חלק אחד בין
שלשתם · אמנם לא היה הדבר כך כי הנה
גרשון ומררי קבלו יותר מחלק אחד בין
שניהם ממה שקבלו כל שאר שבטי יה ·
וקהת גם הוא קבל חלק אחד שעבר על
מה שקבלו גרשון ומררי אחיו כאשר
נאמר ·

נחזור א״כ לענינו הראשון · הלא אמרנו
שהכנסת כל שבט לכל שנה מהארץ היה
דרך משל מאה סאין ועל הסכום הזה תקיש
לכל הסכומים · הרי שכל עוד שללוי יהיו לו
למנה מאה סאין אז נאמ׳ שקבל גם הוא
נחלה בארץ כאחיו · התורה נתנה לו המעשר
במקו׳ נחלה · ומעשר הכנסת כל שבט כאשר
במרנו היה ט׳ סאין ג׳ קבין שני לוגין לכל
אחד · תרבה י״ב פעמים ט׳ סאין ג׳ קבין שני׳
לוגין כי כן הם ישראל שני׳ עשר שבטים
ואז תמצא שגרשון ומררי שניהם יחד קבלו
קט״ו סאין שהם ט״ו סאין יותר ממה שקבלו
כל אחד מהשבטים האחרים משלם · ואם
תרצה לתרת להם חלקם כשני אחי׳ משבט
אחד · היה חלקם מהמאה סאין השני שלישים
מהן שהם ס״ו סאין ד׳ קבין · וכבר קבלו
כאמור כ״ט סאין שהם יותר מהחלק הראוי
להם כשני שלישים של שבט א׳ · מ״ה סאין וב׳
קבין · אחרון אחרון הביב הוא הכהן בן
קהת · שכמו בן אחד ללוי היה ראוי לו
לקחת מהמאה סאין השליש מהם שהם ל״ג
סאין וב׳ קבין אם נרצה שיגיע ללוי חלק
אחד בלב׳ כחלק שעלה לכל שאר השבטים ·
אמנם הכהן אם נעיין היטב קבל הוא בלבד
יותר ממה שמקבלים כל שאר השבטים לכל
שבט · כי הנה ראשונה יקבל כאמור בפ׳
הקודם התרומה מכל ישראל שהיא א׳ סאה
ה׳ קבין ב׳ לוגין ה׳ בצים · תרבה י״ב פעמים
א׳ סאה ה׳ קבין ב׳ לוגין · ה׳ בצים תהיה
כל התרומה כ״ג סאין ב׳ קבין וב׳ לוגין · עוד

duplum datum est ; at Levi , qui non erat primogenitus , fere duplum accepit præ illo, quod reliquæ tribus acceperunt, præter octo & quadraginta urbes, & quatuor & viginti parsas, quas accepit mercede ministerii sui ; atque hæc ita demonstrabuntur.

Levi fuit una duntaxat tribus ; quemadmodum Jehuda , Rehuben , & Simeon ; ita reliqui omnes unam tantum partem acceperunt ; neque Jehudæ una pars , atque aliæ tres tribus filiis suis , sc. Sela , Perez , & Zarach assignatæ sunt ; ita hoc jus postulat, ut Levi una omnino pars debeatur , quamvis tres illi essent filii Gerson , Kehat , & Merari ; una pro his tribus pars debebatur ; Verumtamen non ita se res habuit ; etenim Gerson & Merari inter se plus una parte acceperunt , præ illo , quod ceteræ tribus Dei acceperunt ; Et Kehat præterea accepit partem majorem ea , quam Gerson & Merari ejus fratres acceperunt , uti dicetur.

Ad primam igitur animadversionem redeundum est ; Jam dictum est redditus annuos cujusque tribus ex terra fuisse e. g. 100. satorum , atque ex hac reliquæ summæ illustrabuntur; ita ut quotiescunque Levita acceperit centum sata , dicendum sit accepisse partem suam ex terræ hæreditate , uti reliquos suos fratres ; Lex hæreditatis loco ei decimam assignavit ; decima vero ex redditu cujusque tribus erat , uti dictum est , novem satorum , trium caborum , & duorum logorum singulis annis ; Multiplicandi sunt duodecies novem sata, tres cabi, & duo logi ; cum Israelitæ distributi essent in duodecim tribus , deprehendetur Gerson & Merari una simul accepisse centum & quindecim sata , nempe quindecim sata ultra id , quod integre acceperunt singulæ ex ceteris tribubus ; quibus si assignanda sit pars quasi duobus fratribus ejusdem tribus , pars eorum ex centum satis pro duabus tertiis partibus erit 66. satorum , & 4. caborum ; & jam acceperunt , uti dictum est 115. sata, quæ superant eam partem , quæ illis uti duabus partibus unius tribus debebatur , 45. satis , & duobus cabis . Postremus prædilectus est Sacerdos filius Kehat , qui cum unus esset ex filiis Levi , ex centum satis tertiam partem , sc. 33. sata accipere debuisset ; si Levi una pars , uti reliquis tribubus , assignanda fuerit . Veruntamen Sacerdos , si optime animadvertatur , solus accepit plusquam acceperunt singulæ ex reliquis tribubus. Etenim primum accipiebat , uti capite superiori dictum est, trumam ab omnibus Israelitis,

יקבל

יקבל מהלוי המעשר שעולה על הקטו סאין שלו והוא אחד עשרה סאין וג׳ קבין· עוד יקבל החלה שהיא שלשה סאין ב׳ קבין ג׳ לוגין וב׳ ביצים· תרבה הסך הזה י״ב פעמים ותהיה כל חלת השבטים אחד וארבעים סאי׳ ד׳ קבין· שהשלשה סכומים הנזכרים הם שבעים וששׁ׳ סאין ג׳ קבין ב׳ לוגין· הירי שבמקום ל״ג סאין וב׳ קבין שהי׳ חלקו על המאה סאין כאמור קבל יותר מחלקו מ״ג סאין א׳ קב וב׳ לוגין· ואם על השבעים וששה סאין ג׳ קבין וב׳ לוגין חוסיף כ״א מתנות כהונה שנשארו מהכ״ד על הג׳ מתנות אלה אשר כבר קבל· תמצא שהכהן יעבור סך מה ששוים המאה סאין של שבט אחד מישראל מאד· כי הנה מתנות כהונה הם כ״ד כידוע· והם י״ב במקדש וי״ב בגבולין· הי״ב שהיו במקדש הם חטאת· אשם· זבחי שלמי צבור· עור העולה· מותר העומר· שתי הלחם· לחם הפנים· שירי מנחות· תרומת לחמי תודה· תרומ׳ חזה ושוק· זרוע האיל של נזיר· ולוג שמן של מצורע· אמנם השני עשר מתנות בגבולין הם תרומה גדולה· תרומ׳ מעשר· חלה· בכורים· ראשית הגז· המתנות היינו הזרוע הלחיים והקיבה· בכור אדם· בכור בהמה טהורה. פטר חמור· החרמים· שדה אחוזה· וגזל הגר· עד שהוא לבדו קבל יותר ממה שקבלו כל אחד ואחד מהשבטים שהיה להם חלק ונחלה בארץ·

ובזה אשים קנצי למלין אני אב בית דין כי הראתי לך ראש המעמד שהלוי לא קבל חלקו בארץ בערים ופרסאות כי אם מקצת מה שעולה לשכר עבודתו· וגם הודעתיך שאם אתת נותן דבר ללוי על הערים והפרסאות שקבל· אין אתה נותן לו

quæ continebat satum unum, quinque cabos, duos logos, & quinque ova; si multiplicetur duodecies 1. satum 5. cabi, 2. logi, 5. ova, tota thruma continebit 23. sata, 2. cabos, & 2. logos. Præterea accipiebat a Levita decimam, quæ sibi debebatur ex suis 115. satis; & hæc erant 11. sata, & 3. cabi. Præter hæc accipiebat placentam, quæ erat 3. satorum, 2. caborum, 3. logorum, & 2. ovorum. Multiplicanda est duodecies hæc summa, & omnes placentæ tribuum erant 41. satorum, & 4. caborum, ut tres commemoratæ summæ fuerint 76. satorum, 3. caborum, & 2. logorum; ita ut loco 33. satorum & 2. caborum, quæ pars ex 100. satis sibi debebatur, acciperet ultra suam partem 45. sata, 1. cabum, & 2. logos. Si his addantur unum & viginti dona Sacerdotii, quæ reliqua sunt ex viginti quatuor, præter hæc tria quæ jam accepit, deprehendetur Sacerdos multum superasse summam ex centum satis, quam reliquæ tribus acceperant; etenim satis constat (*a*) quatuor & viginti fuisse dona Sacerdotii, quorum duodecim fuerunt in Sanctuario, & duodecim in provinciis; duodecim Sanctuarii sunt Sacrificium pro peccato, Sacrificium pro delicto, Sacrificia pacifica cœtus, pellis holocausti, residuum manipuli, duo panes, panis facierum, reliquiæ munerum, separationes panum Sacrificii eucharistici, separatio pectoris & femoris, armus arietis Naziræi, logus olei leprosi; at duodecim in provinciis hæc sunt, separatio magna, separatio decimæ, placenta, primitiva, primitiæ lanæ detonsæ, donaria, sc. armus, maxillæ, & venter, primogenitum hominis, primogenitum animantis mundi, primogenitum asini, anathemata, ager possessionis, & rapina proselyti, ita ut acceperit plusquam ceteræ tribus habuerint, quibus fuerit pars & hæreditas in terra.

His ego princeps Synhedrii loquendi finem faciem, cum tibi demonstraverim, princeps stationis Levitam non accepisse suam partem in terra cum civitatibus, & parsis, sed partem tantum ex eo, quod sibi debebatur propter mercedem ministerii sui; præterea tibi demonstravi, quod si aliquid des Levitæ præter civitates, & paratas quas accepit, nihil abs te de tuis

לו

(*a*) *Siphri* ad *Num.* XVIII. 20. Quatuor & viginti dona concessa fuerunt sacerdotibus. Duodecim in Sanctuario, & duodecim in provincia. Quænam sunt duodecim Sanctuarii? Sacrificium pro peccato, & sacrificium pro delicto, & sacrificia pacifica cœtus, & pellis holocausti, & reliquiæ olei legi leprosi, & residuum manipuli, & duo panes, & panis facierum, & reliquiæ munerum, & ablatio sacrificii eucharistici, separatio pectoris & femoris, armus arietis Nazyræi. Quenam sunt duodecim provinciæ? primitiæ, separatio decimæ, & placenta, primitiva, & primitiæ lanæ detonsæ, & donaria, & primogenitum hominis, & primogenitum animantis mundi, & primogenitum asini, & anathemata, & ager possessionis, & rapina proselyti.

דבר משלך· כי הוא ה׳ אלהינו שנותן לו חלקו ונחלתו בארץ מהחומש שאתה חייב לו לטוב לך בעולם הזה ובעולם הבא· עוד הראתי לכהן וללוי גם יחד שהשם יתברך נותן להם שכר עבורתם ומבלי נחלת שדה וכרם נותן להם עוד חלקם ויותר מחלקם ממה שהיה מגיע להם מפירות הארץ· וגם הודעתי לכהן שהוא כמו השליש משבט לוי כי הנה מבני קהת היו גם כן לוים כידוע איך הוא מקבל מה׳ אלהינו יותר ממה שקבלו השבטים לחלקם· וזהו מפני שחמל ה׳ על עבורתו הקשה במעשה הקרבנות· ועל רוב הטבילות· וקדושי ידים ורגלים· ולבישת בגדים שוים בין בימות החמה בין בימות הגשמים· ועל הלוכו על הרצפת ביחוף רגלים· ועל תחלואיו· ועל כן אחיה כנראה בשקלים פ״ה הוא משתדל לרפאת את מכאוביו ובפרט חולי רפיון מעים שנופל בו הכהן בנקלה.

והראתי גם כן ללוי שמצורף למה שקבל יותר מכל שבטי ישראל כאמור· עשאהו ה׳ בן חורין· ולא צוה עליו שיתן החומש כתורת יעקב אלא המעשר כתורת אברהם· ועל כן אין לכהן וללוי ולראש משמר תלונה על ה׳ וכן לשלשתם אין להם תרעומת זה על זה· ואם הלוי מקבל יותר מהחלק ההוא שמקבלים השבטים בארץ ויפרעו לו גם שהוא כן שכירותו משלם על עבודתו· למה לא ישמור המקדש באמונה כדין וכשורה· ולמה יתלונן על איש הר הבית כאשר הכהו על התרשלותו אם הוא חייב לשמור משמרת הקדש בעל כרחו שמעו נא מה שדרשו חברינו ותלמידינו· ועבד הלוי הוא· למה נאמר לפי אומר חלף עבודתם שומע אני רצה יעבוד רצה לא יעבוד· תלמוד לומר ועבד הלוי הוא בעל כרחו ועוד למה נאמר לפי שהוא אומ׳ ולבני לוי הנה נתתי כל מעשר וגו׳ אין לי אלא שמעשרו׳ נוהגו׳ בהן· שמטין ויובלות מנין ת״ל ועבד· רבי נתן אומר חרי שלא

bonis illis tribuatur ; eo quod Dominus Deus noster det illi partem & hæreditatem in terra ex quinta parte ; quæ abs te deberetur ut bene tibi sit in hoc & in futuro seculo . Præter hæc Sacerdoti simul & Levitæ ostendi , quod Deus benedictus det illis mercedem ministerii sui ; & quamvis nulla sit illis hæreditas agri & vineæ, tamen det illis plus ea parte, quæ deberetur de fructibus terræ; Atque etiam significavi Sacerdoti quod cum sit tertia pars tribus Levi (Kehat enim uti constat originem ducebat a Levi) a Domino Deo nostro accepit plusquam debebatur, & ceteræ tribus acceperunt; ideoque Deus misertus est ejus durum ministerium in offerendis sacrificiis propter plurimas lotiones , & sanctificationes manuum & pedum, & quod easdem vestes tam æstivo quam hyberno tempore indueret , & nudis pedibus super pavimento incederet, & ægrotaret ; ideoque Achia , uti videtur v. *Sekalim* , dabat operam , ut ejus doloribus mederetur , præsertim morbis ventris , quibus facile Sacerdos laborabat.

Et pariter Levitæ demonstravi , quod præter eam partem, quem uberius quam debeatur , accipit ab omnibus tribubus Israelis , uti dictum est, liberavrrit eum Deus, neque præceperit, ut solvat quintam partem juxta legem Jacob , sed decimam juxta legem Abraham ; ideoque nulla causa est Sacerdoti , Levitæ , & principi stationis murmurandi adversus Deum, & inter se invicem conquerendi; Si enim Levita majorem accipit partem, quam ceteræ tribus acceperunt in terra, atque integra illi merces pro ministerio suo persolvitur , cur non , uti debet , custodiet Sanctuarium ? Cur conqueritur contra virum montis domus , & quod ab eo propter ejus segnitiem percussus fuerit , si vel invitus custodire debet custodiam Sanctitatis ? Audite , quæso , quod exposuerunt socii , & discipuli nostri *Num.* XVIII. 23. ועבד הלוי הוא *& ministrabit Levita*; sic Hebræus ; cur dictum est ? quia dictum est *ibid.* v. 21. *pro ministerio quo serviunt mihi* . Crederem , quod si libuerit , ministrabit , si non libuerit , non ministrabit ; ideo dictum est ; *Et ministrabit Levita*, vel invitus . Et præterea cur dictum est ? quia dictum est *ibid. Filiis autem Levi dedi omnes decimas*; ego crederem iis annis duntaxat, quibus usus decimarum obtinebat , annis Sabbathicis & Jubilæis unde probatur ? Ex eo quod dictum est; *& ministrabit*. R. Nathan dicit ; si contingat , ut non adesset Levita , crederem , quod Sacerdos ministraret . Et ra-

היה

היה שם לוי · שומע אני יעבוד כהן והרין נותן · ומה במקום שלא כשרו לוים כשרי כהנים · כאן שכשרו לוים · אינו דין שיכשרו כהנים תלמוד לומר ועבד הלוי הוא וגו׳ והם ישאו את עונם · אמרת ישראל לא ישאו עון לוים · אבל כהנים ישאו עון לוים תלמוד לומר והם ישאו את עונם · חקת עולם לדותיכם · שינהג הדבר לדורות.

ודעו וראו בני אל חי כי ה׳ חמל עליכם ולא הטריח אתכם יותר מדאי · כי הנה ארבעה ועשרים הם משמרות כהונה וארבעת ועשרים משמרות לויה · ובגלל הדבר הזה המשמרה האחת לא תעבוד את ה׳ כי אם שתי פעמים בשנה · היינו שבע׳ ימים בכל פעם · ואם יחולקו כל אנשי אותו משמר כאשר נהגו לעשות לשבעה חלקים כמנין ימי השבוע של אותו משמר · לא יעבוד הכהן או הלוי אלא שני ימים בשנה בלבד פעם אחת בימות החמה ופעם אחת בימות הגשמים · ואם בעבור עבודת שני ימים בשנה הגדיל ה׳ שכרכם הרבה מאד למה אתם מלינים כיום הזה תלנותיכם על בני ישראל אחיכם לא עליהם תלונותיכם כי על ה׳ · לכן בני לכו עבדו לאלהינו ולא תריבו זה עם זה כי סרה מכם כל סבה שיתחדש בעדה עליכם כל ריב ומצה.

אז בקול אחד הכהנים והלוים ואנשי מעמד ענו ואמרו · אישינו אב ב״ד הגדול נחמתנו · אישינו מופלא שבסנהדרין נחמתנו · ברוך שחלק מחכמתו ותורתו ליריאיו · ואנחנו כרתים אמנה וכותבים · ועל החתום אנשי משמר הלוים והכהני׳ כלם · לשמור ולעשות את כל מצות ארוננו כל הימי׳ · בגלל הדבר הזה כל הסנהדרין כאחד ברכו אות׳ · ואמרו ישא ה׳ פניו אליכם וישם לכם שלום · ולכו לשלום אל בית המקדש ותזבחו זבחי תודה וספרו מעשה ה׳ ברינה ויאמרו כן נעשה כאשר צוית · ואנחנו נברך יה מעת׳ ועד עולם נהלל יה.

זה הוא בני היקרים מה שלבי אמר לי על הלוים · ולא ראיתי מה שכתוב בפרקים

tione probari poteſt; etenim ubi Levitæ non ſunt legitimi, legitimi ſunt Sacerdotes; hoc loci ubi legitimi ſunt Levitæ, non erit æquum ut ſint legitimi Sacerdotes? Ideo dictum eſt; ועבד הלוי הוא *& miniſtrabit Levita ipſe* &c. *& portantibus peccata* &c. Diceres, quod Iſraelitæ non portarent peccata Levitarum, ſed Sacerdotes portarent peccata Levitarum. Idcirco dictum eſt; *portantibus peccata; Legitimum ſempiternum erit in generationibus veſtris*; ut hæc conſuetudo obtineat in generationibus.

Et ſcitote & videte, filii Dei viventis, quod Deus veſtrum miſertus fuerit, neque volverit vobis majus onus imponere quam conveniret; etenim quatuor & viginti ſunt cuſtodiæ Sacerdotum, pariterque quatuor & viginti ſunt cuſtodiæ Levitarum; ideoque ſingulæ cuſtodiæ non miniſtrant Deo niſi bis ſingulis annis, ſc. ſeptiduum pro ſingulis vicibus; & ſi omnes viri ejus cuſtodiæ, uti fieri ſolet, in ſeptem partes dividantur juxta numerum dierum hebdomadæ, duobus tantum in anno diebus, ſemel æſtivo, & ſemel hyberno tempore Sacerdos & Levita miniſtrabit. Si vero propter miniſterium duorum dierum tantopere mercedem veſtram Deus multiplicavit, cur murmuratis, uti accidit hoc die, adverſus filios Iſraelis fratres veſtros? Non contra illos ſunt murmurationes veſtræ, ſed contra Deum; Idcirco, mei filii, abite, & ſervite Domino Deo noſtro, neque inter vos contendite, & quod omnis removetur cauſa, qua vobis omnis contentio & controverſia innovetur.

Tum uno ore Sacerdotes & Levitæ, & viri ſtationis exclamaverunt dicentes, Domine noſter, pater magni Synhedrii nos conſolatus es, Domine noſter maxime Synhedrii, nos conſolatus es; Benedictus ſit, qui impertitus eſt de ſapientia & lege ſua timentibus ſe; Nos fidem hic obligamus, & ſcribimus ſuper ſigillo virorum ſtationis Sacerdotes omnes & Levitæ, ad cuſtodienda & obſervanda omnia præcepta Domini noſtri omnibus diebus. Hac de re omnes ſimul adſeſſores ſynhedrii benedixerunt Deo, & dixerunt; extollat ſuper vos Deus faciem ſuam, & ponat ſuper vos pacem; ite in pace in domum Domini, & ſacrificate ſacrificia Euchariſtica, & cantico narrate opera Domini; Et illi reſponderunt; ita faciemus, uti dixiſtis, & nos benedicemus Deo, ex hoc nunc & ſemper laudabimus Dominum.

Hæc ſunt, mei chariſſimi filii, quæ animo cogitavi pro Levitis; neque vidi quod ſcriptum eſt in verbis ſapientum

האלה

האלה לא בדברי החכמי׳ הראשוני׳ ולא בספרי המפרשים האחרונים· ברוך ה׳ לעד ולעולמי עד· שהאיר עיני במאור תורתו אמן· נחזור לחלקי הבית כמשפט הראשון· וה׳ למען חסדו וטובו יהיה בעזרנו סלה.

פרק יב.

ידבר בשמנה לשכות שבעזרה ובששה לשכות שהיו שלשה מצד זה ושלשה מצד זה לעזרת ישראל ולעזרת הכהנים.

שמנה לשכות היו בעזרה בכלל· שתים בעזרת ישראל בצד שער נקנור אחת מימינו ואחרת משמאלו שהם לשכת פנחס המלביש ולשכת עושי חביתין כדאיתא בפרק בשלשה מקומות דמדות משנה רביעית· והששה האחרות המתחילות גם הן בצד מזרח שקצת מהן היו לדעתי בעזרת ישראל· ומקצת מהן בעזרת כהנים· ששתיהן בשתוף הן ראשית וחלק מה מהעזרה המוחלטת הידועה המתחלת משער נקנור האמור ומגעת עד האחד עשרה אמה שתיו אחרי בית הכפרת.

והנה סמכתי דעתי זאת על שני דברים אלה שיסובו בלכתן אם על משמעות מלה זאת עזרה ואם על גודל מקום ראוי ללשכות ההן כפי שמושן· וזה כי מלת עזרה בלי לווי תרצה לעולם בדברי רבותינו ז״ל העזרה כלה· היינו המוחלטת· אולם שאר העזרות לא יקראו אותן הכמינו כן בסתם אלא פחוספת באור תנאיהם· כי לעזרה שהיא לפנים מהחל לצד שער שושן יאמרו עזרת נשים· ולסמוכה לשער נקנור עזרת ישראל· ולאחרת שלפנים ממנה עזרת כהנים· על כן כשאמרו בפרק חמישי משנה שלישית דמדות שש לשכות היו בעזרה· רצו בעזרה המוחלטת שהיא היא זאת שפירשו במשנה ראשונ׳ של הפרק ההוא בעצמו דכל העזרה· מצורף כי אם הלשכות האלה היו בעזרת ישראל בלבד כאשר השבו רבים לא היו מונין כאן רבותינו ז״ל שלא במקומן· אך היו זוכרין אותן או בפרק ראשון דמדות האמור משנה ד׳כשזכרו לשכת פנחס המלביש ולשכת עושי חביתין או היו מונין אותן בפרק הר הבית משנה

veterum , neque in libris recentiorum Interpretum ; Sit benedictus Deus ex hoc nunc & uſque in ſecula æternitatis , qui illuminavit oculos meos in lege ſua ; Amen . Verum redeundum eſt ad partes domus , juxta priſtinam rationem ; & Deus propter ſuam benignitatem & miſericordiam auxilietur nobis .

CAPUT XII.

Ubi diſſeritur de octo conclavibus , atrii , & de ſex conclavibus , quorum tria erant in hoc & tria in altero latere atrii Iſraelis , & atrii Sacerdotum .

Octo conclavia erant in atrio generali , duo in atrio Iſraelis ad latus portæ Nikanoris , alterum ad dextram , & alterum ad ſiniſtram , quæ ſunt conclave Pinehas veſtiarii , & conclave cruſtulariorum , uti traditur I. 4. *Middoth* . Atque ex ſex reliquis , quæ initium quoque ducebant ab latere orientali , altera ſita erant juxta meam ſententiam in atrio Iſraelitarum , & altera in atrio Sacerdotum , quæ ambo conjuncta ſunt principium & pars totius atrii cogniti , quod initium ducebat a porta Nikanoris ; & perveniebat uſque ad undecim cubitos , qui erant poſt propitiatorium .

Et ecce mea ſententia his duabus rebus innititur , aut ſuper etymologia hujus vocis עזרה , aut ſuper magnitudine ſpatii , quod hæc conclavia occupare debebant juxta uſum , cui deſtinabantur ; Hinc eſt, quod vox עזרה ſimpliciter ſine adjunctione alius nominis deſignet in verbis noſtrorum ſapientum f. m. totum atrium ; verum reliqua atria non ita ſimpliciter a noſtris ſapientibus appellantur , ſed aliqua additione , qua eorum conditio explicetur ; Atrium enim , quod ſitum erat intra Hel ad latus portæ Suſan , vocabatur atrium mulierum , & quod proximum erat portæ Nikanoris , atrium Iſraelis appellabatur , & alterum hoc interius , atrium Sacerdotum dicebatur ; ideoque quando dixerunt III. 5. *Middoth* ; *ſex conclavia erant in atrio* ; de toto atrio locuti ſunt , quod idem eſt , quod declararunt paragrapho I. ejuſdem capitis de toto atrio conjuncto ; etenim ſi hæc conclavia ſita tantum fuiſſent in atrio Iſraelis, uti multi putaverunt , non hic numerata eſſent a noſtris Sapientibus f. m. extra locum ſuum , ſed commemorata fuiſſent I. 4. *Middoth* , ubi dictum eſt de conclavi Pinehas veſtiarii , & de conclavi cruſtulariorum, aut numerata fuiſſent II. 6. quando deſcripta ſunt con-

ששית

ששית כשכתבו הלשכות הבנויות תחת עזרת ישראל ששם הלוים נותנים כל כלי שיר שזכר אחר כך ארך ורחב עזרת ישראל ותנאיה.

אמנם מצד שמושן יהיה גם כן ספק בידי לחזק את דעתי זאת הואיל כי עזרת ישראל כידוע לא היתה מן המזרח למערב אלא י״א אמה ואם נצייר הלשכות האלה בשורה שוה זו לפנים מזו כאשר עשה רבינו בשלשה לשכות שבדרום· לא יהיו אחרי הסרת עובי הכתלים הצריכים בכל צד מהעזר׳ גם כי יהיו בנסותם אמה אחת בלבד· וכתלי הדרום מצד זה וכתלי הצפון מצד זה ישמשו גם הם במקום כתל אחד מהארבעה הצריכים להבדיל ולחלק השלשה לשכות שבצדן אלא שתי אמות ושני שלישי אמה ברחב חללן ולא יות׳· ואין זה מקום ראוי להקרא לשכה נאותה להשתמש בה בדרום האמורים במשנה· בפרט כי מצד דרום היתה לשכת המלח שהיו אוצרים ונונזים שם מלח הרבה מאד בעבור הקרבנו והמנחו׳ והעורו׳ שבלשכת בית הפרוה וכבש המזבח כדי שלא יחליקו שם הכהנים ברגליהם כשמעלים העצי׳ ואברי העולו׳ למזבח ומצד צפון היתה גם כן לשכת הגזית המוכנת לסנהדרין שהיו כידוע שבעים ואחד במספר ולא היו יכולין שום אחד מהם לשבת שם אלא בחצירה של חול· ער כי בעבור זה הלשכ׳ הזאת היה צריך שתהי׳ גדולה ורחבה מאד בפרט כי מבלעדי הסנהדרין היה צריך מקום מוכן גם כן לסופרי׳ לבעלי דינין ולעדים ולאנשים אחרים הנמצאי׳ שם במעמד: הרי שנתתי טעם מספיק לאמרת הדבר הזה שאמרתי בפתיחת פרק זה· היינו שהששה לשכות היו בעזרת ישראל ובעזרת כהנים גם יחד ולא בעזרת ישראל ביחוד.

אם כן השלש׳ לשכות שבדרום להרמב״ם ז״ל היו לשכת המלח ששם היו אוצרים המלח הצריך לקרבנות ולמנחות ולעורות הקדשים· השנית לשכת בית הפרוה ששם היו מולחין עורות העולות והקדשים· נקראת פרוה להרמב״ם ז״ל על שם אדם אחד שלא מבני עמנו שחתר בכתל הלשכה ההיא כדי לראות עבודת כהן גדול ביום הכפורים ונהרג שם· והלשכה אחרי כן נקראת על

clavia exstructa infra atrium Israelis, ubi reponebant Levitæ instrumenta musica; posthæc commemoratur longitudo, & latitudo atrii Israelis, ejusque conditiones.

Ceterum, si consideretur eorum usus, mihi facultas erit meæ sententiæ defendendæ; cum atrium Israelis, uti constat, non pateret ab oriente ad occidentem nisi undecim cubitos; & si nobis mente fingere voluerimus hæc conclavia sita fuisse in ordine æquali, alterum interius altero, uti a nostro præceptore efformantur tria conclavia, quæ sita erant in plaga australi, postquam ab iis detracta esset crassities parietum, qui necessarii fuissent in omnibus lateribus atrii (quamvis putaremus eorum crassitiem fuisse unius tantum cubiti; & parietes australes ex altero latere, & ex altero parietes aquilonares inserviebant loco muri ex quatuor, qui essent necessarii ur separarent & dividerent tria conclavia, quæ sita erant in his lateribus) non patuissent nisi duos cubitos & duas tertias cubiti partes in latitudine vacui, & non amplius; neque hic locus vocari debuisset conclave, ubi usus fieri posset earum rerum, quæ in Mischna commemorantur; cum præsertim ad austrum situm fuisset conclave salis, ubi recondebatur & asservabatur plurimum salis pro sacrificiis, pro muneribus, & pellibus conclavis, quod appellabatur domus Parvæ, & pro colle altaris, ne pedes sacerdotum laberentur, quando afferebant ligna & membra holocaustorum ad altare; paritcrqne ad aquilonem situm erat conclave Gazith præparatum Synhedris, quos constat fuisse unum & septuaginta; neque eorum ulli consistere licebat nisi in dimidia parte profana; ita ut hoc conclave permagnum & latum fuerit necesse sit; præsertim cum præter Synhedros ibi præparandus esset locus scribis, judicandis, testibus, ceterisque, qui ibi consistebant. Ecce a me idonea allata est ratio, ut id quod a me ab initio hujus capitis dictum est, confirmarem, sc. sex conclavia simul sita fuisse in atrio Israelis, & in atrio Sacerdotum, non vero in atrio Israelis duntaxat.

Tria igitur conclavia ad austrum juxta *Maimonidem* f. m. erant conclave salis, ubi recondebatur sal pro sacrificiis, pro muneribus, & pro pellibus Sanctitatum, alterum conclave domus Parvæ, ubi saliebantur pelles holocaustorum, & Sanctitatum; appellabatur Parva juxta *Maimonidem* f. m. ex cujusdam nomine, qui non erat de filiis nostræ gentis, qui excavaverat in pariete hujus conclavis, ut inspiceret ministerium summi Sacerdo-

שמו · ופירוש זה של הרמב״ם ז״ל הוא נכון ומוסמך על מה שאמרו בגמ׳ יומא בפרק אמר להם הממונה מאי פרוה אמר רב יוסף פרוה אמגושא כו׳ · ולהרב עובדיה מבירטאנורה · מכשף נקרא פרוה בנה אותה לשכה במכשפות ונקראת על שמו · ועל גג הלשכה הזאת היה בית הטבילה לכהן גדול ביום הכפורים · כי הנה חמש טבילות היה טובל כהן גדול בו ביום · אחת בכל פעם שהיה משנה בגדי זהב לבגדי לבן וכלן היו על גג בית הפרוה לפי שהיית׳ מקודשת כקדושת העזרה · וטבילות הבאות מחמרת יום הכפורים צריכות מקום קדש כדכתיב ורחץ את בשרו במים בקום קדוש · אמנם הטבילה הראשונ׳ שאינה באה בשביל יום הכפורים אלא בחובת כל כהן טהור שאינו נכנס לעזרה המוחלטת עד שיטבול היתה בחול על גבי שער המים הוא השער השלישי שבדרום שבו היו המים ההם המשוכי׳ באמה הבאה מעין עיטם · ושם היה כהן גדול טובל הטבילה הראשונה.

השלישית היתה לשכת המדיחין ששם היו מדיחין קרבי הקדשים · ומשם היתה מסיבה · חיינו בנין אבנים ממועלות שנלגלות וסובבות נקראת בלשון לע׳ סקאלה אה לומאכה שעולין לגג בית הפרוה דרך המסיבה ההיא.

אחרי אם כן שיוסרו אחד עשר׳ אמה מראשית המעלה שעליה הדוכן עומד מן הדרום אל הצפון כדי שתהיה הרצפה שוה · מכתל דרומי של עזרה אחד עשר׳ אמות יהיה משוך מן המזרח למערב כתל אחר שיהיה בארכו אחד עשר אמות ובעביו שתי אמות · ושלש עשרה אמות וחצי בקומתו · ושבסוף הכתל הזה ימצא גם כן כתל אחר משוך מצפון לדרום ארכו י״א אמה גובהו שלש עשר׳ אמות וחצי ועביו שתי אמות · כי אז תמצא נכון לפניך חדר אחד שחללו יהיה תשעה אמות בארכו וגם תשעה אמות ברחבו ושלש עשרה אמות וחצי בקמתו · וזאת תהיה לשכת המלח שתעש׳ בה פתח הגון בכתל הצפוני שלה שיהיה פתוח לעזרת ישראל כדין וכשורה · וארך ורחב פתח זה

tis in die expiationum, ibi occisus fuit; & posthæc hoc conclave ex ejus nomine appellatum fuit; & hæc *Maimonidis* f. m. explicatio conveniens est, confirmaturque ex eo quod dictum est in *Gemara Joma* cap. III. *Quid est Parva? Dicit R. Joseph*; *Magus* &c. Et juxta sententiam *Bartenoræ*, erat magus vocatus Parva, qui magice hoc conclave exstruxerat, atque ex ejus nomine appellatur; Et super tecto hujus conclavis erat lavacrum summo Sacerdoti in die expiationum; quinque enim eo die peragendæ erant lotiones summo Sacerdoti, quotiescunque immutabat vestes aureas in vestes albas, omnesque peragebantur super tecto conclavis Parvæ, quod juxta atrii sanctitatem sanctificatum erat; & lotiones, quæ peragebantur causa diei expiationis, perficiendæ erant in loco Sancto; sicuti dictum est *Levit.* XVI. 24. *Lavabit carnem suam in loco Sancto*. Verum prima lotio, quæ diei expiationis causa non perficiebatur, sed ea lege, qua quisque Sacerdos mundus tenebatur, cui non licebat ingredi in atrium proprie dictum, donec lavisset, peragebatur in loco profano super porta aquarum, quæ in austro tertia erat, quo aquæ per canalem e fonte Etham derivabantur, ibique primum summus Sacerdos lavabat.

Tertium erat conclave lavantium, ubi intestina Sanctitatum lavabantur, & hinc constructa erat cochlea, i. e. ædificium lapideum ex gradibus orbicularibus, & circularibus, quod *Italice* vocatur *Scala a Lumaca*, qua in tectum conclavis Parvæ adscendebatur.

Postquam igitur semoti fuerint undecim cubiti a principio gradus, ubi impositum erat pulpitum, ab austro ad aquilonem, ut pavimentum æquale esset, tibi mente finges, a muro orientali, ubi sita erat porta Nikanoris, procul a muro australi atrii undecim cubitos, protractum esse ab oriente ad occidentem alterum parietem cujus longitudo sit undecim cubitorum, & duorum spissitudo, & tredecim cum dimidio altitudo, & in fine hujus parietis fuisse alium murum protractum ab aquilone ad austrum, cujus altitudo sit undecim cubitorum, & tredecim cum dimidio altitudo, & duorum crassities; tum coram te offendes conclave, cujus spatium inane erit novem cubitorum cum in longitudine tum in latitudine, & tredecim cum dimidio in altitudine; & hoc erat conclave salis, in quo porta conveniens exstruenda tibi erit in ejus pariete aquilonari, quæ aperta sit in atrium Israelis, uti decebat, cujus longitudo & latitudo quaquaversum

יהיה

יהיה שלשה אמות על שלש׳ אמות · ועל הפתח יהיה דלת עץ סוגר נחלק לשני חצאין והנגר עליו מחוץ עם הפותחות הראויות: ונסרי הדלתות שבפנים יהיו מצופים בטסי נחשת תקועים גם כן במסמרי נחשת לשמור הדלתות של עץ שלא יאכלו ויפסדו בעבור חדוד המלח הנוגע בם: וגם כי באולי הטסים של ברזל היו טובים משל נחשת· עם כל זה לא יהיו של ברזל מפני שאינו ראוי שיגע המקצר בדבר העולה על המאריך.

אחרי כן תעלה שתי אמות ומחצה שכן מקום דריסת רגלי הכהנים הוא גבוה על דריסת רגלי ישראל שתי אמו׳ ומחצה· ותמשוך בחבור לכתל אשר בנית מן המזרח למער׳ כתל אחר גם כן מן המזרח למערב שיהיה ארכו אחד עשרה אמו׳ עוביו שתי אמות וקומתו אחד עשרה אמות· ובסופו תמשוך כתל אחר מן הצפון אל הדרום אורכו אחד עשרה אמות עוביו שתי אמות וקומתו אחד עשרה אמות· כי יהיה בידך חדר שחללו תשעה אמות על תשעה אמות וגובהו אחד עשר אמות· אחרי כן במחצית החלל הזה בין שני הכתלים שהם מן הדרום אל הצפון תסשוך כתל אחר גם כן מן הדרום אל הצפון ארכו אחד עשר אמות וגבהו אחד עשר אמות ועוביו נ״ב שתי אמות בעבור המסיבה שבלשכת המדיחין הקבוע׳ או הסמוכ׳ בכתל זה· כי יהיו לך שתי לשכות בשורה שוה זו לפנים מזו ויהיו ברחבן שלשה אמות וחצי ובארכן תשעה אמות· ולכל אחת מהן תעשה פתחה בכתל הצפוני שלהן שיפתחו לעזר׳ כהנים והפתחים יהיו ברחב אמה אחת ובקומה שתי אמות וחצי וגם על הפתחים סמוך שתי אמות לגג הלשכות יהיו שתי חלונות חלון אחד לכל לשכה של אמה אחת על אמה אחת עם דלתות של עץ הנחלקים לשנים גם על החלונות וגם על הפתחים ויהיה נגר החלונות בפנים ונגר הפתחי׳ עם הפותחו׳ מבחוץ· כי יהיו לך לשכת המלח· לשכת הפרוה· ולשכת המדיחין שבה המסיבה העולה לגג בית הפרוה כאמור: וקרויין גם כן יהיה שוה.

ואני קידם אכלה לדבר דברי בשאר הלשכו׳ שבעזרה: אמרתי לחלות פניך אתה הקורא שלא יהיה לך לזרא אם תראה עתה שבבנין הששה לשכות אלה עשיתי ואעשה גם כן ברובם הכתלים בעבין שתי אמות עם

sit trium cubitorum, portæque sit valva lignea, quæ obserabat, in duas dimidias partes distributa, eique sit pessulus extrinsecus cum seris convenientibus, atque valvarum asseres intrinsecus tecti sint laminis æreis, quæ pariter clavis æreis infixæ sint, ut præservarentur valvæ ligneæ, ne ab acumine salis, a quo tangebantur, consumerentur, & corrumperentur. Verumtamen præstantiores fuissent laminæ ferreæ, quam æreæ, tamen non erant ferreæ; quia non erat æquum ut abbrevians attingeret id, quod adscendebat super illud, quod prolongabat *vitam*.

Postquam duos cubitos cum dimidio adscenderis, (locus enim ambulacri Sacerdotum altior erat ambulacro Israelitarum duobus cubitis cum dimidio) & protraxeris conjunctum cum pariete, qui extructus est ab oriente ad occidentem, alium murum pariter ab oriente ad occidentem, cujus longitudo sit undecim cubitorum, duorum crassities, & undecim altitudo, erit tibi conclave, cujus inane spatium erit novem cubitorum quaquaversum. Posthæc in dimidio hujus spatii inanis, inter duos parietes, qui sunt ab austro ad aquilonem, protrahetur alter murus pariter ab austro ad aquilonem, cujus longitudo, & latitudo & altitudo sit undecim cubitorum, & duorum pariter crassities, in latere cochleæ, quæ in conclavi lavantium constituta, & huic parieti innixa erat, tibi erunt duo conclavia in æquali ordine, alterum interius altero, quorum latitudo erit trium cubitorum cum dimidio, & novem longitudo; quorum singulis exstruenda est porta in pariete aquilonari, quæ sit aperta in atrium Sacerdotum & portarum latitudo sit unius cubiti, & duorum cum dimidio altitudo; & super portas prope duos cubitos ad tectum conclavium, exstruendæ sunt duæ fenestræ, singulæ pro singulis conclavibus unius cubiti quaquaversum cum valvis ligneis in duas distributis cum in portis tum in fenestris, eritque fenestræ pessulus intrinsecus, & portarum pessulus cum seris extrinsecus, eruntque tibi conclave salis, conclave Paruæ, & conclave lavantium, ubi erit cochlea, qua adscendebatur in tectum conclavis Parvæ, uti dictum est, eorumque pariter contignatio æqualis erit.

Verum priusquam agatur de ceteris conclavibus, quæ sita erant in atrio, te oro, Lector, ne tibi absurdum videatur, quod ego in exstructione horum sex conclavium putaverim, atque adhuc putem, muri crassitiem fuisse duorum cubito-

כי לדברי רבותינו הקדושים הכתלים כלם
לא יעברו למרבה אמה אחת כדתנן בבתרא
פרק קמא משנה ראשונה מקום שנהגו לבנות
גויל· גזית· כפיסין· לבנים כו׳ כי הנה כתלי
המקדש לא ילמדו תמיד מהות גבהן ארכן
ארחבן מכתלי שאר כתלים של חול· אך
יובדלו פעמים רבו׳ כתלי הקדש מכתלי החול
או מצד גודל המשא שעליהם או מצד
שמושן ומלאכתן· ומי לא ידע שכתל אחד
שיהיה בעוביו אמה לא יכיל וישא עליו
הכתלים הרמים והנשאים כמו שהיו צריכים
לעשות אם כנים דברי כתלי לשכת הגזית
שהיו סומכין עליהם הכתלים הגבוהים של
צפון העזרה או איך לא יפסדו במהרה
הכתלים הנסים אמה בלבד שבדרום בעבור
אוצרות המלח הרב הנתון בם יומם ולילה
לא ישבות האוכל ומכלה בימים מועטי׳ כל
אבני גזית גם כי יהיו מכויירים בטיט הרבה.
ומסויירים בסיד היטב.

ובאמת ובתמים אם עזרת ישראל ועזרת
כהנים גם יחד לא היה מקום צר כמו שהם
לבנין הלשכות האלה כאשר דמיתי· הייתי
בעבור זה שכתבתי מרחיב עוד את גבול עובי
הכתלים ההם ממה שעשיתי· וידעתי נאמנה
שלא יאשימו אותי רבותינו ז״ל בדבר הזה
הואיל כי הם לא שמו מדת עובי הכתלים של
אמה אחת בכל הבנינים לחק נצחי· אמנם
נהפוך הוא כי הנה תלו גסותן של כתלים
במנהג הפשוט כדאיתא התם· ולא גזרו אומר
עליהם שכן יקום לעולם שיהיו אמה אחת
על פי התורה והמצוה· מצורף כי אני לא
נטיתי מדבריהם לעבור על רצונם חלילה
אך פקודיהם לא נצרתי לפי שעה על צד
ההכרח הגמור והצורך הפרטי האמור לא
זולת· ואם שלמה בבנין הבירה עשה בתלי
העזרה של שלשה אמות ברחבן ועליהם
הוסיף גם כן טור אחד כבתות ארזים שהוא
גם הוא אמה אחרת עודפת על הג׳
אמות האמורות· למה לא נוכל גם אנחנו
לרדוף בעקבות משיחנו בסדור כתלי לשכות
אלה בפרט כי עשיתי אותם צרים אמה
אחרת מכתלי העזרה שנבנו ברחבן באבנים
שלש׳ מאות משלם כמצותו דרשו מעל ספר
מלכים א׳ ו׳ כי תראו כתוב שם ויבן את

rum, quamvis juxta ſententiam noſtrorum ſapientum f. m. tradatur omnes muros non ſuperaſſe cubitum, uti legitur 1. 1. *Bava Bathra*. *Ubi ſolent exſtruere lapidem impolitum, & dolatum, lateres medios exſtruunt* &c. Etenim muri Sanctuarii non ſunt demonſtrandi a reliquis parietibus profanis; imo ſæpiſſime parietes ſacri a profanis diſtincti erant, vel ratione immanis ponderis, quod illis impoſitum erat, vel ratione uſus & operis cui erant deſtinati; Quis enim ignorat murum, cujus unius tantum cubiti ſit ſpiſſitudo, non poſſe ferre & ſuſtinere parietes altos, & graves, ut in his faciendum erat? [Si recta ſint mea verba.] Parietes conclavis Gazith, quibus impoſiti erant muri alti aquilonares atrii, aut quomodo brevi non fuiſſent deſtructi parietes, qui uno tantum cubito craſſi fuiſſent, qui in auſtro ſiti erant, propter reconditoria plurimi ſalis, quod ibi perpetuo diu noctuque repoſitum erat, a quo abſumuntur & corrumpuntur omnes cæſi lapides, quamvis plurimo cœno, & optima calce obducti ſint?

Equidem ſi atrium Iſraelis & atrium Sacerdotum una ſimul non erant locus anguſtus, ſicuti erant propter ædificium horum conclavium, uti mihi mente finxi, amplificaſſem [quod ſcripſi] pluſquam feci, hujus parietis ſpiſſitudinem; Neque credo hac de cauſa me accuſaturos ſapientes noſtros f. m. quod non ſtatuerim parietum craſſitiem duntaxat cubitalem in omnibus ædificiis ex decreto æterno; quinimo contra eſt, cum ſtatuerint muri craſſitiem ex uſu vulgari, ut eo loci traditur, neque unquam decreverunt ita ſemper faciendum, ut ex lege ſint cubitales. His adde me nunquam ab eorum verbis declinaſſe, ut eorum explicationes violarem (abſit,). Imo ſi momento aliquo eorum præcepta non obſervavi, præcipua quadam neceſſitate coactus ſum. Si vero Salomon in ædificio domus conſtruxit parietes atrii in latitudine trium cubitorum, hiſque etiam adjunxit unum ordinem aſſerum cedrinorum, qui præterea eſt alter cubitus præter tres cubitos commemoratos; cur nobis non licuerit ſequi veſtigia noſtri uncti in ordine parietum horum conclavium, præſertim cum a me exſtructi ſint cubito anguſtiores præ muris atrii, qui juxta ejus præceptum ædificati ſunt in latitudine trium cubitorum integrorum? Inquirite in lib. 3. *Reg.* VI. 36. *Et ædificavit atrium interius* (ſc. atrium Iſraelis) *tribus ordinibus lapidum politorum & uno ordine lignorum cedri*, ſc. ædificavit totum hoc atrium tribus ordinibus

החצר

החצר הפנומירת היינו עזרת ישראל שלש' טורי גזית וטור כרתות ארזים כו' היינו בנה כל העזרה הזאת בשלשה טורי גזית שחם שלשה אמות של חמש' טפחים ברחב על דרך מה שאמרו רבותינו ז"ל בפרק הנזכר · בנזית זה נותן טפחים ומחצה זה נותן טפחים ומחצה וכו'. וגם כי עם מה שאמרתי כאן הראתי לך אתה הקורא שיפה עשיתי אם הרחבתי עובי הכתלים שתי אמות נגד רצונך אוסיף עוד שנית ידי וירוח לי להודיע לך כי בבנין העתיד שיבנ' במהר' בימינו יהיו הבתלים של חמשה ושל ששה אמות של ששה טפחים בעובין· הלא תראה ביחזקאל מ' שהאיש שהיה בידו פתיל פשתי' וקנה המדה הראה לו שמדד את רחב הבנין היינו כמו שפירש ר"שי ז"ל שם עובי החומה מחוץ של הר הבית קנה אחד היינו ששה אמות של ששה טפחים ועוד מדד חומת התאים שהיו לפנים מהר הבית ועשאם של חמש אמו' דכתיב ובין התאים חמש אמות כמו שתרגם יונתן בן עוזיאל ז"ל ובין תויא כתלא חמש אמין שהוא נכון למה שכתבו רז"ל במסכרת מדות פרק פתחו של היכל משני שביעירת וכותל התא חמש וכו' · ועתה בין תבין את אשר לפניך כלה מדברותיך ושתוק כי כבר קבלת ממני שכר תמיהתך ואין לך עוד פה להשיב ולהשיג בזה עלי דבר בחכמתך ·

גם אל התמה שבמקום הקדש יהיו דברים מעלים ריח רע כמו עורות המלוחי' שבבית הפרוה· בית המטבחים· ולשכת המדיחין · כי הנה היו רוחצין רצפת בית המטבחים ולשכת המדיחין בכל יום ולא היו משהין העורו' בלשכת בית הפרוה זמן ארוך· כי היו הכהני' מוכרי' אותן מיד · מצורף שהקטרת היה מבשם כל המקדש ומסיר כל ריח רע ממנו· ואם היו מריחין את ריחו עד יריחו שהי' רחוק מירושלם עשר' פרסאות למה לא יהיה גם כן ריחו נודף במקדש עצמו על כן יש להאמין שמלשכת בית הפרוה ומבית המטבחים לא יתהוה שום סרחון במקדש· ובזה יושלם ספור השלשה לשכות שהיו מצד דרום העזרה.

אמנם השלשה לשכות אחרות שהיו מצד צפון הן אלה· לשכת הגזית ששם היתה סנהדרי גדולה של ישראל יושבת בצד

ex caeso lapide, & uno ordine asserum cedrinorum, qui sunt tres cubiti quinque palmorum in latitudine, ut in capite commemorato dixerunt nostri Sapientes. *In lapide polito unus, dabit duos palmos & dimidium, & alter duos palmos & dimidium* &c. Quamvis ex his quae a me dicta sunt, tibi demonstraverim, Lector, optime a me factum esse, ut parietum crassitiem duobus cubitis amplificarem contra tuam voluntatem, adducam secundam rationem, tibi demonstrando, in aedificio futuro, quod cito nostris diebus aedificetur, murorum crassitiem futuram quinque aut sex cubitorum sex palmorum. Iam videre tibi licet in *Ezech.* quod vir, cujus in manu erat funiculus lineus, & calamus mensurae, illi ostenderit, quod mensus esset latitudinem aedificii, i. e. ut ibid. commentatur *Raschi* f. m. parietum crassitiem extra montem domus unius calami, i. e. sex cubitorum, qui sex palmis constabant; & praeterea mensus erat parietem conclavium, quae monte domus erant interiora, qui constabat quinque cubitis; sicuti dictum est *Ezech.* XL. 7. *Et inter thalamos quinque cubitos*: Quemadmodum interpretatur *Jonathan Usielides* f. m. *& inter thalamos murus quinque cubitorum*; quod convenit cum iis, quae scripserunt Sapientes nostri f. m. IV. 7. *Middoth*. *Et murus thalami erat quinque cubitorum* &c. Nunc potes considerare, quae tibi proposui, & absolvere sermones tuos; Tace, jam a me admirationis tuae mercedem accepisti; neque tibi in hoc sapientia tua locus est argumentandi, mihique contradicendi.

Neque illud mireris, quod in loco sancto deprehenderentur res, quae male olerent, uti pelles salitae, quae recondebantur in conclavi Parvae, laniena, & conclave lavantium; Etenim lavabatur quotidie pavimentum lanienae, & conclave lavantium, neque diu pelles in domo Parvae retinebantur, sed a Sacerdotibus statim vendebantur. His addendum quod suffitus ex aromatibus a toto sanctuario graveolentiam removeret; si ejus odor diffundebatur usque ad Jericho, qui decem parsas a Jerosolyma distabat, cur ejus odor in ipso Sanctuario diffundi non debuit? Idcirco credendum est, ex conclavi Paruae & ex laniena nullam in Sanctuario graveolentiam fuisse. Atque his finem faciam differendi de tribus conclavibus, quae in austro sita erant.

Ceterum tria reliqua conclavia, quae sita erant in aquilone, erant conclave caesi lapidis, ubi Synhedrium magnum Israelis considebat in parte profana, &

החול

החול שבה ודנה כל הכהונה· ולכן הלשכה הזאת הית׳ חציה בקדש וחציה בחול מפני שבחציה של קדש לא היה אפשר לסנהדרין לשבת בה· כי אין ישיבה בעזר׳ אלא למלכי בית דוד בלבד· דכתיב ויבא המלך דוד וישב לפני ה׳· שנית היתה לשכת הגולה· היא הלשכה שבה היה בור קבוע שכרו אותו עולי גולה מבבל והגלגל נתון עליו· וממם היו מספיקין מים לכל העזרה· שלישית היא לשכת העץ· והיא היתה לשכת כהן גדול הנקראת גם כן לשכת פרהדרין· כדתנ ביומא שבעת ימים קודם יום הכפורים מפרישין כהן גדול מביתו ללשכת פרהדרין· ודעו בני כי פקידי המלך נקראים פרהדרין· ומתוך שהכהני׳ גדולים שהיו בבית שני אחרי שמעון הצדיק היו נותנים ממון כדי לשמש בכהונה גדולה ועל כי רשעים היו לא היו משלימין שנתן והיו שתחלפין כל שני׳ עשר חדש כפקידי המלך שמחליפין אותם בכל שנה ושנה· לכך נקראת פרהדרין· או שמא היתה זאת לשכת בית אבטינס· ולשכת פרהדרין היתה בדרום כי בזה מסופקת הגמרא ביומא.

judicabat omnes Sacerdotes; ideoque hujus conclavis dimidium situm erat in sancto, & dimidium in profano, eo quod in dimidio sancto non licebat Synhedris considere, cum nulli, nisi Regibus de domo Davidis in atrio sedere licuisset; sicuti dictum est 1. *Paral.* XVII. 16. *Cumque venisset Rex David, & sedisset coram Domino*. Alterum erat conclave captivitatis, quod erat conclave, ubi erat puteus fixus, quem excavarunt ii, qui ex captivitate de Babylone adscenderunt, atque trochlea imposita erat, unde toti atrio aquas suppeditabant. Tertium erat conclave ligni, & erat conclave summi Sacerdotis, quod pariter conclave Peradrin appellabatur, uti traditur 1. 1. *Joma Septem diebus aute diem expiationis separabant summum Sacerdotem a domo sua in conclave Peradrin*; Et sciatis velim mei filii, quod præfecti Regis vocarentur Peradrin; & quod summi Sacerdotes in domo secunda post Simeonem justum dabant nummos, ut ministrarent in summo Sacerdotio, & impii erant, non implebant annum suum, & duodecimo quoque mense mutabantur, uti præfecti Regis singulis annis mutari solebant, idcirco *hoc conclave* vocabatur Peradrin, aut fortasse aliud erat conclave, quod appellabatur domus Abtines; & conclave Peradrin situm erat in austro; de quo controvertitur in *Gemata Joma*.

אחרי אם כן אשר תסיר מצד צפון גם כן אחד עשרה אמה מראשית המעלה שעליה הדוכן עומד מן הצפון אל הדרום לסבה הכתובה למעלה· תצייר שמכתל מזרחי רחוק מכתל צפוני אחד עשרה אמה יהיה משוך מן המזרח למערב כתל אחד ארכו אחד עשר׳ אמה עוביו ב׳ אמות· וגובהו שלש עשרה אמות וחצי· ושבסוף הכתל הזה יהיה כתל אחד משוך מדרום לצפון ארכו אחד עשר אמה עוביו שתי אמות וקומתו י״ג אמה וחצי· כי אז תהיה לך לשכה שחללה יהיה תשעה אמו׳ ארכה ותשעה אמות רחבת ושלש עשרה אמה וחצי קומתה: אחרי כן בסוף הכתל המזרחי שהוא בקרן מזרחית צפונית תחבר לו חוץ לעזר׳ כתל אחר משוך כלפי צפון ארכו אחד עשר אמה עוביו שתי אמות וקומתו שבעה ועשרים אמה· ובסוף הכתל האחר שהוא משוך מן הדרום אל הצפון תחבר גם כן כתל אחר חוץ לעזרה ארכו אחד עשרה אמות עוביו שתי אמות· וקומתו שבעה ועשרי׳ אמות· כי הנה צריך להגביה הכתלי׳ האלה שלש עשרה אמה וחצי על

Postquam igitur semoveris pariter a plaga aquilonari undecim cubitos a principio gradus, ubi impositum erat pulpitum, ab aquilone ad austrum, propter ea quæ supradicta sunt, tibi mente finges, a muro orientali semoto a muro aquilonari undecim cubitos protractum fuisse alterum parietem, cujus longitudo fuerit undecim cubitorum, duorum crassities, & tredecim & dimidii altitudo, & in ejus fine fuisse alterum parietem protractum ab austro ad aquilonem, cujus longitudo fuerit undecim cubitorum, duorum spissitudo, & tredecim cum dimidio altitudo, tum tibi erit conclave, cujus spatium inane erit novem cubitorum in longitudine, & novem in latitudine, & tredecim cum dimidio in altitudine; posthæc in fine muri orientalis, qui est in angulo orientali aquilonari, conjunges extra atrium alterum parietem protractum versus aquilonem, cujus longitudo sit undecim cubitorum, duorum spissitudo, & viginti septem altitudo, & in fine alterius parietis, qui deductus est ab austro ad aquilonem, conjunges pariter alium parietem extra atrium, cujus longitudo sit undecim cubitorum,

הכתלים

הכתלים הראשונים כדי שיגיעו לקומת כל
הכתלים בשוה להיות כי כבר ידעת שרצפת
שער שושן היתה נמוכה מרצפת שער נקנור
י״ג אמה וחצי אם זכרת סכום המעלות ברום
חצי אמה לכל מעלה העולות מהחל לעזרת
נשים ומעזרת נשים לעזרת ישראל ותפרוץ
חומת העזרה הצפוני׳ שהיא בין שני הכתלי׳
המשוכים חוצה לה ותעזוב הפרצה ההיא
פתוחה׃ וחוץ לעזרה בסוף שני הכתלים
המשוכים אל רצפון תעשה כתל אחר סוגר
שני הכתלים בכתר שיהיה בארכו אחד עשר׳
אמה ובעביו שתי אמות ובקומתו שבעה
ועשרי׳ אמה ובכתל הדרומי של הלשכ׳
אלה זאת תעשה בקדש פתח פתוח לעזרת ישר׳
גובהו שלשה אמות ורחבו גם כן שלשה
אמות ובכתל הצפוני חוץ לעזרה תעשה
פתח אחד פתוח לחל גובהו שלשה אמות
ורחבו גם כן שלשה אמות׃ כי אז תהיה
לך לשכה אחרת שארכה יהיה מן הדרום
אל הצפון שמנה עשרה אמות ורחבה תשעה
אמות וקומתה שלש עשרה אמות וחצי׃
אמנם בין שני הכתלים ההולכים חוץ לעזרה
תעשה מעזיבה׳ או רצפה עד סופן של כתלים
אלה שתהיה שוה לרצפה הפנימית של
לשכת הגזית שבתוך העזרה׃ ועל פתחה
הפתוח לחל שהוא בכתל הסוגר שני הכתלים
החצונים תעשה שבעה ועשרים מעלות רום
כל מעלה חצי אמה ושלחה גם כן חצי אמה
לעלות בהן אל רצפת העזרה של לשכת
הגזית הזאת מתוך הרצפה החצונה שעשית
שוה כאמור לרצפה הפנימית כהוגן וכשורה׃
ועל כל אחד מהפתחים של קדש ושל חול
תעשה חלון רחוק מגג הלשכה שלשה אמות
שיהיה שתי אמות ארכו ושתי אמו׳ גם כן
רחבו ועל החלונות והפתחים תעשה הדלתות
של עץ נחלקי׳ לשני׳ ונגרי שתי החלונות
וגם נגר הפתח של קדש עם הפותחו׳ שלו
יהיו בפנים ונגר ופותחות של פתח חול יהיו
מבחוץ׃ וזאת תהיה לשכת הגזית חציה
בקדש וחציה בחול׃ ובחציה של חול היו
יושבים הסנהדרין בעגול ובהמוך פנים נגד
חציה של קדש ולפניהם היו השני סופרים

duorum craſſities, & viginti ſeptem altitudo, (excitandus enim erat hic paries tredecim cubitis cum dimidio præ muris primis, ut pervenirent æqualiter ad altitudinem ceterorum parietum, cum conſtet pavimentum portæ Suſan fuiſſe humilius pavimento portæ Nicanoris tredecim cubitis cum dimidio, ſi memineris ſummam graduum, in altitudine dimidii cubiti pro ſingulis gradibus, quibus ab Hel in atrium mulierum, & ab atrio mulierum in atrium Iſraelis adſcendebatur) & perrumpatur paries atrii aquilonaris, qui intererat inter duos muros extra illud protractos, illaque ruptura relinquatur aperta & extra atrium in fine duorum parietum ductorum ad aquilonem exſtruendus eſt alter murus, qui claudat duos parietes muro, cujus longitudo ſit undecim cubitorum, & duorum craſſities, & viginti ſeptem altitudo, & in pariete auſtrali hujus conclavis in ſancto ædificanda eſt porta aperta in atrium Iſraelis, cujus altitudo, & latitudo pariter ſit trium cubitorum, & in muro aquilonari extra atrium ædificanda erit altera porta aperta in Hel *ſive in profanum*, cujus altitudo pariterque latitudo ſit trium cubitorum, tum tibi erit conclave, cujus longitudo erit ab auſtro ad aquilonem octodecim cubitorum, & novem latitudo, & tredecim cum dimidio altitudo. Verum inter duos parietes, qui protrahuntur extra atrium, ædificandum erit ſtratum ſeu pavimentum uſque ad finem horum parietum, ut ſit æquale pavimento interiori conclavis Gazith, quod eſt intra atrium. Atque, ſuper ejus porta aperta in Hel, quæ ſita eſt in muro, qui claudit duos parietes exteriores, exſtruendi erunt ſeptem & viginti gradus, quorum ſingulis ſit altitudo dimidii cubiti, & latitudo pariter dimidii cubiti, ut iis adſcendatur ad pavimentum atrii conclavis Gazith per pavimentum exterius, quod exſtructum eſt, uti dictum eſt, æquale pavimento interiori, ſicuti decet & convenit. Et ſingulis portis tam ſacri quam profani ædificanda erit feneſtra ſemota a tecto conclavis tres cubitos, cujus longitudo ſit duorum cubitorum, & duorum pariter cubitorum latitudo; Feneſtris & portis faciendæ erunt valvæ ligneæ in duas diſtributæ, & peſſuli duarum feneſtrarum, & portæ Sancti cum ſuis ſeris ſint intrinſecus, & peſſulus & ſeræ portæ profani extrinſecus. Et hoc erit conclave Gazith, dimidium in Sancto, & dimidium in profano; & in dimidio profano conſidebant Synhedri in forma circulari, faciebus contra dimidium ſan-

אחר

אחר מימין הענול ואחר משמאל לו׳ כדאיתא בפרק אחד דיני ממונות משנה שלישית׳ והבעלי דינין והעדים ושאר העם היו עומדי׳ על רגליהם נגדם בחציה של קדש עד שלמדו או הם על עצמם זכות או העדים עליה׳ חובה׳ ואחרי שנשאו ונתנו הסנהדרין בדבר היו חוזרים שם לשמוע את גזר דינם.

אחרי כן בסוף הכתל שעשית בעזרה מן המזרח המערב׳ אחרי אשר עלית השתי אמו׳ וחצי בעבור רצפת מדרס הכהני׳ הגבוהה השתי אמות וחצי מרצפת מדרס רגלי ישראל כאשר ידעת תחבר ותוסיף כתל אחר משוך גם כן מן המזרח אל המערב שיהיה ארכו אחד עשר אמות גובהו אחד עשר אמה ועוביו שתי אמות׳ ובסוף הכתל הזה תעשה כתל אחר מן הדרום אל הצפון ארכו אחד עשר אמה גובהו אחד עשר אמה ועוביו שתי אמות׳ כי אז יהיה לך חדר שחללו יהיה תשעה אמות ארכו וט׳ אמות רחבו ואחד עשר אמו׳ קומתו׳ אמנם במחצית הכתל שהוא מן הדרום אל הצפון׳ אם תעשה כתל אחר משוך מן המזרח אל המערב ארכו אחד עשרה אמה גובהו אחד עשרה אמה ועוביו אמה אחת בלבד שיגיע לכתל השני שהוא מן הדרום אל הצפון׳ אז תעשה שתי לשכות רחבן מן הצפון אל הדרום ארבעה אמות לכל אחת מהן וארכן מן המזרח אל המערב תשעה אמות׳ ופתח לשכת הגולה בארך שלשה אמות וברוחב אמה אחת וחצי יהיה בכתל הדרומי שלה פתוח לעזרת הכהנים וגם על פתחה סמוך שתי אמות לגג הלשכה הזאת יהיה חלון אחד של אמה אחת על אמה אחת עם חלונות של עץ הנחלקים לשנים גם על החלון וגם על הפתח ויהיה נגר החלון בפנים ונגר הפתח עם הפותחות מבחוץ.

אך בלשכת העץ תעשה פתח אחד בארך שלש׳ אמות וברחב אמה אחת וחצי בכתל צפוני שלה שהוא כתל צפוני של עזר׳ פתוח לחל עם דלת עץ עליו הנחלק לשנים והחלון עליו כאמור בלשכת הגולה ויהיו הנגר והפותחות מהחלון מבפנים ופתח לשכת העץ יהיה פתוח לחול כאמור ומבפנים

ctum conversis & in eorum conspectu stabant duo scribæ, alter ad dextram circuli, & alter ad sinistram, uti traditur IV. 3. *Sanhedrin*; & judicandi & testes, & reliquus populus stabant coram illis in dimidio sancto, donec ipsi per se, aut alii pro ipsis justificationes suas demonstrassent, aut testes pro illorum noxa; & postquam Synhedri deliberaverant, illuc revertebantur, ut judicum decretum audirent.

Posthæc in fine parietis, qui exstructus est in atrio ab oriente ad occidentem, postquam adscenderis duos cubitos cum dimidio per pavimentum ambulacri Sacerdotum, quod ambulacro Israelitarum uti constat, duobus cubitis cum dimidio altius erat, conjungendus & addendus est alter paries protractus pariter ab oriente ad occidentem; cujus longitudo sit undecim cubitorum, & undecim altitudo, & duorum spissitudo, & in fine hujus muri exstruendus est alter paries ab austro ad aquilonem, cujus longitudo sit undecim cubitorum, & undecim altitudo, & duorum crassities, tum erit tibi conclave, cujus spatium inane erit novem cubitorum in longitudine, & novem in latitudine, & undecim in altitudine. Si vero exstruatur in dimidio muro, qui deducitur ab austro ad aquilonem, alter paries protractus ab oriente ad occidentem, cujus longitudo sit undecim cubitorum & undecim altitudo, & unius tantum cubiti spissitudo, ut ducatur ad secundum parietem, qui producebatur ab aquilone ad austrum, tunc ædificanda sunt duo conclavia, quorum singulis latitudo ab aquilone ad austrum erit quatuor cubitorum, & novem longitudo ab oriente ad occidentem; & porta conclavis captivitatis, cujus longitudo sit trium cubitorum, & unius cubiti cum dimidio latitudo, sita erit in pariete australi aperta in atrium Sacerdotum; pariterque super ejus porta in spatio duorum cubitorum prope tectum hujus conclavis ædificetur fenestra patens cubitum quaquaversum cum valvis ligneis in duas distributis tam in fenestra quam in porta, eritque fenestræ pessulus intrinsecus, & portæ pessulus cum seris extrinsecus.

Verumtamen in conclavi ligni construenda est porta, cujus longitudo sit trium cubitorum, & unius cubiti cum dimidio latitudo in ejus pariete aquilonari, qui est paries aquilonaris atrii, aperta in Hel *sive profanum*, cum valva lignea in duas distributa, & fenestra, uti dictum est in conclavi captivitatis; eruntque pessulus & seræ fenestræ intrin-

יהיו

יהיו נגר ופותחות גם כדי שיוכל כהן גדול
לשכב ולשבת שם שבעת ימים קודם יום
הכפורים· וחוץ לפתח זה יהיו הנגר והפותחות
שלו לסגור אותו מבחוץ לזמן המצטרך והכ׳ז
מעלות כמו שכתבתי בפתח לשכת הגזית
הפתוח לחל באופן שיוכלו להוריד אותו
משם זקני בית דין ערב יום הכפורים עם
חשכה ולמסור אותו לזקני כהונ׳ עד שיעלו
אותו לעליית בית אבטינס אשר שם
משביעין אותו· כדתנן ביומא פרק א׳ משנה
חמשית· ועל כן הלשכה שהיא סמוכה לצד
קיר צפון העזרה תהיה לשכת העץ·
והלשכה שתהיה מחוברת לה ונוטה לצד
דרום העזרה תהיה לשכת הגולה כי כמשפט
הזה לשכת העץ תהיה אחרי לשכת הגולה
בהחלט· וגם אחרי חצי חציה של לשכת
הגזית שהיא בקדש תוך העזרה הנוטה
לצד דרום ומקצת העזרה ככלה עד שיתאמת
מה שכתוב במשנה בפרק ה׳ דמדות משנה
ד׳ כשאמרו והיא היתה אחורי שתיהן·
וזהו מה שאמר לי לבי בששה הלשכות
בפרט הנתונו׳ בקצת העזר׳ המוחלטת.
וידעתי גם אני ידעתי שקצת מה שכתבתי
עליהן בפרק זה אינו נכון לכונה הרמב״ם
ז״ל· על כן אם לא תיטב בעיניך דעתי זאת
שאינה באולי רחוקה מאד מדעת רש״י
ורבינו עובדיה ז״ל תשקוט על כל פנים
במה שהאמין רבינו ז״ל כי מלאך ה׳ צבאות
הוא.

הלא נגלה אליך כי הרמב״ם ז״ל שם
לשכת העץ לבדה סמוכה לכתל צפוני של
עזרה ולשכת הגזית ולשכת הגולה שם
אותן סמוכות לכתל דרומי של לשכת העץ
כנרא׳ בצורתו שצייר בפירוש המשניות·
ולא שם קצתה של לשכת הגזית חוץ
מהעזרה לתוך החל וקצתה בקדש כאשר
עשיתי אני· אבל אמר בפרק ה׳ דמדות
משנה ד׳ שהיה לה שני פתחים אחד פתוח
לקדש ואחד פתוח לחול ושחציה של חול
הוא לצד מערב ושהיו יכולין הסנהדרין
לשבת שם ולא בצד הקדש מפני שאין
ישיבה בעזרה כאמור אלא למלכי בית דוד
בלבד· והנה במה שאמר הרב שהפתח

ſecus; & porta conclavis ligni aperta erit in Hel, uti dictum eſt; & intrinſecus erunt peſſulus & ſeræ, ut ibi quieſcere & morari ſeptiduum poſſet ſummus Sacerdos ante diem expiationum; & extrinſecus huic portæ erunt pariter peſſulus & ſeræ, ut quo tempore opus eſſet, extrinſecus obſerari poſſet; ibique erant ſeptem & viginti gradus, uti ſcriptum eſt in porta conclavis Gazith aperta in Hel, ita ut inde deſcendentes eum deducere poſſent ſeniores Synhedrii in veſpera diei Expiationum obortis tenebris, & tradere ſenioribus domus paternæ, ut adſcendentes eum deducerent in conclave domus Abtines, ubi eum adjurabant, uti legitur 1. 5. *Ioma*; ideoque conclave, quod proximum erat lateri parietis aquilonaris atrii, erit conclave ligni, & conclave, quod cum illo conjuctum erat, & reſpiciebat ad plagam atrii auſtralem, erit conclave captivitatis; ita ut hoc modo conclave ligni ſitum eſſet omnino ad partem poſteriorem conclavis captivitatis, pariterque poſt dimidiam partem dimidii conclavis Gazith, quæ ſita eſſet in ſancto intra atrium, quod ad auſtrum reſpiciebat; atque atrii pars perinde eſt ac totum, ita ut verum eſſe deprehendatur, quod ſcriptum eſt v. 3. *Middoth.* ubi dictum eſt; *Et illud erat in parte utriuſque poſteriori*. Hæc ſunt quæ ſcribenda putavi de his ſex conclavibus præſertim ſitis in parte atrii generaliter ſumti. Neque ignoro nonnulla, quæ a me in hoc capite ſcripta ſunt, non conſentire ſententiæ *Maimonidis* f. m. ideoque ſi tibi diſpliceat hæc mea opinio, quæ non multum abhorret a ſententia *Raſchi* & *Bartenoræ* f. m. acquieſce omnino in eo quod ſcripſit *Maimonides* f. m. qui habendus eſt Angelus Domini exercituum.

Jam conſtat, quod a *Maimonide* f. m. conclave ligni ſolum ſtatuatur proximum parieti aquilonari atrii, & conclave Gazith, & conclave captivitatis collocetur prope murum auſtralem conclavis ligni, ſicuti apparet in figura, quæ ab eo delineatur in ejus commentario Miſchnico, neque ab eo ſtatuatur pars conclavis Gazith in Hel extra atrium, & pars in Sancto, ut a me factum eſt; ſed ſcribit v. 4. *Middoth* duas habuiſſe portas, alteram apertam in ſanctum, & alteram in profanum, & partem dimidiam ſancti ſitam fuiſſe ad occidentem, ibique Synhedris conſidere licuiſſe, non vero in ſancto, eo quod non licebat ſedere in atrio, uti dictum eſt, niſi Regibus de domo Davidis. Quod ſcribit præceptor,

מלשכת

מלשכת הגזיתהפתוח לחול וחציה גם כן
של חול תהי׳ לצד מערב מורה אני עלי
סכלותי כי מצד קוצר ידיעתי לא הבנתי
איך יעלה יפה הדבר הזה שיהי׳ צד מערב
חול בפתח פתוח במערב ועל כן אתה
הקורא בין תבין את אשר לפניך ודע לי שר
צבא ה׳ הגאון המופלא בוצינא דנהורא
ריש מתיבתא כמהר״ר שמואל מארלי נר״ו
במקום מערב הוא גורס מזרח ואז נוכל
לומר שפתח הלשכה הזאת יהיה פתוח לחל
היינו לעזרת נשים ושם היו יושבין הסנהדרין
כאמור · הוסיפו רבותינו בפרק כל העזרה
דמדו׳ שגג שלשת הלשכות האלה הצפוניות
היה שוה ואם תאמר אתה שגגה של
לשכת הגזית שכנגד הקדש ולקדש קדש ·
ושכנגד החול והחול חול · יהי׳ נכון ומוסמך
על דברי חכמינו הקדושי׳ במסכת מעשר
שני פרק לא יאמר אדם לחברו משנה ה׳
הלשכות הבנויות בקדש כו׳.

ואתם בני דעו כי אחרי חשימת פרקי זה
הקרה ה׳ אלהינו לפני חכם אחד מתושבי׳
צפת שהי׳ מחזר בערים שבגלילותינו אשר
שם יחנו אחינו בני ישראל יצ״ו כדי שיסייעו
אותו לתת טרף לביתו וחק לנערותיו ונעריו
האמללי׳ שהיו בעירם ובחסר כל בארץ
מולדתו · ומפיו שמעתי הסוגיא דפרק שני
דיומא על משפטי לשכת הגזית שאכתוב
אותה כאן לכם מפיו כדי התדעו שבמה
ששם הרמב״ם ז״ל לשכת הגזית כלה בקדש
נטה בהדיא מן הכתוב בגמרא ואולם במה
ששם צדה שבמערב חול הואיל כי יש לו
סמך על הסוגיא הזאת כמו שתראו · הגאון
מארלי נר״ו ששמע סגנון המימרא מהגמרא
בשם החכם הנזכר הניח דברי הרמב״ם ז״ל
כמו שהם וחזר אותם לישנם עד שיאמרו
מערב ולא מזרח · ועל זה הוא דוה לבי
ונשארתי מרעיד ואשתומם על המראה רעד
כדון בפחזותא קמא דידי אנא קאים עד
אשר אמצא מי שילמוד לי איך יהדמן
שבהיות לשכת הגזית כלה בקדש לדברי
הרמב״ם ז״ל יהיה צד מערב הול אם יפתחו
שם פתח במערב · האמנם על פי דרכי נמצא
בנקלה בחסד ה׳ מקום נכון למה שאמרו

portam conclavis Gazith, quæ aperta erat in profanum, & dimidiam ejus quoque partem profanam fuiſſe ad occidentem; ego confiteor inſipientiam, quod propter meæ mentis anguſtiam non intelligo, quomodo hoc recte procedat, fuiſſe partem occidentalem profanam cum porta aperta in occidentem. Idcirco, lector, conſidera quod tibi propoſui, & ſcito, quod princeps exercitus Dei, magnificum & admirandum lumen lucis, princeps Academiæ *R. Samuel Marli*, quem Deus ſervet, pro occidente legendum cenſeat orientem; tum dici poterit, quod porta hujus conclavis aperta fuerit in profanum, i. e. in atrium mulierum, ibique, uti dictum eſt, Synhedri conſederint. Addunt noſtri Sapientes v. 4. *Middoth* tectum horum trium conclavium aquilonarium fuiſſe æquale; Si vero dicas tectum conclavis Gazith, quod eſſet e regione ſancti, & in ſancto, fuiſſe ſanctum, & quod eſſet e regione profani & in profano, fuiſſe profanum, recte conveniet, confirmabiturque verbis noſtrorum Sapientum f. m. in tractatu *decimæ ſecundæ* III. 8. *Conclavia ædificata in ſancto, & aperta in profanum* &c.

Sciatis velim, mei filii, quod poſtquam hoc caput abſolverim, Dominus Deus noſter mihi obviam miſerit ſapientem ex incolis Zaphet, qui circumibat urbes noſtrarum provinciarum, ubi habitant filii Iſraelis fratres noſtri, ut opem ei præberent pro egeſtate domus ſuæ, & miſerorum filiorum, qui in urbe remanſerant omni alimento carentes; & ex ejus ore audivi verſionem *Gemaræ* cap. II. *Joma* de conſtitutionibus conclavis Gazith, quam ex ejus ore hic deſcribam, ut ſciatis, quod *Maimonides* ſtatuens totum conclave Gazith in ſancto declinaverit ab eo quod ſcriptum eſt in *Gemara*. Quod vero ejus latus occidentale collocaverit in profano, confirmatur ab eadem verſione, ut videbitis. Magnificus *Marli* quem Deus ſervet, poſtquam ex commemorato Sapiente ſenſum hujus verſionis *Gemaræ* audivit non cenſuit, uti antea, verba *Maimonidis* immutanda, ut dicendus ſit occidens, non oriens. Idcirco dolens eſt cor meum, & tremens factus ſum & ſtupens ex eo quod vidi, atque in priſtina ignorantia adhuc ſuam, donec ſit qui mihi ſignificet, qui fieri poſſit, ut, cum totum conclave Gazith juxta *Maimonidem* ſitum eſſet in ſancto, latus ejus occidentale fuerit profanum, ſi ibi porta ad occidentem aperiatur. Verumtamen juxta meum ſiſtema facile Dei miſericordia explicabitur quod Sapientes dixerunt in *Gemara*, uti plane

בגמרא

בגמרא כמו שתדעו ותבירו אחרי זכירת
הסוגיא האמורה שהיא זאת כמו שהגיד
לי על פה החכם הנזכ׳ אמר רב ששת מנא
אמינא לה דתניא לשכת הגזית כמין בסילקי
גדולה היתה בסילקי כתוב בכאפה דגושה
בלשון יון ר״ל מקום גדול ונכבד מאד לעשות
בו משפט ודין נחוץ לרבים · פייס במזרח
וזקן יושב במערבה והכהנים מוקפי׳ ועומדים
כמין בבוליאר והממונה בא ונוטל מצנפת
מראשו של אחד מהם ויודעים שממנו פייס
מתחיל · ואי סקלא דעתך בבגדי חול מצנפת
בבגדי חול מי איכא אין כדתני רב יהודה
ואי תימא רב שמואל בר יהודה כהן שעשתה
לו אמו כתנת עובד בה עבודת יחידי · אמר
אביי שמע מינה לשכת הגזית חציה בקדש
וחצי׳ בחול ושמע מינה שני פתחים היו לה
אחד פתוח בקדש ואחד פתוח בחול · דאי
סלקא דעתך כלה בקדש זקן יושה מערבה
והא אמר מר אין ישיבה בעזרה
אלא למלכי בית דוד בלבד ואי סלקא
דעתך כלם בחול · פייס במזרחה והא בעינן
בבית אלהים נהלך ברגש וליכא אלא שמע
מינה חציה בקדש וחציה בחול · ואי סלקא
דעתך פתח אחד יש לה ופתות לקדש. זקן
יושב במערבה והא תנן הלשכות הבנוי׳
בחול ופותחות לקדש תוכן קדש ואי סלקא
דעתך פתוח לחול פייס במזרחה והא תנן
בנויות בקדש ופתוחות לחול תוכן חול אלא
לאו שמע מינה שני פתחים היו לה אחד
פתוח לקדש ואחד פתוח לחול עד כאן.

והנה פירוש רש״י ז״ל על הסוגיא הזאת
הוא זה . לשכת הגזית ששם היו מפיסין ·
בסילקי בירה גבוה שעל עלייה · ותמה אני
מפירוש רש״י ז״ל זה · כי הנה לשכת הגזית
לא היתה בנויה על עלייה אם לא נאמר
שיקרא רש״י עלייה למעזיבה שעשיתי אני
בלשכת הגזית חוץ לעזרה׳ ככתו׳ בפר׳ זה ·
פייס במזרח קבוצת היקף המפיסין במזרחה

videbitis, postquam vobis proposuero commemoratam versionem, quæ hujusmodi est, uti mihi prædictus Sapiens oretenus significavit. Dicit R. Sessat, unde probatur? Ex eo quod legitur in *Baraitha*. Conclave Gazith erat instar Basilicæ magnæ. בסילקי scriptum cum Kappa Dagessato Græce significat locum magnificum & nobilem, ut ibi judicia & jura urgenter multis dicerentur. Sortitio fiebat in oriente, & senex sedebat in occidente, & Sacerdotes in forma circulari tanquam in *Boliar* consistebant, & præfectus adveniens, uni eorum tiaram e capite detrahebat, & hinc constabat ab eo fieri initium sortiendi. Si vero tibi in mentem veniat *indutos* fuisse vestibus profanis; Ubinam mitra inter vestes profanas numeratur? Non, juxta traditionem R. Jehudæ; & est, qui putat R. Samuel fil. Jehudæ; Sicui Sacerdoti mater confecerit tunicam, ipse unus poterit in ea ministrare. Dicit Abaje; hinc eruitur conclave Gazith fuisse dimidium in Sancto, & dimidium in profano, pariterque eruitur duas ibi fuisse portas, alteram apertam in sanctum, & alteram in profanum; si enim tibi in mentem veniat totum situm fuisse in sancto, senexne sedebat in parte ejus occidentali? Verum dicit Mor, nulli nisi Regibus de domo David in atrio sedere licuisse. Si vero tibi in mentem veniret, totum in profano situm fuisse; sortesne ducebantur in oriente? Verum in domo Dei cum cœtu est eundum; nonne ita esset? dicendum est igitur dimidium fuisse in sancto, & dimidium in profano. Si tibi in mentem veniat portam habuisse apertam in sanctum, senexne sedebat in ejus parte occidentali? Verum traditur; *Conclavia ædificata in profano, & aperta in sanctum, intima pars est sancta;* si putes apertam fuisse in profanum, sortesne ducebantur in oriente? Verum legitur; *conclavia ædificata in sancto, & aperta in profanum, intima pars est profana*. Dicendum est igitur duas ibi fuisse portas, alteram apertam in sanctum, & alteram in profanum. Hactenus *Gemara*.

Ecce commentarius *Rafchi* f. m. in hanc versionem; *Conclave Gazith*, ubi sortes ducebantur, *Basilica* erat domus alta super cœnaculo. Ego miror de hac *Rafchi* interpretatione; etenim conclave Gazith non erat cœnaculo superexstructum, nisi dicatur, quod *Rafchi* cœnaculum appellet pavimentum, quod a me extructum est in conclavi Gazith extra atrium, ut in hoc capite scriptum est; *Sortitio erat in oriente*; congregatio cir-

היתה׃ וזקן של בית דין המור׳ להם סדר הפייסין יושב במערב׃ בבוליאר ענול שקורין נושקא׃ ואני אברהם לא ידעתי פתרון חמלה הזאת נושקא כי אינינה עברית ואולי היא צרפתית כנראה בפירושו ישעיה ד׳ על פסוק בתי הנפש והלחשים שאמר ובתי הנפש שכנגד הלב נושקא בלעז שממנו מתחיל מנין חשבון הפייס כמו שפירשתי בראש הפרק׃ כדתני רב שמואל בר יהודה לקמן פרק שלישי שהיו אמותיהן של כהני׳ עושות לבניהן משלהן כמין בגדי כהונה להראות תפארת עושרן וגוי מלאכתן וכמה הן מהדרות מצוה׃ דקתני כהן שעשתה לו אמו כתנת לובשה ועובד בה עבודת יחיד׃ אין ישיב׳ בעזר׳ שנאמר לעמוד לשרת העומדים שם לפני ה׳ אלא מלכי בית דוד שמצינו בהם ישיבה שנאמר ויבא המלך דוד וישב לפני ה׳ ויאמר מי אנכי ומי ביתי וגו׳ דהא בעינן בית אלהים נהלך ברגש אלמא פייס צריך להיות בבית אלהים׃ ע״כ רש״י ז״ל.

ועתה אם בעיין היטב בבנין לשכת הגזית שעשיתי נראה בהדיא ששמרתי בה כל תנאי הסוגיא הזאת׃ כי בניתי אותה חציה בקדש וחציה בחול׃ גם עשיתי בה שני פתחים אחד פתוח בצד צפון בחול ואחד פתוח בצד דרום בקדש כי הנה אביי לא זכר מערב ומזרח בפתחים׃ גם לא הצריך שיעשו שם בלבד ולא במקום אחר אלא אמר בסתם אלא לאו שני פתחים כו׳ כי הרשות נתונה היא לנו לעשות אותם בכל הפאות שנרצה אך בתנאי שיהיה הפתח אחד פתוח לקדש והפתח האחר לחול׃ ועל כן לפי דרכי יכונו הפתחי׳ שציירתי אליבא דגמרא מפני שבגלל הפתח הפתוח בצד צפון בחול היה מקום לזקן לישב במערב בחול כי כל פאות חציה של עזרה שהיא נוטה לצד צפון ופאת מערב בכלל בעבור הפתח הפתוח שם בחול׃ הם חול׃ כמו שכל חציה הנוטה לצד דרו׳ בעבור הפתח הפתוח שם בקדש היא קדש׃ ולכן במזרחה

cularis eorum, qui sortiebantur, erat in oriente; *& senex synhedrii*, qui docebat ordinem sortiendi, sedebat in occidente; *instar Boliar*, sc. circuli, qui vocatur *Nosca*. Ego Abraham ignoro hujus vocis *Nosca* interpretationem, quæ non est Hebræa; & forsitan est Gallica, uti videtur in ejus commentario in IV. Isai. in vers. *Ornamenta pectoris, & inaures*; ubi inquit, *& ornamenta pectoris*, quæ sunt e regione cordis, vernacule *Nosca*. *A quo initium fiebat sortiendi*, uti explicatum est in principio capitis, sicuti docet R. Samuel fil. R. Jehudæ ulterius cap. III. quod matres de bonis suis confecerint filiis suis quasi vestes Sacerdotales, ut opes suas, & operis elegantiam, & præcepti decus ostentarent; uti legitur; Sacerdos, cui mater confecisset tunicam, potest illam induere, & in ea ipse unus ministrare. *Non licebat considere in atrio*, sicuti scriptum est 3. *Reg.* VIII. 11. *Et non poterant Sacerdotes stare & ministrare*; qui ibi stabant coram Domino, sed Reges tantum de domo David, quos invenimus sedisse, sicuti dictum est 1. *Paral.* XVII. 16. *Cumque venisset David, & sedisset coram Domino, dixit; Quis ego sum Domine Deus, & quæ domus mea? Et quod cum cœtu eundum sit in domo Dei*. Sortes igitur ducendæ erant in domo Dei. Hactenus *Raschi* f. m. commentarium.

Nunc vero si recte observabitur in structura conclavis Gazith quam efformavi, plane constabit, omnes illius versionis a me servatas esse conditiones; eo quod dimidium extructum est a me in Sancto, & dimidium in profano, duasque ibi portas esse ædificatas, alteram apertam a latere aquilonari in profanum, & alteram a latere australi in Sanctum; ecce Abajë non commemorat in portis orientem & occidentem, neque necesse fuisse ut ibi tantum & non in alio loco construerentur; sed simpliciter dicit; *Erant igitur duæ portæ* &c. nobis licet putare sitas fuisse in quibus libuerit lateribus, sed ea tamen lege, ut altera porta aperta esset in sanctum, & altera in profanum; ideoque juxta meum sistema constituentur portæ, quas efformavi, juxta *Gamaræ* sententiam; etenim per portam apertam ad latus aquilonare in profanum, erat locus seni sedendi in parte occidentali in profano; eo quod omnia latera dimidii atrii, quod respiciebat plagam aquilonarem, & angulum occidentalem generaliter, per portam, quæ aperta erat in profanum, erant profana; sicuti tota dimidia pars, quæ respiciebat austrum, propter portam ibi apertam in

שבקדש

שבקדש היו עושין הפייסות כאמור בסוגיא הנזכרת· וזהו מה שהאמנתי בדבר הלשכות האלה· ואם באולי בבנינן יאמרו קצת מהחכמי' כי נטיתי מדרך האמת אשר לא דמיתי לא אסוג אחור מלשתות בצמא הטוב והישר בדברי רבותינו ז"ל ואשמור לתקן הלשכות האלה אם יצטרכו תקון כפי אשר יורוני ולא נטה ימין ושמאל ממצותם.

פרק יג.

בהיכל שהיה צר מאחריו ורחב מלפנין ומהשני לשכות שנקראו בתי החליפות וההשגה על רבינו ז"ל על דבר הטבעות ומקומן ומהחלונות הכ"ד משמרות והיכן היו.

ההיכל היה צר מאחריו ורחב מלפניו ודומה לארי שנאמר הוי אריאל אריאל קרית חנה דוד· מה ארי זה רחב מלפניו וצר מאחריו אף ההיכל צר מאחריו ורחב מלפניו· ואתה הקורא דע כי רבותינו הקדושי' פעמים קוראים היכל החלק ההוא מהבית שהוא ארבעים אמה בארך ועשרים אמה ברחב שחוצה לו מצד המזרח שי שם האולם הארוך אחד עשרה אמו' והעודף ברחב על ההיכל חמש עשרה אמות מצד דרום וחמש עשרה אמות מצד צפון ושל הלאה ממנו מצד מערב יש שם בית קדש הקדשים שהוא עשרו' על עשרים אמה וזה באמת הוא ההיכל העצמי לא זולת· אמנם לפעמי' קראו רבותינו ז"ל היכל בשתוף כל המקובץ מהשלש' הלקים האמורים גם יחד· על כן כשאמרו שההיכל היה צר מאחריו ורח' מלפניו האמנתי שרצו בהיכל השם המשותף ולא העצמי ובאופן הזה הוא רחב לצד מזרח וצר מצד מערב· כי ההיכל היה רחבו מן הצפון אל הדרום שבעים אמה כמו שמפורש בפ' רביעי דמדות משנה שביעית· והאולם שלפניו לצד מזרח היה מתפשט להלן מצדי ההיכל חמש עשרה אמה לצד צפון וחמש

ſanctum, erat ſancta; ideoque in ejus parte orientali, quæ in ſancto erat, ducebantur ſortes, uti dictum eſt in verſione commemorata. Atque hæc ſunt, quæ ſcribenda putavi de his conclavibus. Quod ſi in eorum ſtructura nonnulli ſapientes dixerint, quod declinaverim a via veritatis (quod mihi non videtur) non ero refractarius, quin bibam quod bonum & rectum deprehendetur in verbis noſtrorum Sapientum ſ. m. atque dem operam, ut hæc conclavia diſponantur, ſi diſponi neceſſe eſt juxta id quod me docuerunt; neque ab eorum præceptis declinabo ad dextram & ſiniſtram.

CAPUT XIII.

Ubi agitur de Templo, quod erat anguſtum a parte poſteriori, & ab anteriori latum, & de duobus conclavibus, quæ ſeceſſpitarum conclavia appellabantur, & de contraria ſententia præceptoris noſtri ſ. m. reſpectu annulorum, & eorum ſitus, & de arcis 24. claſſium, & de loco, ubi ſitæ fuerunt.

Templum erat anguſtum a parte poſteriori, & latum ab anteriori, & leonis ſimilitudinem referebat, ſicuti ſcriptum eſt. *Iſai.* XXIX. I. *Væ Ariel, Ariel civitas quam expugnavit David*. Sicuti hic leo in poſteriori parte eſt anguſtus, & latus in anteriori, ita templum a parte poſteriori erat anguſtum, & ab anteriori latum. Scias velim, lector, noſtros ſapientes ſ. m. templum appellare illam domus partem, quæ in longitudine quadraginta cubitos, & in latitudine viginti patebat, extra quam a plaga orientali ſitum erat veſtibulum latum undecim cubitos, & quod ſupererat in latitudine templi quindecim cubitis ad auſtrum, & quindecim cubitis ad aquilonem & quod præter ipſum erat ad latus occidentale, ibi ſitum erat Sanctum Sanctorum, quod erat quaquaverſum viginti cubitorum, & hoc erat templum peculiare. Verum aliquando ſapientes noſtri ſ. m. templum appellarunt conjunctim totum illud ſpatium, quod ſimul tria hæc commemorata loca comprehendit, ideoque, quod dixerint templum fuiſſe anguſtum a parte poſteriori, & ab anteriori latum, credo tum ſignificaſſe pro templo totum illud ſpatium una conjunctum, non vero *templum* peculiare, atque ita latum erat ad orientem, & anguſtum ad occidentem; & quod templum latum erat ab aquilone ad auſtrum ſeptuaginta cubitos, uti explicatur IV. 7. *Middoth*; & veſtibulum, quod ante illud ſitum erat, patebat ab lateribus templi quinde-

עשרה

עשרה אמה לצד דרום ונקרא בית החליפות ואינו נמשך מן המזרח למערב אלא כנגד האולם בלבד.

נמצא שההיכל בכללו היה רחב לצד מזרח מאה אמה מחמרת בית החליפות אשר שם והוא צר מאחריו שאינו רחב שם אלא שבעים אמה ושם היו הכהנים גונזים סכיניהם ולכל משמר היה חלון אחד שבו גונזין סכיניהם והיו ארבעה ועשרי׳ חלונו לארבעה ועשרי׳ משמרו׳ ונראה שהיו מהם שנים עשר חלונות בבית החליפות שמצד צפון ושנים עשר חלונות בבית החליפות שמצד דרום· ואמרו חכמינו ז״ל סכין הנשמט מן הנצב או שנפגם אין מחזירין אותו ואין משחיזין אותו אלא גונזין אותו בצד ההיכל בין הקדש והאולם לצד דרום ועושי׳ סכינים אחרי׳ שאין עניות במקום עשירות· ומה שהיו גונזין אותם בדרום הוא כדי להתרחק מן התקלה כדי שלא יבואו בשוגג להשתמש בסכין פסול בהיות ששחיטת קדשים היא על הרוב בצד צפון כאשר ידענו.

והואיל כי בא לידינו זכרון בית החליפות טוב הוא שנעיין היטב בדברי הר״מבם ז״ל כי יש בהן פירכא· כתב הר״מבם ז״ל במסכת סוכה פרק החליל על דברי המשנה בלגה לעולם חולקת בדרו׳ וטבעתה קבועה וחלונה סתומה· מפני מה חולקין לחם הפני׳ הנכנסין בצפון העזרה כדי שידעו כי העבודה בזו השבוע שלהם כי השחיטה בצפון· והיו במקדש ארבעה ועשרים טבעות טבעת לכל משמר שהיו תולין בהן הבהמות ומפשיטין אותן והיו כלן קבועים בכתלים וכשהיתה נכנסת משמרה אחת היתה תולה אותה טבעת לרמוז שהעבודה שלה וכמו כן היו שם עשרים וארבעה חלונות ושם בגדי כהונה חלון לכל משמר׳ ומשמרה והיו כלן סגורות וכשנכנסת משמרה לעבודה היתה פותחת החלון שלה מלבד משמרת בלגה כו׳· והנה יש לתמוה איך לא זכר הרב מה שכתבו פר׳ שלישי דתמיד משנה חמישית בית המטבחים היה לצפונו של מזבח ועליו שמנה עמודים ננסים ורביעיות של ארז על גביהן ואונקליות של ברזל היו קבועים בהם שבהם תולין ומפשיטין· הרי שהטבעות לא

cim cubitis ad latus aquilonare, & quindecim ad australe; & vocabatur domus secespitarum, neque patebat ab oriente ad occidentem, nisi tantum e regione vestibuli.

Deprehenditur templum generaliter sumtum latum fuisse, 100. cubitos ad latus orientale propter domum secespitarum, quæ ibi sita erat, & a posteriori parte fuisse angustum, neque ibi fuisse latum nisi septuaginta cubitos, ubi sacerdotes cultros suos recondebant; & singulis classibus singulæ erant arcæ, ubi culri asservarentur, sc. 24. arcæ pro 24. classibus; & probabile est duodecim fuisse arcas ad aquilonem in domo secespitarum, & duodecim ad austrum; & nostri sapientes f. m. dixerunt, quod cultrum, qui exciderint de manubrio, vel incisus fuerit, non restituerent, neque acuerent, sed reconderent in latere templi, inter sanctitatem & vestibulum, ad plagam australem, & alios conficerent cultros eo quod non esset paupertas in loco divitiarum. Causa vero, cur in austro reconderentur, erat ut offendiculum removeretur, ne per errorem gladio illegitimo ministrarent, cum plerumque sanctitates ad aquilonem mactarentur.

Quoniam de domo secespitarum mentio facta est, optimum factu erit observare verba *Maimonidis* f. m. in quibus appositio deprehenditur; scribit enim *Maimonides* f. m. in cap. v. 8. *Succa* in hæc verba *Bilga semper distribuebat in austro, & annulus ejus erat fixus, & capsa ejus erat occlusa*; Cur distribuebant panem faciérum qui intrabant, in aquilone atrii? ut ostenderetur, ministerium in illa hebdomada ad eos pertinuisse, eo quod in in aquilone animantia mactarentur. Erant autem quatuor & viginti annuli in sanctuario, singuli singulis classibus, ubi suspendebant animalia, ac excoriabant; & omnes parietibus infixi erant; quando custodia intrabat, hunc annulum appendebat, quo ostenderetur ministerium ad se pertinere; Pariterque quatuor & viginti ibi erant arcæ ubi vestes sacerdotales reconderentur, singulæ singulis classibus; omnesque occlusæ erant; quando igitur custodia intrabat ad ministrandum, aperiebatur arca, excepta tantum Bilgæ custodia &c. In quo mirari licet, quod præceptor non recordatur, quod III. 5. *Tamid* scriptum est, ubi traditur. *Domus lanionum erat ad aquilonem altaris, & in ea octo columnæ breves, super quibus asseres cedri quadrati, uncique ferrei eis affixi erant, ad quos suspendebant ad detrahendam pellem*. Ecce annuli non erant in Sanctuario, ut iis appenderentur animan-

היו

היו במקדש לתלות בהם הבהמו׳ כדי להפשיט אותן אלא המזלגות כמו שפירש שם רבינו׃ ושכח גם כן מה שכתב בפרק שלישי דמדות משנה חמישית׃ כבר ביארנו שאלו הטבעות הם מעשה יוחנן כהן גדול קבועות בקרקע לאסור בהם רגלי הבהמה בשעת שחיטה ואונקליות הם המזלגות׃ הרי ששמוש הטבעות לא היה התלייה וההפשט׃ וגם לא היו הטבעות קבועו׳ בכתלים אלא ברצפה׃ גם בתמיד פרק חמישי משנה שלישית כתב ומה שאמר וכתוב עליהם תשמישי הכלים לפי שהחלונות שהיו בהם מכנסים כתוב עליהם מכנסים ואשר בהם המצנפת כתוב עליהם מצנפת וכן כתנת ואבנט ואף על פי הלא פירש הרב מקום החלונות שמניחין בהן בגדי כהונה ראוי להאמין עם הגאון המופלא כמהד״ר משה קזיס יצ״ו שדעתו היא שיהיו בבית החליפות במקום שיש שם חלונות לסכינים׃ ואם כן יהיו חמש׳ חלונו׳ לכל משמר ואז יעלו לסכום מאה ועשרים חלונות בין כלם׃ ואין חלון פחות משתי אמות ברחב בעבור ריבוי הכהנים המשרתים לכל יום בכל המשמרות׃ ובין חלון וחלון צריך שיהיו גם כן שני טפחים לפחות בקיר חלק לתת בם צירי דלתות החלונות׃ הרי שבשביל מאה ועשרים חלונ׳ צריכי׳ היינו למאתים ושמנים אמות וארבעה טפחים אם יהיו כל החלונות זו אחר זו בקו ישר׃ ואם יהיו בשני כתלי׳ זה כנגד זה בקו ישר צריכים היינו לכל כתל מהם למאה וארבעים אמות וגם לארבעה טפחים בעבור השני טפחים שהם קודם שורת החלונות והשני טפחים שהם לאחריהם׃ ואם כן הוא מן הנמנע שיהיו בבית החליפות׃ ועוד יהיו חמשה חלונות בלגה סתומות ולא חלון אחד בלבד׃ וגם כי במה שהשגנו על הרב במזלגות והטבעות לא ידעתי תשובה מספקת׃ עם כל זה על דברת החלונו׳ נוכל להשיב שהחלונות של הבגדים והסכינים היו חצין מצד דרום וחצין מצד צפון במקו׳ שעודף האולם על ההיכל בשתי שורות לכל צד מהצדדין האלה חצין בכתל זה וחצין בכתל שכנגדו כי הנה דעת הרמב״ם ז״ל היה שבית החליפות העודף מזה ומזה להיכל היה נמשך עד סוף מערב ההיכל שהוא מאה אמה כאמור׃ וכמשפט הזה בצד דרום וצפון על

tia, & excoriarentur, sed tridentes, ut ibi interpretatur noster præceptor; pariterque oblitus est, quod scripsit III. 5. *Middoth*. Jam (*inquit*) exposuimus in tractatu *Tamid*, quod hi annuli facti sunt a Jochanan summo Sacerdote, qui pavimento infixi erant, ut pedes animantis iis alligarentur, quum mactabatur. Atque unci erant tridentes. Ecce horum annulorum usus non erat hujusmodi, ut iis appenderetur & excoriaretur; Neque pariter annuli parietibus infixi erant, sed in pavimento. Scripsit quoque in cap. V. 3. *Tamid* in hæc verba; *Quibus inscriptum erat usus vestium*; arcis in quibus erant braccæ, inscriptum erat, *braccæ*, in quibus erat mitra, inscriptum erat *mitra*, & sic in tunica, & balteo. Et quamvis non explicetur a præceptore locus arcarum, in quibus vestes sacerdotii reconderentur, credendum est cum magnifico, admirando R. *Mose Kazes*, quem Deus custodiat, fuisse juxta ejus opinionem in domo secespitarum, ubi secespitarum erant arcæ; si ita sit, singulis custodiis quinque arcas fuisse necesse est; tum erunt centum & viginti arcæ; neque arca minus duobus cubitis in latitudine patebat pro multitudine Sacerdotum, qui quotidie in omnibus custodiis ministrabant; atque inter singulas arcas interfuisse saltem necesse est duos palmos in muro, ut ibi statuerentur cardines valvarum arcarum; ecce pro 120. arcis requirebantur saltem 280. cubiti, & quatuor palmi, si omnes arcæ sitæ erant in recta linea, una post aliam; si vero collocatæ essent in duabus parietibus, altero e regione alterius in recta linea, necesse erat, ut singuli parietes 140. cubitos & quatuor palmos patuissent, pro duobus palmis; qui erant ante seriem arcarum, & pro duobus palmis, qui erant post illas. Si ita est, fieri non poterat, ut essent in domo secespitarum; præterea quinque necesse erat, ut essent arcæ Bilgæ occlusæ, non una tantum. Et quamvis nulla occurrat idonea responsio ad id quod præceptori oppositum est de tridentibus, & annulis, tamen quod spectat arcas, responderi poterit, arcarum vestium, & gladiorum, fuisse dimidiam partem ad austrum, & dimidiam ad aquilonem, ubi præ temlo vestibulum redundabat, in duabus seriebus ad singula ex his lateribus, dimidiam partem in hoc pariete, & dimidiam in altero, qui e regione illius erat; Et ecce sententia *Maimonidis* est a templo hinc inde vestibulum prominuisse, & fuisse protractum usque ad plagam occidentalem templi, quæ erat centum cubi-

כל

כל החלונות האמורות ישאר גם כן מקו׳ פנוי מזה ומזה לגנוז שם הסכינים הפסולים לשחיטה׃ אך במה שאמרו רבותינו ז״ל שחלון בלגה היתה סתומה ולא אמרו חמשת חלונות בלגה היו סתומות׃ האמנתי כי על כל החמשי׳ חלונות בפרט היו דלתות מיוחדות שכתוב עליהם מבחוץ שמוש הבגדים והסכינים. אמנם על כל חמשה וחמש׳ מהם היה דלת אחד גדול של חליות רבו׳ ונסרים שונים המתחלקי׳ ונפתחים בהפוך הצירי כנהוג שהיה סוגר תחתיו כל החמשה חלונות בשוה וכתוב עליוהם המשמרה בלבד׃ והדלת הזה הגדול הוא הוא שהיה לעולם סתום במשמרת בלגה.

והנה הבירטאנורה בפירוש המשניות על משנה שמינית של פרק החליל כתב ואלו הם הנכנסים חולקים ביניהם לחם הפנים המגיע להם לחלקם בצפון כדי שיראה לכל שהם נכנסים׃ שהצפון עקר שהיא קבועה לשחיטת קדשי קדשים והיוצאי׳ חולקים בדרום כדי שיראה שהם יוצאים והולכים להם׃ לפיכך שנו מקומם אצל רוח שאינו עקר׃ בלגה שם המשמר׳ לעולם חולקת בדרום ואפילו כשהיא נכנסת׃ קנס הוא שקנסוה׃ וטבעתה קבועה׃ עשרים וארבעה טבעו׳ היו בעזרה במקום המטבחים לארבעה ועשרי׳ משמרות כהונה׃ וטבעות של כל המשמרות היו פתוחות לצד אחד והפכין הצד הפתוח למעלה ומכניסין צואר הבהמ׳ לתוך הטבעת וחוזרי׳ והופכין פתח הטבעת למטה תוך הרצפה וטבעת של בלגה היתה קבועה ואינה נהפכת וצריכה להשתמש בשל אחרים וגנאי הוא לה׃ וחלונה סתומה׃ חלונות היו בלשכת החליפו׳ ששם גונזין את סכיניהם׃ וחלון של משמרת בלגה היתה סתומה דקנסיה רבנן משום מעשה שהיה שאשה אחת של משמרת בלגה ומרים בת בלגה שמה נשאת לסרדיוט אחד ממלכי יונים׃ וכשנכנסו יונים להיכל הלכה וטפחה בסנדלה על גבי המזבח ואמרה ליכוס ליכוס כתוב בלמדא באופסילון עם החירק תחת האלף׃ בכאפא באומיקרון וסיגמא׃ זאב בלשון יוני נקרא כן׃ יאריב יארוב אינו לשון יוני׃ עד מתי אתה מכלה ממונן של ישראל ואין אתה עומד להם בשעת דוחקן וכששמעו חכמים בדבר הזה קבעו את טבעתה וסתמו את חלונה של כל השמרה

torum, uti dictum est; atque in latere australi & aquilonari pro his omnibus arcis remanebit quoque locus vacuus hinc inde, ut ibi secespitæ recondantur illegitimæ ad mactandum. Quod pariter spectat id, quod dixerunt nostri Sapientes f. m. Bilgæ arcan fuisse occlusam, neque dixerunt quinque Bilgæ arcas fuisse obseratas, puto singulis quinque fenestris peculiariter fuisse peculiares valuas, quibus extrinsecus inscriptus esset usus vestium, & secespitarum, ea tamen ratione, ut singulis quinque esset una valva magna constans multis segmentis & variis asseribus, quæ cardinum conversione dividerentur & aperirentur, juxta consuetudinem, ut æqualiter inferius omnes quinque arcæ occluderentur, quibus tantum custodiæ nomen inscriptum erat; & hæc valva magna erat illa, quæ semper in classe Bilgæ occlusa erat.

Et ecce R. *Bartenora* in commentario ad v. 8. *Succa* hæc scripsit. *Qui intrabant distribuebant in septentrione* eam panis partem, quæ ad illos pertinebat, in aquilone, ut omnibus innotesceret, quod illi intrarent, eo quod plaga aquilonaris præcipue constituta erat, ut ibi sancta sanctorum mactarentur. *Qui exibant, distribuebant in austro*, ut ostenderetur, quod egrederentur & abirent; ideoque mutabant locum ad latus, quod non erat essentiale. *Bilga* erat nomen classis, quæ semper vel in ingressu suo in austro dividebat pœnæ causa, quæ illi inflicta erat. *Et annulus illius infixus*; quatuor & viginti annuli erant in atrio in loco lanionum, pro quatuor & viginti custodiis Sacerdotii; & annuli omnium classium ab uno latere aperti erant, & summum latus apertum convertebant, & in annulum animalis collum immitebant, atque iterum aperturam annuli deorsum intra pavimentum convertebant. Atque annulus Bilgæ infixus erat, neque convertebatur, & cogebatur uti reliquarum *annulis*, quod illi erat dedecori. *Et ejus arca occlusa*. In conclavi secespitarum erant arcæ, in quibus cultri reconderentur. At arca Bilgæ erat occlusa; quæ pœna a nostris Sapientibus inflicta est, eo quod mulier ex custodia Bilgæ, quæ Mirjam filia Bilgæ vocabatur, qui præfecto cuidam Regum Græcorum nupserat; cum Græci in templum ingressi sunt, progressa sandalio percussit altare dicens; *Likos*, *Likos* (si scribatur Lamda, Epsilon, cum Chirek sub Aleph Omicron, & Sigma, Græce dicitur lupus, *Joharib* non est Græcum) *usquequo consumis facultates Israelis, & non servas in tempore angustiæ*? Cum hæc Sapientes

בלה

כלה כי אמרו אם לא ששמעה מאביה
שהיה מבזה את העבודה לא אמרה כן ·
ובשביל אביה קנסו כל המשפחה · דאוי
לרשע ואוי לשכנו · טוב לצדיק וטוב לשכנו ·
הרי שלרעתו בפרק זה דהליל היה חלון
אחד בבית החליפו׳ לכל משמר לגנוז שם
הסכיני׳ · היינו שנים עשר חלונו׳ מצד דרום
ושנים עשר חלונות מצד צפון כי האמין
שהמקו׳ שעודף האולם על ההיכל היה חמש
עשרה אמה לכל צד בלבד אמנם בפירוש
משנה שביעית דפתחו של אולם ממדות
הדר ביה מההיא והאמין עם הרב שבית
החליפות היה נמשך מזה ומזה עד סוף
מערב ההיכל · ועל כן בהיות שלא שקטה
נפשו בפירוש הרב כשאמר שהיה הבנין מצר
מעט לאחריו כתב צר מאחריו לצד מערב
Exod. XXVII. 1. *Et tres cubitos in altitudine*; intelligendum eſt ab extremitate circuitus & ſuperius. Iam explicatum eſt ex decem cubitis, baſim unum, quinque ambitum, tres ſtructionis locum, & unum cornua occupaſſe, eo quod ſingula cornua cubito paterent quaquaverſum. Atque juxta mediocre meum ingenium poteſt credi nihil obſtitiſſe, ſi fuiſſet hoc altare Salomonis lapideum, uti dixerunt noſtri Sapientes f. m. & opertum aſſeribus cedrinis (pro lignis cupreſſinis, quæ non inventa ſunt in ædificio domus) & obductum ære, uti erat Moſaicum. Quod autem Lex dicit *Exod.* XX. 25. *Quod ſi lapideum altare feceris mihi*; ex traditione conſtat non eſſe noſtri arbitrii ſed debiti, ut lapideum exſtruatur; neque hoc dictum eſt alia ratione, niſi ut excludatur ſimpliciter altare terreum; ideoque cum dictum eſt *Ibid.* v. 24. *Altare de terra facietis mihi*; ſignificat, ut in terra inhæreat, ut ne ſuper fornicibus, aut cavernis exſtruatur, neque ſit ex ſimplici terra. Idcirco, qui adſcenderunt ex captivitate, non exſtruxerunt ex terra, ſed ex lapidibus integris, ut omnino præceptum obſervaretur; neque æs preſto erat, quo magna vaſa, uti erat altare holocauſtorum, ædificarent.

Ceterum Salomon Rex, quod non potuit enumerari æris pondus, quod ejus diebus fuerit, totum ex ære confecit, uti ſcriptum eſt 2. *Paral.* IV. 1. *Fecit quoque altare æneum viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis*. Atque hoc altare ſtetit ſemper in ſitu ſuo, vel tum cum regnavit Achaz, uti videtur 4. *Reg.* XVI. 14. ubi ſcriptum eſt. *Porro altare æreum quod erat coram Domino, tranſtulit de facie templi, & de loco altaris, & de loco templi Domini, poſuitque illud ex latere altaris ad aquilonem* &c. uſque ad; *Altare vero æreum erit paratum ad voluntatem meam*. Et probabile eſt, eo quod eſſet vacuum, pro terra, uti fieri conſuevit in deſerto, quod impleverit lapidibus integris. Et hoc eſt quod dicit R. Ioſe 3. *Middoth*. *Ab initio non patebat altare niſi 28. cubitos quaquaverſus, ædificabat, & adſcendebat*; i. e. ædificabat locum vacuum lapidibus integris, & aſcendebat uſque ad hanc menſuram, uſque dum deprehenderetur locus ſtruis 20. cubitorum quaquaverſus. Et quamvis æris, quo obducebatur, eſſet craſſities unius palmi aut amplius, & aliquid redundaret ex 20. cubitis, nihil referebat; eo quod non numerarentur palmi, quando cubiti integri menſuram non aſſequebantur. Atque huic altari Salamonæo, uti Moſaico, erat

ימנו

ימנו הטפחים אם לא יעלו למורת אמה מושלם · ובמזבח הזה שעשה שלמה היה הכרכוב כבשל משה אולי מבלי הארבע טבעות נחשת שלא היה בהם צורך כי לא היו נושאים את המזבח ממקום למקום כאשר היו עושים במדבר שהי׳ קבוע בית עולמים והוא היה מגיע עד חצי המזבח להבדיל בין דמים העליונים לתחתונים במקום חוט הסקרא שהיה בבית שני · ואני ידעתי כי יהיו מן החכמים שיאמרו כי כל אשר דמיתי במזבח העולה של בית ראשון הוא דבר חדש ובלתי נבון כבר לא היה לעולמים בדברי רבותינו ז״ל שאמרו שהי׳ של אבני דוקא· אמנם על כי האמנתי כאמור שכל עוד שנאמר שהיה של אבנים שלמות ככתוב בתור׳ לא איכפת להו לרבנן אם יעלה על דעתנו שיהיה גם כן צפוי בנחשת כי בזה לא יפסל באמת או יגרע כח קדושתו בשום פנים · בחרתי להעתיק כאן מה שאמרו המפרשים עליו כפי סגנון הפסוקים וגם מה שכתב רש״י ז״ל במקומות ההם על דרך חכמינו הראשונים · ואם תראו שלא יהיה עון על שכם מי שיאמר שהיה לו למזבח הזה על האבנים צפוי של נחשת בחרו לכם הטוב בעיניכם כי כל עוד שלא יהיה נגד מה שהסכימו רבותינו הקדושים אעשה כן גם אני.

והנה רש״י ז״ל מלכים א׳ ח׳ כתב כי מזבח הנחשת כו׳ מזבח אבנים שעשה תחת מזבח הנחשת קטן כו׳ · נראה מדבריו שתחת מזבח הנחשת ירצה לומר כי מזבח האבנים שעשה שלמה במקום או בחלוף מזבח הנחשת היה קטן מהכיל כו׳· אמנם רד״ק ז״ל שם כתב · קדש המלך כו׳ כי מזבח הנחשת אשר עשה שלמה היה קטן מהכיל כו׳ ואינו אומר על מזבח הנחשת שעשה משה כו׳· ודברי רבותינו ז״ל מחלוקת בזה יש אומרים כי רצפת החצר הוא שקדש ויש אומרי׳ כי מזבח אבנים בנה תוך החצר· ואמר עוד כי מזבח אבנים הוא שעשה שלמה לא מזבח נחשת · ומה שאמר בד״ה ויעש שלמה את מזבח הנחשת וכן אמר כי מזבח הנחש׳ אשר עשה שלמה פירוש מזבח אבנים שעשה שלמה תחת מזבח הנחשת שעש׳ משה ואלה דברים של תימה הם עד כאן דבריו.

והרלב״ג ז״ל שם כתב ביום ההוא קדש כי מרוב הקרבנות שהקריבו ביום ההוא הוצרך

circuitus (probabile eſt non affuiſſe annulos æneos, quibus non erat opus, eo quod altare ex uno in alium locum non transferretur, uti fieri conſuevit in deſerto, ſed fixum erat in domo ſeculorum) & deducebatur uſque ad medium altare, ut ſepararet inter ſanguines ſuperiores & inferiores in loco fili rubri, quod erat in domo ſecunda. Verumtamen non ignoro nonnullos Sapientes dicturos, quod ego excogitavi de altari holocauſtorum primæ domus, novum eſſe & inconveniens, neque unquam aſſertum a noſtris Sapientibus f. m. qui dixerunt ſimpliciter ex lapidibus conſtitiſſe. Verumtamen, quod putaverim, uti dixi, quod ſi quis aſſerat fuiſſe ex lapidibus integris, uti dictum eſt in lege, nihil Sapientum intereſſe credendum eſt, ſi exiſtimemus etiam ære fuiſſe obductum, eo quod non reprobatur, neque detrahitur ullo modo virtuti ſanctitatis ſuæ. Idcirco hoc loco deſcribenda putavi, quæ in his textibus dixerunt commentatores, atque etiam ea quæ ſcripſit *Raſchi* f. m. juxta ſententiam veterum noſtrorum Sapientum. Et ſi videbitis non eſſe peccatum ſuper humero illius, qui aſſeruerit fuiſſe huic altari lapideo obductionem æream, eligetis eam opinionem, quæ vobis magis probabitur; quod ego quoque faciam, quotieſcunque non erit contrarium ſententiæ, in qua ſapientes noſtri f. m. convenerunt.

Raſchi f. m. ita ſcribit in 3. *Reg.* VIII. 64. *Quoniam altare æreum* &c. Altare lapideum, quod fecit ſub altari æneo, *erat parvum* &c. Oſtenditur his verbis, quod ſub altari æneo; id eſt altare lapideum, quod fecit Salomon loco aut vice altaris ænei, fuiſſe parvum ut caperet. Verum *Radak ibid.* ſcripſit, *Sanctificavit rex &c. quoniam altare æreum*, quod fecit Salomon, *minus erat, & capere non poterat* &c. Non dicitur ſuper altari æneo, quod fecit Moſes &c. In hoc noſtri ſapientes f. m. diſſentiunt; nonnulli dicunt, ſanctificaſſe pavimentum atrii, & alii aſſerunt, ædificaſſe in medio atrii altare lapideum; & præterea dicit; quod altare lapideum fecerit Salomon, non altare æneum; & quod dictum eſt 2. *Paral.* VII. 7. *Quia altare æneum quod fecerat*; pariterque aſſerit, per altare æneum quod fecit Salomon, ſignificari altare lapideum, quod fecit Salomon pro altari æneo, quod fecerat Moſes; & hæc admiratione digna ſunt. Hactenus ejus verba.

R. vero Levi filius Gerſonis f. m. *ibid.* ſcripſit. *In die illa ſanctificavit* &c. eo quod ab multitudinem ſacrificiorum,

שלמה

שלמה לקרש החצר כ׳ כי מזבח הנחשת שעשה שלמה כו׳ והנה קרא אותו מזבח הנחשת לפי שהיה מצופה נחשת אבל תחתיו היה של אבני׳ שלמות כמו שנזכר בתורת כו׳.

גם ר״שי מלכים ב׳ י״ו כתב ואת מזבח הנחשת כו׳ אי אפשר לומר מזבח הנחשת שעשה משה שהרי נגנז׳ ואי אפשר לומר מזבח אבני׳ שעשה שלמה וקראו בד״ה מזבח הנחשת שהרי אי אפשר לקרבו מזוית לזוית אלא אם הורס והרי שנינו אש שירד׳ בימי שלמה לא נסתלקה מעל המזבח עד שבא מנשה וסילקה שהוא הרס את המזבח כמו שמצינו באגדת חלק׳ ואין לו לפרש מזבח זה אלא בכיורות ומכונות של נחשת שהיו צרכי מזבח כו׳ וכשעשה אחז את המזבח לע״כום סילק את הכיור והקריבו לצד אחר כו׳׳ ורד״ק ז״ל שם כתב ואת מזבח הנחשת כו׳ והוא המזבח שעשה שלמה אמר שזה המזבח נתן אותו עם המזבח אשר לפני ה׳׳ ופירוש ויקרב מאת פני הבית הקריב זה המזבח ממזבח הנחשת שהיה בעזרה את פני הבית והקריב זה יותר לצד הבית ונתן אותו בין המזבח ובין בית ה׳ על ירך המזבח לצד צפון.

ורלב״ג ז״ל גם הוא שם כתב ואת מזבח הנחשת ר״ל שזה המזבח שבנה אוריה היה בחצר הכהנים עם מזבח הנחשת אשר לפני ה׳ שבנה שלמה והיה זה המזבח השני יותר קרוב אל פני ההיכל כאלו היה מבין המזבח ומבין בית ה׳ אלא שלא היה מכוון לפני הבית אבל אצל ירך המזבח צפונה היה. ואפשר ששם אותו לפאת צפון לעבוד שם לצבא השמים והככבים הצפוניים׳ כי הם היות׳ חזקים בפעולותיהם בזה העולם לפי מה שסדר השם ית׳ מענינם׳ ולזה תמצא פועל השמש יותר חזק במזלות הצפוניים׳ ועד כאן דברי המפרשים בשני המקומות האמורים.

ואני אברהם תמהתי הרבה שהשמיט, המפרשים האלה ראית פסוק אחד שממנו נרע באמת שגם אחרי גלות יהויכין היה שם במקדש ראשון מזבח הנחשת כדכתיב יחזקאל ט׳ ויבאו ויעמדו אצל מזבח הנחשת כו׳׳ והנה כל עוד שלא יהיה המזבח הזה של נחשת שלא רצתה התורה להטריה

quæ illo die oblata ſunt, coactus fuerit Salomon ſanctificare atrium &c. *Quoniam altare æneum*, quod fecit Salomon &c. ecce appellatur æneum, quia ære obductum erat, inferius vero lapidibus integris, uti commemoratur in lege &c.

Pariter *Raſchi* in 4. *Reg.* XVI. 14. *Porro altare æreum*. Non poteſt credi, fuiſſe altare æneum, quod fecit Moſes, eo quod fuit abſconditum; neque dici poteſt altare lapideum, quod fecit Salomon, eo quod vocetur 2. *Paral.* IV. 1. *altare æreum*, quia transferri non poterat ex uno in alium angulum niſi dirueretur; verumtamen legitur ignis, qui de cœlo deſcendit, non fuiſſe ſublatus ab altari, donec venerit Manaſſe & removerit; eo quod ipſe diruerit altare, uti traditur XI. *Gemaræ Sanhedrin*; neque poteſt explicari hoc altare niſi pro labiis & baſibus æneis, quæ altari erant neceſſaria &c. Quando conſtruxit altare Idololatriæ, removit labrum, & admovit ad aliam partem &c. *Radak* quoque ibid. ſcribit. *Porro altare æreum* &c. hoc eſt altare quod fecit Salomon, dicit hoc altare poſuiſſe cum altari, quod erat coram Domino, & eruitur ex verbis ויקרב מאת פני הבית. Et admovit hoc altare propius quam altare æneum, quod erat in atrio ante templum, & hoc admovit propius ad latus templi, ſtatuitque inter altare & inter templum ad latus altaris ad plagam aquilonarem.

Et *Ralbag* f. m. pariter ibid. ſcribit. *Porro altare æreum* i. e. altare, quod fecit Huria, erat in atrio Sacerdotum prope altare æneum, quod erat coram Domino, quod fecerat Salomon; & hoc ſecundum altare erat propius faciei templi, quaſi fuiſſet inter altare & domum Domini; at non erat omnino directum ante faciem templi, ſed prope latus altaris ad aquilonem; & probabile eſt poſuiſſe in angulo aquilonari, ut ibi miniſtraret exercitui cœlorum, & ſtellis aquilonaribus, eo quod robuſtiora ſint eorum opera in hoc mundo juxta illum influxum, quem dedit illis Deus, ideoque deprehendetur ſolis virtus robuſtior in planetis aquilonaribus. Hactenus verba Interpretum in hæc duo commemorata loca.

Verum ego Abraham magnopere miror, hos interpretes omiſiſſe argumentum unius verſus, ex quo conſtare poſſit, etiam poſt captivitatem Jehojachin eo loci in primo Sanctuario fuiſſe altare æneum, uti ſcriptum eſt *Ezech.* IX. 2. *Et ingreſſi ſunt, & ſteterunt juxta altare æreum*. Et ecce, quotieſcumque hoc altare non erit ex ære, quod Lex noluerit eſſe gra-

על

על ישראל שיעשוהו בנחשת מצוה היא מן המובחר וחוב׳ עלינו לבנות אותו באבנים שלמות.

אמרו רבותינו ז״ל כיצד בונין את המזבח היה מביא דפוס מרובע עשוי מארבעה קרשים כל קרש ארכו שנים ושלשים אמות ורחב הקרש אמה והוא גובהו של דפוס וממלאו אבנים וסיד וזפת ועופרת מהותך והוא נעשה מקשה אחת של שנים ושלשים אמה על שנים ושלשים אמה גבוה אמה וזהו יסוד· ואחר שעלה היסוד לגובה אמה מביא דפוס אחר שארך כל קרש שלשים אמה וגובהו חמש אמות ונותנו על היסוד וממלאו אבנים וסיד וזפת ועופרת כראשון ונדבק ביסוד ונעשה מקשה אחת של שלשים אמה על שלשי׳ אמה על היסוד וזה נקרא סובב לפי שהוא מקיף וסובב המזבח מהארבעה רוחו׳ נמורו׳ מה שאינו כן ביסוד והוא גבוה מן היסוד חמש אמות וחוזר ומביא דפוס שלישי שהוא שמנה ועשרים אמות על שמנה ועשרים אמות גבוה שלשה אמות ונותנו על הסובב וממלאו כראשון וזהו מקום המערכה שהוא ראשו של מזבח· נמצא היסוד בולט ויוצא מן הסובב אמה לכל צד והסובב בולט מן מקום המערכה אמה לכל צד· ואחר מביא דפוס אמה על אמה גבוה אמה ונותנו על זוית המזבח וממלאו והוא קרן המזבח וכן לארבע זויותיו נמצא עשרים וששה על עשרים וששה· אמנם מקום הלוך רגלי הכהנים אמה מזה ואמה מזה· שלא היו הכהנים צריכים להלך בין הקרנות אלא מניחין אמה פנוי ממקום הקרנות ולפנים· נמצא ארבעה ועשרים על ארבעה ועשרים מקום המערכה· אמר רבי יוסי מתחלה היינו בימי שלמה לא היה אלא שמנה ועשרים על שמנה ועשרים בונה ועולה כמדה זו· עד שנמצא מקום המערכה עשרים על עשרים· וכשעלו בני הגולה הוסיפו עליו ארבעה אמות מן הדרום וארבעה אמו׳ מן המערב כמין אות יונית מרובעת והיא השלישית לאלפאביתא הנקראת גאמה וצורתה כמין נון שלנו הפוכה שאם היא מרובעת היא כמו נון הפוכה שלנו· אך הגאמה שלהם שאינה מרובעת צורתה אינה כן והוספת ארבעה אמות האלה אסמכוה אקרא שנאמר ביחזקאל מ״ג והאריאל שתים עשרה ארך בשתים עשרה רחב רבוע

vis & moleſta Iſraelitis, ut æneum exſtruerent, vera præcepti executio, & debitum erit, ut ex lapidibus integris ædificetur.

Dixerunt Sapientes noſtri f. m. Quomodo ædificatur altare? Adducitur forma quadrata confecta ex quatuor aſſeribus, quorum ſingulis erit longitudo 32. cubitorum, & unius cubiti latitudo, & hæc erat altitudo formæ, & implebatur lapidibus, calce, & pice, & plumbo liquefacto, ita ut *corpus* unum durum fieret 32. cubitorum quaquaverſus, in altitudine unius cubiti, & hæc erat baſis altaris, poſtquam baſis perveniſſet ad altitudinem cubitalem; afferebatur alia forma; ſingulisque aſſeribus longitudo erat 30. cubitorum, & quinque altitudo, & baſi imponebatur, & implebatur lapidibus, calce, pice, & plumbo, uti prima, & baſi conjungebatur, & fiebat corpus unum triginta cubitorum quaquaverſus baſi inſiſtens; & hic appellabatur circuitus, eo quod ab omnibus quatuor partibus circumiret & circumdaret altare; quod a baſi non fiebat, & baſi quinque cubitis altior erat; Atque iterum adducta tertia forma, cujus longitudo erat 28. cubitorum pariterque latitudo, & trium altitudo, imponebatur ſuper circuitum, & implebatur, uti prima, & hic erat locus ſtruis, quæ erat ſummitas altaris, deprehendebatur baſis cubito quaquaverſus præ circuitu, & circuitus præ loco ſtruis cubito quaquaverſus pariter prominuiſſe. Atque adducta forma unius cubiti quaquaverſus angulo altaris imponebatur, atque hoc erat cornu altaris; idem fiebat in quatuor angulis; reliquum erat ſpatium 26. cubitorum quaquaverſus. Verum ſpatium, ubi poſſent ambulare Sacerdotes, patebat hinc inde cubitum, ne Sacerdotes cogerentur ambulare inter cornua, ideoque ſpatium inane cubitale ab cornibus & interius relinquebatur; itaut reliquum eſſet ſpatium 24. cubitorum quaquaverſum. Dixit R. Joſe; ab initio (i. e. diebus Salomonis) non patebat niſi 28. cubitos ad ſingula latera; exſtruebat & adſcendebat eadem proportione uſque dum locus ſtruis deprehenderetur 20. cubitos quaquaverſus; Reduces vero ex captivitate addiderunt quatuor cubitos ad auſtrum, totidemque ad occidentem inſtar literæ Græcæ quadratæ, quæ tertia eſt Alphabeti appellata Gamma, ejuſque figura eſt inſtar noſtræ *Nun* inverſæ, quæ ſi quadrata eſt, refert ſimilitudinem noſtræ *Nun* inverſæ; ſi vero Gamma Græcum non ſit quadratum, non hujuſmodi eſt ejus figura. Atque hæc quatuor cubitorum additio confirmatur textu

אל ארבעת רבעיו יכול שאינו אלא שנים עשר על שנים עשר כשהוא אומר אל ארבעת רבעיו מלמד שמן האמצע היינו ממקום המערכה מודד מאמצעיתה שתים עשרה אמה לכל רוח·

והנה הוסיפו למשוך המזבח לדרום ולמערב משום השיתין היינו הנקבים שיורדין בהן הנסכי' דמעיקרא בימי שלמה דרשו מזבח ארמה אטום באדמה· שלא יהי' חלול· וכשהיו מנסכין על גבי המזבח בקרן דרומית מערבית היו הנסכים יורדין מן המזבח לרצפה ושותתים לבור שהיה כרוי שם אצל קרן דרומית מערבי' סמוך למזבח ולא היה בתוך המזבח· אמנם בני הגולה הוסיפו בבנין המזבח עד שהיה אותו בור קלוט לתוך המזבח ופתחו נקבי' לראש המזבח מנגדו לירד שם הנסכים שהיו אומרים שתיה כאכילה מה אכילה מתבלעת במזבח דהיינו הקרבנות שנשרפין על גבי המזבח אף שתיה דהיינו נסכים תבלע במזבח במזבח וקרא דמזבח אדמה דרשי ליה שיהיה מחובר בארמ' כדלעיל·

גה במזבח שעשו בני גולה חוט של סיקרא חוגרו באמצע היינו חוט ארום היה עשוי סביב למזבח באמצעו לסוף חמש אמו' של גובהו דהיינו אמה אחת למטה מעליונו של סובב להבדיל בין דמים העליונים שהם חטאת בהמה ועולת העוף שדמן נזרק למעלה מחוט הסיקרא לדמים התחתונים והם לדמים שאר הקרבנות כלם שזריקת דמן למטה מן החוט· והיסוד היה מהלך על פני כל הצפון ועל פני כל המערב ואוכל בדרום אמה אחת ובמזרח אמה אחת· כי הנה המזבח כלו היה בחלקו של בנימן חוץ מאמה אחת על פני ארך הדרום ואמה אחת על פני ארך המזרח שהיה תופס מחלקו של יהודה אלא שלא היתה אמה שבמזרח על פני כל המזרח שכשמגיע לקרן מזרחית צפונית היתה כלה בתיך אמה לקרן וכן אכילת האמה הדרומית לא הית' מהלכי' על פני כל הדרום שכשגיע לקרן דרומי' מערבית הית' כלה סמוך לקרן אמה· ונמצאו שלש קרנות המזבח בחלקו של בנימן· וקרן דרומית מזרחית בלבד היתה בחלקו של

Ezechielis XLIII. 16. ubi scriptum est. *Et Ariel duodecim cubitorum in longitudine, per duodecim cubitos latitudinis, quadrangulatum æquis lateribus*. Crederem non patuisse nisi duodecim cubitos quaquaversum. Cum vero dicitur; *quadrangulatum æquis lateribus*; docemur mensum fuisse a medio struis duodecim cubitos quaquaversus.

Ecce addiderunt, ut protraheretur altare ad austrum & occidentem propter שיתין, sc. foramina, per quæ libamina descendebant; etenim a principio tempore Salomonis illud *altare terreum* exposuerunt de altari terra occluso, ita ut nullibi cavum esset. Quando autem libabant super altare in cornu australi occidentali, libamina descendebant ex altari in pavimentum, atque inde defluebant in fossam, quæ ibi excavata erat, prope cornu australe occidentale, prope altare, non vero intra ipsum altare; ideoque reduces e captivitate addiderunt in ædificio altaris, ita ut hæc fossa comprehenderetur intra altare, & foramina aperuerunt in summitate altaris e regione illius, ut eo descenderent libamina, dicentes; potus est similis cibo; sicuti cibus devorabatur in altari, cujusmodi sunt sacrificia, quæ comburebantur super altare, potus pariter, i. e. libamina, in altari absorberi debebat. Atque illa verba textus *altare terreum*, exposuerunt, ut in terra inhæreret, uti supra dictum est.

Altare pariter, quod reduces a captivitate exstruxerunt, *Sichra* præcingebat in medio, i. e. filum coccineum circum circa in medio cingebat, in fine quinque cubitorum suæ altitudinis, i. e. cubito infra locum superiorem circuitus, ut separaret inter sanguines superiores, qui erant sacrificii pro peccato animantis, & holocausti volucris, quorum sanguis supra filum coccineum adspergebatur, & inter sanguines inferiores, qui sunt sanguines ceterorum omnium sacrificiorum, quorum sanguis infra filum coccineum adspergebatur. Et basis pervadebat per totum latus aquilonare, & totum latus occidentale, & absumebatur cubito ad austrum, & ad orientem cubito; eo quod totum altare situm esset in portione Benjaminis excepto uno cubito versus longitudinem meridionalem, & altero cubito versus longitudinem orientalem, quem decerpebat e portione Jehudæ. Sed cubitus orientalis non pervadebat totam plagam orientalem; postquam enim pervenerat ad cornu orientale boreale, deerat cubitus prope cornu, pariterque occupatio cubiti australis non pervadebat per totum latus australe, postquam enim per-

יהודה

יהודה· ולפי שברך יעקב את בנימן זאב יטרף בבקר יאכל עד ימתרגמינן ובאחסנתיה יתבני מקדשא דבר המקודש לדמי' לא יהא אלא בחלקו של בנימן לפיכך לא עשו יסוד למזבח בקרן דרומית מזרחית לפי שלא היתה בחלקו של טורף ולא היו דמים נתנים למטה באותו קרן וכשהיו עושים דפוס מרובע ליסוד למלאותו מאבנים וסיד וזפת וגפרית היו משימין עץ או דבר אחר באותו זוית של דרומית מזרחית כרי שלא תתמלא הזוית ההיא ואחר כך שומטין העץ ונשאר אותו קרן פנוי בלי יסוד.

פרק יו·

בחוטמין הדקין שבמזבח החצון שבהם היו יורדים לאמה אחת שהיתה במקדש הדמים הנתנים על יסודו ומהטבלא של שיש שהיתה למטה ברצפה אצל קרן מערבית דרומית שלו היורדת לשית ומהכבש שהיה בדרומו עם השני כבשים קטנים והחלון שבו ומהיכן היו מביאים האבנים שבמזבח ומלבונו בסיד פעמים בשנה וכמה היא הפגימה הפוסלת אותו ויזכור גם כן הים מוצק והכיורות שעשה שלמה בבית הראשון ומקומם במקדש על נכון וגם ידבר בכיור שבבית שני וסכום הדדים שבו שישמשו בפעם אחת לכל הכהנים הצריכים לעבודת קרבן תמיד של שחר.

בקרן מערבית דרומית למטה באמה של יסוד המזבח היו ב' נקבים כמין שני חוטמין דקין שהדמים הניתני' על יסוד מערבי כגון שירי הדם של חטאו' הפנימיו' שלאחר כל המתנות היה שופך שירי הדם על יסוד מערבי· והדמי' הניתנים על יסוד דרומי כגון שירי הדם של חיצונות היו יורדין בהן ומתערבי' באמה אחת שבעזרה ובעלי הגנות היו קונין אותן מן הגזברין לזבל בהן את לקרקע.

venerat ad cornu auſtrale occidentale, deſinebat cubitus prope cornu; ita ut deprehendantur tria cornua altaris fuiſſe in portione Benjaminis, & unum tantum cornu auſtrale orientale fuiſſe in portione Jehudæ, eo quod Jacob benedixerit Benjamini dicens *Geneſ.* XLIX. 27. *Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam. Targum* hæc ita interpretatur. *In hæreditate ipſius ædificabitur Sanctuarium.* Quod ſanguinibus ſanctificabitur, erit in portione Benjaminis. Idcirco non exſtruxerunt baſim altari in cornu auſtrali orientali, eo quod non ſita eſſet in portione rapacis; neque ſanguines adſpergebantur infra hoc cornu. Cum forma quadrata pro baſi perficeretur, ut lapidibus, calce, pice, & ſulphure impleretur lignum, aut aliud quid in hoc angulo auſtrali orientali ſtatuebant; ne hic angulus impleretur; poſtea removebatur lignum, & hoc cornu inane ſine fundamento remanebat.

CAPUT XVI.

Ubi agitur de duabus naribus; ſeu foraminibus *exilibus altaris exterioris, quibus deſcendebant in foſſam, quæ erat in Sanctuario, ſanguines qui adſpergebantur ad ejus fundamentum; & de tabula marmorea, quæ inferius ſita erat in pavimento prope cornu occidentale auſtrale, unde deſcenſus erat in foſſam; & de ponte, qui erat in auſtro, & de duobus ponticulis, & de feneſtra, quæ ibi erat; atque unde adducerentur lapides altaris, & quod bis ſingulis annis dealbaretur; & quanta eſſet crena, qua reprobaretur; præterea fit mentio de mari fuſili, & de labris, quæ fecit Salomon in domo prima, & de eorum convenienti ſitu in Sanctuario, pariterque diſſeritur de labro domus ſecundæ, & de numero Epiſtomiorum, quæ inſervirent una ſimul vice omnibus Sacerdotibus, qui requirebantur neceſſario ad miniſterium ſacrificii jugis matutini.*

IN angulo occidentali auſtrali in cubito fundamenti altaris erant duo foramina, quaſi duæ nares exiles; eo quod ſanguines, qui effundebantur ad fundamentum occidentale, cujuſmodi erant reliquiæ ſanguinis ſacrificiorum pro peccato interiorum, quorum reliquiæ ſanguinis poſt omnes adſperſiones, fundebantur ad fundamentum occidentale, & ſanguines, qui adſpergebantur ad fundamentum auſtrale, cujuſmodi ſunt reliquiæ ſanguinis ſacrificiorum exteriorum, deſcendebant, & miſcebantur in canali, qui erat in atrio, atque vendebantur a quæſtoribus

לקרקע · ולמטה ברצפה באותו הקרן גם כן היה מקום אמה על אמה שעליו היתה טבלא של שיש וטבעת קבועה בה שבו יורדין לשית היינו לחלל שתחת המזבח לנקורת יינות הנסכים הנגרים ומתקבצים שם.

וכבש גם כן היה בנוי לדרומו של מזבח ארכו שלשים ושתים אמה על רחב שש עשרה אמה והיה אוכל בארץ שלשים אמה מצד המזבח ופורח ממנו אמה על היסוד ואמה על הסובב כאמור בזבחים פרק קדשי קדשים ואוור מעט היה מפסיק בין הכבש למזבח כדי ליתן האברי' למזבח בזריקה · וגובהו של כבש תשע אמות פחות שתות עד כנגד המערכה · ושני כבשים קטנים יוצאים ממנו שבהם פונים ליסוד ולסובב ומובדלים מן המזבח כמלא נימא · וחלון היתה במערבו של כבש אמה על אמה בכבש עצמו כדאיתא בתוספת' דזבחים ורבובה שמה כמו נבובה מלשון נבוב לוחות שבה נותנין פסולי חטאת העוף עד שתעבור צורתה ותצא לבית השרפה.

ואחד אבני הכבש ואחד אבני המזבח היו מביאין אותן ממקום נקרא בקעת בית כרם שבו היו נמצאות האבנים שלמות וטובות וחופרי' למטה בקרקע הבתולה היינו במקום שלא חפרו שם מעולם ומביאים משם אבני' שלמו' שלא הונף עליהם ברזל שהברזל פוסל בנגיעה והפגימה פוסלת באבנים בכל דבר ואפי' שלא נפגמו בברזל ואם נפגמה אחת מהאבנים היא פסולה וכלן כשרו' · ומלבנין אותן בסיד פעמים בשנה אחת בפסח ואחת בחג · וההיכל פעם אחת בפסח בלבד ולא היו סדין אותן בכפיס נקרא הכפיס בלשון לאטינו טרולה ברגש הלמד וויטרוביאו המחבר כשרצה לומר לרדות הכתלים בכפיס אמר בספרו השביעי פרק שלישי טרוליסארי פאריאוטיס והכפיס היא רדידה של ברזל שמחליקין בה הבונים הכתלים שמא יגע באבנים ויפסל אותן שהברזל נברא לקצר ימיו של אדם והמזבח נעשה להאריך ימין של אדם ואינו דין שיונף המקצר על המאריך: רבי אומר כל ערב שבת היו מקנחים האבנים במפני הדמים ולא פליג אתנא קמא אלא

olitoribus ad ftercorandos agros. Atque inferius in pavimento in hoc pariter cornu erat locus patens cubitum quaquaverfus, cui impofita erat tabula marmorea, cui inferius erat annulus, qua defcendebant in foffam i. e. in locum vacuum fubter altare, ad purganda vina libaminum, quæ illuc defluebant, & colligebantur.

Et pons pariter ædificatus erat ad auftrum altaris, cujus longitudo erat 32. cubitorum, & fedecim latitudo, & abfumebat in terra triginta cubitos ab latere altaris, & evolabat ex eo cubitus ad bafim, & cubitus ad circuitum, uti dictum eft cap. VI. I. *Gemaræ Sevachim*; & paululum erat fpatii, quod dividebat inter pontem & altare ut projiciendo membra fuper altare imponere poffent; atque altitudo pontis erat novem cubitorum minus fexta parte; duoque ab eo ponticuli prodibant, quibus fe convertebant ad bafim & ad circuitum, & fili craffitie ab altari divifi erant. Et in parte occidentali hujus pontis erat feneftra cubitum patens quaquaverfum, uti traditur in *Tofaphta Sevachim*, & vocabatur רבובה quafi נבובה *concavitas* a fignificatione נבוב *concavum*, in quam projiciebantur facrificia illegitima pro peccato ex avibus defumta, donec eorum forma perderetur, & deinde educebantur in domum combuftionis.

Cum lapides pontis tum lapides altaris efferebantur ex loco, qui vocabatur convallis *Beth Cherem*, ubi deprehendebantur lapides integri, & boni, & effodicabant infra terram virginem, i. e. infra locum, ubi nunquam effoderant; atque inde adducere folebant lapides, fuper quos agitatum ferrum non fuiffet; eo quod ferrum tactu temerabat lapidem; & crena pariter reprobabat lapidem quovis modo, quamvis non fit incifa ferro; fi quis ex his lapidibus incifus effet, ille reprobatur, & ceteri omnes legitimi funt. Et calce bis annuatim dealbabatur, femel in Pafchate, & iterum in fefto Tabernaculorum; templum vero femel tantum in Pafchate. Neque incruftabant cum כפיס, quæ *Latine* vocatur trulla, & *Vitruvius* fcriptor, quando dicere volebat trulla extendere parietes, fcribit in ejus VII. libro, cap. 3. *Trulliffare parietes*. Et trulla eft pala ferrea, qua ædificatores parietes lævigant; fc. ne attingeret lapides, & reprobaret; ferrum enim creatum eft ad contrahendam vitam hominis, & altare ad producendam; neque æquum eft, ut contrahens fuper producens agitetur. Rabi dicit; fingulis Sabbathi vefperis, fanguinum caufa, mappa lapides extergebant. Is non contradicit Doctori primo, fed addit dicens, quod

אמר

אמר שנוסף על הליבון האמור בפסח ובחג
היו מקנחים אותם במפה כל ערב שבת·
והנה מזבח שנפגם מבניינו אם נפגם טפח
פעול פחות מטפח כשר והוא שלא יהיה
בנשאר אבן פגומה כן כתב הרמ״בם ז״ל
בהלכות בית הבחירה פרק שני פסקא י״ח.

אמנם בפרק׳ קמא דחלין נראה דפגימ׳
המזבח היא כדי שתחגור בה צפורן· ואמרינן׳
שם מתיבי כמה פגימ׳ המזבח ר׳ שמעון בן
יוחאי אמר טפח רבי אליעזר בן יעקב אומר
כזית ומשני לא קשיא הא בסידא הא
באבנא· ופי׳ רש״י ז״ל באבנא כל דהו דכתיב
אבנים שלמות· ופסק הרמ״בם ז״ל כרשב״י
משום דמאריה דגמרא הוא טפי מרא״בי ואף
על גב דק״ל משנת ראב״י קב ונקי אפשר
דהני מילי במשנ׳ אבל לא בברייתא· כן
כתב כמהר״ר יוסף קארו בכסף המשנה שלו·
בגלל הדבר הזה שפגימ׳ המזבח מבניינו בסיד
טפח ובאבני׳ כל שהוא· אומר אני שנסו
של מזבח החצון גדול מנסו של מזבח
הזהב כי הנה מצד טבעו הזהב אינו שולט בו
האור כי אם בקושי· ועובי דינר זהב באש
שאינו תמידי לא יפסד בנקלה· אמנם האבנים
לא יעמדו זמן רב מבלי שישרפו בפרט באש
גדול תמיד של שלשה מערכות של אש
ואיך לא יופגמו כמעט בכל יום האבני׳ מצד
הטבע אם נוסף על האש הגדול והעצום
הכהנים בבקר ובערב במגרפות וצנורות היו
גורפין ראש המזבח ומפצלים בו פצלות רבות
אין זה באמת כי אם נס נגלה ונפלינו אנו
באהבת ה׳ אותנו בכל העם אשר על פני
האדמה.

præter dealbationem commemoratam in Paſchate & in feſto Tabernaculorum, ſingulis Sabbathi veſperis abſtergerent. Et ecce ſi ex ædificio altaris crena facta ſit in menſura palmi, illegitimum eſt, ſi palmo minor, legitimum eſt; ſi tamen in reliquo ædificio nullus omnino lapis inciſus remaneat; ita ſcribit *Maimonides* f. m. II. 18. in conſtitutionibus *de domo electa*.

Verum cap. I. *Gemaræ Cholin* videtur, quod crena altaris tanta eſſet, ut ut per eam unguis ingrederetur; Ibique dicimus; opponitur; quanta eſt crena altaris? R. Simehon fil. Jochai dicit, palmaris; R. Elieſer fil. Jacobi dicit, in quantitate olivæ. Sed reſpondetur non eſſe hic oppoſitionem; alter loquitur de calce, & alter de lapide; & *Raſchi* f. m. exponit: in lapide quantuluncunque ſatis eſt; ſcriptum eſt enim *Deut.* XXVII. *6.* אבנים שלמות; Et *Maimonides* f. m. decidit juxta ſententiam R. Simehonis fil. Jochai, eo quod peritior eſſet in *Gemara* R. Elieſer fil. Jacobi; quamvis ex traditione habeatur, quod doctrina R. Elieſeris fil. Jacobi ſit cabus, iſque purus *i. e. modica & bona*, tamen non ita ſe habet in *Baraita*; ita ſcribit *R. Joſeph Karo* in ſuo *Ceſeph Miſna*. Cum res ita ſe habeat, ut crena in ædificio altaris, in calce, ſit palmaris, & in lapidibus quantalacunque; dicam miraculum altaris exterioris fuiſſe majus miraculo altaris aurei; eo quod auro naturaliter non facile ignis dominatur; & ſpiſſitudo denarii aurei ab igne, qui non erat perpetuus, non ita facile deſtruitur; Lapides vero non ita diu durare potuerunt, quin incenderentur, præſertim igne magno & perpetuo trium ordinationum ignis, qui enim natura ſua lædi non debuerint fere quotidie, cum ad magnum & validum ignem hoc adderetur, quod Sacerdotes mane & veſpera ſcopis & fuſcinis everrerent in ſummitate altaris, & multis in locis findere deberent? Hoc certe magnum fuit miraculum, quo magno amore abduxit & ſeparavit nos Dominus Deus noſter ab omnibus terræ gentibus.



ודעו בני כי בבית ראשון שבנה שלמה
היה הים מוצק עשר באמות משפתו אל
שפתו עגול סביב חמש באמה קומתו אלפים
בת יכיל כדכתיב מלכים א׳ ז׳ ובד״ה ב׳ ד׳
כתיב שלשת אלפים יכיל כמו שפירשו רבותינו
ז״ל אלפים בלח ושלשת אלפי׳ ביבש הגדושי כי
כל כלי שעמקו חצי רחבו · גדשו משפתו
ולמעלה הוא שליש ממה שמכיל הכלי עד
שפתו· שזה אפשר כשיהיה הדבר הנגדש
עולה על הכלי ההוא שעור רב.

ושם גם כן היו עשרה כיורות נחשת חמש
על כתף הבית מימין וחמש על כתף הבית
משמאל וקוטר הכיור שהיה עגול גם הוא
משפתו היה ארבע באמה וגבהו היה כשיעור
שיחזיק הכיור האחד ארבעי׳ בת ככתוב
במלכים שהם מאה ועשרים סאין · ולכן הוא
מבואר שלא היה שעור חלל הכיור אלא
תשעה פעמים אמה על אמה ברום אמה ·
והושם במצות שלמה כיור אחד על המכונה
האחת כדכתיב מלכים שם כיור אחד על
המכונה האחת לעשר המכונות תאמרו אתם
לאחת עשרה מכונות כי באולי עשה גם
כן שלמה מכונה אחת לכיור של משה דומה
לאחרו׳ במקו׳ כנו שעשה בצלאל ככתוב את
הכיור ואת כנו כדי שלא יגרע ויהיה משונה
כיור זה מיתר הכיורים דבר.

Sciatis velim mei filii, in domo prima, quam ædificavit Salomon, fuiſſe mare æneum fuſile, decem cubitorum ab una ad alteram oram, rotundum circumquaque, altitudine quinque cubitorum, bis mille batos capiens, uti ſcriptum eſt 3. *Reg.* VII. & 2. *Paral.* IV. ſcriptum eſt ter mille, uti expoſuerunt Sapientes noſtri f. m. bis mille in liquido, & *termille* in arido aggeſto. Etenim cujuſque vaſis, cujus profunditas reſpondet dimidiæ latitudini, accumulatio ab ejus labro & ſuperius eſt tertia pars ejus, quod continet vas uſque ad labrum ſuum; Quod fieri poteſt, quando res accumulata multum ſuper vas adſcendit.

Atque ibi pariter erant decem labra ænæa, quique ad dextram domus, & ad ſiniſtram quinque; & diameter labri, quod pariter in ejus ora ſuperiori rotundum, erat quatuor cubitorum, & ea altitudine, qua debet eſſe labrum, quod quadraginta batos contineat, uti ſcriptum eſt 3. *Reg.* VII. 38. qui continebant centum & viginti ſata; ideoque manifeſtum eſt non fuiſſe menſuram vacui labri niſi novem cubitorum quaquaverſus, in altitudine cubiti. Et impoſita ſunt Salomonis juſſu ſingulis baſibus labra ſingula, ſicut *ibid.* ſcriptum eſt; *Singulos quoque luteres per ſingulas, id eſt, decem baſes poſuit.* Poteſt etiam dici, ſuper undecim baſibus, eo quod probabile ſit a Salomone quoque factam eſſe baſim labro Moſis ceteris ſimilem pro baſi ænea exſtructa a Bezaleele, uti ſcriptum eſt *Exod.* XL. II. *Labrum cum baſi ſua;* ne deficiens eſſet, aut nullo modo hoc labrum a ceteris differret.

והמכונות

והמכונות נחשת היו גם הן ארבע באמ׳ ארכן וארבע באמ׳ רחבן ושלש באמה קומתן ככתוב שם · על כן האמנתי שהכיורות על המכונות היו כלן נתונין ומסודרין בתוך עזרת כהנים כי כן האמינו גם כן רד״ק ורלב״ג ז״ל בפירושם על מלכים · ואני ידעתי שאין שם במקדש מקום לכיורים כי אם זה כאשר תוכלו גם אתם להבין מתוך חלקי הבית הנזכרים במסכת מדות · והנה לא נפלאת זאת מכם שמקום עזרת כהנים המתחיל להלאה מעזרת ישראל והמגיע עד מקום המזבח הוא ברחב מן המזרח אל המערב אחד עשרה אמה ובארך מן הדרום אל הצפון מאה ושלשים וחמשה אמה · הסירו מהם שני׳ ועשרים אמות בעבור הששה לשכות שעשיתי בפרק י״א שלשה מצד זה לעזרת ישראל וכהנים · ושלשה מצד זה כאשר כתבתי שם ישארו מאה ושלש עשרה אמות של מקום פנוי ואם רחוק מכתל לשכת הגולה שבצפון תשעה ועשרים אמות וחצי תשימו בשורה שוה הכיור הראשון על תחלת האמה השמני׳ ברחב העזרה כדי שפניו יגיעו אל סוף האמה אחת עשרה שלה ורחוק ממנו אמה תשימו הכיור השני וכן השלישי ורביעי והחמישי תמצאו שיגיע הכיור החמשי מצד זה לנ״ג אמות וחצי ממקום פנוי שבעזרת כהנים · וכן אם מכתל לשכת המדיחין שבדרום רחוק תשעה ועשרים אמות וחצי כאמור תשימו הכיור האחד ורחוק ממנו אמה תשימו הכיור השני וכן עד החמישי כאשר עשיתם מצד צפון אז יגיע הכיו׳ החמשי גם הוא לנ״ג אמות וחצי שימלאו בין כלם מקו׳ עזרת כהנים הפנוי כאמור עד ק״ז אמות משלם הרי שנשארו שם ששה אמות בלבד של מקום פנוי · ואם באמצעיתו תשימו כיור של משה תראו שיהיו לו בין הכיורי׳ האחרונין שבצדדין אמה מזה ואמה מזה מקום פנוי כמו שהוא בין הכיורי׳ כלם וכמשפט הזה יעלה יפה מה שאמר הכתיב על כתף הבית מימין וכו׳ כי הכתף הוא הסמוך לראש · ואם מחציתו של שטח הנמדד בשוה הוא במקום כמו הראש יהיו הכיורות הנתונים אצל אמצעיתו מזה ומזה נתונים אל הכתף הימין והשמאל כמשפט · וגם יהיו לימין ולשמאל כיור של משה כאשר הצריכו רבותינו ז״ל.

עוד אם רחוק מן הכיור הראשון הנתון בצד לשכת המדיחין שבדרום תשעה ועשרום

Bases quoque æneæ erant quatuor cubitorum in longitudine, totidemque in latitudine, & trium in altitudine, ut *ibidem* scriptum est. Idcirco putavi omnia labra posita & ordinata fuisse in atrio Sacerdotum, uti censuerunt *Radak* & *Ralbag* f. m. in suis commentariis in lib. *Reg.* Neque ego ignoro nullum alium præter hunc fuisse locum in Sanctuario, ubi labra statuerentur, uti vos quoque considerare poteritis in divisionibus domus commemoratis in tractatu *Middoth*. Neque vos ignoratis atrium Sacerdotum, quod initium ducebat ab atrio Israelitarum, & perveniebat usque ad locum altaris, patuisse ab oriente ad occidentem undecim cubitos & 135. ab austro ad aquilonem. Si ab his removeantur 22. cubiti pro sex conclavibus, quæ efformavimus Cap. XI. tria ad hoc latus in atrio Israelitarum & Sacerdotum, & tria ad alterum latus, ut ibidem scriptum est, reliqui erunt 113. cubiti spatii inanis; & si procul a pariete conclavis captivitatis, aquilonari, 29. cubitis, cum dimidio in serie æquali statuatur primum labrum in principio cubiti octavi latitudinis atrii, ut ejus facies perveniant ad finem cubiti undecimi, & ab eo procul cubito collocetur secundum labrum, pariterque tertium, quartum & quintum, deprehendetur quod quintum labrum ab hac parte perveniet ad tertium & quinquagesimum cubitum cum dimidio spatii inanis atrii Sacerdotum; ita pariter si procul a muro conclavis lavantium australi, 19. cubitis cum dimidio, uti dictum est, statuatur primum labrum, & ab eo procul cubito collocetur secundum, atque ita pariter usque ad quintum, uti factum est in latere aquilonari, tum quoque quintum labrum perveniet ad tertium, & quinquagesimum cubitum cum dimidio, ita ut omnia impleverint spatium atrii Sacerdotum vacuum, uti dictum est, usque ad 107. cubitos integros, ita ut spatii inanis sex tantum cubiti reliqui sint. Si vero in horum medio collocetur labrum Mosis, videbitis inter hoc & postrema labra spatii inanis undiquaque cubitum interfuisse, uti intercessit inter reliqua omnia labra; atque hoc modo recte procedet, quod dicit Scriptura; על כתף הבית מימין וכו׳. Eo quod humerus sit capiti proximus; si peripheriæ dimidium æqualiter mensuretur, erit in spatio uti caput; labra posita prope suum dimidium hinc inde sita erunt, uti conveniens est, & juxta usum Sapientum nostrorum f. m. ad humerum dextrum & sinistrum.

Præterea si procul a primo labro collocato ad latus conclavis lavantium, quod erat in austro, 29. cubitis cum dimidio,

אמות

אמות ומחצה כאמור תשימו הים ברחוק תשעה אמות וארבעה טפחים ומחצה ויהיה משוך בהוקיפו עד אצל דוכן הלוים שבעזרת ישראל הואיל כי לא תוכלי למשוך אותו יותר מכאמור שאז יהי׳משוך אמה כלפי המזרח ופניו יגיעו אל האמה העשירית שברחב העזרה של כהנים ותוכר בפרט המשכתו זאת היטב מלאחוריו של ים בעבור רחבן של כיורים כי הכיורים הם של ארבעה אמות והים הוא של עשרה אמות תמצאו כי אם יושם הים במקו׳ זה יהי׳ גם כן רחוק בשוה מכתל לשכת המדיחין כמו שהוא מן הכיור הראשון הנתון בצד ההוא עצמו תשע׳אמו׳ וארבעה טפחים ומחצה כאמור עד כי בגלל הדבר הזה יהיה הים במצב נכון למה שאמר הכתוב ואת הים נתן מכתף הבית הימנית קדמה ממול נגב׳ כי הנה רחק שלמה את הים מן מול פתח האולם לדרומה של עזרה נגד המזרה לפי שאין כבוד ונאה לקדושת הבית שיהיו הכהנים ערומים מטבילי׳ עצמם נגד פתחו של אולם.

ועתה הכיורות ככתוב בד״ה ב״ד היו לרחצה בהם את מעשה העולה כי ממימי הכיור ולא בכיור עצמו ידיחו את קרבי העולה ודוקא עולה׳ אבל שלמים הנאכלים לבעלים בכל העיר לא׳ וגם היו הכיורות לרחצה בהם היינו לרחוץ מהם הכהנים ידיהם ורגליהם כמו בכיור שעשה משה והים היה לרחצה הכהנים בו כלומ׳ לטבילת הכהני׳ שהיו טובליה מטומאתן לתוכו׳ ובגמרא ירושלמית מקשה ולאו כלי הוא היינו היאך היו טובלין לתוכו והלא כלי הוא ואיך טבלה בכלים ומתרץ אמר רבי יהושע בן לוי אמת המים היתה המשכת לו מעין עיטם והיו רגלי השוורים פתוחים כרמונים כלומר מתחת לארץ והיו באים לו משם המים שהיו נכנסין ועולים לתוכו דרך רגלי השוורים שהיו פתוחים מתחתיהם וחלולים דכיון שנפתח הכלי כמוציא רמון אין לו אחר זה דין כלי׳ ובהמשכת מים מעין עיטם יוכשר לטבילה.

אמנם במקדש שני לא היה בו לא ים ולא מכונות וכוירות רבים אלא היה בו כיור אחד בין האולם והמזבח ומשוך קמעא מזוית המזבח כלפי הדרום כמו ששנינו בזבחי׳ שהיה שם

uti dictum est, statuatur mare in distantia novem cubitorum & quatuor palmorum cum dimidio, & protractum sit ejus ambitu usque ad pulpitum Levitarum, quod erat in atrio Israelis cum ulterius quam dictum est, protrahi non possit; tum protractum erit cubito ad orientem, & facies ejus pervenient ad decimum cubitum latiudinis atrii Sacerdotum (& peculiariter atque optime cognoscetur hæc ejus protractio a parte maris posteriori propter latitudinem labrorum; labra enim erant quatuor cubitorum, & mare decem) deprehendetur, quod si in hoc loco situm fuerit mare, pariter remotum fuerit æqualiter ab pariete conclavis lavantium, uti distat a primo labro in hoc ipso latere collocato, novem cubitis & quatuor palmis cum dimidio, uti dictum est; ideoque mare erit in positione recta ex eo quod dictum est in Scriptura 3. *Reg.* VII. 39. *Mare autem posuit ad dextram partem templi contra orientem ad meridiem*. Ecce removit Salomon mare ab eo spatio, quod erat e regione portæ vestibuli ad orientem atrii, eo quod non esset conveniens & decens sanctitati domus, ut Sacerdotes nudi se lavarent e regione portæ vestibuli.

Labra vero, ut scriptum est 2. Paral. IV. eo loci erant, ut in iis lavaretur holocaustum; ex aquis enim labri non ex ipso labro unius holocausti intestina lavabantur, non vero pacifica, quæ a dominis in tota urbe comedebantur; hunc quoque usum præbebant labra, ut in iis lavaretur; i. e. ut ex iis Sacerdotes lavarent manus & pedes suos, ut in labro, quod fecit Moses; mare vero hac ratione factum erat, ut in eo lavarent Sacerdotes, i. e. ad lotionem Sacerdotum, ut ex eo ab impuritatibus suis emundarentur. At in *Gemara Hierosolymitana* opponitur; nonne erat vas? i. e. quomodo in eo lavabant? nonne erat vas? cum in vasi lavari non debent. Respondit dicens R. Jehosua fil. Levi; Canalis aquæ protrahebatur in illud de fonte Etham & boum pedes veluti malogranata aperti erant, i. e. sub terra, unde aquæ defluebant, & introeuntes in illud adscendebant per pedes boum inferius apertos & vacuos. Vas enim, quod diminutum sit, ut ex eo malogranatum exire possit, non habet amplius rationem & jus vasis; ex aquarum deductione ex fonte Etham lotioni idoneum erat.

At in domo secunda non erant neque mare, neque bases, neque labra, sed unum duntaxat labrum inter vestibulum & altare, paulo protractum ab angulo altaris ad austrum, uti legitur in tracta-

לקדוש

לקדוש ידים ורגלים של'כהנים כמשפט הכתוב בפרק שלישי ממס'מרות משנה ששית · ובראשונה לא היה לכיור אלא שני דדים בלבד עד שבא בן קטין הכהן הגדול זכור לטוב ועשאן שנים עשר כמו שאמרו בפר' אמר להם הממונה דיומא משנה עשירית וזה כדי שיהיו שנים עשר כהני'הזוכי' בפייס של תמיד של שחר מקדשים בבת אחרת ידיה' ורגליהם ואף על פי ששלש עשרה כהנים היו היינו השוחט הזורק והוא גם כן המקבל הדם המדשן מזבח הזהב המדשן את המנורה המעלה הראש והרגל של קרבן תמיד למזבח· המעלה שתי הידים המעלה העוקץ והרגל · המעלה החזה והגרה· המעלה השתי דופנות· המעלה הקרבים · המעלה הסלרת · המעלה החביתין · והוא קרבן כהן גרול חנקרב עם תמיד של שחר ושל בין הערבים מחציתו בבקר ומחציתו בערב והמעלה היין לנסכי הכבש · עם כל זה לא עשה רד לשוחט שהשחיטה כשרה בזר· אף הוא עשה מוכני, לכיור היינו גלגל לשקעו בבור כדי שיהיו מימיו מחוברין בבור ולא יופסלו בלינה . ומצוה לקדש ממימי הכיור· ואם קדש מאח' מכלי השרת הרי זה כשר אבל כלי החול אינ'מקדשי'· ואין מקדשין בתוך הכיור או בתוך כלי שרת אלא מהן שנא' ורחצו אהרן ובניו ממנו ולא בתוכו· ואם קדש בתוכו ועבד לא חילל והמים הצריכין להיות בכיור לא יהיו פחות מכדי לקדש ממנו ארבעה כהנים שנאמר אהרן ובניו · והיו אלעזר ואיתמר ופנחס עמהם הרי ארבעה · ומצות קרוש היא באופן זה· מניח ידו הימנית על גבי רגלו הימנית וידו השמאלית על גבי רגלו השמאלית ושוחה ומקדש· וכל החוצץ בטבילה חוצץ בקרוש ידים ורגלים;ואינו מקדש כשהוא יושב מפני שהוא כעבודה ואין עבודה אלא מעומד שנאמר לעמוד לשרת.

tu *Sevachim*, ut in eo Sacerdotum manus & pedes ſanctificarentur, ſicuti ſcriptum eſt III. 6. *Middoth*. At in principio non erat labro niſi duo tantum Epiſtomia, donec venit Ben Katin ſummus Sacerdos, quod in bonum commemoratur & duodecim fecerit, uti dictum eſt III. 10. idque ea de cauſa, ut duodecim Sacerdotes una eademque vice digni eſſent, qui ſortirentur in Sacrificio jugi matutino, ſanctificarent una vice manus & pedes; quamvis tredecim eſſent Sacerdotes, qui mactabat, qui adſpergebat (hic pariter ſanguinem accipiebat) qui decinerabat altare aureum, qui candelabrum purgabat, qui afferebat caput & pedem Sacrificii jugis ad altare, qui duas manus, qui extremitatem dorſi circa caudam, & pedem, qui pectus & gulam, qui duo latera, qui inteſtina, qui ſimilam, qui ſartagines; & hæc erat oblatio ſummi Sacerdotis, quæ cum ſacrificio jugi matutino & veſpertino afferebatur, dimidia mane & dimidia veſperi, & qui vinum pro agni libaminibus afferebat; verumtamen non factum eſt epiſtomium pro mactante, propterea quod mactatio vel per extraneum licite fieri poterat. Fecit quoque labro מוכני, i. e. rotam, ut in puteum infunderetur, ita ut ejus aquæ puteo conjunctæ eſſent, ne nocte profanarentur. Præceptum erat ut aquis labri fieret ſanctificatio, ſi ſe ſanctificaſſet ex reliquis vaſis miniſterii, legitimum erat, ſi ex vaſe profano, erat illegitimum; neque intra labrum poterat ſanctificari, neque intra vas miniſterii, ſed ex illis; uti dictum eſt *Exod.* XXX. 19. *Lavabant ex eo Aaron & filii ejus*; non autem intra illud. Si vero ſe intra illud ſanctificaſſet, & miniſtraſſet, miniſterium non profanaſſet. In labro aquas neceſſe erat non minus fuiſſe, quam ut ſatis eſſent ad ſanctificandum quatuor Sacerdotes; ſcriptum eſt enim, *ibid. Aaron & filiis ejus*; hi autem erant Eleazar, Ithamar, & cum his etiam Pinehas; ecce quatuor; hoc modo fiebat ſanctificatio. Imponebat manum ſuam dextram pedi ſuo dextro, & manum ſiniſtram pedi ſiniſtro, & incurvans ſe ſanctificabat. Quod ſeparabat in lavacro, ſeparabat etiam in ſanctificationem manuum & pedum; neque ſedenti ſe ſantificare licebat, eo quod eſſet quaſi miniſterium, neque poterat miniſtrare niſi ſtando, ſicuti dictum eſt *Deut.* XVIII. 5. *Ut ſtet & miniſtret*.

פרק יז

במעלות המקדש בגבהן ברחבן ובמנינם ומהרבדין אשר שם הרב בכתלי האולם ומרחוק המעלות מאסקופת פתחו של אולם כפי דעהו ודעה הרב מבירטאנורה ז״ל במעלות האולם מפי ר׳ ברוך ז״ל׃

כבר אמרנו בפרקים הקודמים כי רצפת המקדש לא היתה שוה ובמישור אחד אלא רצפה אחת גבוהה מחברתה כפי מה שעולה ההר שנבנה עליו בית עולמים ושלכן היה צריך שיהיו שם מעלות לעלות מרצפה לרצפת בלי עמל ויגיעה עד כי גובהה של מעלה אחת היה חצי אמה וכן לכל המעלות חוץ מהמעלה שהיה עליה דוכן הלוים שגובהה היה אמה· ומ״ג מעלות היו שם· י״ב מן החל לעזרת נשים· ט״ו מעזרת נשים למדרס רגלי ישראל· ארבע׳ מעזרת ישראל למדרס רגלי הכהנים· ושנים עשר גם כן ממקום המזבח לשער האולם כי רצפתו היתה גבוהה מרצפת מקום המזבח שש אמות· ומן האולם ולפנים לא היו עוד מעלות אחרות להיות הרצפה של אולם של היכל ושל דביר ביניהם שוה· ועתה מן המדות אשר כתבנו על ארך ורחב העזרה המוחלטת ידענו כי בין האולם ולמזבח היו כ״ב אמות ושנים עשר מעלות היו שם· רום מעלה חצי אמה ושלחה אמה אמה אמה· ורובד שלש אמה אמה· ורובד שלש והעליונה אמה אמה ורובד ארבע· רבי יהודה אומר העליונה אמה אמה ורובד חמש· כך הוא נוסח המשנה ששית מפרק ג׳ דמדות.

אמנם הרמב״ם ז״ל סתם דבריו וכתב בפירוש המשנה אלו השני׳ עשר מעלות כבר ציירנו אות׳ ודברנו עליה׳ במקומותם והנה לא מצאנו להרמב״ם ז״ל שידבר במעלות אלא בהלכות בית הבחירה פרק ששי ובפרק השני דמדות משנה ששית· ובודאי יש בפירושו על המשנה טעות בדפוס· אמר שכל מעלה שהיתה במקדש גובהה חצי אמה וגובה חצי אמה המעלה הוא שלחה· ועוד יתבאר בפרק השלישי שמעלות האולם רום מעלה חצי אמה ושלח׳ חצי אמה׳ ובאמות ובתמים יש

CAPUT XVII.

Ubi agitur, de gradibus Sanctuarii, de eorum altitudine, latitudine & numero, & de areolis, quæ erant in pariete vestibuli, & de ejus portæ superliminari, juxta ejus opinionem & sententiam R. Bartenoræ f. m. de vestibuli gradibus juxta mentem Baruch f. m.

JAM dictum est in superioribus capitibus, Sanctuarii pavimentum non fuisse æquale, neque una superficie, sed unum altero pavimento fuisse altius juxta montis adscensum, ubi exstructa fuit domus seculorum; ideoque necesse fuit ibi fuisse gradus, quibus de pavimento in pavimentum sine molestia & labore adscenderetur, ut singulorum, & omnium graduum altitudo esset semicubitalis, exceptis gradibus, quibus impositum erat pulpitum Levitarum, quorum altitudo erat cubitalis, & tres, & quadraginta ibi erant gradus, undecim ab Hel ad atrium mulierum, quindecim ab atrio mulierum ad ambulacrum Israelitarum; quatuor ab atrio Israelitarum ad ambulacrum Sacerdotum; duodecim pariter ab loco altaris ad vestibuli portam, cujus pavimentum erat altius sex cubitis pavimento situs altaris; & a vestibulo & interius nulli præterea alii erant gradus, eo quod pavimentum vestibuli, templi, & Adyti inter se esset æquale. Ceterum ex mensuris quæ descriptæ sunt de longitudine, & latitudine atrii generalis, constat inter vestibulum & altare interfuisse duos & viginti cubitos, ibique duodecim fuisse gradus, gradus altitudinem fuisse semicubitalem, & retractionem cubiti, cubiti, cubiti, & areolam trium cubitorum, & cubitum, cubitum, & areolam trium cubitorum, & superiorem, cubiti, cubiti, & areolam quatuor cubitorum. R. Jehuda dicit, superiorem cubiti, cubiti, & areolam quinque cubitorum; hæc est phrasis III. 6. *Middoth*.

Verum *Maimonides* f. m. concludit sua verba scribens in commentario in hanc Mischnam; jam horum 12. graduum forma a nobis delineata est, de his loco suo locuti sumus. Nos vero non invenimus *Maimonidem* f. m. locutum esse de his gradibus, nisi in constitutionibus de *Domo electa* cap. VI. & cap. II. 6. *Middoth*. Jam manifestum est in ejus commentario in Mischnam mendum Typographiæ deprehendi; dicit enim singulorum Sanctuarii graduum altitudinem fuisse semicubitalem, & altitudinem semicubitalem gradus fuisse retractionem. Præterea declarat in cap. III. in gradibus vestibuli gradus altitudinem fuisse semicubita-

להאמין כי גרסת המשניות להרמב״ם ולהראב״ד ז״ל לא היתה כגרסת המשניות שלנו כי יצא על כל פנים חוץ מהשטה שלנו והוא הראב״ד ז״ל לא השיג עליו כמנהגו · והנה במשנה אמרו כל המעלות שהיו שם רום מעלה חצי אמה ושלחה חצי אמה חוץ משל אולם והוא ז״ל לא שם הפרש בין מעלות האולם למעלות האחרו׳ שעשאן כלן בכל המקומות שדבר בהן של חצי אמה בגובהן וחצי אמה כשלחיהן ובפירוש אמרו רז״ל במשנה הששית של פרק ג׳ דמדות שרום מעלות פתחו של אולם היה לכל אחת מהן חצי אמה ושלח המעלה אמה · ועוד הוא ז״ל שם הרובדין בכתלים של אולם והם במעלות כנראה במשנה · והרא״בד ז״ל לא דכר עליו דבר על ששם הרובדין בכתל ולדע׳הרמב״ם ז״ל אלו השנים עשר מעלות יתחילו שש עשרה אמה רחוק מהמזבח וישאר מקום הרצפה ההיא שבינו ובין האולם חלקה מבלי שום דכר בנתים ובשומו הריבדין בכתלי האולם נראה לי שיצייר לנו דמות בנין נקרא בלשון לעז פאבריקה אה לה רוסטיקה · קראה ויטריביאו המחבר בספרו פסיבדו אור באנה אידיפיציאם בלשון רבים · אך ·

הרב מבירטאנורה ז״ל העתיק נסחת רבינו ברוך ז״ל ואמר · הכי גרסינן רום מעלה חצי אמה ושלחה אמה אמה אמה · ורובד שלש ואמה ואמה ורובד שלש · העליונה אמה אמה · ורובד ארבע · רבי יהודה אומר העליונה אמה אמה ורובד חמש · כך כתב רבינו ברוך שמצא בנסחאות ישנו׳ מדוייקות והכי פרושא · רום גובה המעלה חצי אמה כמו שהיו כלן · ושלחה דהיינו רוחב משך המעלה שזהו מדרך הרגל היה אמה · ומעלה שנייה ושלישית כל אחת היא שלחה אמה דהיינו אמה אמה רקתני ורובד שלש · מעלה רביעית היה רחבה שלשה אמות ורובד דקתני היינו שורה של רצפה כמו מוקף רובדין של אבן או על הרובד הרביעי שבעזרה לפי שהרצפה הית׳רחבה בלא מעלה ומשום הכי לא אמר שלחה שלש אלא רובד שלש כלומר שורת הרצפה · ואמה אמה כלומ׳ מעלה חמשית וששית כל אחת היה שלחה אמה

lem, & semicubitalem pariter fuisse retractionem. Credi equidem potest lectionem Mischnæ *Maimonidis*, & *Rabad* f. m. non fuisse eandem ac lectionem nostræ Mischnæ, eo quod a *Rabad* f. m. more suo nulla fiat adnotatio; ecce in Mischna dixerunt. In omnibus qui ibi erant, gradus altitudo erat semicubitalis, & semicubitalis quoque erat retractio, exceptis vestibuli gradibus; & ab eo nullum fit discrimen inter vestibuli gradus & reliquos gradus, quibus in omnibus locis, in quibus de iis loquitur, ab eo tribuitur altitudo semicubitalis, & semicubitalis pariter retractio; verum plane dixerunt Sapientes nostri f. m. in cap. III. 6. *Middoth*; graduum portæ vestibuli altitudinem fuisse semicubitalem, & cubitalem retractionem. Præterea ab eo areolæ in vestibuli parietibus, & ab his in gradibus, ut videtur in Mischna, collocantur; neque a *Rabad* f. m. ullum fit verbum, eo quod areolas in parietibus vestibuli collocarit; & juxta sententiam *Maimonidis* f. m. hi duodecim gradus initium ducebant sedecim cubitos procul ab altari, & reliquum erat spatium hujus pavimenti inter illud & vestibulum, læve, ut nihil inter illa interesset. Cum vero ab eo statuantur areolæ in parietibus vestibuli, mihi videtur ab eo nobis efformari ædificium simile ædificio, quod *Italice Fabrica alla rustica* appellatur, & a *Vitruvio* scriptore in ejus libro plurali numero *urbana ædificia* vocantur.

R. Bartenora f. m. tantum describit exemplar MS. Rabenu Baruch, dicens. *Ita legendum est; Gradus altitudo erat dimidii cubiti, & ejus retractio cubiti, cubiti, cubiti, & areola trium, & cubitus, cubitus, & areola trium, superior cubiti, & cubiti, & areola quatuor; R. Jebuda dicit; superior cubiti, & cubiti, & areola quinque*. Sic scripsit *Rabenu Baruch*, qui testatur se hoc deprehendisse in optimis codicibus MSS. atque hæc est explicatio; Gradus altitudo erat dimidii cubiti, sicuti erant omnes gradus, retractio autem sc. latitudo protracta, quæ teritur pedibus, erat unius cubiti; & gradus secundi & tertii erat retractio unius cubiti, & hoc notat, quum dicit, *cubitus, cubitus*; & *areola trium*. Quarti gradus latitudo erat trium cubitorum; ורובד per hoc intelligitur series pavimenti, veluti ambitus stratorum lapideorum, aut super stratum atrii quartum, eo quod pavimentum sine gradu latum erat, ideoque non dicitur, latitudo trium, sed areola trium, i. e. series pavimenti; *Et cubitus, cubitus*; i. e. gradus quinti & sexti retractio erat unius cubiti, & areola trium, &

ורובד שלש ומעלה שביעית היתה רחבה שלש אמות· העליונה אמה אמה ורובד ארבע פירוש המעלה העליונה שהיא המעלה של שתים עשרה לאחר ארבע מעלות שהיה לכל אחת אמה המעלה העליונה היתה רחבה ארבע אמות עד האולם· נמצאו כל המעלות תשעה עשר אמו׳ מן הראשונ׳ עד האולם· ושלש אמו׳ רוחב של רצפה חלקה היה מן המזבח עד תחלת המעלות הרי שנים ועשרים אמות בין האולם ולמזבח· ר׳ יהודה אומ׳ העליונה רובד חמש עד האולם דסבר לסוף שתי אמות של מזבח מתחילות המעלות· עד כאן דבריו· ולדעת הרמב״ם ז״ל שעשה כל מרחב השנים עשר מעלות של פתחו של אולם שש אמות· יקשה איך לשער גבוה ארבעים אמות יאות ריחוק שש אמות של מעלות בלבד מאסקופת פתחו של אולם כי התשע׳ עשר אמו׳ מה״ר ברוך הנ״ל ומהבירטאנור׳ או העשרים אמה לדעת רבי יהודה תם טובים מהם לשער גדול כזה לפי משפטי הארקיטיקטורה של חכמיה׳ שמודדין מרחב הרובדין והמעלות לפי גודל השער שיבואו בו ולא כפי גובהה של רצפה שעולים אליה.

והנה אחרי אשר כתבתי דברי אלה בפ׳ זה דע אתה הקורא כי הגאון המופלא וריש מתיבתא כמה״ר משה קזיס נ״רו שאין בתי כנסיות ומדרשות שבימינו נגעלים בפני גדול בישראל ברוח חכמה ובינה עצה וגבורה רוח דעת ויראת ה׳ כמוהו· האיר עיני בהלכה והעיד שגם להרמב״ם ז״ל שלחן של מעלות האולם היו אמה כמו שמפורש במשנה רום מעלה חצי אמה· ושלחה אמה· ומה שכתב בפרק ששי מהלכות בית הבחירה ועולה מושם לאולם בשנים עשר מעלות רום כל מעלה חצי אמה ושלחה חצי אמה הוא טעות נגלה וצריך להגיה ושלחה אמה כי כן כתב הסמ״ג שנראה שהעתיק לשון הרמב״ם ז״ל בעצמו ולפי תקון זה שהוא הצודק כשיתחילו להרמב״ם המעלות האלה רחוק מן המזבח עשר אמו׳· הרצפה הריקנית של עשר אמות היתה יותר מוכנת למה שאמר יואל סי׳ ב׳ בין האולם ולמזבח יבכו הכהנים משרתי ה׳ ממה שהיתה הרצפה של שתי אמות או של שלש מר׳ ברוך והבירטאנורה כי שם

septimi gradus erat latitudo trium cubitorum, & areola trium; *Superior cubiti, cubiti, & areola quatuor;* sensus est; gradus superior, qui erat duodecimus post quatuor gradus, quibus singulis cubiti latitudo erat, latus erat quatuor cubitos usque ad vestibulum; Deprehenduntur omnes gradus, a primo usque ad vestibulum novemdecim cubitos patuisse, & tres cubiti latitudinis pavimenti lævis intercedebant inter altare & principium graduum, ecce duo & viginti cubiti inter vestibulum & altare. *R. Jehuda dicit; superior areola quinque* usque ad vestibulum, eo quod sentiat in fine duorum cubitorum altaris initium duxisse gradus. Hactenus ejus verba. Verum juxta sententiam *Maimonidis* f. m. qui putat totam latitudinem duodecim graduum a porta vestibuli sex cubitos patuisse, absurdum est, portæ altæ quadraginta cubitos fuisse distantiam sex tantum cubitorum graduum a limine portæ vestibuli; eo quod novemdecim cubiti *Rabenu Baruch*, & *Bartenoræ*, aut viginti cubiti juxta sententiam *R. Jehudæ* magis conveniunt hujusmodi portæ juxta leges Architecturæ sapientum, qui metiuntur latitudinem areolarum & graduum juxta magnitudinem portæ, qua ingrediuntur, non vero juxta altitudinem pavimenti, qua adscenditur.

Ecce postquam hæc scripsi in hoc capite, scias velim, Lector, quod magnificus, admirandus, princeps Academiæ *R. Mose Kazes* quem Deus servet, quod non clauduntur Synagogæ & Scholæ nostris temporibus coram maximo Israelis in spiritu sapientiæ, & intelligentiæ, & consilii, & fortitudinis, in spiritu scientiæ, & Dei timoris, ut ipse est, illuminarit in hac constitutione oculos meos, & ostenderit, pariter juxta *Maimonidem* f. m. retractionem graduum vestibuli fuisse cubitalem, ut in *Mischna* explicatur; *Gradus altitudo semicubitalis, & cubitalis retractio*; quod vero scribit in cap. VI. *de constitutionibus Domus Electæ; & hinc in vestibulum adscenditur duodecim gradibus, quibus singulis altitudo erat semicubitalis, & semicubitalis retractio*; error est manifestus; atque ita emendandus est, ut dicendum sit; *Et ejus retractio cubitalis*. Ita enim scribit *Samag*, qui ipsius *Maimonidis* f. m. phrasi utitur, uti videtur; & juxta hanc emendationem, quæ conveniens est; cum initium ducent hi gradus juxta *Maimonidem* procul ab altari decem cubitis, pavimentum vacuum decem cubitorum erit magis conveniens illi quod dicit *Joel* II. 17. *Inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini*;

לא יעמדו כי אם כהנים מועטים׃ מצורף שעל רצפה חלקה של עשר אמות כדעת רבינו היה מקום לזריק׳ המגרפ׳ מה שלא יזדמן כן לדעת רבי ברוך ורבי עובדיה׃ אם לא נאמר בעדם שזריקת המגרפה ועמידת הכהנים בין האולם והמזבח הית׳ מן הצדדין היינו צפון או דרום ולא מן המזרח והמערב. ובכל זה כאשר אמרתי צריך עיון.

פרק יח.

בפתחו של אולם ומהמלתראו׳ שלו ומהכלונסו׳ של ארז שהיו עולין מכתלו של היכל לכתלו של אולם ומהשרשרות של זהב הקבועים בתקרתו ומהפרכות שדיו׳ על שערי המקדש שני ושכל ישראל היו חברים ברגל והכלים במקדש שהיו צריכים או לא צריכים טבילה.

דבר גלוי ומפורסם לכל שבכל השערים שבמקדש לא היה פתח גדול כפתחו של אולם ששאר השערים גובהן היה עשרים אמה ורחבן עשר אמות וזה היה גובהו ארבעים אמה ורחבו עשרים אמה וחמש מלתראות של מילה היינו כמו קורות מצויירות ומכויירות של אילן שגדלים בו עפצים שקורין מילין היו על גב פתח האולם׃ הקורה התחתונה היתה מושכבת על המשקוף לרחבו שהוא עשרים אמה ועודפת על רחב הפתח אמה מזה ואמה מזה עד שנמצא ארך הקורה שנים ועשרים אמה׃ ובין הקורה הזאת והשנית היה נדבך היינו בנין אבנים שלא היו הקורות נוגעות אחת בחברתה וכן בין כל קורה וקורה מהחמש קורות׃ הקורה השנית שלמעלה מן הראשונה היתה גם היא עודפת עליה אמה מזה ואמה מזה׃ נמצא ארכה ארבעה ועשרים אמה׃ השלישית למעלה מהשנית ארכה ששה ועשרים׃ הרביעית שמנה ועשרים׃ והחמשית שלשים׃ וכלונסות של ארז היו קבועים מכתלו של היכל לכתלו של אולם כדי שכל אחד מהשני כתלים ישען על חבירו ולא יבעט ויטה

quam illi, quod dicit *R. Baruch* & *R. Bartenora* pavimentum fuisse duorum aut trium cubitorum; eo quod ibi stare non possent nisi pauci Sacerdotes. His accedit, juxta opinionem præceptoris nostri, in pavimento inani decem cubitorum fuisse locum, ubi statueretur המגריפה, quod fieri non poterat juxta sententiam *R. Baruch* & *R. Bartenoræ*; nisi dicatur, juxta eorum opinionem, quod organi projectio, & statio Sacerdotum inter vestibulum & altare fuerit ab lateribus, nempe ab aquilone & austro, non vero ab oriente & occidente; hæc omnia, uti dixi, animadversione opus habent.

CAPUT XVIII.

Ubi agitur de porta Vestibuli, & de ejus trabibus everganeis, & de asseribus cedrinis, qui producebantur a muro templi ad vestibuli parietem, & de catenis aureis, quæ figebantur in ejus contignatione, & de velis, quæ erant in portis Sanctuarii secundi, & omnes Israelitas in festo fuisse socios, & de vasis Sanctuarii quæ lavanda erant aut non lavanda.

Cuivis manifestum est, ex omnibus portis Sanctuarii nullam fuisse majorem vestibuli porta; reliquarum enim portarum altitudo erat viginti cubitorum, & decem latitudo; hujus vero altitudo erat quadraginta cubitorum, & viginti latitudo; quinque trabes everganeæ quercinæ, i. e. quasi tigna figuris exsculpta ex arbore, in qua nascuntur gallæ, quæ a nobis appellantur מילין, erant super vestibuli porta. Trabs inferior innitebatur superliminari ejus latitudinis, quæ ërat viginti cubitorum, & redundabat super latitudine portæ cubitum hinc inde, ita ut deprehenderetur trabis longitudo duorum & viginti cubitorum; eo quod inter hanc & secundam trabem intererat series, i. e. ædificium lapideum, ut trabs hæc alteram non attingeret; atque hoc observabatur inter singulas ex quinque trabibus. Secunda trabs, quæ primæ imminebat, redundabat pariter superius hinc inde cubitum; deprehenditur ejus longitudo fuisse quatuor & viginti cubitorum. Tertia, quæ imminebat secundæ, longa erat sex & viginti cubitos; quarta octo & viginti; quinta vero triginta. Et perticæ cedrinæ constitutæ erant a muro templi ad vestibuli parietem, ut alter altero pariete fulciretur, ne inclinaret, & perderetur in ejus medio murus altitudinis magnitudine. Et catenæ aureæ infixæ erant in contignationibus vestibuli,

באמצעיתו

באמצעיתו הכתל לרב גבהו׳ ושרשרות של
זהב היו קביעין בתקרות האולם שבהן פרחי
כהונה עולים ומתעמלי׳ לראות ולהתענג מזיו
העטרות שהיו על החלונות בהיכל ה׳ לזכרון
כדכתיב בזכריה ו׳ והעטרות תהיה לחלם
ולטוביה וגומ׳ חלם הוא חלדי וטוביה וידעיה
וכן בן צפניה הוא יאשיהו שתאו מהגולה
והביאו כסף וזהב לנדבה לבנין הבית ובא
דבר ה׳ לנביא ואמר לו שיקח הכסף והזהב
מאתם ויעשה מהם שתי עטרות וישים
האחת בראש יהושע לאנותו כהן גדול והעטרה
האחרת בראש זרובבל נקרא צמח כי מעלתו
תהיה כמו צמח האדמה שיגדל מעט מעט
כן מעלתו תעלה מעט מעט עד שתגדל
מאד׃ ואחרי שהושמו העטרות בראש יהושע
וזרובבל אמר ה׳ שתהיה כל אחת מהעטרות
לזכרון המתנדבים לפני ה׳ כי היו שמותם
מפותחים בעטרו׳ להורות כי נדבתם עלתה
לפני ה׳ לטוב להם בעולם הזה ובעולם הבא׃
ואלה הם העטרות שהושמו בחלונו׳ האולם
לזכרון טוב המתנדבים ושפרחי כהונה היו
עולים בשרשרות של זהב לראותן.

quibus juvenes Sacerdotes adscendebant, & dabant operam, ut viderent, & oblectarentur splendore coronarum, quæ erant super fenestris templi Domini in memoriam, uti scriptum est *Zachar.* VI. 14. *Et coronæ erunt Helem, & Tobiæ* &c. Helem est Cheldai, & Tobia est Jedanja, & Chen filius Sophoniæ est Josia, qui venerunt ex captivitate, & attulerunt sponte argentum & aurum ad ædificandam domum, & factum est verbum Prophetæ, dictumque est illi, ut acciperet argentum & aurum ab iis, & duas conficeret coronas, quarum alteram capiti Josuæ, ut præficeretur summus Sacerdos, & altera imponeretur capiti Zorobabelis, qui vocatur Zemach, eo quod ejus dignitas futura esset quasi flos terræ, qui paulatim crescit, ita quoque ejus dignitas paulatim cresceret, usque dum permagna fieret; postquam capitibus Josuæ & Zorobabelis impositæ sunt coronæ, dixit Dominus, ut coram Deo in memoriam offerentium coronæ statuerentur; insculpta enim erant coronis eorum nomina ad ostendendum, quod eorum oblatio in bonum coram Deo adscenderit in hoc & in futuro seculo; atque hæ sunt coronæ, quæ in bonam memoriam offerentium collocatæ fuerunt in vestibuli fenestris, quas ut viderent, juvenes Sacerdotii per catenas aureas adscendebant.

גם על פתח האולם הזה במקום דלתות
היה פרכת׃ אמנם על שאר הפתחים
מהעזרה היו גם פרכת וגם דלתות׃ והנה
כמו שכתבו רבותינו ז״ל בפרק הוציאו לו
דיומא ורבינו ז״ל בהלכות כלי המקדש פרק
שביעי פיסקא י״ז שלש עשרה פרכות היו
במקדש שני׃ שבע על שבעה שערי העזרה
ואחת על פתח האולם ואחת על פתח ההיכל
ושתים לדביר בינו ובין הקדש ושתים כנגדן
בעליה.

Præterea pro valvis vestibuli portæ impositum erat velum; ceterum reliquis atrii portis imposita erant velum & valvæ. Et ecce quomodo scripserunt Sapientes nostri f. m. cap. V. *Joma*. Et præceptor noster f. m. VII. 17. *in Constitutionibus de vasis Sanctuarii. Tredecim vela erant in Sanctuario secundo; septem septem atrii portis, unum vestibuli portæ, alterum portæ templi, & duo oraculo inter illud & sanctum, & duo e regione horum in cœnaculo.*

וארבעה מינים היו בהם שש ותכלת
וארגמן ותולעת שני׃ רשב״ג משום רבי שמעון
בן הסגן אומר פרכת עביה טפח ועל שבעים
ושתים נימין נארגת ועל כל נימא ונימא
ארבעה ועשרים חוטין׃ ארכה ארבעים אמה
ורחבה עשרים אמה ומשמנים ושנים רבוא
נעשית ושתים עושים בכל שנה ושנה׃ ושלש
מאות כהנים מטבילין אותה׃ אמר שמואל
בשלשה מקומו׳ דברו חכמים בלשון הבאי׃
תפוח גפן ופרכת׃ אמר שמואל לאפוקי
מדרבא דתנן השקו את התמיד בכוס של
זהב ואמר רבא גוזמא קא משמע לן הני
אין אבל התם אין עניות במקום עשירות׃
פרכת הא דאמרן תפוח דתנן העלו מעליו

Et quatuor constabant speciebus, bysso; hyacintho, purpura, & cocco dibapho. Raban Simeon fil. Gamalielis nomine R. Simeonis fil. Sagan dixit. Veli crassities erat palmaris, & 72. funiculis texebatur, & singuli funiculi 24. filis constabant. Ejus longitudo erat 40. cubitorum, & 20. latitudo &c. Duo singulis annis conficiebantur, atque a tercentum Sacerdotibus lavabantur. Dixit Samuel; tribus in locis Sapientes hyperbolice loquuntur; sc. in pomo, vite, & velo; Dixit Samuel; ad excludendam opinionem Raba; eo quod traditum sit; *Bibendum dabant sacrificio jugi poculo aureo*; at dicit Raba; est locutio hyperbolica. Hoc conceditur, at hoc loci non est paupertas in domo divitiarum; sc. in velo, de

באפר

באפר על גבי התפוח תפוח היה באמצע המזבח פעמים שיש עליו שלש מאות כור אמר רבא גוזמא · גפן דתנן גפן של זהב היתה עומדת על פתחו של היכל כו׳ אמר רבי אלעזר בר צדוק מעשה היה ונמנו עליה שלש מאות כהנים.

פרכת שנטמאה בולד הטומא׳ מטבילין אות׳ בפנים ומכניסין אותה מיד לפי שאינה צריכה הערב שמש ושנטמאה באב הטומאה מטבילין אותה בחוץ ושוטחין אותה בחל מפני שהיא צריכה הערב שמש ואם היתה חדשה שוטחין אותה על גב האצטבא כדי שיראו העם מלאכתה שהיא נאה.

כל ישראל חברים ברגל דאמר קרא ויאסף כל איש ישראל העירה כאיש אחד חברים· הכתוב קראם בשעת אסיפה כלם חברים ורגל שעת אסיפה היא · על כן הסכימו רבותינו ז״ל שיהיה אז עם הארץ כתלמיד חכם עד שתהיה טומאתו ברגל טהורה · אמנם לאחר הרגל היו הכהני מעבירין את הכלים ממקומן להטבבילן ולטהר את העזרה מטומאת עמי הארץ שנגעו בהן ברגל ואומרים לעמי הארץ ברגל הזהרו שלא תגעו בשלחן ותטמאו כל הכלים לפי שלא יוכלו הטביל השלחן לאחר הרגל שאי אפשר לסלקו ממקומו דכתיב ביה לחם פנים לפני תמיד.

והואיל כי זכרתי כאן פעם אחרת מה שאמרו רבותינו ז״ל במסכת חגיגה פרק חמר בקדש על כי לא דקדקתי לכתוב לכם בפרק י״ד מספרי זה דבריה׳ כהוייתן לא אוכל להתאפק מלהגיד לכם כי בחורי חמד רבים מבני עמנו מתוך דברי רבינו ז״ל בהלכות מטמאי ממכב ומושב פרק י״א פיסקא י״א שסמך באמת על מי שקרא דבר זה בגמרא ועל כן לא פירש בשלמות דעת חכמינו ז״ל שם האמינו שכל שבטי בני ישראל יכלו ברגל להכנס בהיכל באהבת ה׳ את עמו עם כי בשאר ימות השנה היו מוזהרים ועומדים

quo dictum eſt, de pomo, de quo legitur II. 2. in tractatu *Tamid*. *Pomum erat in medio altaris*; aliquando in eo erant trecentæ menſuræ Cor; Dicit Raba; Hyperbolicum eſt in vite, de qua legitur III. 8. *Middoth*. *Vitis aurea collocata erat ſuper portam templi &c. Dixit R. Eliezer filius R. Zadok; evenit ut numerarentur trecenti Sacerdotes*.

Velum quod pollutum eſſet filio immunditiei, intus lavabatur, neque tenebatur occaſu ſolis, ſi patre immunditiei pollutum eſſet, foris lavabatur, & expandebatur in Hel, eo quod occaſu ſolis teneretur; ſi novum eſſet, ſuper ſedili extendebatur, ut populus elegantium ejus operis adſpicere poſſet.

Omnes Iſraelitæ erant (*a*) ſocii in ſolennitate, ſicuti dictum eſt ויאסף כל איש ישראל העירה כאיש אחד חברים. Scriptura ſocios illos omnes appellat, quo tempore congregantur; & ſolennitatis tempore congregabantur; idcirco conſentiunt Sapientes habitum tum fuiſſe populum terræ perinde ac diſcipulum Sapientis, ita ut ejus immundities in ſolennitate pura eſſet. Verum poſt ſolennitatem Sacerdotes transferebant vaſa ab eorum ſitu, ut lavarentur, & purificaretur atrium ab immunditie populi terræ, qui ea in ſolennitate tetigiſſet; eique dicebatur in ſolennitate; cavete ne tangatis menſam, & polluatis omnia vaſa; eo quod poſt ſolennitatem menſa transferri non poſſet; quod ab ejus ſitu dimoveri non poſſet; eo quod ſcriptum ſit *Exod.* XXV. 30. *Panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper*.

Cum iterum hic mentio facta ſit, quod dixerunt Sapientes noſtri f. m. cap. III. *Chagigah*, cum vobis deſcribenda curaverim hujus libri cap. XIV. ipſa eorum verba, vobis referendum cenſeo, quod multi juvenes ex noſtra gente, ex verbis noſtri præceptoris f. m. *in conſtitutionibus de iis qui polluunt ſtratum & ſedile* cap. XI. II. (quod confirmatur ex eo quod legitur in *Gemara*; ideoque non explicatur abſolute mens noſtrorum Sapientum f. m. in eo loco;) affirmarint, omnibus tribubus filiorum Iſraelis in ſolennitate, propter amorem, quo proſequitur Deus populum ſuum, in templum ingredi licuiſſe; quamvis reliquis anni diebus præmonerentur, ut

כרהוק

(*a*) חבר (ut inquit *Maimonides* ad II. 3. *Demai*) vocatur ſtudioſus & diſcipulus legis, ſic etiam, diſcipuli Sapientum vocantur חברים *ſocii*, cognominantur autem illo vocabulo, quia inter ſe converſantur ut ſocii in una ſocietate propter nomen Domini. *Erant iidem ac Phariſæi*. *Aruch*. Illi ſunt ſocii, qui res profanas, & communes mundi comedunt. Phariſæi quia ſe ipſos ſeparabant ab omni immunditie, & a cibo immundo, & a plebe de cibo minus ſolicita.

In Gemara Babyl. Becor. 30. 2. *deſcribitur modus, quo ſocius cooptaretur*. Si quis in ſe ſuſcipit leges *ſocietatis*, neceſſe eſt ut id ſuſcipiat tribus *ſociis* præſentibus. Provectus ætate non tenetur illas ſuſcipere tribus *ſociis* præſentibus, quia jam ſuſcepit illud ab eo tempore, quo factus eſt ætate provectus. Aba Saul dixit; neque diſcipulus ſapiens tenetur ſuſcipere leges *ſocietatis* tribus præſentibus &c.

ברחוק הרבה מעזרת כהני׳ חוץ משעת צרכיהם לסמיכה לשחיטה ולתנופ׳ · ועל כי ידעתי גם אני ידעתי שהיה מועל כה׳ כל בר ישראל אם יכנס בהיכל בשום זמן מהזמנים לא שלותי ולא שקטתי ולא נחתי עד ששמעתי מה שהשקה נפשי להוציא מדעתם שבוש גדול כזה והוא סגנון מה שכתבו רבותינו ז״ל במסכת׳ הנזכר׳ שנמצא כתוב על נייר ודפתרא מטושטשת בגנזי גאון אחד ז״ל מוירונה שקראו באזני על רגל אחד בחור אחד שעמלו בתורה שנפטר גם הוא לעולמו זה ימים מועטים.

ועתה קום נא שבה אתה הקורא ואכול את המגילה הזאת אשר אהבת בטנך תאכל ומעיך תמלא ממנה עד אשר תאוה נפשך כי תהיה בפיך כדבש למתוק· מתניתין· כיצד מעבירין על טהרת העזרה כי׳ פירש רש״י ז״ל מעבירין את הכלים ממקומן להטבילן ולטהר את העזרה מטומאת עם הארץ שנגעו בהן ברגל שאף על פי שעשאן הכתוב חברים ברגל לא מפני שטהורים הם · הילכך אחר הרגל מגען טמא למפרע· מתניתין· ואומר להם הזהרו וכו׳ פירש רש״י ז״ל ואומר להם לכהני׳ עמי הארץ ברגל הזהרו שלא תגעו שלחן שלא יוכלו להטבילו לאחר הרגל שאי אפשר לסלקו ממקומו דכתיב ביה לחם פנים לפני תמיד.

כל הכלים שהיו במקדש טעונין טבילה וכו׳ פירש ר״שי ז״ל מפני טומא׳ הרגל ע״כ לשונו· לשון התוספות שלא תגעו בשלחן בכהנים עמי הארץ ההולכים להיכל להשתחוות קאמר שאילו ישראל לא היו רשאים לילך אף מן האולם ולמזבח וכן פירש ר״שי ז״ל עד כאן לשון התוספות ורש״י ז״ל בפירוש המשנה.

גמרא אמר ריש לקיש מאי דכתיב על השלחן הטהור מכלל שהוא טמא ואמאי כלי עץ העשוי לנחת הוא אלא מלמד שמגביהין אותו ומראין אותו בלחם הפנים לעולי ברגלים ואומרים להם ראו חבתכם לפני

consisterent procul ab atrio Sacerdotum, excepto eo tempore, quo debebant imponere manus, mactare, & agitare. Quoniam ego non ignoro, quod prævaricaretur contra Dominum quivis Israelita, si quovis tempore ingressus esset in templum, non fui quietus & tranquillus, neque quievi, donec intellexi, quod desiderabat anima mea, ut ab eorum mente hunc errorem removeretur, idque commentario in id quod scripserunt Sapientes nostri f. m. in Mischna commemorata, quod inventum est scriptum in charta & pergameno inquinato in repositorio cujusdam magnifici sapientis f. m. Veronensis, quod legit in quodam festo auribus meis quidam juvenis studiosus, & qui multam legi operam impenderat, qui proxime mortuus est.

Nunc vero surge, quæso, & veni lector, & comede hoc volumen, quod amasti, venter tuus comedet, & viscera tua implebuntur ex eo, quod desiderat anima tua, quod erit ori tuo sicut mel dulce. *T*raditio. Quomodo transferebant, ad purificandum atrium? &c. Explicat *Raschi* f. m. Transferebant vasa a loco suo, ut lavarent, & purificarent atrium ab immunditie populi terræ, qui ea in solennitate attigisset, quamvis in solennitate a Scriptura socii habeantur, non eo quod sint mundi; ideoque post solemnitatem, quod tetigerunt, præpostere immundum est. Traditio. Et dicebatur illis; cavete &c. Explicat *Raschi* f. m. & dicebatur illis, sc. Sacerdotibus indoctis; cavete, ne tangatis mensam, eo quod post solennitatem lavari non posset, quod a situ suo dimoveri non poterat; cum scriptum sit de illa; *Exod.* xxv. 30. *Panes propositionis in conspectu meo semper*.

Omnia vasa quæ erant in Sanctuario, lotione tenebantur &c. Explicat *Raschi* f. m. propter immunditiem Solennitatis. Hactenus ejus verba. Et in *Tosaphoth* dicitur; ne mensam attingerent, dictum est Sacerdotibus indoctis, qui ibant in templum ad adorandum; neque dictum est de Israelitis, quibus ne a vestibulo quidem ad altare progredi licebat. Hactenus verba *Tosaphoth* & *Raschi* f. m. in commentario Mischnæ.

Gemara vero dicit. Dixit Resch Lakisc; qui sensus est Scripturæ dicentis *Levit.* xxiv. 6. *Super mensam purissimam?* Poterat igitur fieri immunda. Quomodo? Nonne erat vas ligneum ea ratione factum, ut semper consisteret? Verum docemur, quod illam extollerent, & cum pane facierum ostenderent Hierosolymam in solennitatibus adscendentibus, dicen-

המקום

המקום · סלוקו כסדורו שנאמר לשום לחם חם ביום הלקחו · עד כאן לשון הגמרא.

והרמב״ם זכרונו לברכה בהלכות מטמאי משכב ומושב כדלעיל הוסיף ביאור ואמר ולפיכך היו אומרים להם אל תינעו בשלחן תוסיפו אתם בשעה שמגביהין ומראין אותו לעולי רגלים כדי אלא יהיה במגעו טמא אחר הרוגל ונמצא צריך טבילה והערב שמש · הרי שמדבריהם למדנו שהישראלי לא היה יכול ליכנס בהיכל · ובמתניתין דידן מיירי רבנן דוקא בכהנים עמי׳ הארץ ולא בישראלים · ועתה ברור הוא כשחקים שהבחורים הנזכרים טעו בחשבונם כשהאמינו שכל ישראל היו יכולים להכנס בהיכל ברגל כי הנה לא התירו רבותינו ז״ל זה אלא לכהן עם הארץ בלבד גם כי בשאר ימות השנה לא היה עובד׳ ולא היה נכנס בהיכל כמו שהיה עושה הכהן חבר בשעת משמרתו · ובגלל הדבר הזה הואיל כי לא הורשה להכנס בהיכל אפילו להשתחוות אלא ברגל היה צריך על כל פנים לאזהרה זאת הפרטית ברגל כדי שלא יטעה ויאמר כשם שהתירו לי להכנס ולהשתחוות עתה בהיכל כן התירו לי גם כן ליגע בשלחן כשאר הכהנים חברים מפני שמגביהין אותו נגדנו כדי שנראה אותו ונתעדן בו · אך באולי לא יטעו אז במגע שאר הקדשים מפני שלא היו מגבהין אותן לעיניהם ולא היו מזיזין הפרכות ממקומן.

כל הכלים שיהיו במקדש יש להם שניים ושלישים שאם נטמאו הראשונים יביאו השניים תחתיהן וכל הכלים שהיו במקדש שהיו טעונין טבילה הוסיף הרמב״ם ז״ל והערב שמש חוץ ממזבח הזהב ומזבח הנחשת מפני שהן כקרקע לדברי ר׳ אליעזר · וחכמים אומרים שאינן צריכין טבילה מפני שהן מצופים זהב ונחשת וצפויין בטל לגביהן והיו ככלי עץ העשויין לנחת שאינן מיטמאין ולא פליגי על רבי אליעזר אלא בטעמא דמילתא בלבד · כך נראה שיש לנו ללמוד מדברי הרמב״ם בהלכות מטמאי משכב ומושב.

tes; videte amorem vestrum coram Domino; vobis elevatur *panis* juxta ejus ordinationem, sicuti dictum est 1. *Reg.* XXI. 6. *Nisi tantum panes propositionis, qui sublati fuerant a facie Domini, ut ponerentur panes calidi.* Hactenus Gemara.

Et *Maimonides* f. m. *in constitutionibus de iis, qui stratum & sedile polluunt*, uti supra explicationem addit dicens; ideoque dicebatur illis; ne tangatis mensam. (Addite huic, qua hora eam extollebant, & ad Solennitates adscendentibus ostendebant) ne tactu post solennitatem immundaretur, & deprehenderetur teneri lotione, & occasu solis. Ecce ex ejus verbis docemur, non licuisse Israelitæ in templum ingredi; & in traditionibus Sapientes nostri tantum agunt de Sacerdotibus indoctis, non vero de Israelitis. Nunc vero clarum est æque ac cœlum commemoratos juvenes cogitationibus suis aberrasse, existimantes omnibus Israelitis in solennitate in templum ingredi licuisse; cum Sapientes f. m. uni tantum Sacerdoti indocto hanc facultatem concesserint, quamvis in reliquis anni diebus neque ministraret, neque in templum ingrederetur, quod Sacerdoti Sapienti tempore suæ custodiæ licebat; ideoque, cum non licuisset ingredi in templum vel ad adorandum, nisi in solennitate, necesse fuit omnino præcipue in solennitate præmoneri, ne erraret dicens; sicuti mihi permiserunt modo ingredi ad adorandum in templo, ita mihi licebit, ut reliquis Sacerdotibus sapientibus mensam attingere; cur coram nobis extollunt? ut illam videamus, & delectemur; at in reliquis Sanctitatibus probabile est non aberasse, eo quod non eas coram illis extollerent, neque vela a loco suo removerent.

Omnia vasa, quæ erant in Sanctuario, habebant secundaria, & tertiana; eo quod si prima polluerentur, pro iis secunda adducebantur; omnia vasa, quæ erant in Sanctuario, lotione tenebantur (addit *Maimonides* f. m. & occasu solis;) excepto altari aureo, & altari æneo, quæ habebantur quasi solum, juxta verba R. Eliesferis; at Sapientes dicunt; non tenebantur lotione, eo quod auro & ære obducta essent, & eorum obductio respectu ipsorum non reputabatur, & habebantur quasi vasa lignea, ea ratione facta, ut in eodem loco semper consisterent, quæ non polluuntur; neque disputant cum R. Elesiere nisi de sensu ipsius rei duntaxat. Idcirco mihi videtur explicandum ex verbis *Maimonidis in constitutionibus de iis, qui stratum & sedile polluunt*.

והנה קודם חתימת פרקי זה כיון דאתא לידן· שמעו שמוע מלתי ותהי זאת תנחומתכם לידע כי שלמה הכין לו ליום חנוכת הבית הגדול והקדש כיור נחשת חמש אמו׳ ארכו חמש אמות רחבו ושלש אמות קומתו ויעמוד שלמה לפני מזבח ה׳ נגד כל קהל ישראל· ככתוב במלכים א׳ ח׳ ובדה״ב ב׳ ו׳ כתב גם כן כי עשה שלמה כיור נחשת ויתנהו בתוך העזרה ואם נתן את הכיור בעזרה היינו בתוך עזרת ישראל איך עמד לפני מזבח ה׳ ואם בכל מה שתרצה משני המקומות האלה היינו או בעזר׳ או לפני מזבח ה׳ איך היה נגד כל קהל ישראל כי הוא היה לפני ישראל וישראל היו מלאחריו לכן אומר כי שלמה עשה לו לפי שעה כיור נכון לצורך תפלה זו בלב׳ היינו עשה כלי נחשת דומה לכיור כתבניתו וכמעשהו שהי׳ לו להשתמש ממנו כמו שיהיה בימה גבוהה על כל העם· ובראש כיור זה מלמעלה במקו׳ פה פתוח לרוחה כמו שנמצו בכל הכיורים עשה לו על שפתו העליונה גג או מכסה או תקרה סגורה ושולים ישרים שטוחים ומתוקנים על פיו כמו רצפה של אבנים לעמוד עליהם בבריכה על ברכים ונתן הכיור הזה עד סדור וסיום תחנתו משלם בתוך עזרת ישראל כמעט תוך מזוזת שער נקנור באמצע חלל השער ההוא מכוון ביושר נגד המזבח ושער האולם וההיכל והדביר ואז כאשר כתב גם כן כמהר״ר שמואל לאנייאדו ז״ל בספר כלי יקר שלו נגד כל קהל עדת ישראל עלה עליו ופרש כפיו השמימה והתפלל בעדו ובעד מלכות בניו ובעד ישראל כלו והנכרי הבא מדרך רחוקה ככתוב שם · ויהיה לפני מזבח ה׳ לא אל פני המזבח עצמו שהוא כאשר ידענו אל מקום הכבש שהוא בצד דרום· אלא לפני המזבח היינו נגד מקום וזוית המזבח שהיה בצד מזרח· וירצה לפני המזבח שהיה שם שלמה עומד מבלי דבר מפסיק בינו ובין גופו של מזבח אך נגד כל קהל ישראל רוצה לומר אל מול או נגד כל קהל ישראל ממש · כי היו פניו של שלמה פונים נגד פני העם שבעזרת ישראל המצודדים עם כל זה בפניהם נגד בית קדש הקדשים כדי שלא יתהפכו אחוריהם אל היכל ה׳ · והיו ישראל עומדים לפני פניו של שלמה

Verum priusquam hoc caput absolvam; quando de hoc mentio facta est; audite meam sententiam; vobisque solatium sit addiscere, Salomonem sibi in die dedicationis magnæ, & sanctæ domus paravisse labrum æneum, cujus longitudo, & latitudo erat quinque cubitorum, & trium altitudo. *Stetit autem Salomon ante altare Domini in conspectu Ecclesiæ Israel*; sicuti scriptum est 3. *Reg.* 22. & 2. *Paral.* VI. 13. pariter dictum est. *Siquidem fecerat Salomon basim æneam, & posuerat in medio atrii.* Si posuit labrum in medio atrii, sc. in medio atrii Israelis, quomodo stetit coram altari Domini? Si vero in quovis ex his duobus locis, i. e. aut in atrio, aut coram altari, quomodo stetit e regione totius cœtus Israelis? ipse erat coram Israele, & Israel ab ejus dorso. Ideoque dicendum Salomonem labrum fecisse ea vice tantum, ut esset conveniens, in quo tantum orare posset, i. e. fecisse vas æneum simile labro juxta similitudinem & opus, ut sibi inserviret, quasi esset pulpitum eminens super universum populum; & in summitate hujus labri in parte superiori, ubi os late patet, quomodo deprehenditur in omnibus labris, fecisse super ejus extremitate superiori tectum, aut tabernaculum, aut cotignationem occlusam, cui erat fundum expansum, & dispositum super ejus ora, veluti pavimentum lapideum, ut ibi staret genuflexus, ibique statuisse hoc labrum, donec disposuit, & absolvit orationem suam, intra atrium Israelis fere intra postem portæ Nikanoris in medio spatii inanis portæ dispositum in linea recta contra altare, & vestibuli portam, & templi, & Adyti; & tum (sicuti pariter scripsit illustris *R. Samuel Laniado* f. m. in ejus libro, qui inscribitur *Vas pretiosum*) coram universo cœtu congregationis Israelis in illud adscendit, & expandit manus suas in cœlum, & oravit pro se, & pro imperio suorum filiorum, & pro universo Israele, & pro alienigena, qui ex terra longinqua adveniret, ut ibidem scriptum est; & orat coram altari, non ad faciem ipsius altaris, quod situm erat, uti constat, ad locum pontis, qui erat in plaga meridionali; sed coram altari, i. e. contra spatium, & angulum altaris, quod erat in latere orientali, nempe coram altari stabat Salomon, ita ut nihil intercederet inter illum & ipsum altare, verumtamen contra universum cœtum Israel, i. e. aut coram, aut versus universum cœtum Israel simpliciter; eo quod facies Salomonis conversæ essent contra facies

צפופים

צפופים בעזרה כשתי חצאי גורן עגלה אחת מן הדרום ואחת מן הצפון ומשתחוי' רוחים דרך נס נגד בית קדש הקדשים כמו שאמרו רבותינו ז"ל בפרק חמשי ממסכת אבות משנה חמשית· כי הנה באמצע העזרה נגד המזבח בצד מזרח היה מקום פנוי בלי דבר מפסיק בין שלמה והמזבח והאולם וההיכל והדביר· או רצה נגד כל קהל ישראל לעומת כל הישראלים והכהנים והלוים אין גם אחד שלא יראה פני שלמה מכנגדו כי באולי בשעת תפלה זו שנעשתה ברגל בירח האיתנים בחג ככתוב במלכים שם נאספו כל ישראל חברים ונכנסו הישראלים בעזרת ישראל כמנהג שאר ימות השנה והלוים השומרים המקדש בלילה והמשוררים והשוערים ושאר הממונים המשרתים עמדו בעזרת כהנים· והכהנים בעלי מומין ומי שעבד עכו"ם וחזר בתשובה והכהן ערל וטבול יום והמחוסר כפורים והאונן ושלא רחוץ ידים ורגלים עמדו כשתי חצאי עגול במקום המזבח מזה ומזה· ובאולם שמן האפשר הוא שסלקו מעל השער הגדול שלו הפרכת שהיתה שם לשמושו עד גמר תפלה זו ואחר כך החזירוה עמדו כשתי חצאי עגול הכהנים עמי הארץ· ובהיכל עצמו עמדו מזה ומזה כאמור הכהנים הכשרים לעבודה· כדי שיראה שלמה מעל הכיור שלו בנקלה מבלי שום דבר מפסיק ישראל כלו וגם מקומו של קדש הקדשים· ושם בכלל כל קהל עדת ישורון היינו כהנים לויים וישראלים שנקראו כלם בשתוף בשם זה של ישראל היו ממלאים כל חלקי העזרה המוחלטת פה אל פה והיו רואים כלם היטב פני שלמה ושלמה היה רואה אז בלי עמל ויגיעה פני כלם כי נכנסי בכל המקומות הקדשים האלה כפי שדרגתם הואיל כי הסכימו חכמינו ז"ל במסכת חגיגה כאמור שהיה אז עם הארץ ובפרט הכהן כתלמיד חבר לכל דבר עד שתהיה טומאת מדבריה' טהורה בכל ימות הרגל.

universi populi, qui erat in atrio Israelis in lateribus, facie tamen conversa ad Sanctum Sanctorum, ne dorsum converteret ad Dei templum; & Israelitæ stabant in conspectu Salomonis coarctati in atrio, quasi duæ dimidiæ areæ rotundæ, altera ab austro, & ab aquilone altera, late adorantes propter miraculum e regione Sancti Sanctorum, uti dixerunt Sapientes nostri f. m. v. 5. *Abboth*; eo quod in medio atrii contra altare in plaga orientali erat spatium inane, ne quid intercederet inter Salomonem, & altare, & vestibulum, & templum & Adytum. Aut contra universum cœtum Israel significabit contra omnes Israelitas, & Sacerdotes, & Levitas, ut nemo esset, qui non videret facies Salomonis; eo quod probabile sit tempore hujus orationis, quæ peracta fuit in solennitate in mense fortium in festo Tabernaculorum, sicuti scriptum est *Reg.* ibid. congregatos fuisse omnes Israelitas socios, & ingressos fuisse in atrium Israelis juxta consuetudinem ceterorum anni dierum; & Levitas, qui noctu custodiebant Sanctuarium, & cantores & janitores, & reliquos præfectos, qui ministrabant, stetisse in atrio Sacerdotum; & Sacerdotes labe affectos, atque illum, qui Idololatriæ ministrasset & pœnituisset, & Sacerdotem incircumcisum, & lotum ipsius diei, & indigentem expiationis, & lugentem, & qui non lavisset manus & pedes, stetisse quasi duos dimidios circulos hinc inde in spatio altaris; & in vestibulo (possibile enim est removisse ab ejus porta magna velum, quod in ejus usum impositum illi erat, usque dum hanc orationem absolveret, & posthæc restituisse) stetisse quasi duos dimidios circulos Sacerdotes indoctos; & in ipso templo stetisse hinc inde, sicuti dictum est, Sacerdotes legitimos ad ministrandum, ut intueri posset Salomon facile a labro, ut nihil intercederet, universum Israelem, & locum quoque Sancti Sanctorum; ibique generaliter universum cœtum Jessurum, i. e. Sacerdotes, Levitas, & Israelitas, omnes enim hoc Israelis nomine una simul appellantur, omnes partes atrii simpliciter sumti hinc inde implevisse, atque optime omnes faciem Salomonis vidisse; & Salomonem tum facile conspexisse facies omnium, qui juxta eorum gradus in omnia loca sancta ingrediebantur; eo quod Sapientes nostri f. m. consentiant in tractatu *Chagigah*, uti dictum est, tum indoctum, & præcipue Sacerdotem, omnino habitum esse, perinde ac discipulum Sapientem, ut immundities decreta a Sapientibus omnibus diebus pura haberetur.

פרק כ.

בפתחו של היכל ובדלתותיו ולמה היה נשמע קולם שיפתחו יותר ממה שהי נשמע קול הדלתות של שאר השוערים שהיו גדולים כמוהו ומגפן הזהב שהיתה שם.

פתחו של היכל היה גבהו עשרים אמה ורחבו עשר אמות ועליו הפרכת כאמור· וגם ארבע דלתות היו לו קבועות בצירים התקועים במזוזות הפתחוו קרא ויטרוביאו צירי הדלתות בספרו השני פרק שמיני ובספר העשירי פרק שבעה עשר אורטוסטאטאה מפני שהם לעולם זקפים ולא מוטים או עומדים באלכסון· ומוארבעה דלתית אלה שתים מהן היו בחוץ ושתים בפנים שנאמר ושתים דלתות להיכל ולקדש יחזקאל מא׳.

והנה עביו של כתל ההיכל היה שש אמות ובסוף אמה של עבי הכתל לצד האולם היו שתי דלתות החצונות אחת לימין הפתח ואחרת לשמאלו· ולסוף עבי הכתל לצד ההיכל היו שתי דלתות הפנימיות אחת מימין ואחרת משמאל · וכל דלת מהשתי דלתות החצוניות והפנימיות היה רחבה חמש אמות וכשהיו נעולות ונוגעות זו בזו היו מותמות רחב חלל הפתח שהוא עשר אמות ולכן כשהיו הדלתות החצונות נפתחות לצד פנים היה כל דלת מהן אחד לצד ימין ואחד לצד שמאל מכסה מה שנשאר מעבי כתלו של היכל שהוא חמש אמות מכל צד· כשהיו הדלתות הפנימיות נפתחות לצד ההיכל היתה הדלת האחת מכסה חמש אמות מכתל ההיכל מזה והאחרת חמש אמות מזה מקום שלא היה שם הכתל טוח בזהב כמו שאר חלקי ההיכל לפי שלא היה נראה הכתל שאינו מוזהב מאחורי הדלתות· ר׳ יהודה אומר בתוך הפתח היו עומדות וכמין איצטרמיטא היו · ובעל הערוך ז״ל קורא כמין אצטרבא מוטא א׳ כרבנן דאמרי בבראשית רבה אסטרופומטא כי הדלתות היו נכפלות לאחוריהן· עמד לו יעקב אחר הדלת עד שנכנס עשו ויצא לו· דה״ר אך יצא יצא יעקב אך יצא אינו אומר אלא אך יצא יצא

· CAPUT XIX.

Ubi igitur de Templi porta, & ejus valvis; & cur magis earum strepitus exaudiretur, quam sonitus reliquarum portarum, quæ ejusdem erant magnitudinis? & de vite aurea.

PORta templi alta erat viginti cubitos, & decem cubitorum erat ejus latitudo, illique impositum erat velum, sicuti dictum est; præterea constitutæ erant illi quatuor valvæ cum cardinibus infixis in portæ postibus. Et *Vitruvius* valvarum cardines lib. II. cap. 8. & lib. X. cap. 17. *Orthostata* appellat; eo quod essent semper recti, non vero oblique collocati; Atque harum quatuor valvarum, duæ erant exteriores, & duæ interiores, sicuti scriptum est *Ezech.* XLI. 23. *Et duo ostia erant in templo, & in Sanctuario*.

Crassities parietis templi erat sex cubitorum, & in postremo cubito spissitudinis muri ad vestibuli latus erant duæ valvæ exteriores, altera ad dextram, & ad sinistram altera; & in fine crassitiei parietis ad templi latus erant duæ valvæ interiores, altera ad dextram, & ad sinistram altera; Et singulis valvis, ex duabus valvis tam exterioribus quam interioribus, erat latitudo quinque cubitorum; quando vero claudebantur, & se mutuo contingebant, abscondebant latitudinem vacuam portæ, quæ erat decem cubitorum; ideoque cum valvæ exteriores ad latus interius aperirentur, quævis valva, altera ad dextram, & altera ad sinistram, tegebat quod reliquum erat ex crassitie parietis templi, quæ ad singula latera erat quinque cubitorum. (Quando vero valvæ interiores ad templi latus aperirentur, altera valva tegebat quinque cubitos ex pariete templi ex una parte, & altera quoque ex altera parte quinque cubitos, ubi paries, sicuti reliquæ templi partes, non erat auro tectus, ne murus, qui non erat a tergo valvarum obductus auro, conspiceretur. R. Jehuda dicit; intra portam consistebant, erantque similes איצטרמיטא. Et *autor Aruch* f. m. legit sicut אצטרבא מוטא; aut sicuti dixerunt Sapientes in *Bereschith Rabba* אסטרופומטא; eo quod valvæ intrinsecus duplicarentur; stetit Jacob post valvam, donec ingressus est Esau, & egressus est, ex *Genes.* XXVII. 28. אך יצא יצא יעקב; non dictum est nisi אך יצא יצא, videbatur exisse, at non erat egressus; Atque addit R. Nathan f. m. in hac voce; Græce, quod

נרא׳

נרא' יוצא ואינו יוצ' והוסיף מהר"ד נתן ז"ל בערק ההוא עצמו ובלשון יון קורין למהופך אסטראפו ואני באמת לא ידעתי מאין המלה הזאת ארדבה במחילה רבה מכבודו קים לי בהדיא כי אסת ראביס כתוב באלפא · בסיגמא · בתיו · ברו · באלפא · בביטא · באיטא · וסיגמא · ר"ל בלתי מתהפך או בלתי נכפל · אמנם הרב מבירטאנורה ז"ל קורא איצטרמיטא והיא באולי מלה ארמית ופירש היינו היו לוחות של פרקים מחוברות על ידי לוחות נכפפות ונכפלות זו על זו · וכמשפט הזה היו כל הדלתות הללו בין אותם שבפנים בין אותן שבחוץ מחוברות על ידי חוליות ובסוף חצי אמה של עובי הכתל היו קבועות כל הדלתות שבפנים ושבחוץ וחמש אמות שבעבי הכתל היו מפסיקות בין הדלתות החצונות לדלתות הפנימיות וכל דלת היה של חמש אמות מחובר משתי לוחו' כל לוח שתי אמות ומחצה וכשנפתח הדלת החצון לצד פני' היה חציו נכפף ונכפל זה על זה ומכסה מעבי הכתל אמתי' וחצי וכן הדלת הקבוע בפנים כשנפתח לצד חוץ הות גם הוא נכפף ונכפל ומכסה האמתי' וחצי שנשארו מעבי הכתל המגולה שנאמר ושתים דלתות לדלתות שתים מוסבות דלתות שתים לדלת אחת ושתי דלתות לאחרת יחזקאל שם ושני פשפשין היינו שני פתחים קטנים היו שם אחד מימין שער הגדול של היכל ואחד משמאלו רחוקים קצת מן השער הגדול ואותו שבדרום לא נכנס בו אדם מעולם כמפורש ביחזקאל מ"ד ויאמר אלי ה' השער הזה סגור יהיה לא יפתח ואיש לא יבא בו כי ה' אלהי ישראל בא בו והיה סגור · נטל את · המפתח ופתח את הפשפש שבצפון ונכנס להתא היינו ללשכה אחרת פתוחה להיכל ומן ההיכל הולך עד השער הגדול שבסוף עבי הכתל מבפנים ופותחן ובא לו אל השער השני שבסוף עבי הכתל מבחוץ ועומד מבפנים ופותחו · רבי יהודה אומר בתוך עביו של כתל היה מהלך קא סבר דמן התא לא היה נכנס להיכל אלא מן התא היה מהלך בתוך עביו של כתל עד שנמצא עומד בין הדלתות הפנימיו והחצוניו' של השער הגדול ופותח מנעולי דלתות החצונות הפונים לצד ההיכל וכן מנעלי דלתות אפנימיות הפונים לצד האולם

convertitur, dicitur אסטקאפו; ego equidem ignoro, unde deducat hanc vocem; contra vero, quod ejus pace & honore dictum sit, mihi constat אסתראפיס scriptum Alpha, Sigma, Tau, Ro, Alpha; Bita, Ita, & Sigma, significari, quod neque convertatur neque duplicetur. Ceterum R. *Bartenora* f. m. legit איצטרמיטא, quæ fortasse est vox Syriaca; & explicat; erant sc. tabularum fragmenta, ope tabularum curvarum conjuncta, quarum altera super altera duplicabatur; atque hoc modo hæ valvæ omnes tam interiores quam exteriores, ope vertebrarum conjungebantur, & in fine crassitiei dimidii cubiti parietis infixæ erant omnes valvæ tam interiores, quam exteriores; & quinque cubiti spissitudinis parietis dividebant inter valvas exteriores, & interiores; & quævis valva erat quinque cubitorum compacta ex duabus tabulis, & quævis tabula erat duorum cubitorum cum dimidio; cum vero aperiretur valva exterior ad latus interius, ejus pars dimidia incurvabatur, & altera super altera plicabatur, & tegebat ex muri crassitie duos cubitos cum dimidio; valva quoque quæ intrinsecus infixa erat, quando aperiebatur ad latus exterius, pariter incurvabatur, & plicabatur, & tegebat duos cubitos cum dimidio, qui reliqui erant ex crassitie parietis aperti, dictum est enim *Ezech.* XLII. 24. *Et in duobus ostiis ex utraque parte bina erant ostiola, quæ in se invicem plicabantur*. Duo quoque ibi erant ostiola sc. duo parva ostia alterum ad dextram portæ magnæ templi, & ad sinistram alterum, parum remota a porta magna; per illud, quod erat in plaga australi, nemo unquam ingrediebatur, ut explicatur in *Ezechiele* XLIV. 2. *Et dixit Dominus ad me; porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam; quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa*. Accipiebat clavem, & aperiebat ostiolum aquilonare, & ingrediebatur in thalamum, sc. in conclave, quod in templum apertum erat, atque a templo ibat usque ad portam magnam, quæ erat in fine crassitiei parietis interius, & aperiens ibat ad portam secundam, quæ erat in fine spissitudinis parietis exterius, & stans interius aperiebat. R. Jehuda dicit; intra muri crassitiem ambulabat; putat, quod e thalamo non ingrederetur in templum, sed e thalamo ambularet intra crassitiem parietis, donec deprehenderetur consistere inter valvas interiores & exteriores portæ magnæ, & aperiret pessulos valvarum exteriorum, quæ templum,

זה

זה אחר זה ואז כשנפתחים הדלתות האלה היה נשמע קולם עד יריחו אולי מפני שהיה השער הזה בגבהו של מקדש כי היה יותר גבוה מרצפת שער נקנור כאשר אמרנו שמנה אמות וחצי · ולפיכך דלתו׳שאר השערים לא ישמיעו קולם חוץ לבית כמוהו מפני שקולם פוסק ועומד בתוך חלל העזרה המוחלטת ולא יצא לחוץ.

ואני על השמנה ושלשים תאים שהיו שם חמש עשרה בצפון וחמש עשרה בדרום ושמנה במערב לא אדבר דבר כאשר בשכבר כתבתי גם כן בפרק ג׳ מספרי זה כי השמטתי לכתחלה קצת פרטי הבית ולא דברתי בפרקים האלה אלא על מה שיתיחס לכונתי הראשונה לא זולת · והנה על הפתח הזה הנקרא שער הגדול היינו לערך השני פשפשין שהיו לו משני צדדיו ולא בהחלט · כי היה שוה בגבהו וברחבו לכל שאר שערי העזרה וקטן בלי ספק מפתחו של אולם היתה עומדת ומודלת על גבי כלונסות גפן של זהב לפי שכנסת ישראל נמשלת לגפן ומתברכת כגפן וכל המתנדב זהב להוציא בתפארת ההיכל שהוה כלו מצופה זהב עושה מאותו השיעור שמתנדב דמות עלה או גרגיר או אשכול ותולה אותו בה · ורבי אליעזר בר צדוק הפליג בגוזמות שלש מאות כהנים כמו שיאמר שהיו צריכי׳ לכהנים רבים לטלטלה מכובד העליך הגרגרין והאשכולו׳ זהב שהיו תלויים בה.

pariterque pessulos valvarum interiorum, quæ vestibulum respiciebant, unum post alium; cum eæ valvæ aperiebantur, exaudiebatur earum strepitus usque ad Jericho, fortasse eo quod hæc porta sita esset in altitudine Sanctuarii, quæ erat altior, uti dictum est, pavimento portæ Nikanoris octo cubitis cum dimidio; ideoque valvarum reliquarum portarum non exaudiebatur strepitus extra domum; eo quod eorum stridor cessaret, & consisteret intra vacuum atrii simpliciter sumti, neque erumperet.

Ego vero non loquar de octo & triginta thalamis, quorum quindecim in aquilone, quindecim in austro, & octo in occidente siti erant, sicuti pariter scripsi in cap. III. hujus mei libri; prætermisi enim de industria partem rerum præcipuarum domus, neque disserui in his capitibus nisi de iis, quæ meo proposito præcipue sunt convenientia. Super hac porta, quæ magna appellabatur, respectu sc. duorum ostiolorum, quæ in ejus duobus lateribus sita erant, non vero simpliciter (eo quod in altitudine & latitudine esset reliquis atrii portis æqualis, & sine dubio vestibuli porta minor) stabat erecta super perticas vitis aurea, eo quod congregatio Israelis viti comparetur, & quasi vitis benedicatur. Si quis vellet offerre, ut adhiberetur ad templi gloriam, quod totum auro obductum erat, ex ea quantitate, quod vovebat, fiebat figura grani, vel folii, vel botri, & illi appendebatur. Et R. Eliezer filius Zadok hyperbolice dicit; ter centum Sacerdotes; quasi diceret multos requiri Sacerdotes ad movendum, propter onus foliorum, granorum, & botrorum aureorum, quæ illi appensa erant.



פרק יט.

במנורה ושלחן הזהב ומזבח הקטורת שהיו בהיכל ובמדרת המנורה בארכה וברחבה וצורתה ומשפטיה ותנאיה ומה שיש להקשו' על' רבינו ששם המנור' לרחב ההיכל כי זה היה נמנע בבירת הראשון וגם בבית השני יש על דעתו פירכא וכתב אברהם דעתו המוסמך על' דברי קצרת רבותינו ופסוקי התור על' מצב המנורות והשלחנות בבית ראשון ושני.

CAPUT XX.

Ubi agitur de Candelabro, & de Mensa aurea, & de Altari suffitus, quæ erant in templo, & de longitudine, latitudine, & figura, & de situ candelabri, & quid opponatur præceptori nostro qui statuit candelabrum in latitudine templi; quod prohibitum fuit cum in prima, tum in secunda domo; ejus sententiæ est objiciendum. Abraham describit sententiam suam confirmatam verbis aliquorum nostrorum Sapientum, & legis textibus de situ candelabrorum, & mensarum cum in prima tum in secunda domo.



מודעת זאת לכל קורא מקרא שבהיכל היו המנורה שלחן הזהב ומזבח הקטורת המנורה בדרום והשלחן בצפון שעליו לחם הפנים ומזבח הזהב שהיה משוך מן המנורה כשעור הרחקתו מן הצפון· ושלשתן היו מונחין משליש ההיכל ולפנים כנגד הפרכה' המבדיל בין הקדש ובין קדש הקדשים·

רגלי המנורה היו שלשה· וגבהה אמר שמואל משמיה דרבא שמנה עשר טפחים· ויש לו לרבא רמז בתורה בפ׳בהעלותך כשאמר הכתוב וזה מעשה המנורה וגו׳ עד ירכה עד פרחה כו וזה עולה שמנה עשרה היינו טפחים כאמר אמר: הרגלים והפרח טפחים וטפחיים חלק וטפח שבו גביע כפתור ופרח וטפחיים חלק· וטפח כפתור ושני קנים יוצאים ממנו אחד אילך ואחד אילך ונמשכים

Quivis lector non ignorabit, in templo fuisse candelabrum, Mensam auream, & Altare suffitus. Candelabrum situm erat in plaga australi, & Mensa in aquilonari, cui imponebatur panis facierum; & altare aureum, quod protractum erat a candelabro, quantum erat remotum ab aquilone; & hæc tria sita erant ab tertia parte templi & interius e regione veli, quod separabat inter sanctum & Sanctum Sanctorum.

Candelabri pedes erant tres, & ejus altitudo, dicit Samuel nomine Raba, erat octodecim palmorum; & Raba hoc demonstrat ex lege *in sectione Candelabri*, ubi Scriptura dicit; וזה מעשה מנורה וגו׳ עד ירכה עד פרחה וזה eo quod ex וזה octodecim eruantur, i. e. octodecim palmi, uti dictum est. Pedes & flos tres palmi, & duo palmi læves, & palmus, ubi erat crater, malum, & flos, & duo palmi læves, & palmus, in

ועולים

ועולים כנגד גבהה של מנורה וטפח חלק
וטפח כפתור ושני קנים יוצאים ממנו אילך
ואילך ונמשכים ועולים כנגד גבהה של
מנורה וטפח חלק· וטפח כפתור ושני קנים
יוצאים ממנו אילך ואילך ונמשכים ועולים
כנגד גבהה של מנורה · וטפחיים חלק ·
נשתיירו שם שלשה טפחים שבהם שלשה
גבעים וכפתור ופרח: גביעים למה הם
דומים· כמין כוסות אלכסנדריאה שפיהן
רחב ושוליהן צר· כפתורים למה הם דומים·
כמין תפוחי הברתיים והוא דמות כדור
שאיה עגול מכל וכל· רק שיש בו אורך
מעט קרוב לביצת העוף· פרחים למה הם
דומים· כמין פרחי העמודים מהם כמין
קערה ושפתה כפולה לחוץ ; והנה ארבעה
גביעים ושני כפתורים ושלשה פרחים היו
בקני המנורה וגם שלשה כפתורים אחרים
היו בה שמהם יוצאים ששת הקנים שלשה
מצד זה ושלשה מצד זה· ובכל קנה וקנה
מהם שלשה גביע' וכפתור ופרח והכל
משוקדים היינו מעשה שקדים והיא מלאכה
ידועה אצל אומני הנחשת שהם מכים
בפטיש העשת עד שיהיה כלו שקדים
שקדים· נמצאו כל הגביעים שנים ועשרים
והפרחי' תשעה והכפתורים אחד עשר :
גביעים שנים ועשרי' דכתיב ובמנורה ארבעה
גביעים· תמניסר דקנים וארבעה דידה הא
שנים ועשרים: כפתורים נמי אחד עשר ·
כפתורים תרי וששה דקנים וכפתור וכפתור
וכפתור הא אחד עשר· אלא פרחיה תשעה
מנא לן· פרחים תרי הוו· וששה דקני' תמני
הוו· אמר רב שלמן עד ירכה עד פרחה
שהיה פרח אח' סמוך לירכה: גביעים מעכבי'
זה את זה · פרחי' מעכבי' זה את זה ·
כפתורים מעכבים זה את' זה· גביעים כפתורים
ופרחים מעכבים זה את זה: שבעה קנים
מעכבים זה את זה ושבעה נרותיה גם כן
מעכבים זה את זה.

כתב הרמב״ם ז״ל כל הנרות קבועים
בקנים ופני כלם הם לנר האמצעי שבמנורה
שפניו הם בנגד קדש קדשים והוא הנקרא
נר מערבי· וזה יורה כי הוא ז״ל לא קיימא
ליה כרבי· ולפיכך בפרק הזה עצמו שהוא
שלישי להלכות בית הבחיר' כתב שאר כל
הכלים שבמקדש ארכן לארכו של בית ורחבן
לרחבו חוץ מן הארון שהי' ארכו לרחב הבית
וכן נרו' המנור' היו כנגד רחב הבית בין
הצפון ובין הדרום· ועם כי בפירו' המשנה
ששית דמנחות פרק שתי הלחם לא הוציא

quo erat malum unde duæ cannæ hinc inde egredientes, & protractæ assurgebant contra altitudinem candelabri; & palmus lævis; & palmus ubi erat malum, unde duæ cannæ hinc inde egredientes, & protractæ assurgebant contra altitudinem candelabri; & duo palmi læves; reliqui erant tres palmi, in quibus erant tres crateres, malum, & flos. Crateres cuinam erant similes? poculis Alexandrinis, quibus os erat latum, & fundus angustus. Mala cuinam similia erant? malis cretensibus, quasi pila, quæ non omnino rotunda sit, sed oblonga fere volucris ovo similia! Flores cuinam similes? floribus columnarum, lauri similes, cujus labia foris convoluta erant; & ecce quatuor crateres, & duo mala, & tres flores erant in cannis candelabri, pariterque tria alia mala in illo erant, unde sex calami, hinc tres, & illinc tres prodibant; & in singulis calamis erant tres crateres, & malum, & flos, & totum erat amygdalatum, sc. opus incisum forma amygdali, quod notum est fabris ærariis, qui malleo percutiunt opus, donec totum fiat amygdalatum, deprehenduntur omnes crateres fuisse duo & viginti, flores novem, & mala undecim; crateres duo & viginti, sicuti scriptum est, *Exod.* xxv. 34. *In ipso autem candelabro erunt quatuor susobi*; octodecim in calamis, & quatuor in ipso, ecce duo & viginti. Mala pariter erant undecim; duo mala, & sex in calamis, & malum, & malum, & malum, ecce undecim. Flores vero fuisse novem unde probatur? Duo flores in pede, & sex in calamis, sunt octo. Dixit R. Salmon; עד ירכה עד פרחה; erat flos prope pedem. Crateres inter se mutuo impediunt, flores inter se mutuo impediunt, mala inter se mutuo impediunt; crateres, mala, & flores inter se mutuo impediunt; septem calami inter se mutuo impediunt; & septem pariter lucernæ inter se mutuo impediunt.

Scripsit *Maimanides* f. m. Omnes lucernæ ita dispositæ erant in calamis, ut earum facies omnes converterentur ad lucernam mediam candelabri, cujus facies respiciebant contra Sanctum Sanctorum, eaque lucerna occidentalis appellatur; ex hoc ostenditur, eum non sentire cum Rabi; ideoque in hoc eodem capite, quod tertium est *constitutionum de domo electa*, scribit ceterorum omnium vasorum Sanctuarii longitudinem fuisse ad longitudinem domus, & latitudinem ad ejus latitudinem, excepta Arca, cujus longitudo erat ad latitudinem domus, pariterque candelabri lucernas fuisse contra domus latitudinem inter aquilonem & austrum.

מן כלל כל הכלים וכו׳ אלא הארון בלבד׳ עם כל זה בצורה ההיא שעשה שם מקדש הקדשים נראה שכן היה גם כן דעתו במקום ההוא.

אמנם קשה לי על הרב ז״ל ממה שקרלינו בפרק המנחות האמור תנו רבנן עשר מנורות עשה שלמה שנאמר ויעש את המנרות עשר כמשפט ויתן בהיכל חמשה בימין וחמשה בשמאל׳ ואם תאמר חמשה מימין הפתח וחמשה בשמאל הפתח א״כ מצינו מנורה בצפון והתורה אמרה ואת המנורה נכח השלחן׳ אלא של משה באמצע וחמש מימינה וחמש משמאלה כי הנה מכאן יש לנו לומר שהמנורה לא היתה ברחב הבית אלא לארכו של בית כי כמשפט הזה בלבד יאות מה שאמ׳ אלא של משה באמצע וחמש מימינה וחמש משמאלה ראם לא כן הרי חמשה מנורות יהיו על כל פנים לצד צפון ומקום המנורה הוא בצד דרום בלבד כדכת׳ על ירך המשכן נגבה׳ ואם באולי תאמרו לו מה לנו בכך׳ הלא גם זה ידע רבינו באמונה ולעולם יאמר לך שהיו המנרות לרחב ההיכל בדרום׳ גם אני אשיב אמרי לכם שתתרצו נא אם יקרה נפשי בעיניכם להיות מתונים בתשובתכם זאת ולהשמיע מקודם לאזנכם היטב מה שאתם מוציאים עתה מפיכם בהתבהלה כי אם הדבר ריק מכם׳ אתם בני שמעו לי כי אי אפשר לשום האחד עשר מנורות לרחב הבית הקדש כדברי מהרב ז״ל בשום פנים אם יהיו בשורה אחת שורה זו אחר זו׳ והמופת האמיתי וההכרחי היה זה לכם.

הלא אמרו רבותינו כאשר כתבתי למעלה בפרק זה כי ארכה של מנורה היינו קומתה הוא שמנה עשר׳ טפחים שהם שלש אמות של ששה טפחים לכל אמה׳ ואם ארכה היא שלש אמות כאמור אין ספק שיהיה רחבה גם כן מצד השש׳ קני׳ הפרוסים חוצה לה אמה וחצי משלם׳ צאו וראו כי מהכפתור של טפח אחד שבקנה המנורה שהוא בתשעה טפחים לארכה יצאים

Et quamvis in commentario in cap. XI. 6. *Menachoth* non excludat a genere omnium vasorum, nisi unam Arcam, tamen in figura, quam ibi efformat Sancti Sanctorum, videtur vel ibidem hæc fuisse ejus sententia.

Verum opponendum mihi est contra præceptorem f. m. ex eo, quod legitur in eodem capite *Menachoth*. Docent Sapientes; Decem candelabra fecit Salomon, sicuti dictum est, 2. *Paralip.* IV. 7. *Fecit autem & candelabra aurea decem secundum speciem, qua jussa erant fieri, & posuit ea in templo quinque a dextris, & quinque a sinistris.* Si dices, quinque ad portæ dextram, & quinque ad portæ sinistram; deprehendetur candelabrum fuisse in aquilone, cum lex dicat *Exod.* XL. 22. *Posuit & candelabrum in tabernaculo testimonii e regione mensæ*. Verum Mosaicum erat in medio, & quinque ad ejus dextram, & quinque ad ejus sinistram; hinc dicendum nobis est, candelabrum non fuisse in latitudine, sed ad longitudinem domus, eoque modo tantum erit, quod ab eo dictum est. At Mosaicum erat in medio & quinque ad ejus dextram, & quinque ad ejus sinistram; quod si ita res non haberet, quinque candelabra omnino fuissent in plaga aquilonari, quamvis candelabri situs tantum esset in latere australi, sicuti dictum est *Exod.* ibid. *Posuit & Candelabrum in tabernaculo ---- in parte australi.* At fortasse, mihi dicetis; Quid nostra hoc interest? Nonne hoc notum erat nostro præceptori, qui fideliter, & semper tibi dicet, candelabrum fuisse in austro ad templi latitudinem? Ego quoque vobis respondebo, ut acquiescatis, si in oculis vestris pretiosa sit anima mea, priusquam respondeatis, bene intelligatis, quod cito ex ore vestro egreditur, eo quod hoc vanum est. Vos mei filii me audite, quod impossibile sit, collocare nullo modo undecim candelabra ad latitudinem domus sanctæ, juxta verba præceptoris f. m. si fuerint in recta linea unum post aliud; & declaratio vera & clara hæc erit.

Jam dixerunt sapientes nostri, uti supra scripsi in hoc capite, candelabri longitudinem, i. e. ejus altitudinem, fuisse octodecim palmorum, sc. trium cubitorum, quorum singuli sex palmis constabant; si longitudo erat trium cubitorum, uti dictum est, manifestum erit ejus quoque latitudinem propter sex calamos extra illud expansos, fuisse unius cubiti integri cum dimidio. Exite, & videte, quod a malo unius palmi, quod erat in canna candelabri, quod erat in novem palmis suæ longitudinis, prodierint duo primi

שני קנים הראשונים שבה ואחרי הכפתור הזה יש במנורה טפח חלק· ואחריו כפתור טפח שיוצאים ממנו הקני׳ השניי׳ וטפח חלק· אחר זה כפתור טפח שיוצאים ממנו הקנים השלשיים וטפחיי׳ חלק· הרי שהמרחק שהוא בין השלשה קנים הוא לכלן טפח אחד ועוד שני אצבעות עליו כי הנה הקנים כלם הם· יצאים מהחצי של כפתור שהוא טפח ועובי הקנה אין ספק שלא יאכל מהכפתור עצמו פחות משני אצבעות ממנו כי הנה לכל קני המנורה ככתוב בתורה היו שלשה גביעים משוקדים וכפתור ופרח באופן שלכל כפתור ישאר אצבע אחד מלמעלה ממקום שיוצא הקנה מהכפתור ואצבע אחר מלמטה כמוהו· ושלכן בין הטפח חלק והשני אצבעות האמורי׳ והוה מרחק הקוה האח׳ מהקנה האחר ששה אצבעות· עד כי מהקנה האחד אל השני ומהשני אל השלישי וכן מהשלישי אל קנה האמצעי יהיו שמנה עשר׳ אצבעות של מרחק מצד ימין המנורה כאמור· שימו מרחק אחר כמוהו לשלשה קנים אחרים שהם מצד שמאל ואז יהיו לו׳ אצבעות בין כל׳ הששה קנים.

והנה גם כי אחרי פריסת הקנה השלשי׳ והחמשי שבמנורה הזאת במקום טפח חלק כאמור יהיה בקנה האמצעי ממנה טפח אחד מיותר ממה שהיה בין קנה לקנה משאר הקנים אין לך אתה הקורא בעבור זה לומר כי מרחק מרחב הקנים בין כלם יהיו יותר מהששה ושלשים אצבעות הנזכרים כי באמת ובתמים הטפח הנוסף הזה יעלה על כל פנים יפה לתת כח ורשות לאומן המנורה בשעת עשייתה לרחוף כל שלשה הקנים מזה ומזה ולקרבם מעט מעט אל׳ גוף קנה האמצעי בהדרגה נאה עד כי יכנס עובי הקנה הראשון והאמצעי והשביעי תוך מרחב מרחק תשעה טפחים של כל רחב המנורה כאשר שמתי לפניך ולא יעבור· על׳ כן חדל׳ לך מלהאשים אותי ומלסתור את אשר דברתי עתה כי לא עליך אתה היום להתחפש ולחלחם בי· כי אם תאמ׳ לבהלני הלא האלקים תשחירת עמי יותר מן הראוי ותבטל׳ דעת האיש משה הקדש הזה אשר תמיד במימיו המתוקים מדבש אנו שותין ומפי חכמתו הרבה אנו חיין· על כן תעלה נא תחנתי לפניך לעמוד במרחב הזה בלבד של אמה וחצי במנורה ולא הוסיף עצב בהרחבת גבולה אל׳ רבינו המובהק יותר ממה שהוא מן הראוי לנו כי בדבר הזה לא תעש׳ הטוב והישר בעיני ה׳ אלהינו·

ipsius calami, & post hoc malum fuerit in candelabro palmus lævis; & posthæc malum palmus, unde prodibant secundi calami, & palmus lævis; posthæc malum palmus, unde prodibant tertii calami, & duo palmi læves; ecce spatium, quod erat inter tres calamos, omnino fuit unius palmi, & præterea duorum digitorum; eo quod calami omnes prodibant de medio mali, quod erat unius palmi, & calami crassities procul dubio non occupabat ex ipso malo minus duobus digitis; eo quod omnibus calamis candelabri, ut in lege scriptum est, erant tres crateres amygdalati, & malum, & flos, ita ut singulis malis reliquus esset digitus supra locum, unde calamus prodibat ex malo, pariterque digitus inferius; ideoque inter palmum lævem, & duos digitos commemoratos, fuit spatium ab uno ad alterum calamum sex digitorum; itaut a prima canna ad secundam, & a secunda ad tertiam, & a tertia pariter ad mediam, fuerit spatium octodecim digitorum ab latere dextro candelabri, uti dictum est; si par spatium a vobis tribuatur tribus ceteris calamis, qui erant in latere sinistro, tum inter omnes calamos erit spatium sex & triginta digitorum.

Ecce, quamvis post divisionem tertiæ cannæ & quintæ candelabri in loco palmi lævis, uti dictum est, in ejus calamo medio supersit palmus præ spatio, quod intererat inter unum & alium ex reliquis calamis, tamen tibi non dicendum est, Lector, spatium latitudinis calamorum inter omnes ultra sex & triginta commemoratos digitos patuisse, eo quod certe hic palmus additus recte procedet omni modo; ut esset facultas & potestas artifici candelabri in tempore operis hinc inde tres calamos impellendi, & paulatim gradatim admovendi ad corpus cannæ mediæ, ita ut crassities calami primi & medii & septimi ingrederetur intra latitudinem spatii novem palmorum totius latitudinis candelabri, uti disposui; neque transgrediebatur. Idcirco desine me accusare, & opponere iis, quæ a me adhuc dicta sunt, neque tibi hodie convenit me adoriri & oppugnare; si me magis quam deceat, deprimere volueris, abolebis sententiam viri sancti Mosis, ex cujus aquis nos jugiter bibimus, quæ nobis sunt melle dulciores, atque ex ejus sapientia maxime vivimus; idcirco te rogo, ut acquiescas in hoc spatio unius cubiti cum dimidio duntaxat in candelabro, neque molestiam addas præceptori nostro, in ejus termino augendo magis quam conveniat; eo quod in hoc non facies, quod placuerit oculis Domini Dei nostri.

ועתה

ועתה זכרו בני שרחבו של היכל הוא מאה ועשרים טפחים בלבד שהם עשרים אמה של ששה טפחים ואל תשכחו מה שאמרו רבותינו ז"ל ביומא פרק אמר להם הממונה שהשלחן שבצפון היה משוך מהכתל שלו שתי אמות ומחצה וכן המנורה שבדרום היתה משוכה מהכתל שלה כמו שהיה השלחן משוך מהכתל שלו שתי אמות ומחצה עד שצריך להסיר מרחב ההיכל מצד דרום חמש עשרה טפחי' אך מצד צפון צריך להסיר מרחבו של היכל כ"א טפחים היינו החמש עשרה כאמור· והששה טפחים אחרי' בעבור רחבו של שלחן שהיה אמה. הרי שנשאר בהיכל מקום פנוי של ארבעת ושמנים טפחי' מהם ארבעה עשר אמות בין הכל.

והנה בבית ראשון היו י"א מנורו כאמור· עשרה שעש' שלמה ואחת של משה כלן במדה אחת או יותר גדולו' ממה כי אין ספק שלא היו קטנות משל משה כי מעלין בקדש ולא מורידין והנכון הוא שיהיו שוות כי כן כתב בד"ה ב"ד' ויעש את מנורות הזהב עשר כמשפטם שרצה לומר שוות למנורה של משה בגביעי'· בכפתורים. בפרחים· בקומה· וברחב· ובמשקל הזהב· שימו אתם בשורה שוה הי"א מנורו' על פני רחב ההיכל ותניחו מרחק בין מנורה למנורה טפח אחד בלבד כדי שלא יראו במנורה דולקת ותראו שיעלו הטפחים מהמנורות כלם עם המרחקים האמורים לסך מאה ותשעה טפחים שהם חמשה ועשרים טפחי' יותר ממה שהוא המקום פנוי ברחב ההיכל מצורף למה שתשימו קצת מהמנורות האלו בצפון כאשר אמרתי נגד משפטי התורה והמצוה.

ואני לא אוכל להתאפק מלהגיד לכם כי אז נתמלא שחוק פי כששמעתי מה שהשיב חכם אחד מבני עירנו בעד הרב ז"ל לקיים דעתו על דבר מצב המנורה לרחב הבית כי אמר שהמנורה הראשונ' היתה נתונה משליש ההיכל ולפנים לרחב הבית ושלפנים ממנה היתה נתונה המנורה השנית כסדר הזה בעצמו עד המנורה שעשה משה שהיתה נתונה בסדר הששי מהמנורות וממנה ולמעלה היו נתונות החמשה מנורות האחרונות עד תומם· כי הנה החכם הזה או לא ראה מה מכתבו רבותינו ז"ל במנחות פרק הנזכר

Nunc recordamini, mei filii, templi latitudinem fuiſſe tantum centum & viginti palmorum, i. e. viginti cubitorum, quorum ſinguli ſex palmis conſtabant, neque velim obliviſcamini quod dixerunt ſapientes noſtri f. m. cap. III. *Joma*; menſam ſc. protractam fuiſſe a muro aquilonari duos cubitos cum dimidio, parique intervallo a pariete auſtrali protractum fuiſſe candelabrum duos cubitos cum dimidio; ita ut neceſſit ſit ſemovere ab latitudine templi ad auſtrum quindecim palmos, pariterque ab templi latitudine ad aquilonem ſemovere unum & viginti palmos, ſc. quindecim commemoratos, & ſex alios propter latitudinem menſæ, quæ cubito conſtabat; ecce reliquum erit in templo ſpatium inane quatuor & octoginta palmorum, qui omnino ſunt quatuordecim cubiti.

In prima domo erant undecim candelabra, uti dictum eſt, decem, quæ fecit Salomon, & unum Moſaicum, omnia ejuſdem menſuræ, aut illo majora; neque credendum eſt Moſaico fuiſſe minora; eo quod adſcendant in Sanctitatibus, non deſcendant; conveniens eſt fuiſſe æqualia, eo quod 2. *Paral.* IV. 7. ſcriptum eſt; *Fecit autem & candelabra aurea decem ſecundum ſpeciem, qua juſſa erant fieri*; i. e. æqualia candelabro Moſaico in crateribus, in malis, in floribus, in altitudine, in latitudine, & in auri pondere. Collocate igitur in linea recta undecim candelabra in latitudine templi, & ſtatuite inter unum & alterum candelabrum ſpatium unius palmi, ne videantur quaſi candelabrum ardens; videbitis palmos ex omnibus candelabris cum ſpatiis commemoratis, adſcendere ad ſummam centum & novem palmorum; qui quinque & viginti palmis ſuperabant ſpatium inane in latitudine templi; præter quam quod ſtatueretur pars candelabrorum in plaga aquilonari, uti dixi, contra inſtitutum legis & præceptum.

At ego cohibere me non poſſum, quin vobis referam, me pleno ore riſiſſe, quando audivi, quod mihi reſpondit ſapiens ex filiis noſtræ civitatis pro præceptore f. m., ut ejus ſententia confirmiraretur de ſitu candelabri ad latitudinem domus, dicendo, primum candelabrum fuiſſe collocatum ab tertia parte templi & interius ad latitudinem domus, & ante illud ſitum fuiſſe ſecundum candelabrum juxta hunc ipſum ordinem uſque ad candelabrorum quod fecit Moſes, quod in ſexto candelabrorum ordine ſitum erat, & ab eo & ſuperius collocata fuiſſe alia quinque candelabra uſque ad ultimum;

או לא ידע אי זהו ימין ושמאל של מנורה ופנים ואחור ממנה כי הנה אם נשים המנורה לרחב הבית ונרצה לכוין הרוחות מן המזרח אל המערב יהיה ימין המנורה מצד צפון ושמאלה לצד דרום כמו שהפנים שלה יהיו אז לצד מערב ואחוריה לצד מזרח לכן אם אמת היה הדבר שנתונות היו המנורות לרחב ההיכל כאשר דבר לא נמצא תקון למנורה שיהיה הימין או השמאל שלה או המערב או המזרח כי הפנים כאמור יהיה המערב ואחור המזרח כאשר כתבנו · ובאופן הזה יהיו החמשה מנרות שעשה שלמה פנים לשל משה והחמשה הנותרות אחור לשל משה · וכבר כתוב במלכים א׳ ז׳ ואת המנרות חמש מימ וחמש משמאל לפני הדביר זהב וגו׳ וירצה לפני הדביר המקום הפנוי שהיה בינה ובין הדביר כי לא יהיה בינו ובין המנורה דבר חיצן ולא ירצה הכתוב שתהיה נתונה המנורה לרחב הבנית כי זה היה מן הנמנע כאשר אמרנו · ובדברי הימים ב׳ ד׳ כתיב ויעש את מנרות הזהב עשר כמשפטם ויתן בהיכל חמש מימין וחמש משמאל כמו שפירשו רבותינו ז״ל · ע״כ שרי ליה מאריה לחכימא דנא כי השכחה קפצה עליו והוא לא ידע ואשם.

ואולם חי אני נתמלאה דעתי תמיהא גדולה לכבוד השני אשלי רברבי כבוד והדר דורנו זה הלא הם החכמי׳ הגדולים רלב״ג והאברבאנילו ז״ל כשראיתי שבמלכים א׳ ו׳ על פסוק ואת השלחן אשר עליו לחם הפנים זהב · עזבו מקור מים חיים פורוש רבותינו ז״ל במסכת מנחות פרק שתי הלחם לחצוב להם פירושים נשברים וזרים אשר לא יכילו מימי האמת בשום פנים · כי רלב״ג ז״ל כתב כבר נשבאר בספר ד״ה כי שלמה עשה עשרה שלחנות והניחם בהיכל חמש מימין וחמשה משמאל לא שיהיו קצת השלחנות לפאת צפון וקצתם לפאת דרום כי כבר נתבאר בדברי התורה שמקום השלחן היה בצפון והמנורה היה בדרום · אבל הרצון בזה שרפאת צפון שם השלחנות בשתי שורות · השורה האחת לפאת ימין מהאחרת · וכן ראוי שנבין מענין המנורות כו׳ · וחחכם אבארבאנילו שהעתיק ממנו מלה במלה

Hic sapiens aut ignorat, quod scripserunt sapientes nostri f. m. in commemorato capite *Menachoth*, aut nescit quænam sit dextra & sinistra candelabri, aut pars ejus anterior & posterior; Etenim si collocetur candelabrum ad latitudinem domus, dirigantur latera ab oriente ad occidentem, erit dextra candelabri a plaga aquilonari, & sinistra ab australi, ita ut ejus facies tum fuerint ad occidentem, & pars posterior ad orientem. Attamen si verum sit sita fuisse candelabra ad latitudinem domus, uti dixit, non deprehendetur dispositio candelabri, ut sit ejus dextra aut sinistra aut occidens aut oriens; eo quod facies, uti dictum est, erunt occidens, & pars posterior oriens, uti scripsimus; ideoque erunt quinque candelabra Salomonis ad partem anteriorem *candelabri* Mosaici, & quinque ad ejus tergum; verum scriptum est 3. *Reg.* VII. 49. *Et candelabra erunt quinque ad dextram, & quinque ad sinistram contra oraculum*; *contra oraculum* significat spatium inane, quod intererat inter illud & oraculum; eo quod nihil esset inter illud & candelabrum, quod separaret; neque a Scriptura conceditur statui candelabrum ad latitudinem domus, eo quod vetitum esset; uti scriptum est 2. *Paral.* IV. 7. *Fecit autem & candelabra aurea decem secundum speciem qua jussa erant fieri, & posuit ea in templo, quinque a dextris & quinque a sinistris*; Ut explicarunt Sapientes nostri f. m. ideoque huic Sapienti Deus ignoscat, eo quod oblitus fuerit, & imprudens peccaverit.

Verum vivo ego, qui plenus sum magna admiratione propter honorem duarum magnarum arborum, quæ sunt gloria & decus nostri seculi, i. e. magni Sapientes *R. Levi fil. Gersonius*, & *Abarbanel* f. m. quando vidi, quod in eorum commentario in 3. *Reg.* VII. 48. *Et mensam super quam ponerentur panes propositionis, auream*; dereliquerint fontem aquæ vivæ, explicationes nostrorum Sapientum f. m. cap. XI. *Menachoth*, ut foderent sibi explicationes dissipatas, & alienas, quæ ullo modo non possunt continere aquas veritatis. Etenim *R. Levi fil. Gersonis* f. m. scribit; jam explicatum est in lib. *Paral.* Salomonem fecisse decem mensas, & collocasse in templo, quinque ad dextram, & quinque ad sinistram; non quod esset mensarum pars ad latus aquilonare, & pars ad latus australe, eo quod jam explicatum sit in lege, mensæ situm fuisse in aquilone, & candelabri in austro; sed sensus est, in aquilone in duabus seriebus mensas fuis-

עמר גם הוא על דעתו כי כתב ועם היות
שאמר כאן הכתו׳ חמש מימין וחמש משמאל
אין ראוי שתחשוב שהיו השלחנו׳ מהן לימין
ההיכל ומהן לשמאלו רוצה לו׳ לדרום ולצפון
וכן המנורות כי כבר התבאר בדברי התורה
שמקום השלחן היה בצפון ומקום המנורה
היה בדרום· אבל הרצון בזה שלפאת
צפון שם השלחנות בשתי שורות· האחת
לפאת ימין מהאחרת· ולפאת דרום היו
המנורות בזה האופן עצמו· וחכמינו ז״ל
אמרו שהיו חמשה מנירות מימין מנורת
משה וחמש׳ משמאלה וכן הענין בשלחנות
כי היו הכלים האלה אשר עשה משה
מונחים בבית מלבד אותם אשר הוסיף
עליהם שלמה וכו׳.

כי הנה בשני דברים לא דברו נכונה·
והדבר האחד הוא כי הם שמו הימין והשמאל
בכל הרוחות עצמן במה שהן רוחות נפרדות
זו מזו ולא בערך הרוחות שכנגדן מה שלא
בא כדבר הזה בפסוקי התורה והנביאים
והכתובים מעולם· והדבר השני הוא כי דחו
המנור׳ והשלחן של משה מהמקדש לתת
אותם נגד רצון רבותינו באוצרות בית ה׳·
ואם הימין והשמאל ייוחסו לארבעה רוחות
בינן לבין עצמן במה שהן רוחות פשוטות
בהחלט כמו שאמרו אין ספק שיאמר בהם
הימין והשמאל או מצד ארכן או מצד רחבן
ואולם התורה לא נתנה בשום מקום הימי׳
והשמאל לפאו׳ מצד ארך הפאה בפרטות
כי קראה כל הפאה משלם בשם אחד
בלבד ולא אמרה צפון מצד ימין או צפון
מצד שמאל· דרום מצד ימין או דרום
מצד שמאל· צאו וראו כי בפרש׳ תרומה
אמרה ועשית קרשים למשכן עשרים קרש
לפאת נגבה תימנה ולא אמרה עשרה קרשים
לפאת נגבה מצד ימין· ועשרה קרשי׳ לפאת
נגבה מצד שמאל· וכן כאשר צותה שיתנו
המנורה על צלע המשכן תימנה לא אמרה
תימנה בצד שמאל או בצד ימין· וגם בשלחן
אמרה על צלע צפון ולא אמרלה על צלע צפון
בצד ימין או בצד שמאל· ועם כי באמרה

se, unam seriem ad alterius latus dextrum; quod pariter dicendum est de basibus &c. Et Sapiens *Abarbanel*, qui ab eo de verbo ad verbum describit, eandem pariter amplectitur sententiam ita scribens. Cum Scriptura hoc loco dicat; *quinque ad dextram & quinque ad sinistram;* non credendum est, partem mensarum fuisse ad templi dextram, & partem ad sinistram; eo quod jam explicatum sit in lege, situm mensæ fuisse in aquilone, & candelabri locum in austro, sed sensus est ad plagam aquilonarem mensas in duabus seriebus fuisse, unam ad dextram alterius, & ad latus australe eodem modo fuisse candelabra. Et nostri Sapientes f. m. dicunt, fuisse quinque candelabra ad dextram candelabri Mosaici, & quinque ad ejus sinistram; quod pariter dicendum est de mensis; eo quod hæc vasa, quæ fecit Moses, posita erant in domo præter ea, quæ addidit Salomon &c.

Ecce in duabus rebus non recte locuti sunt; 1. quod statuerint dextram & sinistram in omnibus iisdem lateribus, in eo, quod sint latera distincta, unum ab altero, non vero respectu laterum, quæ sunt e regione ipsorum; quod nunquam dicitur in textibus legis & Prophetarum, & Agiographorum; 2. quud removerint candelabrum & mensam Mosis ab Sanctuario, ut reconderentur contra sententiam nostrorum Sapientum in thesauris domus Dei; si vero dextra & sinistra attribuatur quatuor lateribus relative inter se, ut omnino partes simplices considerentur, uti dixerunt, manifestum erit in iis dicendam esse dextram & sinistram aut ex earum longitudine, aut latitudine; verum a lege nullibi attribuitur dextra & sinistra lateribus præsertim ex longitudine lateris, sed uno tantum nomine totum latus appellat, neque dicit aquilonem ad dextram, aut aquilonem ad sinistram; neque orientem ad dextram aut orientem ad sinistram. Exite & videte, quod in *sectione Theruma* i. e. *Exod.* XXVI. 18. dictum sit. *Quarum viginti erunt in latere meridiano, quod vergit ad austrum;* neque dicitur, decem asseres ad latus meridianum ad dextram, & decem asseres ad latus meridianum ad sinistram; pariterque quando lex præcepit statuendum esse candelabrum ad latus tabernaculi ad austrum, non dicitur ad austrum ad dextram, aut ad sinistram, pariterque de mensa dictum est ad latus aquilonare, neque dicitur ad latus aquilonare ad dextram aut ad sinistram; & quamvis quando dictum est *ibid.* v. 35. *Mensamque extra velum* &c. Non explicetur locus peculiaris, ubi præcipue statuenda foret

ושמות

ושמת את השלחן מחוץ לפרכת כו׳ לא פירשה המקום המיוחד שינתנו שם או השלחן או המנורה בהחלט· כי התנאי הזה מחוץ לפרכת הוא משותף לרשית הפאת וסופה ששתיהן בשוה הן כידוע מחוץ לפרכת· עם כל זה בפרש׳ פקודי לא רצתה להשתמש כתנאי הימין והשמאל· אך אמרה וישם את המנורה באהל מועד נכח השלחן על ירך המשכן נגבה ויתן את השלחן באהל מועד על ירך המשכן צפונה מחוץ לפרכת· ובדבר הזה מבלי זכירת ימין ושמאל עולה יפה הודעת מקומם בפרטות כי אמרה על ירך המשכן מחוץ לפרכת שהוא סוף הפאה. ולא אמרה על ראש המשכן שהיה גם הוא מחוץ לפרכת מראשיתו· ואם תרצו לדעת גם הדבר הזה בפאת מערב כמו שראיתם בברור כאמור בצלע הצפון והדרו׳ קראו בדברי הימים ב׳ ג׳ מפסוק עשירי עד פסוק י״ד ותראו שלא זכר הימין והשמאל במערב כלל עם כי היה לו שם מקום נכון להתגדר בו בנקלה כי הנה הדביר היה ברבוע שלם ככתוב שם בספר עשרים על עשרים אמה· ואם תמשוך קו ישר מחצי ארך המערב לחצי ארך המזרח ותתן הכרובי׳ מזה ומזה לקו הישר המשוך· תראה בהדיא שהכרוב האחד היה בקרן מערבית דרומית והכרוב האחד בקרן מערבי צפונית עד כי בדבר הזה קים לן בהדיא שלא נאמרו ברוחות הימין והשמאל מצד הארך אם לא יהיה שם דבר שבעבורו יתהוו בם התנאים האמורים בערך ולא בהחלט.

ועתה כמו שמצד הארך הראיתי לכם שאין בארבע הפאות הימין והשמאל כן צריך אני להודיע לכם שאין גם כן בם הימין והשמאל מצד רחבן כי כל מרחב הדרום יקרא דרום· וכל מרחב הצפון יקרא צפון עד שיגיעו המרחבים על כל פנים למרחב הפאה שכנגדה· ועל זה יש לי עד נאמן ונביא לה׳ והוא יחזקאל מ״ז פסוק י״ז כשאמ׳ והיה גבול מן הים חצר עינן גבול דמשק וצפון צפונה וגבול חמת ואת פאת צפון רוצה לומ׳ שהגבול יהיה מכל צד הצפון היינו מתחלת מרחב צפונה עד גבול חמת שהוא גם כן במרחב צפון ולא אמר וצפון במרחב צפונה עד חמת שהוא הימין או השמאל מהצפון אלא כנה כל צד הצפון בלשון צפון מבלי זכירת ימין ושמאל· וכן

menſa, aut candelabrum; eo quod hoc textu; *Extra velum*; comprehendatur principium lateris & finis, quæ ambo æqualiter, uti conſtat, *extra velum* appellantur, tamen in *ſectione enumeratorum* ſc. *Exod.* XL. non uſa eſt *Scriptura* hac lectione dextræ & ſiniſtræ; ſed dicit *Ibid.* XL. 22. *Poſuit & candelabrum in tabernaculo teſtimonii e regione menſæ in parte auſtrali. Ibid.* v. 20 *Poſuit & menſam in tabernaculum teſtimonii ad plagam ſeptentrionalem extra velum*. Atque ex hoc, nulla facta mentione dextræ & ſiniſtræ plane eruitur peculiaris loci notitia, eo quod dictum ſir על ירך *tabernaculi extra velum*, quod eſt finis lateris; neque dictum eſt על ראש *tabernaculi*, quod pariter erat extra velum, quod eſt principium lateris; ſi hoc quoque cognoſcere vobis libuerit in latere occidentali, uti plane vidiſtis, uti dictum eſt, in aquilonari & auſtrali, legite a verſu 10. uſque ad 14. 2. *Paral.* III. videbitis nullo modo commemorari dextram & ſiniſtram in occidente, quamvis ibi eſſet locus accomodatus, ubi facile definiri poſſet; eo quod oraculum erat perfectum quadratum, ut ibid. in eodem libro ſcriptum eſt, patens viginti cubitos quaquaverſus; ſi protrahatur linea recta a dimidio longitudinis ab occidente ad dimidium longitudinis orientalis, & ſtatuantur hinc & inde ab recta linea protracta Cherubini; plane conſtabit alterum Cherubinum fuiſſe in angulo occidentali auſtrali, & alterum in angulo occidentalis boreali; ita ut hoc modo manifeſtum ſit, non commemorari in lateribus dextram & ſiniſtram, ex latere longitudinis, niſi ſit aliquid cujus cauſa, non vero abſolute & ſimpliciter exprimatur.

Nunc, quemadmodum quod ſpectat longitudinem vobis demonſtravi, non fuiſſe in quatuor lateribus dextram & ſiniſtram, ita mihi neceſſe eſt vobis oſtendere, nullam pariter in latitudine fuiſſe dextram & ſiniſtram; tota enim latitudo meridionalis appellatur meridies, & tota latitudo aquilonaris vocatur ſeptentrio, donec omnimode latitudines perveniant ad latitudinem lateris, quod e regione illius eſt; qua in re mihi eſt teſtis fidelis, & Propheta Domini, ſc. *Ezechiel* XLVII. 17. dicens. *Et erit terminus a mari uſque ad atrium Enon terminus Damaſci, & ab aquilone ad aquilonem; terminus Emath plaga ſeptentrionalis*; i. e. quod terminus erit ab toto latere ſeptentrionali, i. e. ab initio latitudinis aquilonaris uſque ad terminum Chamath, quæ pariter eſt in latitudine aquilonari, neque dicitur, & ſeptentrio in latitudine

במרחבי

במרחבי הקדים והנגב והמערב לא נטה
ימין ושמאל ממה שכתב במרחב הצפון כי
בקדים אמר ופאת קדים מבין חורן ומבין
דמשק ומבין הגלעד ומבין ארץ ישראל
הירדן מגבול על הים הקדמוני תמודו ואת
פאת קדים׳ היינו כי מבין חורן ומבין דמשק
ומבין הגלעד ומבין ארץ ישראל׳ הירדן עד
גבול הים הקדמוני תמודו כל המרחב הזה
שהוא קדים עם שאר המרחב הנוסף שהוא
גם כן פאת קדים וכן בנגב אמר ופאת נגב
תימנה מתמר עד מי מריבות קדש נחלה
את הים הגדול ואת פאת תימנה הנגבה׃
כי מתמר עד מי מריבות קדש נחלה את
הים הגדול הוא מרחב תימנה׳ ועוד ישאר
מהמרחב הזה חלק ממנו שלא נמדד עד
סוף פאת תימנה הנגבה׳ ובמרחב המערב
אמר ופאת ים׳ הים הגדול מגבול׳ עד נבה
לבא חמת׃ זאת פאת ים׳ היינו שכל ים
הגדול עד גבול קרוב לנבה חמת הוא נקרא
כלו מרחב ים׳ ובעדות פסוקי יחזקאל אלה
יצאתי מידי חובתי והראיתי לכם בשלם
שבפנים כי כמו שאין הימין והשמאל בארך
הרוחות כן מצד רחבן לא יזכרו ולא יפקדו
בארבע הפאות הימין והשמאל כמו שאמרנו.

אמנם על הדבר השני שהוא רחוק מנורת
ושלחן משה מן ההיכל לתת אותם בגניזה
באוצרות בית ה׳ על זה היה דוה לבי שלא
רצו לעמוד בדברי רבותינו ז״ל שהצריכו
המנורה והשלחן של משה במקדש כאמור׳
ואם לדברי הז״ל נעשו במקדש עשרה מנורות
ועשרה שלחנות אחרות לא מפני זה נורשו
מנורה ושלחן של משה מלהסתפח בנחלת

septentrionali usque ad Chamath, quod sit sc. dextra & sinistra a septentrione, sed appellatur totum latus aquilonare nomine aquilonaris, nulla facta mentione dextræ & sinistræ; pariterque in latitudinibus orientali, & australi, & occidentali non declinat ad dextram & sinistram ex eo quod scripsit in latitudine aquilonari; eo quod in oriente dicat; *Porro plaga orientalis de medio Auran & de medio Damasci, & de medio Galaad, & de medio terræ Israel, Jordanis distermінans ad mare orientale, metiemini etiam plagam orientalem;* i. e. Ex inter Chauran, & inter Damascum, & ex inter Galaad, & ex inter terram Israelis Jordanis a termino usque ad mare orientale, metiemini, & latus orientale; i. e. ex inter Chauran, & ex inter Damascum, & ex inter Galaad, & ex inter terram Israelis, Jordanis usque ad terminum maris orientalis, metiemini totam hanc latitudinem orientalem, cum reliqua latitudine addita, quæ pariter est plaga orientalis; pariterque de austro dicit; *Plaga autem australis meridiana a Thamar usque ad aquas contradictionis Cades, & torrens usque ad mare magnum, & hæc est plaga ad meridiem australis;* quod a Thamar usque ad aquas contradictionis Cades, torrens, & mare magnum erant in latitudine meridionali. Præterea reliqua erat ex ea latitudine pars, quæ non mensurata erat usque ad finem lateris meridionalis. Et in latere occidentali dicit. *Mare magnum a confinio per directum donec venias Chamat; hæc est plaga maris;* i. e. totum mare magnum usque ad terminum, qui prope est occursum Chamath, appellabatur latitudo occidentalis. Testimonio textus *Ezechielis* officio meo satisfeci, vobisque plane demonstravi, quod sicuti nulla datur in laterum longitudine dextra & sinistra, ita pariter in latitudine nullo modo in quatuor lateribus commemoretur & præcipiatur dextra & sinistra, uti diximus.

Ceterum, quod 2. spectat remotionem candelabri, & mensæ Mosis a templo, ut reconderentur in thesauris domus Dei, doleo noluisse illos assentiri verbis Sapientum nostrorum f. m. a quibus necessario collocatum fuit candelabrum & mensa Mosis in Sanctuario, uti dictum est. Et si ex sententia nostrorum Sapientum f. m. facta sint in Sanctuario decem candelabra, & decem aliæ mensæ, non ideo expulsum fuit candelabrum, & mensa Mosis, ut societatem haberet in hæreditate Domini, & ejus Sanctuarii; equidem permissum fuit David (uti potest deduci ex eo quod scriptum est 1. *Paralip.* XXVIII.

מקדש

מקדש ה׳ · כי באמורת הורשה דוד כאשר נוכל להבין ממה שכתוב בד״ה א׳ כ״ח בסכום הכלי׳ שאמר שם להדליק ולסדר על כל כלי׳ דומים לשל משה בגדלן ושמושן אם יהיו שם גם כן עמהם הכלים שעשה בצלאל בעין חוץ מן מזבח החצון שהי׳ קטן מן המזבח שעשה שלמה כי נגנז מפני שלא הותר דוד להקריב חלב ודם אלא על מזבח אחד במקדש ולא על במות רבות · וגם הקטרת לא היתה נעשית אלא על מזבח אחד כגלוי וידוע לכל אשר בשם ישראל יכונה · על כן נגנז עם מזבח החצון ברשות ה׳ גם כי היה שוה לשל משה ונעשו בדברו השני מזבחות מחדש כדי שלא יעמדו המזבחות האלה בהיכל לבטלה · וגם הורשה דוד לעשות כלים אחרים שלא עשה משה לתקון צרכי המקדש כדכתיב הכל בכתב מיד ה׳ ·

והנה אם באולי יאמר אומר שפירושם זה של ימין ושל שמאל נראה יפה לפי מצב השתי שורות זו לפנים מזו כאשר שמו לפנינו ויהיה הימין והשמאל בערך המנורות או השלחנו׳ ולא בערך מרחבי הרוחו׳ לא ידעתי נאמנה מי הרשה להם שידחו דברי רבותינו ז״ל הצודקים שאמרו חמשה מימין לשל משה בו לתת מקום לרבציהם הפשוטים שהם בלבד על אומר הדעת מוסמכים.

נחזור אם כן אל המקום אשר יצאנו משם והוא על מה שאמר רבינו במנורה אשר מצאנו בו פירכא כאשר כתבנו · ומפני שצר לי במאד מאד לדחות מכל וכל דעתו בזה · בפרט כי מקצת מרבותינו האמינו עמו שהיתה נתונה ברחב הבית · אמרתי להפך בזכותו · ובכל כחי אשמור בעדו כל התנאים הצריכים לסדור הכלים האלה בהיכל ולא אטה מהם ימין ושמאל · אמנם התנאי הראשון הוא שהשלחנות והמנורות יונחו משליש ההיכל ולפנים כאמור בתוספתא פרק שני דיומא · התנאי השני הוא שתהיינה משוכות המנרות מכתל דרומי והשלחנות מכתל צפוני שתי אמות ומחצה כמו שכתבו רבותינו ז״ל גם כן בפרק שלישי דיומא · התנאי השלישי הוא שיהיו רחוקות המנרות והשלחנות זה מזה מן הצדדין · באופן שיהיה שם מקום פנוי לכהנים לעשות מלאכתן · ועל כן בין המנרות יהיה מקום לכהן המדשן והמטיב והמעלה הנרות כהוגן · ובין השלחנות יהיה מקום מספיק לארבעה כהנים הנכנסי׳ לסדר הלחם והבזיכין מצד זה · ולארבעה כהנים אחרים המסלקים אותם מצד

de summa vasorum, quæ ibi commemorantur) accendere, atque disponere super omnia vasa similia Mosaicis in magnitudine & usu, si ibi quoque fuissent vasa, quæ fecit Bezaleel, excepta ara exteriori, quæ Salomonæa minor erat, quæ recondita fuit, eo quod non facta sit facultas Davidi offerendi adipem & sanguinem, nisi tantum super unum altare in Sanctuario, non vero in multis excelsis; neque suffitus adolebatur nisi super altare, uti manifestum est omnibus, qui Israelis nomine insigniuntur. Idcirco absconditum fuit Dei permissu, quamvis Mosaico æquale esset, ejusque mandato recenter facta sunt duo altaria, ne hæc duo altaria otiosa forent; pariterque potestas facta est Davidi perficiendi alia vasa, quæ præpararentur necessitatibus Sanctuarii, ut ibid. scripta sunt omnia manu Domini.

Fortasse dicet opponens, hæc explicatio dextræ & sinistræ recta videbitur respectu situs duarum serierum, unius intra aliam, uti coram nobis disposuerunt; eritque dextra & sinistra respectu candelabrorum, & mensarum, non vero respectu spatiorum laterum. Nescio equidem, a quonam illis facta sit potestas refutandi verba nostrorum Sapientum, quæ recte conveniunt, dicendo, quinque ad dextram Mosaici &c.

Redeamus igitur ad locum, unde discessimus, sc. ad id quod dixit præceptor noster de candelabro, ubi deprehensa est oppositio, uti scripsimus; & quod maxime doleo mihi omnino rejiciendam esse ejus opinionem, præsertim cum pars nostrorum Sapientum cum illo sentiat, collocatum fuisse in latitudine domus; omni studio ejus rationem inquirendam dixi; & pro viribus observabo omnes conditiones necessarias circa ordinem horum vasorum in templo, neque declinabo ad dextram & sinistram. Idcirco prima conditio est, mensas & candelabra collocata fuisse a tertia parte templi & interius, uti dictum est cap. II. *Tosaphta Joma*. Secunda conditio est semota fuisse candelabra a pariete australi, & mensas ab aquilonari duos cubitos cum dimidio, ut ibid. cap. III. *Joma* scripserunt Sapientes nostri f. m. Tertia conditio est ita semota fuisse candelabra & mensas, unum ab alio ab lateribus, ut esset spatium inane Sacerdotibus, ut operari possent, ideoque inter candelabra fuisse spatium Sacerdoti, ut decinerare, præparare, & accendere lucernas posset, uti decebat, & inter mensas satis fuisse spatii quatuor Sacerdotibus, qui ingrediebantur ad ordinandum panem, & acerras ab altera parte,

אחר·

אחר · כנראה במנחות פרק שתי הלחם משנה שביעית.

התנאי הרבועי הוא שלא יצאו הכלים מתחומם המוגבל להם · עד שהמנורות יהיו כלם בדרום והשלחנות בצפון · התנאי החמשי הוא שיהיו השלחנות נתונו׳ בארכן לארכו של היכל והמנרות לרחבן לרחבו של היכל · התנאי הששי הוא שבין שלחן לשלחן ובין מנורה למנורה יהיה מקום פנוי שנכיר בעדו שתי שלחנות או שתי מנורות ולא שלחן מאחר או נורה אחת בערבוביא · ואני אסדר ראשונה השלחנות כדי שמהן נלמוד סדור המנרות כראוי.

ועתה תציירו בדעתכם שיהיה אחד מהעשרה שלחנות נתון לארכו מצד צפון בשליש ההיכל שהוא שלש׳ עשר אמו׳ ושני טפחים רחוק מפתח ההיכל ויהיה משוך מהכתל שתי אמות ומחצה כהלכה · ורחוק ממנו אמה אחת וחצי ברחב ההיכל גם כן · שימו שלחנו של משה בשורה שוה ויהי׳ ארך השלחן לארך ההיכל · ואחרי רחוק אמה וחצי משלחנו של משה · שימו גם כן בשורה שוה ברחב ההיכל שלחן אחד מהעשרה שלחנות הנוספי׳ בארך השלחן ואז תמצאו שהשלחן השלשי שבשורה הזאת יגיע עד סוף האמה שמינית וחצי של רחב הצפון ולא יותר · אחרי כן לארכו של שלחן הראשון הנתון שתי אמות ומחצה רחוק מהכתל הצפוני · תשימו שלחן אחד ברחוק שני טפחים לארך ההיכל כדי שלא יראו השלחנות מחוברים יחד · וגם בשורה שוה לארך ההיכל שימו עוד מלפניו שלשה שלחנות אחרים זה לפנים מזה ברחוק השני טפחים כאמור · וכן בשורה שוה עם הרחוק הנזכ׳ תנו ארבע׳ שלחנות אחרים זה לפנים מזה לפני השלחן השלשי שהוא על האמה השמינית ברחב ההיכל ואז יהיו לכם חמש׳ שלחנו׳ בשורה אחרת וחמשה שלחנות בשורה אהרת לרחב ההיכל ושל משה בין השתי שלחנות הראשונים או אם תרצו בין שתי השלחנות האחרונים שיגיעו אל כ״ד אמית וארב״ע טפחים מארכו של היכל רחוק מהפרכת חמש עשר׳ אמו׳ ושני טפחים בין הכל וזה יהיה לכם סדור השלחנות.

אמנם סדור המנרות יהיה כמשפט הזה · כן ישימו המנורה הראשונה ברחבה בשליש

& ab altera aliis quatuor Sacerdotibus, uti legitur xi. 7. Menachoth.

Quarta conditio eſt ne vaſa egrederentur ex eorum termino, qui illis definitus erat, ita ut candelabra omnia in auſtro collocata eſſent, & menſæ in aquilone. Quinta conditio eſt, ut menſæ collocarentur in earum longitudine ad longitudinem templi, & candelabra in eorum latitudine ad latitudinem templi. Sexta conditio eſt inter unam & alteram menſam, atque inter unum atque alterum candelabrum, fuiſſe tantum ſpatii inanis, ut diſtingueretur, duas fuiſſe menſas, aut duo candelabra, non autem confuſim unam menſam, aut unum candelabrum. Ego primum ordinabo menſas, ut ab iis, uti convēnit, candelabrorum ordo cognoſci poſſit.

Nunc vobis mente fingite fuiſſe unam ex decem menſis collocatam ad ejus longitudinem ad latus aquilonare in tertia parte templi quæ tredecim cubitos & duos palmos ſemota erat a porta templi, & protractam fuiſſe a pariete duos cubitos cum dimidio, uti decebat; & procul ab ea cubito cum dimidio in latitudine templi pariter collocate menſam Moſis in linea recta, ejuſque longitudo ſit ad longitudinem templi; & poſt ſpatium unius cubiti cum dimidio, a menſa Moſis, pariter ſtatuite in linea recta in latitudine templi unam ex decem menſis additarum in longitudine menſæ; tum deprehendetur tertia menſa hujus ſeriei perveniſſe uſque ad finem cubiti octavi & dimidii latitudinis aquilonaris, & non amplius. Poſthæc ad longitudinem primæ menſæ, quæ ſita eſt duos cubitos cum dimidio procul a muro aquilonari, ſtatuenda vobis erat alia menſa in diſtantia duorum palmorum ad longitudinem templi, ne menſæ una conjunctæ videantur, pariterque in linea recta ad longitudinem templi collocandæ præterea vobis erunt coram illa tres aliæ menſæ, una ante aliam in diſtantia duorum palmorum, uti dictum eſt; pariterque in linea recta in ſpatio commemorato collocate quatuor alias menſas unam poſt aliam ante tertiam menſam, quæ ſita eſt in cubito octavo latitudinis templi; tum vobis erunt quinque menſæ in altera linea, & quinque in altera ad latitudinem templi, eritque menſa Moſaica inter duas primas menſas; aut ſi libeat inter duas ultimas menſas, quæ perveniebant ad 24 cubitos & 4. palmos longitudinis templi, procul a velo omnino 15. cubitis, & 2. palmis, atque hæc erit menſarum ordinatio.

Ceterum candelabrorum ordo erit hujuſmodi. Si ſtatuatur primum candela-

ההיכל לפי רחבו רחוק מכתל הדרומי שתי אמות וחצי ולרגל המנורה מלפניה יתנו האבן אשר אומר בפרק זה שעליה השלשה מעלות ארכה תשעה טפחים רחבה וקומתה שמנה טפחים ומחצה וברחוק אמה בלבד מן הצד ישימו מנורת משה לרחבה כאמור עם האבן גם כן לצד פני' ממנה וכן ברחוק אמה אחרת מן הצד ישימו מנורה שלשית לפי רחבה עם האבן מלפניה כנזכר בשאר המנרות ואז תמצאו שהאבן והמנורה שלשות יגיעו לרחב ההיכל עד תשעה אמות משלם· אחרי כן תרחקו מן האנן שלפני המנורה חמשה טפחים וחצי ושימו לפנים מהמנורה הראשונה מנורה אחרת לפי רחבה עם האבן שלה כאמור וגם שימו שם שלשה מנרות אחרות זו לפנים מזו בשורה שוה רחוקות זו מזו חמשה טפחים וחצי כאשר אמרנו· אחרי כן לפני המנור' השלישית שבתחלת השורה השנית תשימו ג׳ עם האבנים האמורים שבם המעלות ארבעה מנרו' אחרו' בשורה שוה כמו שעשיתם בשורה האחרת כי אז יגיעו יחד השתי שורות מהמנרות לשש עשרה אמות ושני טפחים רחוק מהפרכת· וזהו מה שאמר לי לבי בסדר הטנרות והשלחנות כשרציתי להפך בזכות רבינו ז״ל.

אמנם גם בזה לא שקטה נפשי מכל וכל כשנקרא בריוק מה שדברו בם הכתובים ושדרשו רבותינו ז״ל עליהם· כי הנה באמרם שהיו חמשה מימין לשל משה וחמשה לשמאל צריכים אנו לתקן המנרו' והשלחנות בשורה שוה עד שוהיו באמת המנרות מצד ימין ושמאל בשוה ומנורת ושלחן משה באמצע כי בסדור ההוא שעשיתי אין שם אלא שלשה מנרות או שלחנות בשורה שוה ושל משה באמצע להם וארבעה מנרות או שלחנות ישארו מצד זה וארבע' מצד זה שיהיו לפני' או לאחור כפי מצבם ממנורת או שלחן משה נגד הימין או השמאל בלבד· וגם מנורת או שלחן משה לא יהיה באמצע אלא נגד אמצעיתם של מנרות או שלחנות שאין זה משמעות הכתובים האמורי' כפי פתרין רבותינו ז״ל· ועל כי ראיתי כי אין

brum in ejus latitudine in tertia parte templi juxta ejus latitudinem, procul ab pariete australi 2. cubitis cum dimidio; & ad candelabri pedes collocetur ante illud ille lapis, de quo in hoc capite dicetur, cui erant tres gradus, quorum longitudo erat novem palmorum, & octo cum dimidio latitudo, & altitudo, & in spatio tantum unius cubiti ad latus statuatur candelabrum Mosaicum juxta ejus latitudinem, uti dictum est, pariter cum lapide ad latus ante illud, pariterque in spatio alterius cubiti ab latere collocetur tertium candelabrum juxta ejus latitudinem cum lapide ante illud, uti dictum est in reliquis candelabris, tum deprehendetur lapis, & tertium candelabrum pervenisse ad latitudinem templi usque ad novem cubitos integros. Posthæc recedite ab lapide, qui situs erat ante candelabrum, quinque palmos cum dimidio, & statuite ante primum alterum candelabrum juxta ejus latitudinem una cum lapide, uti dictum est; pariterque ibi collocentur tria alia candelabra, unum ante aliud in linea recta semota unum ab alio quinque palmos com dimidio, uti dictum est; deinde ante tertium candelabrum, quod situm est in principio secundæ seriei statuantur una cum lapidibus, ubi erant gradus, quatuor alia candelabra, in linea recta, uti in altera linea factum est; tum una simul duæ series candelabrorum pervenient ad sedecim cubitos & duos palmos procul a velo. Hæc sunt quæ puto de ordine candelabrorum & mensarum, ut justificatio quæratur præceptori nostro f. m.

Verum ne in hoc quidem non omnino acquievit anima mea, cum attente lego, quod dicitur in textibus, & in commentariis Sapientum nostrorum f. m. etenim cum dicantur quinque ad dextram Mosaici fuisse, & quinque ad sinistram, ordinanda nobis sunt candelabra & mensæ in recta linea, ita ut candelabra sita fuerint æqualiter ad dextram & sinistram, & candelabrum & mensa Mosis in medio; at in ordine, quem efformavi, tria tantum candelabra, aut mensæ collocata essent in linea recta, & Mosaicum in medio; & quatuor reliqua candelabra aut mensæ essent in hoc, & quatuor in altero latere; ita ut collocata forent, juxta eorum situm, ante aut post candelabrum aut mensam Mosis, contra dextram aut sinistram duntaxat. Neque candelabrum, aut mensa Mosis non fuisset in medio, sed in medio candelabrorum aut mensarum; quod non est juxta sensum commemoratorum textuum, & juxta interpretationes nostrorum Sapientum f. m.

איש מגיד ומשמיע לי הדברים כהוייתן שיעלו יפה לסגנון הפסוקים הנזכרים ומאלה אין יועץ שאשאל ממנו ושישיב לי דבר לזכות המשימים המנורות ברחב ההיכל אדרבה וירוח לי כי המנרות לא היו במקדש ראשון לרחב הבית אלא היו גם הם לארך ההיכל כמו שהיו שאר הכלי׳ חוץ מהארון שבבית קדש הקדשים.

ואם תאמרו הא ניחא בבית ראשון שהיו שם י״א מנרות· אולם בבית שני שלא היה שם אלא מנורה אחרת אין ספק שהיתה המנורה מונחת לרחב ההיכל כדעת רבינו· לזה אשיב אמרי לכם כי המנורה הית׳ נתונה גם כן בבית הקדש הזה לארך ההיכל ולא לרחבו ואם באולי יהיה לכם הדבר הזה לזרא הטו אלי אזנכם והקשיבון לדעת בינה כי שלשה ממה התנאים הנאותים והמצטרכים על כל פנים למצב טוב ונכון המנורה בהיכל· והראשון הוא שתהיה המנורה לפני ה׳· השני שלא יאירו נרותיה בשום פנים אל פני הפרכת עד שיאמרו לאורה הוא צריך· והשלישי שכל שבע׳ הנרות יאירו אל מול פני המנורה ולא למקום אחר מובדל· ואם יחסר אחד מהתנאים האמורים אז לא יקום ולא יהיה הדבר הזה שתהיה המנורה כאשר דמיתי מונחת שם כמשפט ההוא בעצמו שצותה לנו תורתנו הקדושה עליה· והוה קודם כל דבר דעו· כי לפני ה׳ ואל פני ה׳ אין להם משמעות אחד בשורה· כי לפני ה׳ רוצה לומר שלא יהיה בין הדבר ההוא וכבוד ה׳ דבר חוצץ· ואל פני רוצה לומ׳ שיביט פני הדבר ההוא המונח שם והוא פני כבור ה׳· על כן כשאמ׳ה תורה יערך אותו אהרן ובניו היינו המנורה כי פעם נקראת בלשון יחיד כמו במקום הזה ופעם בלשון רבים כמו בהעלותך את הנרות מערב עד בקר לפני ה׳· לא רצתה שיאירו הנרות אל פני ה׳ היינו אל מול פני ה׳· אלא אמרה לפנו ה׳ היינו שיהיו המנורה או הנרות לפני ה׳ מבלי דבר חוצץ בנתים· ולכן כל עוד שהמנורה תהית בהיכל לארכו גם כי לא תהיה לפני ה׳ אלא מן הצדדין ולא תהיה שם ברחב הבית עם פניה הפוכות אל פני הפרכת אם לא יהיה בינה ובין הפרכת דבר חוצץ· יקרא בודאי לפני ה׳· וכדי שעל פתרין הדברים האלה שכן הוא בלי ספק משמעות׳ מצד טבע הלשון כאשר אמרתי תדעו גם כן שיש לי בזה על מה

Quare cum videam neminem esse, qui mihi hoc demonstret, & delaret, quo pacto esse debebant, quæ optime conveniant cum phrasi textuum, qui commemorati sunt, neque esse, a quo postulare possim, mihique respondeat ad justificandos illos, a quibus candelabra statuuntur in latitudine templi; dicam candelabra non fuisse in primo Sanctuario collocata ad latitudinem domus, sed ipsa pariter fuisse sita ad longitudinem templi, sicut reliqua vasa, excepta arca, quæ erat in Sancto Sanctorum.

Si vero dicetis; concedatur in prima domo, ubi fuerunt undecim candelabra, at in domo secunda, ubi unum tantum fuit candelabrum, non est dubium fuisse collocatum candelabrum ad latitudinem templi juxta opinionem nostri præceptoris. Ad hæc respondeo vel in hoc Sanctuario candelabrum situm fuisse ad ejus latitudinem. Si vobis fortasse hoc absurdum videatur, attendite, & audite, ut intelligentiam acquiratis. Tres sunt omnimode conditiones convenientes & necessariæ pro optimo & convenienti situ candelabri in templo. Prima est, ut candelabrum sit coram Domino. Secunda, ne ullo modo ejus lucernæ facies veli illuminarent, ut diceretur Deus lumine indigere. Tertia, ut omnes septem lucernæ illuminarent contra faciem candelabri, non vero alium locum distinctum. Si una ex commemoratis conditionibus deerit; tum non confirmabitur, neque verum erit, candelabrum, uti mihi videtur, eo loci collocatum fuisse, quo modo nobis sancta lex nostra præcepit. Primum sciendum vobis erit לפני ה׳ ואל פני ה׳ *coram Domino*, *& ad facies Domini*, non idem significare; eo quod *coram Domino* significet nihil interesse inter illud & gloriam Domini; & ad facies significet, ut adspiciat facies rei, quæ ibi collocata est; & hæ sunt facies gloriæ Domini. Idcirco quando dictum est in lege *Exod.* XXVII. 21. *Et collocabunt eam Aaron & filiis ejus*, i. e. candelabrum; aliquando sumitur singulari numero, sicut in hoc loco, & interdum plurali, uti *Num.* VIII. 2. in disponendis lucernis a vespera usque ad mane coram Domino; non vult *lex*, ut lucernæ illuminent ad facies Domini, i. e. contra facies Domini, verum dicitur coram Domino, sc. ut candelabrum, aut lucernæ sint coram Domino, ut nihil esset, quod inter ea separaret; ideoque quo tempore fuerit candelabrum in templo ad ejus longitudinem quamvis non fuisset coram Domino, sed ab lateribus, & non fuisset eo loci, in latitudine domus, faciebus con-

להסמך תקראו כל המקומות שבאה בם בתורה מצות עריכת לחם הפנים ותראו שמשמעות לפני ה׳ האמור שם הוא הוא בעצמו כאשר פירשתי במנורה׳ כי בפרשת תרומה אמרה תור׳ ונתת על השלחן לחם פנים לפני תמיד׳ ובפרש׳ פקורי כתוב ויערוך עליו ערך לחם לפני ה׳ וגו׳׳ ובפרשת אמור צוה ה׳ לכהן ואמר ושמרת אותם שתים מערכות שש המערכת על השלחן הטהור לפני ה׳׳ וכתיב ביום השבת ביום השבת יערכנו לפני ה׳ תמיד ואם לפני ה׳ יהיה אל פני ה׳ היינו לעומת הפרכת ממש לא יהיה סדור לחם הפנים עשוי כהלכתו מפני שאז היה צריך שפני׳ לחם הפנים יביטו אל פני הפרכת׳ וזה יהיה כשיסדרו ארך הלחם לארך השלחן אך מפני שסדורו של לחם הוא בארכו לרחב השלחן ונקרא אז לפני ה׳׳ ממילא משמע שלפני ה׳ ירצה בלי דבר חוצץ ולא אל פני ה׳ היינו נגד פני הפרכת ממש כאשר פירשו רבים.

והנה על דברת התנאי השני שהוא זה היינו שלא יאירו נרות המנורת אל פני הפרכת או הדביר פן יאמרו לאורה הוא צרי תמהתי הרבה מאד איך נלאו חכמי ישראל לדעת אי זהו הנר המערבי כדי שיוכלו לכוין אור נרו אל פני הפרכת׳ כי הנה ר״שי ז״ל בפרק במה מדליקין אמר שלדעת רבי דאמר מזרח ומערב היתה המנורה מונחת הנר השני שלה שהוא מצד השלשה קנים המזרחיים הוא הנר מערבי שנקרא כן בערך הראשון שהוא מזרחי בהחלט׳ ורבינו ז״ל בפירוש המשנה ראשונה של פרק החלו עולים במעלות דתמיר כתב כי הנר השלשי מהשלשת קנים שהם בצד המערב׳ היותר סמוך לפרכת הוא המערבי בהחלט׳ כי השני קנים הסמוכים לו הם מערביים בערך׳ ובפירושו זה נראה שגם הוא סבר מהמנורה היתה מונחת לארך הבירה ושהדר ביה מההיא בהלכו׳ בית הבחירה אם לא נאמר שפירוש המשנה

versis ad velum, si nihil esset, quod inter illud & velum separaret, dicebatur certe esse coram Domino. Atque ex horum verborum interpretatione, quorum procul dubio hic est sensus ex linguæ natura, uti dixi, sciatis velim pariter meam sententiam ex hoc confirmari; legite loca omnia, in quibus a lege præcipitur ordinatio panis facierum, videbitis sensum coram Domino eo loci commemoratum esse eundem quem in candelabro explicavi. Dictum est enim in lege *Exod.* xxv. 30. *Et pones super mensam panes propositionis* לפני *semper*. Et ibid. XL. 21. scriptum est. *Ordinatis propositionis panibus* לפני ה׳ coram Domino. Pariterque *Levit.* XXIV. 6. scriptum est. *Quorum senos altrinsecus super mensam purissimam coram Domino statues*. Itemque scriptum est *ibid.* v. 8. *Per singula Sabbatha mutabuntur coram Domino*. Si vero *coram Domino* esset *ad facies Domini* i. e. ante velum simpliciter, non facta esset, sicuti jus postulabat, panum facierum ordinatio; eo quod tum necesse fuisset, ut facies panis facierum veli facies adspicerent; quod fieret, cum panis longitudo ad mensæ longitudinem ordinaretur; verum cum panis in ejus longitudine ad mensæ latitudinem ordinaretur, tum dicebatur *coram Domino*, per se intelligitur, *coram Domino* significare, nihil interesse quod separet, non vero *ad facies Domini*, i. e. contra facies veli simpliciter, uti multi interpretati sunt.

Quod spectat secundam conditionem, quæ est, ne candelabri lucernæ illuminarent facies veli, aut oraculi, ne diceretur lumine indigere, vehementer miror, multam operam impendisse Sapientes Israelis, ut cognoscerent, quænam esset lucerna occidentalis, ut dirigi posset lux hujus lucernæ ad facies veli. Ecce enim *Raschi* f. m. in cap. II. tractatus *Sabbathi* scribit juxta opinionem Rabbi dicentis fuisse in candelabro orientem & occidentem, ejusque secundam lucernam, quæ erat ab latere trium cannarum orientalium, fuisse lucernam occidentalem, quæ ita vocaretur respectu primæ, quæ erat absolute orientalis. Et præceptor noster f. m. in commentario Mishnico in cap. III. 9. *Tamid* scribit tertiam lucernam trium calamorum, qui erant ab latere occidentali, velo propinquiorem fuisse absolute occidentalem, eo quod ratione habita duæ cannæ illi propiores erunt occidentales. Atque in hoc suo commentario videtur vel ipse sentire candelabrum fuisse collocatum ad longitudinem domus, & pœnitere quod ab eo dictum est *in constitutionibus domus electæ*, si non dicatur commentarium hu-

לא

לא היתֹ על דעתו אלא על דעת סתם משנה שם· והרב מבירטאנורה זל בפירוש משנה טֹ של פרק אמר להם הממונה דתמיד כתב גם הוא כי הנר המערבי הוא זה שכתב רבינו זל· אמנם שאר החכמים שנטו לדעת רבי אליעזר ברבי שמעון דאמר צפון ודרום היתה המנורֹ מונחת אמרו כי הנר האמצעי של גוף המנורה הוא הנר המערבי בעצמו הואיל כי בין שאר הקנים הוא לבדו פונה לצד המערב עד כי לא ידעתי נאמנה איך בהפוך נר אחד נגד המערב ימלטו מהדעת הכוזב מהמאנים האומרים לאורה הוא צריך·

ואולם התנאי השלשי הוא זה· היינו שכל השבעה נרות של מנורה צריך שיאירו אל מול פניה ולא למקוֹ אחר מובדל ממנו· על כן דעו כי אל מול· לעומת· לעבר· נגד· לקראת· לנכח· יש להם משמעות אחד בלבד· שנרצה בו לנגד הדבר המושם זה כנגד זה כנראה בפסוקים אל נכח פני אהל מועד במדבר יֹש פרשת חקת נכח בית המלך ונכח פתח הבית דאסתר הֹ· כי נכחו יצאו יחזקאל מוֹ שהם לנגד או לעומת או לקראת או לעבר בהפוך פנים ולא בהפיכת הצדדים. על כן כשאמרה תורה וישם את המנורה באהל מועד נכח השלחן על ירך המשכן נגבה· ויתן את השלחה באהל מועד על ירך המשכן צפונה מכאן ראיה שהמנורה היתה נתונה בארך הבית כי כמשפט הזה פני המנורה הם בכוון נגד השלחן כמו שאם היתה נתונה לרחב הבית היו פני המנורה אל פני הפרכת מה שאין כן כתוב בתורה כי אמרה נכח השלחן· ועל כן כשצותה ואמרה אל מול פני המנורה יאירו שבעת הנרות דבר ברור הוא שצריכה היא המנורה להאיר אל נכח השלחן שהוא אל מול פניה ולא תאיר אל פני הפרכת כי היא אינה אל מול פניו· ובגלל הדבר הזה בפרשת בהעלותך הקדש יונתן בן עוזיאל תרגם כל קבל מנרתא יהון מנהרין שבעת בוציניא תלת לקבל רוח מערבא ותלת לקבל רוח מדינחא ושביעאה במציעאה· אמנם מה הוא זה שאמרה התורה אל מול פני המנורה יאירו שבעת הנרות· הלא גאוני

jus Mischnæ non fuisse, ejus opinioni consentaneum, sed juxta sententiam autoris hujus Mischnæ. R. quoque *Bartenora* f. m. in commentario Mischnico in cap. III. 9. *Tamid* scribit, lucernam occidentalem fuisse eandem, de qua scribit præceptor noster f. m. Verum ceteri Sapientes, qui inclinant ad sententiam R. Elieseris filii R. Simeonis, asserentis inter aquilonem & austrum fuisse collocatum candelabrum, dicunt lucernam mediam corporis candelabri fuisse ipsam lucernam occidentalem, cum ipsa una inter omnes calamos converteretur ad latus occidentale; ita ut ignorem, qui fieri possit, ut cum lucerna respiciat occidentalem plagam, vindicentur ab falsa opinione hæreticorum asserentium, ipsum luce indiguisse.

Tertia hæc erat conditio; sc. ut omnes septem lucernæ candelabri necesse esset, ut illuminarent contra lucernam mediam, non vero locum alium ab ea distinctum; idcirco sciatis velim vocabula אל מול לעומת לעבר נגד לקראת לנכח unam eandemque habere significationem, quibus significatur aliquid e regione rei, ut hæc sita sit e regione alterius; uti videtur in textibus; *Num* XIX. 4. נכח *contra fores tabernaculi conventus*. Esther V. נכח *contra domum Regis*. ונכח *& contra ostium domus*. Et *Ezech*. XLVI. 10. *sed* נכחיו *e regione illius egredietur*. Quod explicatur לנגד או לעומת או לקראת או לעבר e regione esse convertendo facies, non vero latera; ideoque quando dictum est in lege *Exod*. XL. 22. *Posuit & candelabrum in tabernaculo testimonii e regione mensæ in parte australi; posuit & mensam in tabernaculo testimonii ad plagam septentrionalem*; hinc demonstratur candelabrum situm fuisse in longitudine domus, atque hac ratione facies candelabri directas fuisse contra mensam; si vero collocatum fuisset ad latitudinem domus, facies candelabri facies veli respexissent quod in lege non scriptum est in qua dicitur, *e regione mensæ*; ideoque quando præcipitur & dicitur *Num*. VIII. 2. *Contra eam partem, quam candelabrum respicit, lucere debebunt septem lucernæ*; manifestum est necesse fuisse, ut candelabrum luceret contra mensam, quæ e regione suarum facierum sita erat. Idcirco *Num* VIII. 2. S. Jonathan Uzielides interpretatur; contra candelabrum lucebunt septem lucernæ, tres ad occidentem, & tres ad orientem, & septima in medio. Verum de hoc quod in lege dicitur; *contra eam partem, quam candelabrum respicit, lucere debebunt septem lucernæ*; illustriores Sapientes, & orientales

עולם

niſtravit; hi omnes illegitimi ſunt ad miniſtrandum; exceptis his, qui capite nudo miniſtravit, qui veſtibus ſciſſis obſitus fuit; & qui imprudens mactat Idololatriæ; ſi qui miniſtraſſet, eorum miniſterium eſt legitimum.

Vobis erit manifeſtum, Sacerdotes filios Aharonis excepto ſummo Sacerdote, non ſtetiſſe ſemper Hieroſolymis & in Sanctuario, ſed unam tantum cuſtodiam ſingulis hebdomadis, quæ juxta ordinem de hebdomada in hebdomadam mutabatur, una poſt aliam per circuitum. Quoniam quatuor & viginti erant cuſtodiæ, uti dictum eſt, contingebat, ut ſingulæ cuſtodiæ duabus in anno vicibus Hieroſolymam proficiſcerentur, & reliquo anni tempore morarentur in domibus ſuis, & in tredecim ſuis civitatibus, quæ Sacerdotibus tempore Joſuæ ſorte contigerant; quod pariter faciebant Levitæ & Iſraelitæ in ſuis locis, urbibus, & atriis, & palatiis, donec hora conſtituta perveniſſet. Ceterum Iſraelitæ in tempore ſibi conſtituto ut præeſſent ſacrificiis, ſi liceret Hieroſolymam adſcendere, adſcendebant, ſin minus, conveniebant in Synagogis in urbibus ſuis, ſicuti ſuperiori capite ſcriptum eſt. Verumtamen Sacerdotes & Levitæ ſemper tenebantur adſcendere, eo quod non poſſit eſſe Sanctuarium ſine cuſtodia, neque altare ſine ſacrificio, neque ſacrificium ſine Sacerdote. Quando vero Sacerdotes non properabant proficiſci Hieroſolymam temporibus ſuis, ignaviæ ſuæ cauſa mulctabantur uſque ad finem generationum, uti factum eſt cuſtodiæ Bilgæ, quam noſtis propter negligentiam peccaſſe, præter iniquitatem filiæ ſuæ, quæ præfecto Græco nupſit. Et quivis principes cuſtodiæ (cuique enim domui paternæ unus princeps præerat) diſtribuebant cuſtodiam ſuam in domos patrum; ita ut quævis domus patrum, cum ejus viris uno die ex diebus hebdomadæ, & altera poſtero die miniſtraret; & ſic in omnibus. Et viri cuſtodiæ duntaxat offerebant ſacrificia votiva & ſpontanea, & quotidiana, & panem facierum hebdomadæ ſuæ vel in ſolennitate Tabernaculorum; neque reliquis Sacerdotibus ulla in iis erat pars. Verum in ſolennitatibus omnes cuſtodiæ erant equales in ſacrificiis feſtorum, & in duobus panibus Pentecoſtis; omnibuſque Sacerdotibus ad feſtum venientibus, ſi liberet, offerre licebat, & cum iis partiri, neque dicebatur; abi donec advenerit tempus cuſtodiæ tuæ. Hæc quæ dicta ſunt de Sacerdotibus, & eorum conditionibus, quæ audiſtis ſatis vobis eſſe poſſunt.

פרק

פרק חפ.

במשפט הכהן גדול ובתנאים המתיחסים לו
בלבד כמו כהן גדו׳ וגו׳.

ממנין כהן גדול והוא יהיה ראש לכל
הכהנים ומושחין אותו בשמן המשחה ומלבישין
אותו בגדי כהונ׳ גדולה· ואם אין שם שמן
המשחה כמו שהיה מימי יאשיהו המלך
ואילך שנגנז עם הארון כאשר אמרנו מרבין
אותו בבגדי כהונה גדולה בלבד והוא לובש
שמנה בגדים ופושטן וחוזר ולובשן למחר
שבע׳ ימים זה אחר זה וכך הית׳ משיחת
שמן המחחה שבעה ימים זה אחר זה אם
היה שם זה השמן· ואין בין כהן משות
למרובה בגדי׳ אלא פר שמביא כהן משוח
אם עבר בשונג על אחת מן המצו׳ שחייב
עליהן חטאת שאין כהן מרובה בגדים מביא
אותו על שגגתו דכהן המשיח כתי׳ אבל
לשאר הדברים הם שוים· ואין מעמידים כ״ג
אלא בית דין של שבעים ואחד ואין מושחין
אותו אלא ביום שנאמר ביום המשח אותו·
וכן המרובה בגדים אינו לובשן אלא ביום·
ואין ממנין שני כהנים גדולים כאחד ואם
עבר עביר שחייב עליה מלקות מלקין אותו
בבית דין של שלש׳ כשאר מחוייבי מלקות
וחוזר לגדולתו כדאיתא בירושלמי בפרק
השני דסנהדרין· וצריך כהן גדול להיות גדול
מכל אחד מאחיו הכהנים בנוי· בכח· בעושר.
בחכמה· ובמראה· כדאיתא בפרק שני
דהוריות ואם אין לו ממון כל הכהנים
כדאיתא בפרק שני דהוריות ואם אין לו
ממון כל הכהנים נותנים לו משלהם כל אחד
לפי עשרו עד שיעשירו אותו יותר מעשיר
שבכלן· אמנם אין אחד מכל אלה מעכב·
אלא כל זה למצוה מן המובחר אבל אם
נתרבה מכל מקום נתרבה· וחייב כהן גדול
לנהוג כבוד בעצמו כדאית׳ בתוספתא דפרק
רביעי דסנהדרין· ולא יקל בעצמו עם שאר
העם ולא יראו אותו ערום ולא בבית המרחץ
ולא בבית הכסא ולא כשמסתפר שנאמר
הכהן הגדול מאחיו מלמד שנוהגין בו גדולה

CAPUT XXVIII.

Ubi agitur de summo Sacerdote, & de conditionibus, quæ summum tantum decebant Sacerdotem &c.

PRæficiebatur summus Sacerdos, eratque princeps omnium Sacerdotum, & ungebatur oleo sanctæ unctionis, & vestibus summi Sacerdotii induebatur. Si non adesset oleum sanctæ unctionis, uti contigit diebus Josiæ Regis, & in posterum, quod absconditum fuit cum arca, uti dictum est; augebatur vestibus Sacerdotii magni duntaxat; & induebat octo vestes, & exuebat, & iterum postridie per septiduum continuo induebat, pariter per septiduum continuum ungebatur, si oleum affuisset. Neque ullum erat discrimen inter Sacerdotum unctum & auctum vestibus, nisi quod Sacerdos unctus afferebat juvencum, si prævaricatus esset imprudens contra aliquod ex præceptis, quibus tenebatur offerre sacrificium pro peccato; quem Sacerdos auctus vestibus propter errorem suum non offerebat, eo quod scriptum est *Levit.* IV. 3. *Sacerdos unctus.* At in reliquis rebus erant æquales. Neque instituebatur Sacerdos magnus nisi a Synhedrio, quod uno & septuaginta viris constabat, neque ungebatur nisi interdiu, sicuti scriptum est *Levit.* VI. 20. *In die unctionis suæ*; pariterque auctus vestibus non induebat nisi interdiu; neque duo simul creabantur summi Sacerdotes; si peccatum patrasset, cujus causa flagellatione teneretur, in Synhedrio triumvirali, sicut reliqui homines, qui flagellatione tenebantur, vapulabat; deinde pristinam recuperabat dignitatem, uti traditur in *Hierosolymit.* cap. II. *Sanhedrin.* Summus Sacerdos oportebat ut esset maximus fratrum suorum Sacerdotum decore, robore, opibus, sapientia, & specie, uti legitur cap. II. *Horajoth*; Si opes illi non suppeterent, cuncti Sacerdotes pro sua quisque facultate ei largiebantur, ut eorum opulentissimum divitiis superaret. Neque tamen horum quidquam impediebat; sed hoc omne fiebat, ut optime præceptum servaretur, sed ex quocunque loco amplificaretur, rectum erat. Summus Sacerdos sibi ipse honorem habere debebat, uti traditur cap. IV. *Tosaphta Sanhedrin*, nec vilescere debet cum reliquo populo, neque se conspiciendum nudum præbeat neque in balneo, neque in latrina, nec porro tum cum tondetur; sicuti dictum est *Levit.* XXI. 10. *Sacerdos maximus inter fratres suos*; docemur, magnam illi habendam esse reverentiam. Si

יתירה·

יתרה׃ אך אם רצה הוא שירחצו אחרים
עמו הרשות בידו׃ לא יכנס לבית המשתה
ולא לסעודה של רבים אפי׳ הם של מצוה
אבל הולך הוא אם רצה לבית האבל וכשהוא
הנלך אינו הולך בערבוביא עם שאר הכהנים
אלא מסבבין אותו הכהני׳ וחולקים לו כבוד
והסגן ממצעו בינו לבין העם והסגן ומשיח
שעבר היינו שמנוהו כהן גדול מחמרת קרי
של כהן גדול הנבחר או מחמרת פסול עד
שיעבור פסולו׃ ועבר זה שמנוהו תחתיו וחזר
הראשון לגדולתו׃ זה שנתמנ׳ תחתיו והסגן
היו עומדים מימינו וראש בית אב והאבלי׳
וכל העם משמאלו ואומר לאבלים תנוחמו
והם מכבדים אותו כפי כחם׃

מת לו מת אינו יוצא אחריו ואינו יוצא
מן המקד׳ וכל העם חוץ ממשיח מלחמה
באי׳ לנחמו בביתו והוא עומד בשורה וסגן
מימינו וראש בית אב וכל העם משמאלו
ואומרי׳ לו אנו כפרתך והוא אומ׳ להם
תתברכו מן השמי׳ וכשמברין אותו׳ כל העם
יושבין על הארץ והוא יושב על הספסל
ואינו קורע על מתו כשאר הכהנים שהם
מלמעלה והוא מלמטה כנגד רגליו׃ ואינו
מרבה פרע לעולם אלא מספר מערב שבת
לערב שבת ואינו מספר בתער אלא בזוג ראש
שער זה בעיקרו של זה כדאמר רבא וכמו
שפירש הרא״ש ז״ל כסום יכסמו את ראשיהם
כבוסמת הזאת ראשה של זאת בעקרה של
זאת וללמד הגלחת כזה פזר אלעשה כמו
שאמרו את מעותיו׃ קראו רבותינו ז״ל לתספורת
הזה לוליינית בסנהדרין בסוף פרק כ״ג ובנדרי׳
בסוף פר׳ הנודר מן המבושל מאי לוליינית׃
אמר רב יהודה תספורת יחידתא׃ היכי דמי׃
אמר רבא וכו׳׃ ובית יהיה לו לכהן גדול
מוכן במקדש כאשר אמרנו ואין דנין אותו
דיני נפשות אלא בית דין הגדול בלבד והוא
אסור באלמנה ומצווה על הבתולה׃ ואם
היו לו שתי נשים אינו יכול לעבור ביום
הכפורים עד שיגרש אחת מהן דכתי׳ וכפר
בעדו ובעד ביתו ולא בעד שני בתים׃ וחולץ

vellet , ut alii ſecum lavarent , licebat . Non ingredietur in locum commeſſationis aut convivii publici vel ſacri ; at ad domum luctus , ſi vellet , adire licebat ; quo cum iret , non ſe confundebat cum reliquis Sacerdotibus , ſed hi eum honoris cauſa ſtipabant ; & Vicarius medius inter eum & populum intercedebat . Et Vicarius , & unctus qui miniſtraſſet , i. e. qui præfectus ſummus Sacerdos eſſet , propter immunditiem ſeminis ſummi Sacerdotis jam electi , aut vitii cauſa , donec ejus vitium prætereat , & deinde hic removetur , qui ejus loco fuit electus , & ille ſuam recuperat dignitatem ; Hic qui pro eo electus fuerat & Vicarius ſtabant ad ejus dextram , & Antiſtes domus paternæ , & lugentes , & univerſus populus ad ejus ſiniſtram ; tum lugentibus dicebat ; *conſolationem habeatis* ; & hi pro ſuis viribus eum honore proſequebantur.

Siquis ipſi mortuus eſſet , non exibat poſt illum, neque egrediebatur e Sanctuario , & univerſus populus, excepto uncto in bellum, veniebat domum ſuam ad conſolandum ; tum ipſe conſiſtebat in ſerie , & Vicarius ad ejus dextram , & Antiſtes domus paternæ & univerſus populus ad ſiniſtram , eique dicebant ; *Nos tua ſimus expiatio* ; tum is reſpondebat ; *Benedicti ſitis a Domino* ; Cum præberetur ei cibus , omnis populus humi accubabat , & is in ſubſellio accumbebat ; Neque pro ſuo mortuo , ſicut reliqui Sacerdotes , veſtes ſuas lacerabat , qui ſuperius , & ipſe inferius ex adverſum pedes lacerabat . Nunquam multam nutriebat comam , ſed ſingulis Sabbathi vigiliis eam tondebat , neque novacula , ſed forfice tondebat , ut unius capilli extremitas ad alterius radicem pertingat , uti dicit Raba , atque uti explicat R. *Araſch Ezech.* XLIV. 20. כסום יכסמו את ראשיהם ; ſicuti in hac ſpelta extremitas unius pertingit ad radicem alterius ; atque ut cognoſcatur hæc tondendi ratio , diſperſit Elugaſcia numos ; appellarunt Sapientes noſtri f. m. hanc tonſuram לוליינית in fine cap. II. *Sanhedrin* & in fine cap. II. *Nedarim* . Quid eſt לוליינית ? Dixit R. Jehuda eſt tonſura peculiaris; qualis erat ? Dixit Raba &c. Domus in Sanctuario parata erat ſummo Sacerdoti , uti dictum eſt , de ejus capite Synhedrium magnum duntaxat judicabat ; eique vidua vetita erat ; virginem ducere jubebatur ; ſi duæ illi fuerint uxores , non licebat miniſtrare in die expiationum donec alteram dimitteret ; ſcriptum eſt enim *Levit.* XVI. *Et oraverit pro ſe , & pro domo ſua* ; non vero pro duabus domibus. Et exuitur illi calceus , & aliis ab ejus uxore exuitur , & cum

וחולצים

וחילצים לאשתו ומיבמין את אשתו׳ ואם
גירש אשה מותרת להנשא לשאר העם.

בזמן שהכהן גדול נכנס להיכל להשתחוות׳
שלשה אוחזין בו אחד בימינו ואחד בשמאלו
ואחד באבני׳ טובות שבאפוד מאחוריו׳ ויכנס
להיכל וישתחוה׳ וכיון שישמע הסגן קול
רגליו של כהן גדול שהוא יוצא מגביה לו
את הפרכת ואחר שיצא יכנסו אחיו הכהנים
וישתחוו ויצאו׳ וכל יום שירצה להקטיר
הקטרת מקטיר ונוטל חלק בראש בקדשי
המקדש כלן וכשירצה אומר זו החטאת שלי
וזה האשם שלי ואינו עובד בפייס אלא כל
עת שירצה להקריב מקריב כל מה מירקה׳ אך
בקדשי הגבול הוא כשאר הכהנים ובזמן שרוצה
להקריב היה עולה בכבש והסגן מימינו׳
הגיע למחציה הכבש אחז הסגן בימינו והעלהו
והושיט לו הכהן שהוא מוליך את ראש
העולה האברים שבידו וסומך עליהן וזורקן
לאש וכך היו מושיטין לו שאר האברים כל
אחד ואחד נותן האברי׳ שבידו לראשון
והראשון נותן לכהן גדול והוא סומך וזורק
לאש׳ ואם רצה לסמוך בלבד ויהיה אחר
זורק לאש עושה ואין שם סמיכה על האברים
אלא לכהן גדול בלבד מפני כבודו אבל כל
הסמיכות על בעלי חיים הן.

אין כל כהן הדיוט וכן כהן גדול עובד
עבודה עד שיביא עשירית האיפה משלו
ועובד בידו ואם עבד קודם שיביא עשירית
האיפה וכן כהן גדול שעבד בכהונה גדולה
קודם שיביא עשירית האיפה עבודתו כשרה׳
כהן שלא עבד עדין מומיו שמנוהו כהן גדול
הרי זה מביא עשירית האיפ׳ ועובדה בידו
בתחלה כשאר חינוך כל כהן הדיוט ואחר
כך מקריב עשירית האיפה שניה שהיא חנוך
כהן גדול ואחר כך מקריב עשירית האיפה
שלישית שהיא חביתי כהן גדול שמקריב בכל
יום ומעשה שלשתן הוא שוה.

ea leviratio contrahitur, si uxorem dimisisset, licebat reliquo populo nubere.

Quo tempore ingrediebatur Sacerdos magnus in templum ad adorandum, tres illum apprehendebant, unus ad dextram, alter ad sinistram, & tertius ad lapides pretiosos Ephodi ad dorsum, & ingressus in templum adorabat; & postquam audisset Sagan strepitum pedum summi Sacerdotis, quando egrediebatur, elevabat illi velum, & postquam egressus erat, ingrediebantur fratres ejus Sacerdotes, & adorabant, & abibant. Quocunque die libuisset, adolebat suffitum, & sumebat partem in principio de omnibus Sanctitatibus Sanctuarii; & cum libuisset, dicebat; hoc Sacrificium pro peccato sit meum, & hoc Sacrificium pro delicto sit meum, neque sorte ministrabat, sed quovis tempore offerre libuisset, offerebat, quod volebat. At in Sanctitatibus provinciæ uti reliqui Sacerdotes, habebatur. Quo tempore volebat offerre, per pontem adscendebat, & Sagan erat ad ejus dextram; cum pervenerat ad dimidium pontis, Sagan dextra sua illum apprehendebat, & adscendere eum faciebat, eique porrigebat Sacerdos, qui afferebat caput holocausti, membra, quæ manu sua tenebat, quibus imponebat manus, & aspergebat in ignem; eoque modo reliqua omnia membra porrigebantur; unusquisque dabat membra, quæ manu sua tenebat primo, & primus porrigebat summo Sacerdoti, quibus impositis manibus adspergebat in ignem. Si tantum manus imponere libuisset, & alius in ignem adspergeret, licebat; unique summo Sacerdoti permissum erat membris manus imponere honoris causa; semper enim vivis animantibus manus imponebantur.

Tam Sacerdos vulgaris, quam Sacerdos magnus non ministrabat, donec de suo Ephæ decimam non attulisset, quam sua manu offerebat; si vero ministrasset antequam de suo Ephæ decimam attulisset, pariterque summus Sacerdos si ministrasset in summo Sacerdotio, antequam Ephæ decimam attulisset, ministerium ejus erat legitimum. Sacerdos qui nunquam ministrasset, & electus esset summus Sacerdos, offeret Ephæ decimam, manuque sua offeret in principio, sicuti quivis Sacerdos vulgaris consecratur, & deinde offeret secundam Ephæ decimam, qua consecrabatur summus Sacerdos & postremo offeret tertiam Ephæ decimam, & hæ sunt sartagines summi Sacerdotis, quas offerre tenetur singulis diebus, & trium omnium opus est æquale.

פרק כט.

במדרגות כל קהל עדת ישראל אחת לאחת· בחשבון צודק עד שיהיו מדרגות הישראלים לתקון הקבוץ המדיני מאה ומדרגות החכמים שבעה עשר ומדרגות הלוים אחת ושלשים ומדרגות הכהנים הראויים ושאינם ראויים לעבודה שלשה עשר שהם קסׄאׄ מדמגות בין כלם ואגב גרדא יודיע בפרק זה שסוללות הקדמונים הם הארטילאריאת שלנו.

דבר גלוי ומפורסם לכל כי בני עמנו בכללי· הם של שלשה מדרגות שונות· האחת היא מדרגת הכהנים כי הובדלו מכלל הלוים לעבודת הקרבנות וצריך לנהוג בם כבוד הרבה ולהקדים הכהן לכל דבר שבקדושה לפתוח בתורה ראשון ולברך ראשון וליטול מנה יפה ראשון· השנית היא מדרגת הלוים· השלישית היא מדרגת הישראלים וכל מדרגת ומדרגה מהם תחולק למדרגות שונות· ואני לא ראיתי מי שמנאן כלם זה אחר זה או שכתב בהם דבר בעצם וראשונה אלא הרמ״בם ז״ל בהלכות כלי המקדש פרק רביעי פסקא י״ט שדבר בכהן מעט מזער· על כן אמרתי לכתוב לכם דעתי זאת בקצרה שלא מן הספר· ואם לא ייטב בעיניכם ספורי זה· הבו למי שידבר במדרגות אלו על דרך יותר נכון ממה שעשיתי אני ולא אבוש.

והנה לעניות דעתי מדרגת הישראלי היא של שני סוגים· הסוג האחד הוא באנשים הנאותים לקבוץ המדיני הטוב והנחמד· והשני הוא בחכמים המדריכים בני האדם לדרך ישרה מהתור׳ והמצות· ואולם המדרגו׳ הראשונו׳ באנשים הנאותים לקבוץ המדיני· א׳ הם החופרי בורות שיחין ומערות· ב החוצבי כל מחצב של אבני שישא ומרמירא שהם טובים לבנין והחצרות וערי מבצר והמגדלים וזולתן· ג היודעים להוציא ממעי הארץ הזהב הכסף הנחשת הבדיל הברזל והעופרת וכל שאר המתכות למיניהן· ד האומנים המכירים התנאי׳ המיוחדי׳ להתכח עד שיצרפו באש ויתקנו גם כן בפטיש כל המתכות כמין מקשה לעשות שונות כפי

CAPUT XXIX.

Ubi agitur de gradibus universæ congregationis Israelis, qui perfecte sigillatim recensentur, ut gradus Israelitarum ad constituendam civilem societatem sint 100. & Sapientum gradus 17. Et Levitarum 31. & Sacerdotum, sive illi legitimi, sive illegitimi sint ad ministrandum 13. qui omnes sunt 161. Ostenditurque in hoc capite veteres סללת *esse nostra tormenta bellica.*

MAnifestum est omnibus, nostram gentem generaliter in tres gradus differentes fuisse distributam. Prima erat classis Sacerdotum, qui a numero Levitarum separati sunt, ut offerrent sacrificia, & magnus illis oportebat ut honos haberetur; & anteibat Sacerdos in quavis re, quæ spectabat sanctitatem; primus legebat in lege, primus benedicebat, & primus meliorem partem accipiebat. Secunda erat classis Levitarum. Tertia erat Israelitarum classis, & quævis classis in varios describebatur gradus; at ego neminem vidi, qui sigillatim omnes enumeraverit, aut peculiariter scripserit, si unum excipias *Maimonidem* cap. IV. 19. *in constitutionibus de vasis Sanctuarii*, qui nonnulla scribit de Sacerdote; idcirco putavi vobis breviter describendam meam sententiam de iis, de quibus nemo scripsit; si vero vobis minime probabitur hæc mea descriptio; eligetis, qui melius, quam a me factum sit, hos gradus descripserit; neque me pudebit.

Juxta mediocre meum ingenium, mihi videtur Israelitarum gradus fuisse duorum generum. Primum comprehendebat eos homines, qui civili societati optimæ & desiderabili utiles & convenientes erant; secundum eos complectebatur, qui homines in via recta legis & præceptorum dirigebant. Ceterum hominum civili societati convenientium primus gradus erat eorum, qui fodiebant puteos, fossas, & cisternas; secundus eorum, qui cædunt lapidicinam lapidum marmoreorum, qui congruentes sint ædificio domorum, & atriorum, & urbium munitarum, & turrium, & his similium. Tertius eorum, qui artem callerent effodiendi ex terræ visceribus aurum, argentum, æs, stamnum, ferrum, & plumbum, ceteraque omnia metalla juxta eorum speciem. Quartus artificum, quibus notæ erant regulæ peculiares fundendi, donec igne defœcarentur, pariterque malleo omnia metalla instar massæ solidæ præpararent variis mo-

טבע המתכת וצורך הכלים הנעשים ממנו .
ה הפועלים העושים כל מלאכה בשדה וכל
עבודתו כגון החרישה הזריעה · הקצירה
הדישה ולקט כל הזרעונין ופירו׳ האילנו׳
ודומיהן · ו האנשי׳ המכשירים אותם להנאת
בני אדם כמו לטחון ולהוציא סובן · מורסנן .
קמחן · סלתן · יינן · שמנן · ודבשן · וזולתן
מהמלאכות השייכות לכל פירות הארץ · עד
שיאותו לאכילה · לשתיה · לסיכה · לערוך ·
ולכל שאר התשמישי׳ · ז הסבלי השוכרי׳
עצמ׳ לכל עבודת עבודה ועבודת משא · ח
הבעלי מלאכו׳ כלם כגון החרשי עץ · הבונים ·
חטווים · האורגים · התופרי׳ · הנפחים · הצורפים ·
וזולתן מהמלאכות הצריכות לתשמיש הגוף
והידים לעשות בם מלאכתן · ועם כי יש
ביניה׳ הבדל בפלא ונגלה כפי ערך המלאכה
הנעשת שתהיה מצד עצמה · או גרוע׳ ופחות׳
או נאותה ומעולה כל עוד שיצטרכו לתשמיש
הידים והגוף שמתים כלם תחת סוג אחד או
מדרגה אחת בלבד כדי שיובדלו על פי דרכם
מהעומדים בשב ואל תעשה ומהמוכרים כל
ממכר מבלי יגיעת כפים ועשיית מעשה בידי
ט אחריהם הם הסוחרים או הרוכלים
שצריכי׳ לשוט בארץ ולהתהלך בה למכור
ולקנו׳ כי אין בידם ספק להנפש ולעמוד
בבתיהם ובטרותם במנוחה להביא טרף לבניהם
ולבנותיהם כדי שבעה · י השולחנים המחליפים
המעות בשכר בעד טובת הליגה מהמטבעות
של כסף וזהב או בעד הקולבון · יא התגרים
העומדים על כר נרחב בהשקט ובבטחה
בחנויותיהם ונושאים ונותנים בסחורה בעד
שקלי׳ זהב וכסף מיד לידי · וגם על הכתב
באמנה ולא ילכו אנה ואנה לבטלה · יב
החושבי מחשבות ומבקשי חשבונות רבים
לקרבה אל כל למוד מלאכה במכר עד שבזעת
אף תבונתם וחכמתם יאכלו לחם הקם מבלי
שיצטרכו למצא בעד מחיתם פרקמטיא או
סחורה בשום · יג האיש הנכבד היושב
בחצרו תחת גפנו ותאנתו ואוכל את חלב
הארץ ולא נעצר לשום מלאכה עם שתהיה
של כבוד ומעלה · יד הראש בית אב · טו
הראש משמר · יו העורך טענות בני אדם
במשא ומתן נקרא בלשונם פרוקוראטורי ·
יז המושל המקשיב דברי ריבות ודן דין אמת

dis, juxta metalli naturam, & vasorum necessitatem, quæ iis efformarentur. Quintus operariorum, qui agriculturæ operam dabant, i. e. arabant, serebant metebant, triturabant, & colligebant omnia semina, & fructus arborum, & his similia. Sextus eorum, qui hæc præparabant ad usum hominum, qui molebant, & extrahebant eorum surfures, & contrita, *seu crassiores surfures*, farinam, similam, vinum, oleum, & mel, & his similia opera faciebant, quæ omnes terræ fructus spectabant, donec apta redderentur ad cibum, potum, unctionem, effusionem, & reliquos omnes usus. Septimus bajulorum, qui pro quovis ministerio, & onere conducebantur. Octavus omnium artificum, i. e. fabrorum lignariorum, cœmentariorum, nentium, textorum, sartorum, fabrorum, aurificum, & his similium ex artificiis necessariis ad usum corporis & manuum ad faciendum opus. Et quamvis inter ea magnum & manifestum sit discrimen juxta speciem operis, quod seorsim factum sit, sive sit inferius & humilius, sive sit excellentius & nobilius, quotiescunque omnia manuum & corporis usui necessaria erant, sub eodem genere & conditione comprehenduntur, ut distinguantur ab iis, qui otiosi consident, & ab iis, qui sine manuum labore, & manufactura omnia vendebant. Nonus post hos comprehendebat mercatores, aut aromatarios, quibus opus erat vagari & peragrare terram emendi & vendendi causa, quibus non satis esset, ut possent quiete in domibus & urbibus suis morari, ad comparandum filiis & filiabus suis ad satietatem alimentum. Decimus trapezitas, qui mercede pecuniam permutabant ob utilitatem metalli magis defœcati & nummis argenteis & aureis, aut propter collybum. XI. mercatores, qui in patenti foro in suis officinis quieti consistunt, aliisque siclis argenteis & aureis merces suas præbent, pariterque scriptura dilata solutione, neque huc illuc vagantur. XII. ratiocinatores & inventores, qui dant operam mercede docendi varias artes, ita ut sudore ingenii & sapientiæ suæ sibi panem suum quotidianum comparare possint, ut nullo modo mercaturæ aut negotiationi operam dare teneantur. XIII. virum nobilem in atrio suo sub vite & ficu sua sedentem, & de pinguedine terræ comedentem, ita ut sibi non esset necesse, ut ulli daret operam artificio vel nobili & excellenti. XIV. Antistitem domus paternæ. XV. principem stationis. XVI. qui disponit hominum rationes & causas in judiciis pecuniariis, qui vernacule *Procurator* appellatur. XVII. præto-

לאמתו · יח הסופרים · יט השוטרים · כ
המזכירים למלך הדברים השייכים להנהגת
המדינה ולתקון ענייני המלכות בכלל ובפרט ·
כא היועצי׳ בדברי ממונות · כב הסודני׳ · כג
הכותבים וחותמי׳ בטבעת המלך ובמצותו כל
הנמוסים והחקים והמשפטים לתועלת והנאת
כל העם החוסים תחת צל המלך · כד המכריז
בחצוצרות ומשמיע לעם משפטי המלך ומצותיו
ומתרה בקנס שלא יעברו על חקיו · כה האיש
מלחמה הפשוט · כו השרי עשרי׳ · כז השרי
חמשים · כח השרי מאות · כט השרי אלפים ·
ל הגבורי׳ הגדולים העומדים בחצר המלך
תמיד וסרים אל משמעתו · בכל הזמנים בעת
מלחמה ועת שלום כמו שהיו השלשים גבורי
דוד המלך הנקראים בלשון לעז פאלאטיני ·
היינו הגבורים העומדים בחצר · כי פאלאציאום
רוצה לומר בית או חצר גדול של מלכים .
לא הסריסים · לב השומרי׳ הסף · לג הרצים
בסוסים רוכבי הרכש האחשתרנים בני׳ הרמכים ·
לד הממונים על כל מלאכת עבודת שדו׳ המלך
הזורעי שם חטה שעורה · כסמת שבולת שועל
שפון פוליך עדשים וכל מיני קטנית וזרעונין ·
ועל השקמי׳ ועל הזיתי׳ ועל הכרמים ועל
כל אילני פירות ואילני סרק הנכורים לשרפה
או לבנין הבתים ולאילים המנגחי׳ ולבניני
הדיקים על הערים כשצרים עליהן ולתשמיש,
הספינות והאניו׳ של משוט · לה הממונים
על אוצרות היין · לו הממוני׳ על אוצרות
השמנים · לז הממונים על הבקר בהרי׳ ובעמקי׳ ·
לח הממונים על ארות הסוסים · לט הממונים
על האתונות · מ הממונים על הגמלים · מא
הממנים על הצאן · מב הממונים על חדרי
המטות · מג הממונים על בגדי פשתים וצמר׳
ושש ורקמה ומשי כרפס ותכלת ודומיהן
לתשמיש המלך השגל הבני׳ הבנו׳ ושריו
ומשמשיו · מד שר המשקים · מה שר האופים ·
מו הממונה על הבית במאכל שלחנו של מלך
ומושב עבדיו ומשרתיו ועושי רצונו · מז
הממוני׳ על המס מנדה בלו והלך · מח הממונ׳
על אוצרות החטי מנית הסלתות הפנג הדבש
והצרי ובשר פרים כרים אילים עתודים יבשים
ומלוחים להשתמש מהם בעת הבצורת או
במהומת מלחמ׳ · מט הממונה על אוצרו׳

rem, qui causis præerat, & judicium veritatis judicabat. XVIII. scribas. XIX. lictores. XX. qui commemorabant regi ea quæ spectarent regimen provinciæ & regni generaliter & peculiariter. XXI. Qui consulebant rebus pecuniariis. XXII. Secretarios. XXIII. Qui scribebant, & obsignabant regis annulo, ejusque jussu omnes leges, statuta, & judicia ad universi populi utilitatem, qui erat sub umbra regis. XXIV. præconem, qui tubis promulgabat, & proclamabat populo edicta & mandata regis, & pœna commonebat, ne ejus decreta violarentur. XXV. simplicem militem. XXVI. principes decem, *seu decuriones*. XXVII. præfectos quinquaginta. XXVIII. præfectos centum, *seu centuriones*. XXIX. præfectos mille, *seu Chiliarchas*. XXX. robustos & potentes, qui semper stabant in aula regis, atque in ejus consilio omni tempore pacis & belli, quales erant triginta potentes regis David, qui vernacule *Palatini* appellantur, i. e. potentes, qui in aula morantur; etenim *Palatium* significat domum, aut aulam magnam regum. XXXI. Eunuchos. XXXII. Custodes liminis. XXXIII. Cursores, qui veredos & mulos equitabant. XXXIV. præfectos culturæ agrorum regis, in quibus serebatur triticum, hordeum, spelta, avena, secale, faba, lentes, & omne genus leguminum, & seminibus, & sycomoris, & olivetis, & vineis; & arboribus frugiferis, & arboribus infrugiferis ad usum ignis, & ad ædificium in domorum, & arietum cornupetentium, & ad constructionem turrium urbanarum tempore obsidionis, & ad usum navium, & triremium. XXXV. præfectos cellis vinariis. XXXVI. præfectos reconditoriis oleorum XXXVII. præfectos bobus in montibus & vallibus. XXXVIII. præfectos stabulis equorum XXXIX. præfectos asinis. XL. præfectos camelis. XLI. præfectos ovibus. XLII. præfectos cubiculis lectorum. XLIII. præfectos vestibus lineis, & laneis, & acu pictis, & sericis ex variis coloribus, & his similibus ad usum regis, & reginæ, & filiorum, & filiarum, & principum, & ministrorum XLIV. præfectum pocillatoribus XLV. præfectum pistoribus XLVI. præfectum domui pro cibis mensæ regis, servorum & ministrorum. XLVII. præfectum omnibus vectigalibus & tributis in deductione & transitu. XLVIII. præfectum horreis frumenti, menith, similarum, balsami, mellis, & reconditoriis carnium juvencorum, camelorum, arietum, quæ exsiccandæ & saliendæ erant ad usum tempore caritatis & belli. XLIX. præfectum thesauris argenti, & auri, & lapidum pretiosorum,

הכסף והזהב ואבנים טובות ומרגליות · נ הממונה על האוצרו' בשדה· נא בערים · נב ובכפרי' · נג ובמגדלי' · נד הממונה על החדר שבו כל כלי הנשק וכלי משחית להפיל החומות ועל החרבות שיצטרכו לשני ידים · ועל החרבות של תשמיש יד אחת · ועל הפוניאונים · החנתות · הרמחים · השפודים · חכידונים · הפטישי ברזל ארוכים · הכובעים · הקרקפתאות · השריונים · הכרסים · הירכים · הבתי שוקים · הבתי ידים · ומלבושי הזרועות של ברזל · המגינים · הצנות · השליטים · התריסין · הקשתות והחצי' · נקרא החדר הזה בלשונם לאטינו ארמאמינטאריאום ובלשון יון אופלוטיכי כתו' באומיקרון · בפי בלאמדהי באומיקרון בטיטא · באיטא · בכאפה · ואיטה · ובלעז קאמירה דיל ארמאמינטו · נה הממונה על הסללות גדולות בלעז ארטיליאיריא·

רעו בני כי נקראו הארטיליאיריאי בספרי הנביאי' הראשוני' סללות מפני שההולכים בקרב הם מרימים תמיד ומגביהים להם מקום בחנית המחנות שיהיה אדיר נאה ומתוקן אל שיוכלו לשום עליו הכלים האלה כדי שיכונו לשפיכ' הכדורי' של ברזל הנסגרים באמוץ נפלא ובצרות רבה בקרבם כאשר באמצעות האבק המלאכותי המוצת בשרירי בטנם בכח גרו' וביד חזקה עושים להם מסלול ודרך ישרה בתוך קנה הכלי שבגלל הדבר הזה יקרא אצלנו בשם סללה לצאת משם בזעף ובדחיפה עזה וללכת לעומת הסללות להפיל החומו' הבצורות ולהכרית גם יחד בסופה ובשערה נפשות רבות באגודה · וכמשפט הזה יאות בלי ספק מה שאמר הכתוב כרתו עצה ושפכו על ירושלם סללה ירמיה ו' וגם הסללו' באו העיר ללכדה ירמיה לב וזולתן מהמקראו' כי הדרך הרמה והגבוהה כמו שפתרו רבים מלת סללה לא תכין מעולם ללכת אל עיר מושב או להשתפך בזמן מהזמנים על חיק חומה בצורה אך במהומת מלחמה תתוקן בלבד הדרך הנמצאת ברצפה ישרה לתל גבוה נגד החומ' עד שיכו מעליו על כתל הקריה ההומה במצוקת המצור כשיבקשו להרוס מבצריה בעצים ההם הגדולים הגסים והתקיפים שיש להם ברזלים

& margaritarum . L. præfectum horreis agrorum . LI. præfectum urbibus. LII. præfectum pagis. LIII. præfectum turribus . LIV. præfectum conclavi , in quo omnia arma deprehendebantur, & inſtrumenta vaſtationis ad diruenda mœnia , & gladiis pro utraque manu , & enſibus pro una tantum manu , & pugionibus, lanceis , ſariſſis , telis , clavis, malleis, ferreis longis, galeis, caſſidibus , loricis, thoracibus , femoralibus , crocreis , chirothecis, brachialibus ferreis , ſcutis, parmis ex variis ſpeciebus, arcubus , ſagittis. Hoc conclave Latine vocatur *armamentarium* , & Græce ὁπλοθήκη ſcriptum omicron , pi , lamda , omicron , thita , ita, cappa, ita, & Italice *Camera dell' Armamento* . LV. præfectum tormentis bellicis magnis, quæ vernacule *Artiglieria* appellantur.

Scitote mei filii tormenta bellica in libris primorum Prophetarum (*a*) סללות appellari; etenim qui in prælium proficiſcuntur , tum cum caſtrametantur; exſtruunt ſemper aggerem , ut ſit idoneus & conveniens, in quo ſtatui poſſint hæc inſtrumenta, ut ſint directa ad effundendas pilas ferreas, quæ magna vi & anguſtia in iis includuntur , cum magno impetu ſibi viam rectam atque iter aperiunt artificiali pulvere , qui intra illa magna vi accenditur, intra inſtrumenti cannam , (idcirco a nobis appellatur , סללה) Et magna inde impulſione & furore afferuntur ad impetenda propugnacula, ad diruenda mœniæ & ad perdendas uno eodemque tempore multorum animas; ideoque plane convenit , quod dictum eſt *Jerem.* VI. *Cædite lignum ejus, & fundite circa Jeruſalem* סללה *aggerem.* Pariterque *ibid.* XXXII. 24. *Ecce munitiones exſtructæ ſunt adverſum civitatem ut capiatur.* Et in aliis ſimilibus Scripturæ locis. Etenim via illa eminens & alta, ut multi vocem סללה interpretati ſunt , dici non poteſt proceſſiſſe in urbem, aut ullo tempore in ſinum mœnium obſeſſorum effuſa fuiſſe. Verumtamen in tumultu belli præparabitur tantum ea via , quæ in ſolo recto efformetur , & in ea eminens agger exſtruatur, e regione parietis, ut ex eo poſſint urbis obſeſſæ mœnia quatere, tum cum ejus propugnacula diruenda ſuſcipiant iis lignis magnis, & craſſis, & validis, quibus valida inerant ferra, & acuta in ſummitatibus claudis, ne ullo modo dimoverentur, infixa, cum mœnia diruere vellent uti veteribus

חזקים

(*a*) Mirandum eſt , *Abrahamum* noſtrum virum tanto ingenio & judicio tantopere in his capitibus de re militari dormitaſſe non ſolum , ſed ſtertiſſe , ut putarit סללות fuiſſe hæc noſtra tormenta bellica, quæ multis poſt Judaici Regni excidium ſeculis in Germania ad peſtem & exitium humani generis inventa ſunt, quamvis apud Indos & Seres antiquiſſima prædicentur.

חזקים וחדים תקועים בראשם במסמרים לא
ימוטו כלל כאשר הם משחיתים בהם החומו'
כמו שהכירו הקדמוני' בכלים שקראו אותם
בשם אילים המנגחים או עד שבקירות העיר
העולות על לב השמים יורו בם מתחת הכלים
שהם כדמות חדר מכוסה שנקראו בלשונ'
פלוטיאי החצי' והאבנים או עד שיורו מעל
הדיק בחשבונות רבות ובמחשבת חושב
האבנים הגדולות כמו שמצא בחכמתו עוזיהו'
מלך יהודה ד"ה ב' כו' או עד שישפכו הסללות
המושמורת בנס על הגבעה על שכם הדרך
והמתוקנות למחות בכדוריהן מעליה כל עיר
נשגבה סגרת ומסגרת בחומה גבוהה דלתים
ובריח כמו מגלה זה בתעלומו' חכמה לאנש'
דורנו· נו הממונה על הסללות בינוניות, נקראו
מוסקיטוני· נז הממונה על הסללות קטנות
כפי מנהג הספרדים נקראו ארקיבושי ופיסטולי·
נח הממונה על האבק השחור של נפרית
וסאלניטרו ופחם בעבור הסללות גדולות
וקטנות ואמצעיות והכדורים של ברזל עם
שלשלאות של ברזל טמונות בתוכן או בלי
שלשלאות לסללות הגדולות מאד· הכדורים
של עופרת לתשמיש הסללות קטנות
ואמצעיות עם כדורי' אחרי' קטנים כאפונים
לשפוך בחברת הכדורים של עופרת נקראו
בלעז באליני · והכדורים להבעיר במחנה
במקום נרות ואבוקות כל הלילה · והכדורים
האחרים הגדולים המוכנים להצית בהם את
האש המלאכותי שלא יכבו לעולם עד כלות
הכדור כלו לשרוף עמהם האויבים והמעיקי
של עץ הנעשים להזקח סביב למחנות'
נקראו טרינצירי· נט הממונה על בית
הספינות גדולות נקראו נאבי מאגיורי · ועל
הקטנות מהן נקראו מארציליאני או קאראבילי·
ועל אניות משוט שנהגו גם כן מימי קדם
נקראו בלעז גאליאי · והאוניות של משוט
יותר גדולות שמצאו אחריהן נקראו גאליאצי·
ועל אניות משוט קטנות כמו הסקיפי' פריגאטי
בירגאנטיני · ועל הגאליאוני גדול עד מאד
נקרא בלשוננו צי אדיר ישעיה ל"ג צי אדיר
לא יעברנו שהוא דומה לעיר בצורה בים ·
ועל הרפסתות ועל החבלים ועל המשוטים

innotuit his instrumentis, quæ arietes cornupetæ appellantur, aut dum in mœnia urbis quæ usque ad cœlum adscendebant, jaculabantur sub his instrumentis, quæ conclavis operti similitudinem referebant, quæ eorum lingua *Flutii* vocantur sagittas & lapides; aut dum multis artificiis & industria super turri lapides magnos projiciebant; quod invenit sua sapientia Huzia rex Jehudæ, uti legitur. *Paralip.* XXVI. Aut quando tormenta bellica explodebant ad signum collocata in aggere ad viæ latus, & recte disposita ad percutiendum suis globulis superius totam civitatem, quæ alta, occlusa, & eminentibus mœnibus, & portis & seris munita sit, ut hoc hominibus nostræ ætatis abscondita sapientia innotuit. LVI. præfectum tormentis bellicis mediocribus, quæ vocantur *Moschettoni*. LVII. præfectum parvis tormentis bellicis, quæ *Archibugi & Pistole* Hispanice vocantur. LVIII. præfectum pulveri nigro ex sulphure, nitro, & carbone confecto pro tormentis bellicis magnis, parvis & mediocribus, & globulis ferreis cum ferreis catenis, quæ in iis includuntur, & sine catenis pro maximis tormentis bellicis, & glandibus plumbeis ad usum tormentorum bellicorum parvorum, & mediocrium, cum aliis parvis glandibus instar cicerum, ut explodantur simul cum glandibus plumbeis, quæ Italice *ballini* appellantur; & globis, quæ pro lucernis & facibus in castris tota nocte accenduntur, & aliis globis majoribus quibus accendatur ignis artificialis, qui nunquam exstinguitur, donec totus globus absumatur, ad comburendos hostes, & valla lignea, quibus circa castra muniuntur, quæ *Trinciere* appellantur. LIX. præfectum magnarum navium stationi, quæ *navi maggiori* appellantur, & parvis, quæ *Marziliane* & *Carevelle* vocantur, quæ remis agebantur, quibus antiquitus quoque utebantur, quæ vernacule *Galere* nuncupantur, & navibus majoribus, quæ remis pariter agebantur, quæ post illas inventæ sunt, quæ *Galeazze* appellantur, & navibus parvis, quæ remis impellebantur, quæ *Schifi*, *Fregate*, & *Bergantini* appellantur, & navi maximæ, quæ *Galeone* vocitatur, quæ nostra lingua i. e. Hebraice צי אדיר *Isai.* XXXIII. 21. *Neque trieris magna transgredietur eum*, quæ similis est urbi munitæ in mari, & ratibus, & rudentibus, & remis, & malis, & velis, & vexillis; hic locus Latine appellatur *Navale*, & Græce νεώριον scriptum ni, epsilon, zere infra aleph, omega, ro, jota, omicron, & ni, & vernacule *Arsenale*. Præter hos alii reperiebantur gradus, sicuti LX. *comprehendebat* regis consiliarium in

ועל

ועל התורנים והנסים והוילונין נקרא הבירה
הזה בלשונם לאטינו נאבאלי ובלשון יון
ניאוריאון כתוב בניי באיפסילון עם הצירו
תחת האלף · באומינה · ברו · ביוטא · באומיקרון
ובניי · ובלעז ארסאנאלי · ועוד מדרגו׳ אחרות
נמצאו על אלה כמו · ס · יועץ המלך בדבר
המלחמות ובדיני נפשות המסורים למלך מצד
כחו המוחלט שלא בהסכמת סנהדרי קטנה
או גדולה · סא שוטריו · סב שרי הרכב · סג
שרי הפרשי׳ · סד שרי המחלקות · סה שרי
הנצבים · סו השנים עשר נגידים מהשבטים ,
ואולי אלו נקראו גם כן שרי מנוחה הואיל
כי היו יושבים תמיד בחצר המלך כמו שרי
העומדי׳ שם בשובה ונחת לכבוד שמו ותפארתו
בלבד ולא יחנו ויצפנו לעולם עצמם בהיכלו
כעבדים המשמשו׳ על מנת לקבל פרס ממנו
בשום פנים בזמן מהזמנים · ולפי דעתי שריה
בן נריה הכתוב בירמיה נ״א היה אחד מהם
שהלך לבבל עם צדקיהו מלך יהודה לכבדו
בכל כחו ולא לשרתו · סז שרי הדגלים ·
סח שרי בעלי הקשתות והחצים · סט שרי
בעלי הרמחים · ע שרי בעלי הכדונות · עא
שרי בעלי הסללות קטנות · עב שרי בעלי
הסללות בינוניות · עג שרי בעלי סללות גדולות ·
עד שרי המדינות · עה שרי הערי · עו שר
המעמיד בסדור אנשי המלחמה בהלחמם
עם האויבים נקרא בלשונם סארגינטי · עז
האיש העוזר לו · עח שר הצבא אשר על
פיו ישקו ובמצותו יעשו כל פרטי המלחמ׳
בשדה ובערי׳ · עט נושא כליו · פ משנהו ·
פא האיש ההוא דנהירן ליה שבילי דימא
כשבילי דארע׳ שיודע לכוין הרוחות ולהדריך
הספינות והאניות אל דרך ישרה כפי חפצם
וכפי צרכם בעבור הנייר ההוא שרושמים
עליו כל חלקי העולם · והקלפי שהוא בחברתו
הנתונה בתוכו האבן מהקאלאמיטה נקרא
האיש הזה בהשאלה בלשון יון כיבירניתיס ·
כתוב בכאפא · באיפסילון עם החירק · בביטא ·
באיפסילון עם הצירי · ברו · בניי · באיטא ·
בתיו · באיטא · ובסינמא · ובלאטינו גובירנאטור
בבית דגושה · ובלעז נקרא פיאוטה · פב שרי
הספינות קטנות · פג שרי הספינות גדולות ·
פד שרי הגאליאי קטנות · פה שרי הגאליאי
בינוניות · פו שרי הגאליאי גדולות שנקראו
גאליאצי · פז שרי הגאליאוני גדול הדומה
לעיר בצורה בים · וכל השרים האלה
הם המושלים על כל תשמישי הספינות
והסללות שבתוכן האומנים והחכמים

consiliis bellicis, & judiciis capitalibus, quæ peculiariter sine consilio Synhedrii parvi & maximi ab Rege peragebantur. LXI. ejus ministros. LXII. principes curruum. LXIII. principes equitum. LXIV. principes separatorum. LXV. principes Stationariorum. LXVI. duodecim principes Tribuum; probabile est hos, pariter appellatos fuisse principes quietis; quandoquidem semper considebant in aula regis quasi principes ibi consistentes quiete & tranquille ad ejus honorem & decus duntaxat, neque soliciti morabantur in ejus palatio quasi servi ea mente illi ministrantes, ut ulla umquam ratione & tempore ab eo mercedem accipiant; & juxta meam sententiam ex horum numero erat Seraja filius Neriæ, qui *Jeremiæ* LI. commemoratur, qui Babylonem profectus est cum Zedechia rege Jehudæ, ut ei pro viribus honorem præberet, non ut ministraret. LXVII. principes vexillorum. LXVIII. principes sagittariorum. LXIX. principes hastatorum. LXX. principes clavigerorum. LXXI. principes eorum, qui parva tormenta bellica explodebant. LXXII. principes eorum, qui mediocria tormenta bellica explodebant. LXXIII. principes eorum, qui maxima tormenta bellica explodebant. LXXIV. principes provinciarum. LXXV. principes urbium. LXXVI. principem, qui adversus hostem aciem instruebat, qui Italice *Sargente* nuncupatur. LXVII. ejus legatum LXXVIII. imperatorum exercitus, cujus imperio induebant arma, ejusque jussu præcipue peragebantur, quæ spectabant bellum tam in castris, quam in urbe. LXXIX. ejus armigerum. LXXX. ejus legatum. LXXXI. virum illum, cui nota sint itinera maritima perinde ac terrestria, & qui sciat se convertere ad ventos, & dirigere naves & triremes ad viam rectam juxta suam voluntatem & necessitatem, ope mappæ, ubi designatæ sunt omnes mundi partes, & pyxidis, ubi magnes collocatus est; appellatur hic figurate Græce κυβερνήτης scriptum cappa, epsilon cum chirec, thita, epsilon cum Zere, ro, ni, ita, tau, ita, & sigma; & Latine *Gubernator* cum beth dagessato, & Italice *Peotta*. LXXXII. principes parvarum navium. LXXXIII. principes magnarum navium. LXXXIV. principes parvarum triremium. LXXXV. principes mediocrium triremium. LXXXVI. principes magnarum triremium, quæ *Galeazze* appellantur. LXXXVII. principes myoparonis, qui vocatur *Galeone*, quæ similis est civitati in mari munitæ. Hi principes omnes præerant omnibus rebus navalibus, & tormentis bellicis, quæ in iis continebantur;

והמשרתים

והמשרתים והבעלי מלאכות והיועצים והסופרים והשוטרים והספנים והחובלים והעבדי' תופשי משוט נקראו סקיואוי ספורצאטי והאנשי המלחמה שבהן ויתר העם בכל מכל כל שהם תוך הספינות והאניות לתשמישם. פח רצי הים באניות פריגאטי· פט שר צבא הגדול שהוא על כל השרי' והאניות שבים והספינות כלך והגליאי והגאליאצי והנאליאוני אשר במצותו ילחמו כלם או מקצתם לפי חפצו ורצונו בלב ימים על האויבים נקרא השר צבא זה בלשון יון נאבארקוס כתוב בניי· באלפא· באיפסילון· בחירק בלפא· ברו· בכי· באומיקרון· ובסינגמא· בלאטינו מריטימי קלאסי פריפיקטוס ובלעז אמיראליו די מארי· ומלחמת הים נקראת בלשון יון נאבמאקיאה בלאטינו נאבאליס פוניה· ובלעז גוירה די מארי· צ משנהו העוזר לו· צא בני המלך· צב האומני' שלהב הלומדים אותם טכסיסי מלכות ודרך ארץ· צג החכמים המראים להם פנים בתורה שבכתב ושבעל פה ומלמדים להם לשונות עמים שונים· צד הילדים העומדים בחברת בני המלך המשמשי' להם בכל עת נקראו בלשונם פאגי· צה האנשים הרואי' תמיד כפי חפצם פני המלך· צו השליש אשר המלך נשען על ידו· צז הרופא המובחק· צח רע המלך· צט משנה למלך· ק והמלך עצמו.

אמנם המדרגה השנית היא בחכמי'· היינו· א הבעל מעשי' טובי' צדיק יודע ספר וקובע עתים התורה· ב השוטר· ג"ד השני סופרים של ב"ד של כ"ג· ה התלמיד חבר· ו' החכם פשוט שלא ממנין הסנהדרין: זה השני סופרי' של בית דין הגדול של שבעים ואחד· האחד מימין שכותב לזכות והאחד משמאל שכותב לחובה כדתנן בסנהדרין פרק אחד דיני ממונות משנ' שלישית· ט החכם המוסמך שנקר' רב· י שנקרא רבי· יא שנקרא רבן· יב שנקרא בשמו מבלי זכירת שום שם של מעלה. והוא יותר נכבד מהראשונים כמו שהיו שמעיה ואבטליון הלל ושמאי· שמואל הקטן שבנא איש ירושלם חנניה בן חזקיה בן גרון וזולתם כשאינם ממנין הסנהדרין· יג החכם שהוא ממנין סנהדרי קטנה· יד הראש או אב של סנהדרי קטנה· טו החכם שהוא ממנין סנהדרי גדולה· יו והאב של בית דין הגדול· יז והנביא.

artificibus, fabris, miniſtris, & opificibus conſiliariis, ſcribis, & ſervis, & remigibus, & nautis, & ſervis remigibus qui *ſchiavi sforzati* nuncupabantur, & militibus, qui in iis impoſiti erant, & omnino univerſo populo, qui naves & triremes operis cauſa conſcendiſſet. LXXXVIII. curſores maritimos in navibus, quæ *Fregatæ* appellantur. LXXXIX. imperatorem claſſis, qui præerat omnibus principibus, navigiis, navibus, triremibus, quinqueremibus, myoparoni, cujus juſſu omnes pugnabant in mari juxta ejus voluntatem adverſus hoſtes, Græce hic imperator vocatur ναύαρχος ſcriptum ni, alpha, epſilon cum chirec, alpha, ro, chi, omicron, & ſigma, Latine *maritimæ claſſi præfectus*, & Italice *Ammiraglio del Mare*, & prælium maritimum Græce appellatur ναυμαχία, Latine *navalis pugna*, & Italice *Guerra di mare* XC. ejus vicarium, *ſeu legatum*, qui illi opem ferebat. XCI. filios regis. XCII. eorum educatores, qui docebant illos mores regios, & urbanitatem. XCIII. Sapientes, qui docebant illos legem, & traditionem, & varias populorum linguas. XCIV. pueros, qui cum filiis regis educabantur, qui ſemper illis miniſtrabant, Italice *Paggi* appellantur. XCV. viros, qui ſemper ad voluntatem ſuam videbant faciem regis XCVI. præfectum, cujus manui rex innitebatur. XCVII. medicum inſignem regis. XCVIII. proregem. XCIX. ſecundarium regi. C. ipſum regem.

Ceterum ſecundus gradus Sapientum erat hujuſmodi; I. erat vir probitate præditus; juſtus, & rectus, doctus, & legi ſemper incumbens. 2. miniſter; 3. & 4. duo ſcribæ ſynhedrii viginti trium adſeſſorum. 5. diſcipulus ſocius. 6. ſimplex ſapiens, qui in Synhedrorum numero non recenſebatur. 7. & 8. duo ſcribæ ſynhedrii maximi unius & ſeptuaginta adſeſſorum, alter ad dextram, qui abſolutionem, & alter ad ſiniſtram, qui damnationem ſcribebat, uti legitur cap. IV. 3. Sanhedrin. 9. Sapiens approbatus, qui Rab appellatur. 10. qui vocabatur Rabi. 11. qui Raban appellabatur. 12. qui proprio nomine vocabatur, nulla facta nominis & dignitatis commemoratione, & hic præ ſuperioribus illuſtrior habebatur, quales erant Semanja, & Abtalion, Hillel, & Sammai; Samuel minor, Sebua vir de Hieroſolyma, Chamanja filius Ezechiæ filii Garon, & his ſimiles, qui inter Synhedros non recenſebantur. 13. Sapiens, qui inter Synhedros minores numerabatur. 14. princeps aut pater Synhedrii minoris. 15. Sapiens, qui inter Synhedros maximos recenſebatur. 16. princeps Synhedrii maximi. 17. Propheta.

אך מדרגות הלוים הם · א הלוי שהוא החזן היינו המשמש להלביש הכהנים בגדי כהונה בשעת עבודה ולהפשיטם אחריה ולהחזיר לחלונות מהמשמרו׳ כאשר אמרתי בפרקים הקודמים · אמנם הרמב״ם ז״ל סובר שהחזנים האלה היו כהנים גם הם · ב· השוטר · ג הסופר · ד השומר המקדש בלילה · ה השוער · ו המנגן · ז המשורר · ח הראש בית אב · ט הראש משמר · י הממונה על כל הסבלים ועושי מלאכת הקדש ועבודת בית אלהים · יא הממונה על האנשים החופרים בורות שיחין ומערות לתשמיש המקד׳ והעולי רגלי׳ · יב הממונה על הפייסות · יג הממונה על הזמנים · יד הממונה על נעילת שערי׳ · טו הממונה על הפקיע הנקרא איש הר הבית · יו הממונה על הצלצל ועל כל כלי הנגון ועל כל ספרי הפארטיטורה וספרי האינטאוולאטורה · יז הממונה על המשוררים ועל כל הספרים שעל הזמירות המיוסדים על השנים ועשרים מיני השיר כאשר אמרתי בפרק הרביעי · יח הממונה על המנחות והסלתות · יט הממונה על החביתין · כ הממונה על הקינין · כא הממונה על הנסכי׳ והשמן · כב הממונה על החותמות · כג הממונה על לחם הפנים · כד הממונה על הקתרט והלבונה ושאר הבשמים והסמים · כה הממונה על הפרכות · כו הממונה על המלבוש · כז הממונה על חליי הכהנים · כח הממונ׳ על לשכת השלש עשר׳ שופרו׳ · כט הממונה על לשכת התרומ׳ והמעשר והקדשי׳ והחרמי׳ ל׳ הממונה על לשכת כלי המקדש שמשתמשין בהן בכל יום בשעת עבודה · לא והממונה על לשכת הכלי׳ שיתנדבו לבדק הבית ·

והנה מדרגת הכהנים היא · א הכהן בעל מום · ב הכהן הדיוט · ג הראש בית אב · ד הראש משמר · ה הגזברי׳ שהיו ממונים על אוצרות הכסף והזהב שמתנדבי׳ בכלל כל קהל ישראל ועל אוצרות הזהב והכסף והאבני טובו׳ ומרגליו׳ שמתנדבים בפרט המלך משלל האויבי׳ וראשי האבות ושרי האלפים ושר הצבא ורואין חשבון הלוים מהתרומ׳ מהמעשר מהקדשי׳ מהחרמי׳ ומשקלי השלש עשר שופרו׳. ו האמרכלין · ז הקתיקולין · ח המשוח מלחמה · ט הסגן · י העובד במקום כהן גדול מחמת מום · יא העובד במקו׳ כהן גדול מחמת קריי · יב המרובה בבגדי׳ · יג הכהן גדול משוח · אמנם הרמב״ם ז״ל בפרק רביעי האמור

Verum hi erant Levitarum gradus. 1. Levita minister, qui operam præstabat Sacerdotibus vestiendis vestibus Sacerdotalibus tempore ministerii, & exuendis perfecto ministerio, & vestibus restituendis in arcas custodiarum, uti superioribus capitibus a me dictum est; At *Maimonides* f. m. putat, hos quoque ministros fuisse Sacerdotes. 2. Minister. 3. Scriba. 4. custos Sanctuarii nocturnus. 5. Janitor. 6. Psaltes. 7. Cantor 8. Princeps domus paternæ. 9. Princeps custodiæ. 10. Præfectus omnibus bajulis, & artificibus in operibus sacris, & ministerio domus Domini. 11. Præfectus iis, qui fodicabant puteos, cisternas, fossas ad usum Sanctuarii, & eorum, qui ad solennitates adscendebant. 12. Præfectus sortibus. 13. Præfectus temporibus. 14. Præfectus claudendis portis. 15. Præfectus flagellationi, qui vocabatur vir montis domus. 16. Præfectus cymbalo, & omnibus instrumentis pulsatilibus, & omnibus libris, qui vernacule *Partitura*, & libris, qui *Intavolatura* appellantur. 17. Præfectus omnibus cantoribus, & omnibus libris Psalmorum, qui confirmabantur duabus & viginti cantus speciebus, ut a me capite IV. dictum est 18. Præfectus muneribus, & similis. 19. Præfectus sartaginibus. 20. Præfectus nidis avium. 21. Præfectus libaminibus & oleo. 22. Præfectus sigillis. 23. Præfectus pani facierum. 24. Præfectus suffitui, & thuri, & reliquis balsamis & aromatibus. 25. Præfectus velis. 26. Præfectus vestiario. 27. Præfectus morbis Sacerdotum. 28. Præfectus conclavi tredecim cornuum. 29. Præfectus conclavi Thrumarum, & decimæ, & Sanctitatum, & anathematum. 30. Præfectus conclavi vasorum sanctorum, quibus quotidie utebantur tempore ministerii. 31. Præfectus conclavi vasorum, quæ offerebantur ad domus reparationem.

Hic vero erat gradus Sacerdotum. 1. Sacerdos labe affectus. 2. Sacerdos vulgaris. 3. Antistes Domus paternæ. 4. Antistes custodiæ. 5. Thesaurarii, qui præfecti erant thesauris argenti & auri, quos offerebat generaliter universa Israelis congregatio, & thesauris auri & argenti, & lapidum pretiosorum, & margaritarum, quos peculiariter offerebant rex ex hostium spoliis, & principes familiarum, & principes mille, & imperator exercitus, & rationes conferebant cum Levitis ex Thruma, decima, sanctitatibus, anathematis, & siclis tredecim cornuum. 6. Præpositi sacræ pecuniæ. 7. Catholiciani. 8. Unctus in bellum. 9. Sagan. 10. Qui ministravit pro Sacerdote summo labis causa. 11. Qui ministravit pro summo Sacerdote seminis

למעלה פסקא יט הזכיר כל מדרגות הכהנים לדעתו ואמר הכהן גדול המשוח קודם למרובה בבגדים כו׳· וסיים נמצאו הכהנים תמיד שמנה מעלו׳ זו למעלה מזו׳ ועם כל זה מנה שם כהן משוח או מרובה בבגדי׳ שיעלו למדרגה אחת מפני שלא יהי׳ בזמן אחד אלא אחד מהם והוסיף עליהם עובר מחמת קרי עובר מחמת מום משוח מלחמה סגן קתיקול אמרכל גזבר ראש משמר ראש בית אב וכהן הדיוט שהם אחד עשר ולא שמנה· גם בפרק ההוא פסקא יו׳ אמר ממנין כהן אחד נקרא סגן וכל הכהנים תחת יד הסגן שנרא׳ מדבריו שהמשוח מלהמה הוא גרוע ממנו אם יהיה תחתיו· ובפרק ההוא עצמו פסקא י׳ט הקדים משוח מלחמה לסגן עד שהורה שהוא גדול ממנו במעלה· על כן דעו בני כי הרמ׳בם ז׳ל סבר שאין ראוי למנות אלא הכהנים הכשרים לעבודה ואשר הם תמיד מוכנים מצד עצמם לשרת בשם אחד ולא לפעמי׳ בשם אחד ולפעמים בשם אחר· גם לדעתו לא יקרא בעל מדרגה אלא מי שיש לו מדרג׳ אחרת תחתיו· ואם תסירו הבעל מום שאינו כשר לעבודה· והכהן הדיוט שאין לו מדרגה אחרת תחתיו· והעובד מחמת קרי או מחמת מום שאינם מוכנים לעבוד תמיד בשם זה כשיהיה שם הכהן משיח או המרובה בבגדי׳· אז לא יהיו מדרגות הכהנים אלא שמנה כאשר אמר הרב׳ וגם על מה שכתב על הסגן פסקא יו׳ ועל מה שחזר בפסקא י׳ט לתת מעלה יתרה למשוח מלחמה עליו· תסירו ההתנגדות אם תאמרו שבבית שני שלה היה שם שמן המשחה הסגן היה על כל שאר הכהנים אחרי הכהן המרובה בבגדים· אמנם בבית ראשון שהיו מושחין גם כן הכהן המדבר אל העם שנקרא בעבור זה משוח מלחמ׳ היה אז המשוח מלחמה קודם לסגן מפני מעלת המשיחה כי לא ימשחו לעולם הסגן מצד מה שהוא סגן גם שיהיה שמן המשחה בעין.

ואני טרם אכלה לחתום פרקי זה אומר לכם כי המלה הזאת קתיקול לפי דעתי היא

fluxus gratia 12. Auctus veſtibus. 13. Summus Sacerdos unctus. Ceterum *Maimonides* f. m. cap. IV. ſupra commemorato 19. juxta ſuam ſententiam omnes Sacerdotum gradus commemorat, dicens; Sacerdos unctus præſtabat ei, qui erat auctus veſtibus &c. Concluditque; deprehenduntur ſemper octo gradus dignitatis, quarum altera alteri præſtabat. Tamen ibidem ab eo recenſetur Sacerdos unctus, aut veſtibus auctus in eodem gradu, eo quod non eodem tempore exiſterent; additque his eum, qui fluxus ſeminis cauſa, & eum qui labis gratia miniſtrarunt, & unctum in bellum, Sagan, Catholicianum, præfectum ſacræ pecuniæ, theſaurarium, cuſtodiæ antiſtitem, præfectum domus paternæ, & Sacerdotem vulgarem, qui non ſunt octo, ſed undecim. Pariter in eodem capite §. 16. dicit. Conſtituebatur Sacerdos, qui Sagan appellabatur, omneſque Sacerdotes Sagani ſubjecti erant, ita ut ut ex ejus verbis videatur unctus in bellum cum Sagani ſubjectus eſſet, minor illo fuiſſe in dignitate. Verum in eodem capite §. 19. unctus in bellum Sagani ab eo præfertur, ut videatur illi in dignitate præſtitiſſe. Idcirco, mei filii, ſciatis velim, quod *Maimonides* f. m. putet non eſſe commemorandos niſi Sacerdotes, qui miniſterio idonei erant, & ſemper ipſimet parati ad miniſtrandum uno tantum nomine, non vero aliquando hoc, & aliquando alio nomine. Præterea juxta ejus ſententiam non vocatur dignitate præſtans, niſi qui alteri anteiverit; ſi igitur removeatur labe affectus, qui non eſt idoneus ad miniſtrandum, & Sacerdos vulgaris, cui non eſt alius inferior gradus, & qui fluxu ſeminis, & labis cauſa miniſtravit, qui non ſemper diſpoſiti ſunt hoc nomine ad miniſtrandum, cum ibi ſint Sacerdos unctus, aut veſtibus auctus, tum octo tantum erunt, uti dixit præceptor, Sacerdotum gradus. Præterea quod pertinet ad id, quod ab eo ſcriptum de Sagane in §. 16. iterumque §. 19. illi unctum in bellum præſtitiſſe, removebitur contradictio, quando dicatur in ſecunda domo, ubi deerat oleum ſanctæ unctionis, poſt Sacerdotem auctum veſtibus, reliquis omnibus Sacerdotibus Sagan præſtitiſſe; verum in prima domo, ubi pariter ungebatur Sacerdos, qui populum alloquebatur, eaque de cauſa in bellum unctus appellabatur, tum Sacerdos in bellum unctus ob unctionis præſtantiam anteibat Sagani, qui nunquam ungebatur, quamvis unctionis oleum affuiſſet.

Verumtamen priuſquam hoc caput abſolvatur, vobis dicam hanc vocem קתיקול

ditur ignis, & hujusmodi arcus Italice
Moschettoni da Ruota appellantur.

Illud quoque vobis animadvertendum
est, ut omnes milites, nemine excepto,
super sinistro femore gladium & pugio-
nem ad dextram lumborum una cum
reliquis peculiaribus armis sibi præcin-
gant. Qui enim e.g. fert arcum æneum
manu sinistra, qui ejus humero fulcia-
tur, una cum eo furcillam, & funicu-
lum manu sinistra feret, ejusque balteo
appensæ sint glandes, & vasculum tenuis
pulveris, atque in ejus humero sit pariter
parvorum vasorum vasculum, & super
femore gladius, & super ejus latere pugio.

Præterea, qui ferunt arcus minores
more Hispanorum, qui leves sunt, & fa-
cile exploduntur, nullo modo ligno opus
habebunt, sibique gladium & pugionem
præcingent, ferentque arcum manu sini-
stra, qui humero fulciatur, dextraque
funiculum accensum, balteoque appensum
erit vasculum duarum librarum tenuis
pulveris, ut indatur in situ arcus vacui,
quo accenditur ignis; præter hæc habe-
bit marsupium centum glandium plumbea-
rum, quarum singulæ sint semiunciales,
humeroque pariter appensum erit cingu-
lum cum minoribus vasis, uti dictum est
in arcu, qui *Moschettone* appellatur; at-
que hæc vascula duas drachmas, & duos
scrupulos continebunt, & pro singulis vi-
cibus inservient; hoc enim satis est his
arcubus glandis semiuncialis; atque hoc
recordemini, me Dei auxilio in sequenti-
bus capitibus scripturum, singulas uncias
octo drachmas continere, pariterque sin-
gulas drachmas tres scrupulos capere; ex
quo vobis, ut ibidem declarabitur, men-
surarum natura innotescet.

Præterea sciendum vobis est, pulve-
rem, cujus sit usus in majoribus tormen-
tis bellicis, esse eo crassiorem, quo uti-
mur in arcubus æneis mediocribus & mi-
nimis; ideoque granum pulveris magna-
rum *Solalot* æquabit magnitudinem par-

של

שיד כוסבר נקרא בלשון יון כוריאון · כתו׳ בכאפה· באומיקרון ברו· ביוטא באומיקרון · ובניי · ובלאטינו קוריאנדרום ובלעז קוריאנדרו וגרעין המוסקיטונו יהיה גדול כמעט כחצי גרעין ממנו · וגרעין הארקיבושו אזה לזה ספאנייולה יהיה כגרעין הדוחן נקרא בלשון יון כינקרום· כתו׳ בכאפה· באיפסילון בצירי בגאמה · במקו׳ ניי · בכי · ברו· באומיקרון · ובסיגמא· ובלאטינו מיליאום ובלעז מיליו.

והנה אופן עשיית האבק בעבור הסללות גדולות היינו הארטיליאיריאי הוא זה·קח דרך משל ארבעה ליטרין של סאלמיסטרו שתדעו איך נעשה בפרק ההוא שכתבתי בו כל מיני המלח· ועוד א׳ליטרא של פחם עץ הבטנים נקראו הפורות האלה במסכ׳ נזיר בגמר׳ דבני מערבא בלשון חכמי׳ פונדקין ובלשון יון ליפתוקאריאון או אבארה· כתו׳ באלפא באיפסילון עם החירק תחת האלף· באלפא · ברו·ובאלפא· שבצרופן תקראו אבארה בלשון יחי׳ ובלאטינו אבילאנא גם בלשון יחי׳· או אבילוני עם למד כפולה בלשון רבים· ובלעז ניצולי בלשון רבים או נוקילי שהוא ביחוד טוב מכל שאר הפחמים לעשות האבק הזה כי כאשר אמר פליניאו סיקונדו בספר כ״א פ׳ ז׳ אם יושם הפחם הזה במים חמלוחים יתהוה למלח· ועוד תוסיפו י״א אונקיות של גפרית חי טוב וכתושו עד שיהיו לעפר כל א׳ מהדברים האלה לבדן במכתש של עץ ויהי׳ העלי שלו של עופרת כי אם יהיו העלו והמכתש של מתכת יציתו האבק באש · אחרי כן יעורבו יחד ויוציאו אותם בנפה דקה· וכדי שהאבק הזה יהיה יותר טוב ומעולה· בעת הכתישה תזה עליו פעמים רבו׳ מי הסאלמיסטרו ולא חומץ חזק כמו שעושי׳ אומני׳ רבי׳ להיות כי החומץ הוא אוכל בנקלה קני הסללה כשיעורב עם האבק וברו׳ השפיכו׳ יתפוצצו הקני׳· ותחזיר הדברי׳ האלה מעורבי׳ יחד היטב פעם אחרת במכתשת ותכתוש אותם מחדש· אך לא יהיה האבק זה דק מאד כי או יהיה יותר חזק מן הראוי ובעבור תקפו יבקעו וימשרו קני הסללו׳ עם היזק ומיתת אנשי׳ רבי׳ משלפם וכאשר הוא כתוש כראוי כי תכירו זה כאשר תוציאו מעט מהדברים האלה מהמכתש ותשברו אותם ואם בשבירה לא תראו דבר מהסאלמיסטרו הרי הוא כתוש · ואז תשימו הכל בכבר שהנקבי׳ שלה יהיו כגודל גרעין הכוסבר קטן ותוציאו את הגרעינין שיצאו מהכברה

vi grani Coriandri, quod vocatur Græce κόριον ſcriptum cappa, omicron, ro, iota, omicron, & ni, & Latine *Coriandrum*, & Italice *Coriandro*; & granum *Solala*, quæ *Moſchettone* nuncupatur, æquabit magnitudinem fere dimidii ipſius grani; & granum *Solala*, quæ *Archibugio* dicitur, erit tanquam granum milii, quod Græce dicitur κέγχρος, ſcriptum cappa, epſilon cum zere, gamma pro ni, chi, ro, omicron, & ſigma, & Latine *milium*, & Italice *Miglio*.

Hæc eſt ratio conficiendi pulveris pro magnis *Solalot*. Sumantur e. g. quatuor libræ nitri, cujus artificium vobis explicabitur in eo capite, ubi omnia ſalis genera a me deſcripta ſunt, & inſuper libra carbonis ligni הבטנים; vocantur enim ii fructus in *Gemara Hieroſolymitana Nazir* lingua Sapientum פונדקין, & Græce λεπτοκάρυον, aut הבארה, ſcriptum alpha, epſilon cum chirec ſub aleph, alpha, ro; & alpha, ſi connectantur, ſingulari numero legetur, אבארה, & Latine *Avellana* ſingulari pariter numero, aut *Avellanæ* plurali, cum lamed duplicato, & Italice plurali numero *Noccioli*, aut *Nocelle*. Eſt optimus præcipue præ ceteris carbonibus ad conficiendum hunc pulverem; etenim uti ſcribit *Plinius ſecundus* lib.XXI. cap.7. hos carbones, ſi in aquam ſalſam immittantur ſaltem fieri. His præterea addendæ ſunt undecim unciæ ſulphuris vivi, & optimi; hæc omnia tundenda ſunt ita ut in pulverem redigantur, in mortario peculiari ligneo cum plumbeo piſtillo; ſi enim piſtillum & mortarium ænea eſſent, igne pulverem accenderent. Poſthæc ſimul miſceantur, & tenui cribro ſubcernantur. Ut hic pulvis ſit excellens & optimus, ſæpius, contuſionis tempore erit adſpergendus nitri aquis, non vero acri aceto, uti facere conſuevere plures artifices; acetum enim facile conſummit calamos *Solala*, quæ *Archibugio* dicitur, quando cum pulvere miſceatur, & multarum exploſionum cauſa, cannæ ſinduntur; atque hæc omnia optime commixta in mortarium reſtituta iterum tundantur; neque pulvis erit pertenuis; tum enim foret violentior quam conveniret; ejuſque impetu finderentur, & frangerentur calami *Solalot* detrimento & interitu multorum noſtrorum militum. Optime eſſe contuſum ex hoc innoteſcet, ſi parum ex his rebus ex mortario educatur; ſi in eo confrigendo nihil nitri conſpiciatur, tum egregie contuſum erit. Tum omnia in cribrum indenda erunt, cujus foramina ſint æqualia magnitudini parvi gravi coriandri; & grana, quæ de cribro ſubcernantur, expanſa in umbra

ותניחו

ותניחו אותם ששוחי' בצל עד שיבשו היטב ותשמרום אחרי כן בחביות של עץ כנהוג.

ואולם אבק המוסקיטוני נעשה באופן זה· קח חמש' ליטרי' סאלמיסטרו וליטרא אחרת פחם של בטנים וי"א אונקיו' של גפרי' חי כתוש כל הדברי' האלה היטב ב' או ג' פעמים ותנפם בנפה· אחרי כן תערבם יחד ותכתש היטב ותזה עליה' מי סאלמיסט'· ואם תרצה לדעת אם הם כתושי' די ספקם· קח חתיכה מהם והתוך אותה עם הסכין ואם מתיכה תהי' שהורה כמשי שחור ובהירה ולא יראה הסאלמיסטרו אז האבק ההוא כתוש כצרכו· אחרי כן תוציא את האבק מנפה מתוקנת לזה ויהיו הגרעינין כחצי גרעין כוסבר ותניח אות' עד שיבשו ובעודם עדיין כמעט חמימה שימם בחבית כנהוג והנה האבק ישמש למוסקיטוני כלם· גם כי יהיה הכדור גדול מאונקיא וחצי·

אמנם אבק הקשת נחושה הקטנה הוא נעש' בזה האופן· קח שבעה ליטרים סאלמיסטרו וליטרא אחת פחם בטנים ואחד עשר אונקיות גפרית חי· כתוש אותם נפרדים כאמור ג' או ד' פעמי' ותזה עליהם בכתישה עם מי סאלמיסטרו· אח"כ תחזור לכתוש אות' יחד ושים אותו בכברה שיהיו לה נקבי' כגרעיני הדוחן ותחת הכבר' הזאת תשים נפה דקה מאד ונענע היטב הכברה והנפה יחד· והאבק היוצא מהכברה יהיה האבק המושם תוך קנה הקשת נחושה· והיוצא מהנפה אחריו על נייר או טל או דבר אחר נכון לזה יהיה העפר הדק שיתנו על פי הקשת נחושה בחוץ כשירצו לשפוך אות' כי באמצעותו יוצת תוך הקשת האש בנקלה.

והנה לתשמיש הסללות הגדולות היינו הארטיליארי צריך שיהיו לכם המטאטאות נקראו סקופאטרי לנקות בם קנה הסללה· וגם הקאלקאטורי והם כלים שדוחפים בסללה הכדורים בחזקה ובמשפט נבון· ועוד יהיו בידכם הכפות נקראו בלעז קאצי והם המדות מהאבק המצטרך לכל סללה כפי ערכה כדי שלא תצטרכו בכל פעם לשקול האבק במאזנים ומדתן תהיה לעולם במדה מחוקה ולא בגדושה· גם החביות אשר יתנו האבק לא יכילו אלא מאה ועשרים וחמשה ליטרין של אבק שהם חמשה שקלים לכל חבית· ועל העגלות אשר יתנו האבק להוליכו במחנה

collocanda erunt, donec optime exsiccentur, & deinde juxta usum in doliis ligneis erunt asservanda.

At pulvis, pro Solalot, qui *Moschettoni* nuncupantur, hoc modo perficitur. Sumantur quinque nitri libræ, & libra carbonum avellanarum, & undecim unciæ sulphuris vivi; atque optime hæc bis & ter tundantur, & subcerniculo cribrentur; posthæc recte simul misceantur, atque contundantur, & nitri aquis adspergantur; Ut innotescat optime contusa esse, pars aliqua ex his sumatur, & gladio incidatur, si interius nigra sit tanquam sericum nigrum & lucidum, neque nitrum conspiciatur, tum pulvis, uti convenit, erit contusus. Deinde convenienti subcerniculo subcernatur, & sint grana tanquam dimidia coriandri grana, & deponantur donec exsiccentur; & quasi calida juxta usum in dolio recondantur. Atque hic pulvis optimus erit pro omnibus *Selalot*, quæ dicuntur *Moschettoni*, quamvis globus sit unius unciæ & dimidiæ.

Pulvis vero pro arcu æneo minori hac ratione conficitur. Sumantur septem nitri libræ, & libra carbonis novellanarum, & undecim unciæ sulphuris vivi, separata hæc tundantur, ter, aut quater, uti dictum est, & in contundendis adspergantur nitri aqua; deinde conjuncta iterum contundantur, & subcernantur cribro, cujus foramina sint tanquam milii grana, & sub hoc cribro summittatur subcerniculum tenuissimum, & commoveantur una simul cribrum & subcerniculum, & pulvis, qui de cribro subcernitur, recondetur in calamo arcus ænei, & qui de subcerniculo subcernitur, asservabitur in carta, aut huic simili. Et erit pulvis tenuis indendus ori arcus ænei exterius, cujus ope intra arcum facile ignis accendetur.

Ad usum vero tormentorum magnorum bellicorum requiruntur scopæ, quæ Italice *Scopatori* vocantur, ad detergendam cannam *Solala*, una cum pressoriis, quæ Italice *Calcatori* dicuntur; quæ sunt instrumenta, quæ premunt obnixe globos in calamo, uti convenit. Præterea aderunt vobis acerræ, quæ Italice dicuntur *Cazze*, quæ sunt mensuræ pulveris necessarii pro quavis *Solala* juxta ejus proportionem, ne singulis vicibus necesse vobis sit trutina pulverem librare; & mensura sit semper abrasa, non accumulata. Præterea dolia, in quibus pulvis asservabitur, centum tantum & viginti quinque pulveris libras continebunt, quæ pro singulis doliis sunt quinque pondera; & in carpentis, quibus pulvis in castra adducatur, octodecim, aut ad summum vi-

לא יהיו אלא שמנה עשר או עשרים חביות
למרבה· וארבעה בקר ימשכו העגלה האחת
מבלי יגיעה ובה.

גם כמות האבק הצריך לכם תעשו חשבון
כפי מנין הסללות גדולות והקשתות נחושה
גדולות וקטנות שתשמשו בהן וזה יהיה
למשא על שר הצבא שלכם היודע מה
שבלבו עליו לעשות אם ירצה להלחם ימים
רבים במלחמות חלוקות ולעשות ימים טה
עם האויבים שלום של זמן קצוב הנקרא
בלעז טריגוה ובלשון יון אנאבוקי · כתוב
באלפא · בניי · באלפא · בכאפה · באומינה ·
בכי · ובאיטא · ובלשון לאטינו אינדוציאי
בלשון רבים או אם יבחר להתחיל ולהשלים
המלחמה ביום אחד בלבד קראוה בלשונם
לועז יורנאטה · ובלשון יון דיאמאקומי · כתוב
בדילטא · ביוטא · באלפא · במי · באלפא ·
בכי · באומיקרון · במי · באלפא · עם היוטא ·
ובלאטינו קונפליקטוס.

גם הזהרו מאד בשפיכת הסללות פן יחמו
דופני הקבו' יותר מן הראוי ויבקעו בעבור
השפיכות התכופות · על כן אחרי כל עשרה
או שנים עשר שפיכות למרבה זה אחר זה
ביום אחד תצננו הסללות מבפנים ומבחוץ
עם מים קרים או מי שלג ותערבו עמם
שליש משקלם חומץ חזק כי אז צוונו במהרה
וגם מבפנים תצננו אותן היטב עם המאטאטו'
שרויות במים ובחומץ · ובחוץ גם כן תשימו
עליהם עורות אילים שלא נגזז מעליהם הצמר
מטובלי' במים ובחומץ או במקומ' תקחו
שמיכות של צמר נקראו סקיאויני שרויי'
במי' ובחומץ כאמור ואחרי שיצוננו ויתקררו
כהוגן תנגבו במטאטו' יבשו' הסללות מבפנים
ותחזרו אחר כך להשתמש בהן ביום ההוא
בעצמו אם יזדמן ההכרח.

וגם על הסללות האמורות יהיו לכם מן
המוכן בתוך חניית המחנות שעשיתם על פני
השדה לתקון אנשי המלחמה כאשר למדתי
אתכם החשבונות מחשבת חושב להיות על
המגדלים ועל הפנות הגביהו' שבתוכה לירות
בחצי' ובאבני' גדולות עד למרחוק שמצאם
בחכמתו הרבה עוזיהו מלך יהודה דברי
הימים ב' כו' כי בם בלי ספק יוכו בפתע
אויביכם ולא תהיה להם עוד תקומה בפני
כלי המלחמה שלכם.

עוד ידיע להוי לכם כי בלילה בתוך
המחנה טוב הוא שיהיו לכם נרות רבות או
אש שיאיר לכל בני המלחמה ולאנשי המצבה
הנקראה סינטינילה כדי שתוכלו לשמור

ginti tantum dolia imponentur, & singula carpenta a quatuor bobus facile trahi poterunt.

Præterea habenda est ratio pulveris juxta numerum tormentorum bellicorum majorum, & arcuum æneorum tam magnorum quam minorum, quibus utemini; quæ cura erit vestri imperatoris, qui non ignorat, quid sibi sit agendum, utrum velit multis diebus multa committere prælia, an aliquot diebus bellum componere cum hostibus definito tempore, quod Italice dicitur *Tregua*, & Græce ἀνακωχή, scriptum alpha, ni, alpha, cappa, omega, chi, & ita, & Latine *Induciæ* plurali numero; an vero probat incipere & finem imponere bello uno tantum die, quod Italice *Giornata* dicitur, & Græce διαμαχόμι (quod nunquam legi) scriptum delta, jota, alpha, mi, alpha, ni, omicron, mi, alpha cum jota, & Latine *Conflictus*.

Præter hæc animadvertendum vobis est in explodendis tormentis bellicis, ne magis quam conveniat cannarum latera incalescant, ne violenta explosione findantur; Idcirco post decem aut duodecim ad summum explosiones, unam post alteram uno die, vobis intus & foris tormenta bellica refrigeranda sunt vel aqua frigida, vel aquis niveis, & cum triente earum ponderis commiscendum est acetum acre; tum enim cito frigescent; intus quoque optime erunt refrigeranda scopis aqua aut aceto madefactis, forisque pariter imponendæ erunt pelles arietinæ, a quibus nondum sit detonsa lana, aqua madefactæ, aut pro iis sumenda sunt stragula villosa, quæ *Schiavine* vocantur aqua pariter & aceto madefacta, uti dictum est; & postquam frigefacta fuerint, uti convenit; scopis aridis intus tormenta bellica exsiccanda erunt, quibus si opus fuerit, vel eodem die uti licebit.

Præter hæc tormenta bellica, intra castra parata vobis erunt diversoria, quæ facienda erunt ad campi faciem, in quibus ordinentur milites, uti vos docui artificia præfecti fabrorum, ut statuantur in turribus, & locis eminentibus, quæ sunt intra castra, ad jaculandum eminus sagittas, & immanes lapides, quæ mirabili sua sapientia invenit Usia Rex Judæ, uti scriptum est 2. *Paral.* XXVI. Ita sine dubio statim hostes vestri percutientur, neque poterunt consistere adversus vestra tormenta bellica.

Præterea sciendum vobis est, noctu intra castra optimum fore, multas accendi lucernas, aut ignes, qui lucem præbeant omnibus militibus, & excubiis, quæ *sentinelle* appellantur, ut vos tuti esse pos-

עצמכם באפלה מכל היזק שיוכלו לעשות לכם האויבים במרמה· עשו אם כן לכם אבוקות נקראו' בלשון רבותינו ז"ל במסכת מועד קטן פרק מי שהפך את זיתיו מדבורי דנורא· או עשו כדורים גדולים עשויים מחבלים או מתרים של קנבוס או של מוך הנקרא בלשון רבותינו ז"ל צמר גפן פרק שביעי הכלאים ובלעז בומבאצי ושימו בתוך הכדור בשופע ועל המתרים מבחוץ ומבפנים מהדברים האלה היינו זפת גפרית חי· שעוה· חלב שור· שרף הנקרא ראסה די פינו· וטריבינטינה לאריצינה מכל אחד שוה בשוה ושימו אותם על ענפי עץ ארוסים זקופים במקומות רבים מהמחנ' והציתו בם האש שיהיה לכם למשמרת כל הלילה· ועם כי אנשי המלחמה על האש המושם על עמוד עץ המוכן להאיר אל תוך המחנה בלילה עושים גם כן מינים שונים של אש מלאכותי השורף הטרינצירי מהאויבים והכלים שלהם כלם וגם האויבים עצמם עד כלה ואני ידעתי הרבה מינים מהם שלא וכבו אותם אלא עם מי רגלים ואפר מקלה בלבד· עם כל זה לא רציתי ללמד אתכם שום מין מהאשים השורפים האלה פן יזדמן ספרי זה ביד תלמיד שאינו הגון והייתי סבה בזמן מהזמנים להביא חס ושלום על אנשי העולם תקלה על ידו· על כן אל נא תאשימו אותי אם השמטתי דבר כזה שהוא ברוב הפעמי' לעזרה גדולה לאנשי המלחמה כי רציתי להרחיק עצמי מן הכעור ומן הדומה לו כאשר אעשה תמיד בכל כחי לכבוד אלקי צור ישעי במעשי ובדברי כלם.

ואתם אם תקראו בספריהם כמו בשירי וירגיליאו וספרי לוקאנו המחברי' הגדולים שלהם תראו שהרומיים הקדמוני' היו משתמשים בעצים עגולים בשרביטם כדמות חצים שבראשם היה תקוע ברזל חזק כמין הצוצרת ארוכה כמי שלשה רגלים היינו שני' עשר טפחים מלאה בנעורת פשתן מטובלת היטב בגפרית בעטרן ובנפט ובשמן שרפה מוצתת באש בראשונה ובכח קשת נחושה שקראו אותה בלשונם באליסטא היו שופכים העצים האלה מהמגדלים על מחנות האויבים והיו שורפים ומכלים כל הדברים הנוגעים בם עד גמירה נקראו בלשון לאטינו החצוצרות האלה פאלאריקה טילא.

והנה על הסללות והחשבונות מחשבת חושב אשר שמעתם תבינו גם לכם חרבות או סייפות הרבה של שתי פיות להשתמש בהם ביד אחד· ועמהם חרבו' אחרות קצרו' כגומד ארכן ורחבן שני טפחים נקרא החרב הזה השני בלשון יון אינקירידיאון· ובלשון

sitis in tenebris ab omni detrimento, quod vobis fraudolenter hostes vestri inferre possint. Parate vobis igitur faces, quæ sapientum nostrorum f. m. lingua in *Gemara Moed Katon* cap. II. מדבורי דנורא aut pilas magnas confectas ex funiculis cannabis, aut gossypii, quod a Sapientibus nostris f. m. cap. VII. *Celaim* צמר גפן appellatur; cum intra pilam copiose, tum funiculis tam intus quam foris hæc indantur, sc. pix, sulphur vivum, cera, adeps bovis, resina, quæ *ragia di pino* dicitur, & terebinthus laricina, quorum singulæ partes sint æquales, & ramis ligneis longis, & rectis in multis castrorum locis imponantur, atque igni accendantur, ut vobis sint custodia tota nocte. Et quamvis milites quod spectat ignem ligneæ columnæ impositum, ad illustranda noctu castra, varia ignis artificialis genera conficiant hostilia valla, & eorum instrumenta, & ipsos hostes comburentis, mihique multæ species cognitæ sint, quæ urina & cinere tantum exstingui possunt, tamen hæc ignis artificialis genera vos docendos non putavi; veritus, ne si meus hic liber perveniret in manus discipuli, qui non esset honestus, ejus causa gentibus (quod absit) detrimento esset; idcirco ne me, quæso, arguatis, si hoc prætermittendum curavi, quod plerumque militibus magno præsidio esse solet; eo quod removendum me putavi a turpitudine, & ab eo quod illi sit simile, uti mihi curabitur semper faciendum cunctis meis viribus ad gloriam Dei mei, qui est propugnaculum salutis meæ in omnibus meis operibus & verbis.

Si legetis eorum libros, i. e. *Virgilii* cantica, & *Lucani* libros, qui celebres scriptores habentur, videbitis veteres Romanos usos fuisse lignis rotundis instar virgarum ad similitudinem sagittarum, in quorum summitate infixum fuisset validum ferrum instar tubæ tripedalis, i. e. 12. palmorum, oppletum stupa lini, optime infusa sulphure, pice, resina, & oleo antea igne accenso; atque impetu arcus æneí, qui Italice *Balestra* nuncupatur, hæc ligna e turribus adversus hostium castra impellebant, omniaque quæ attingebant usque ad finem comburebant, & absumebant; Latine hæ tubæ *Falarica tela* appellantur.

Præter hæc tormenta bellica, & artificia præfecti fabrorum, vobis parandi erunt plurimi gladii ancipites, quibus una manu utamini, alique gladii breves in longitudine cubitali, & latitudine duorum palmorum; hic gladius secundus Græce ἐγχειρίδιον Latine *Pugio*, nostrorum Sa-

לאטינו פוניאו והוא לשון רבותינו שאמרו במס׳ כלים פרק י״ג הסייף והסכין והפוניאון׃ ובלעז נקרא פונייאלי׃ ויהיו החרבות האלה והפוניאונות לאין מספר כי כאשר אמרתי צריכים הם לכל אנשי המלחמה גם שיהיו בידם כלים אחרים של מינים שונים׃ ובפוניאונות יהיי בבית יד שלהם הנקרא שופטים ד׳ נצב ברזלים עגולים בולטי׳ כדמות עגול קטן באמצע ויצאו מהעגול הזה ברזלים ארוכים ועקומי׳ לצד פני׳ מזה ומזה לעגול שישמשו לכם הפוניאונים לפעמים במקום חרב באפיסת הסייף בעבור איזה מקרה שיזדמן כי יש גם להם שתי פיות חדות וטובים הם להכות ולהגין במקום מגינים׃

גם תמצאו לכם חרבות ארוכות לתפוס בנצכם היינו בבתי ידיהם בשתי ידים נקראן בלעז ספאדוני׃ אמנם דעו שבעריכת אנשי המלחמה לא תשימו שורו׳ רבות עם חרבות של שתי ידים שורה אחר שורה כי החרבות האלה צריכי׳ הם למקום רחב ידים מאד להיות כי המכים בם יכו פנים ואחור ומן הצדדי׳ בסבוב ואם יהיו החרבות האלה בשורות רבות יחד השורה האחת תעיק על חברתה׃ על כן לא יהיו לכם החרבו׳ האלה מן המוכן אלא להלוך נגד המרכבות והבעלי סוסים קלים הלוחמים יחידים מבלי חברת סוסים קלים אחרים עמהם׃ וכן לא תהיה אלא שורה אחרת מהן בלבד ולא יותר לשמירת האלפיירי שהם נושאי הדגלי׳ כאשר תראו בשאערוך לכם אנשי המלחמה על הסדר כשהם מוכנים ליום קרב.

גם לא יבצרו מכם החצים והקשתות הנהוגי׳ מקדם׃ אמנם דעו כי ברב הפעמים יהיו החצים האלה במקרה לעזרה לאויבים כי כאשר יגמרו לזרוק את החצים שלהם ישתמשו גם כן בחצי שונאיהם ויכו אותם בכלי זיינן ממש׃ על כן אם תרצו אתם להשתמש בחציהם והם לא ישלטו בחציכם עשו לכם קשתות קטנים מעט מנדנהוגי׳ והחצי׳ יהיו לעמתן במדתן כי כאשר תצטרכו לחצי׳ אחרים על חציכם החצים שלהם יהיו טובים בעד קשתותיכם והם לא ימצאו מרגוע בחציכם כי קצרים יהיו בעד קשתות הם הגדולים.

גם יהיו לכם פטישי׳ רבי׳׃ והפטישים הם כלי מלחמ׳ טובי שמשתמשי׳ בם גם היום האונגארי׃ הפולאקי והמוסקוביטי לכן אותם גם כן לא תעזובו׃ והפטיש הוא כלי זיין כלו של ברזל ושרביטו הוא ארוך כשתי

pientum lingua, qui dicunt cap. XIII. *Celim*, *enſis*, *gladius*, & *pugion*; & Italice *Pugnale* appellatur; maximaque erit copia horum gladiorum & pugionum, eo quod, ut a me dictum eſt, neceſſarii ſint omnibus militibus, quamvis aliis armis ex variis ſpeciebus inſtructi ſint; & in pugionibus erit capulus IV. *Judic.* נצב appellatus cum ferris rotundis prominentibus ad ſimilitudinem parvi circuli in medio, a quo promineant ferra longa, & intrinſecus retorta ad utramque circuli partem, quibus pro gladiis aliquando vobis uti licebit, prout res & tempus ſe dabit; cum ipſi quoque ſint ancipites, acuti, & idonei, quibus & vulnus infligi, & ictus veluti ſcuto repelli poſſit.

Præterea parati vobis erunt longi gladii, qui per capulum ambobus manibus ſtringantur, qui Italice *Spadoni* dicuntur. Verum juxta diſpoſitionem militarem non ſunt inſtruendæ multæ acies his gladiis, qui ambabus manibus ſtringuntur, ſc. una poſt alteram aciem, eo quod ad uſum horum gladiorum amplo ſpatio opus eſt; etenim, qui his gladiis percutiunt, ultro citroque & ad latera ſe convertunt, ſi plurimi ex his gladiis in multis ordinibus una ſimul deprehenderentur, altera alteram coarctaret aciem. Idcirco hujuſmodi ea tantum cauſa parandi vobis erunt gladii, ut oppugnentur currus, & leves equites, qui ſeparati ab turma levis equitatus præliantur; qua de re una tantum eorum erit acies ad cuſtodiam ſigniferorum, qui ferunt vexilla, uti vobis oſtendam tum cum vobis diſponam milites eo ordine, quo prælii die inſtruendi ſunt.

Neque vobis negligendi ſunt ſagittæ & arcus, quorum uſus antiquitus obtinebat. Verumtamen ſciatis velim plerumque has ſagittas veſtris hoſtibus fortuito uſui & præſidio eſſe poſſe; etenim poſtquam ab iis ab jaculatione ceſſatum eſt, utuntur quoque ſagittis ſuorum hoſtium, & ſuis iiſdem armis oppugnant; idcirco ſi eorum ſagittis uti velitis, & curare, ut ii veſtris jaculis uti non poſſint; conſtruite vobis arcus conſuetis minores, & ſagittæ ſint ad eorum menſuram; etenim cum præter veſtras aliis ſagittis opus habebitis, pro veſtris arcubus eorum ſagittæ erunt optimæ; & illi veſtris ſagittis uti non poterunt, quæ eorum magnis arcubus ſint breviores.

Præterea vobis plurimi mallei compatandi erunt, etenim mallei quoque ſunt optima inſtrumenta bellica, quibus vel noſtris temporibus utuntur Pannones, Poloni, & Ruſſi; idcirco non ſunt vobis prætermittendi. Hic malleus eſt inſtrumentum bellicum ex ferro conſtans; ejuſ-

אמות ועגול כעצי הרמחים ובראשו לרחב השרביט הוא מתוקן כמו פטיש שמצדו האח׳ הוא חד מאד ונוקב ומקלקל כל לבושי ברזל ונחשת צנה ומגן חזקים ויורד עד הבשר ומכה בכל הגוף הכאה גדולה אם לא בעין לפחות בערך המסוכנת לעולם כי ההכאה הנעשית כדמות נקב גם שתהיה קטנה למראית העין רבה היא על כל פני ומביאה האדם עד שערי מות׳ ומצדו האחד הוא כמין תפוח גם כביצת אווז שיערפו הסוסים בו להיות כי מסים בפטיש לעולם בשתי ידים וגם ירוצצו באדם הגולגולת וכל עצמות הגוף.

נם אם תרצו אצל הפטישים הלאה הכינו לכם גם כן אלות רבות והאלה בגמרא דשבת פרק במה אשה אמרו רבותינו ז״ל מאי אלה׳ קופל ודומה למקל של ברזל ארוך כאמה ומחצה וראשו הוא עגול כמו כדור גדול שיש לו מלמעלה טבעת נכון לתלו׳ אותו בעגולי׳ של ברזל כמו ענק שמשימי׳ להם סביב צוארם אנשי המלחמה לשמוש הפטישים׳ והאלות כמו שאזכור בפרק זה׳ ויוצאין מכדור הקופל האמור יתידו׳ של ברזל שדומות לשקדים רבים זה אצל זה או ליתדות חזקות ונסות יוצאות ממושכו של כדור גם הן של מתכ׳ דומ׳ לו ובולטות וחדות בסופן של יתדו׳ שפוצעין ומכין ונוקבין כל כלי נשק של נחשת ועורפי׳ בפרט ראשי הלוחמי׳ המכוסי׳ בכבעי ברזל ונחשת קלל והסוסי׳ המזויינים מכף רגל ועד ראש נקראת האלה בלשון יון אולוס׳ כתוב באיטא׳ בלאמדא׳ באומיקרון׳ ובסיגמא׳ ובלאטונו קלאבה ובלעז מאצה׳ ודעו בני כי קופל בלשון רז״ל ר״ל נוקב כדאמרי׳ בגמרא דחולין פרק אלו טרפות התם לאיקפל אקפולי היינו שנקבו ונקפלו הכא נדלדלו והם מעורין מבשר כו׳ ואולי קופל רוצה לומר גם כן כותש ורוצץ כי לפי דעתי קופל הוא לשון יוני שיש לו מוצא מהמלה הזאת כופיס ׳כתו׳ בכאפה׳ באומיקרון׳ בפי׳ באיפסילון עם הצירי תחת האלף עם היוטא מחוברת לו׳ ובסיגמא. שר״ל כתוש ורצוץ.

עוד יהיו לכם מן המוכן הרמחי׳ והכידוני׳ והשפודי׳ לרוב׳ והרמחי׳ הם הכלים של עץ

que virgæ longitudo & duorum circiter cubitorum; rotundaque est quasi lancearum ligna; & in ejus summitate ad virgæ latitudinem ita instructus est, ut mallei speciem referat, qui ab altero latere ita peracutus est, ut perforet, & corrumpat quasvis vestes ferreas & æneas, scuta, & validas parmas, & penetret usque ad carnem, magnaque percussione totum corpus percutiat, si minus adspectu, saltem semper respectu periculi; eo quod plaga, quæ foramine facta sit, quamvis sit parva, tamen omnino adspectu magna videtur; hominemque ad mortis metum adducit; ab altero latere instructus est veluti malo, cujus crassities ovi anserini magnitudinem æquet, quo mactantur equi; semper enim hoc malleo ambabus manibus percutitur, quo pariter hominis caput, & omnia corporis ossa iufringuntur.

Præterea, si libebit, præter hos malleos comparandæ vobis quoque erunt plurimæ אלה *clavæ* אלות explicatur a Sapientibus nostris f. m. in *Gemara Sabbathi* cap. VI. Quid est אלה? est קופל & est similis baculo ferreo, cujus longitudo est unius cubiti cum dimidio, ejusque summitas est rotunda ad similitudinem pilæ magnæ, cui superius est annulus ita præparatus, ut globis ferreis appendatur instar torquis, quem milites sibi ad collum appendunt ad usum malleorum, & harum clavarum, de quibus in hoc capite fit mentio. Et prominebant a pila קופל, de quo dictum est, clavi ferrei similes multis amygdalis, quæ una prope alteram sint dispositæ, aut clavis validis & crassis, a basi pilæ prominentibus, qui pariter erant ænei, & prominebant, erantque in extremitate acuti, quibus clavis vulnerabant & percutiebant, & perforabant omnia arma ferrea, & ænea, præsertim capita militum galeis ferreis & fulgenti ære tecta, & equos a planta pedis usque ad caput armatos. אלה Græce dicitur ῥόπαλος scriptum ita, lamda, omicron, & sigma, & Latine *Clava* & Italice *Mazza*. Sciatis velim, mei filii, קופל lingua Sapientum nostrorum f. m. significari perforantem, uti dictum est cap. III. *Gemaræ Cholin*; probabile est קופל significari pariter contundentem, & confringentem; & juxta meam sententiam, probabile est קופל esse vocabulum Græcum derivatum ab hac voce κόπεις scriptum cappa, omicron; pi, epsilon cum Zere sub aleph, cum jota una conjuncta, & sigma, quod significat contusum & confractum.

Præter hæc vobis parata sit magna lancearum, clavarum, & telorum copia,

הנקראים

הנקראים פיקי ויקם מתוך העדה ויקח רמח בידו · במדבר כ״ה והם ארוכי׳ כמו ששה אמו׳ ולהם ברזל חד ותקי׳ שלהבו הוא בראש העץ ובאמצעית העץ סביב סביב יש חתיכת בגד או דבר כמוהו רחב כחצי אמה קבוע בעץ במססרים קטני׳ עם ציצירת משי מזה ומזה לבגד לא לנוי בעלמ׳ אלא לצורך האיש המשתמש ברמח כדי שבהכאה הנעשת יחזיק המכה בבגד שסביב לו יש הציצים הנזכרים ולא תחליק היד וימלט בעבור זה האויב ממנה · והכידוני׳ הם לפי דעתי הכלי׳ ההם שנקראו בלעז אלאבארדי שנהגו אות׳ האשכנזי׳ מימי עולם · ואולי נקראו ג״כ בלשוננו הקדוש קנים ומשקל׳ קינו שלש מאות משקל נחשת שמואל ב׳ כ״א · והשפודים הם הנקראי׳ ספידי שבראש העץ שלהם יש ברזל ארוך של׳ שתי פיורת כמו אמה חד בראשו ובסופו רחב כי באמצעיתו הוא רחב כטפח ומחצה והוא יותר רחב בסופו ועליו מזה ומזה יש שני ברזלים אחרי׳ של׳ שתי פיות חדים ועקומי׳ כחצי ענולים ואולי השפוד נקרא בלשוננו הקדוש חנית ולהבת חניתו שש מאות שקלים ברזל׳ · שמואל א׳ י״ז ·

גם לא תשכחו להביא עמכם כובעי ברזל שדיונות רבורת וסובריקים שהם בתי ידים ובתי יריכים ושוקים של ברזל שנקראו בלשון רבותינו מנפיין פרק כל כלי מתכות דכלים הכידון והעקון והמנפיין שהוא פרק י״א דכלי׳ משנה שמנית ועמהם תביאו מגינים שיהיו טובי׳ לתשמיש בעלי הרמחי׳ · גם תביאו ענולי׳ של ברזל לתת סביב לצואר אנשי המלחמה שיהיה להם לצד פנים ברזל בולט ומעוקם מעט לצד מעלה לתלורת בו הפטישי ברזל׳ או האלות האמורות בטבעת שיש להם בראש הפטיש או האלה.

ולא תשכחו מלהביא עמכם האנשים המשחיתים נקראו גואסטאטורי ועמהם יהיו כלי משחית רבים אם יזדמן שתצטרכו לחפור חפירורת בארץ ולתקן מערות בערמ׳ ובלאט תחת מושב אויביכם לתת שם חביות מלאות מהאבק ההוא שעשיתם לתשמיש הסללורת גדולות והקשתות נחושה בינוניורת וקטנורת או׳ וקדרורת מלאש מלאכותי שיוצרת מעצמו

Et הרמחי׳ sunt instrumenta lignea, quæ *Picche* appellantur; dictum est enim *Num.* xxv. 7. *Surrexit de medio multitudinis, & arrepta lancea*; sic Hebræus. Harum longitudo est sex circiter cubitorum; quæ in ligni summitate ferro acuto & valido laminæ instructæ sunt, & in medio ligni circum circa est vestis frustum, aut aliquid simile, dimidium fere cubitum latum, parvis clavis in ligno infixum cum peniculamento sericeo ad utrumque vestis latus, non ad elegantiam tantum, sed ad necessitatem hominis, qui lancea utitur, quod in percutiendo percussor confirmetur veste, circa quam sunt commemorata peniculamenta, ne manus emollescat, eaque de causa hostis a percussione evadat. Et הכידוני׳ juxta meam sententiam sunt ea instrumenta, quæ Italice *Alabarde* nominantur, quibus Germani antiquitus semper usi sunt; & probabile est nostra sancta lingua appellatas fuisse קנים; scriptum est enim 2. *Reg.* xxi. 16. *Cujus ferrum hastæ trecentas uncias appendebat.* Et השפודים sunt, qui *Spiedi* appellantur, in quorum summitate deprehenditur ferrum longum anceps, cujus longitudo est fere cubitalis, in capite acutum, & in extremitate latum, in medio fere palmum cum dimidio latum est, at in ejus extremitate latius patet; cui ad utramque partem sunt duo ferra utrimque acuta, & retorta, quæ semicircularem speciem referunt; probabile est השפוד nostra sancta lingua חנית appellari; scriptum est enim 1. *Reg.* xvii. 7. *Ipsum autem ferrum* חניתו *hastæ ejus sexcentos siclos habebat ferri.*

Neque illud velim obliviscamini, vobiscum afferendum multas cassides, & loricas ferreas & סובריקים, quæ chirothecæ appellantur, & femoralia, & ocreas ferreas, quæ lingua nostrorum Sapientum xi. 8. *Celim* מנפיין nuncupantur; & cum his afferenda vobis erunt scuta, quæ ad hastatorum usum utilia sunt; præterea afferendi vobis erunt globi ferrei, qui militum collo imponantur, quibus ad interiorem partem sit ferrum prominens & paulo retortum ad partem superiorem, cui appendi possit malleus ferreus, aut clavæ commemoratæ in annulo, qui est in vertice mallei aut clavæ.

Neque illud velim obliviscamini, vobiscum adducendos vastatores, qui *Guastadori* appellantur, qui multa secum afferunt devastationis instrumenta, si opus sit fossas in terra fodere, aut clam & dolose caveas parare sub hostium castris in quibus recondantur dolia plena eo pulvere, qui a vobis ad usum majorum Solalot, & arcuum æneorum mediocrium, & minorum confectus est, & ollas igni ar-

לזמן

לזמן ידוע ומוגבל להדליק האש באבק ולזרוק הבתים החומות והמגדלי' על האויבי' כי תבקע הארץ אשר תחתיהם בכח האבק הזה הסתום בחפיר' המיסגרת בפיה עם קיר חזק שימנע יציאת האבק המוצת באש ממנה עד שיתהוה בכה האש המוסגר דבר דומה לרעש גדול המשבר הרים וסלעים ובולע המדינות משלם והיורדות בעבורו בשאול תחתיה · קראו הלאטיני לחפירות האלה קוניקולוס ובלשון לעז נקראו מיני·

גם יהיו מצויים אתכם בראש כלם הדגל הגדו' של שר הצבא הכללי · והדגלי' האחרים קטנים ממנו לשרי האלפים אשר על פיהם ילכו אנשי המלחמה לקראת האויבים ויכירו למסעיהם אם ילכו הלוך בדרך אשר התחילו בו או יסובו ויצדדו פנים לסבה מהסבות ידועות לאלפירי ולשרי הצבאות.

גם הכינו לכם הקלגסים המצטרכים לקרות בעת המצטרך ולהעמיד באגודה אחת ובסדר נכון הלוחמים בפזור ולקיים את מצות ה' לא תעזבו החצוצרות· והדברים האלה יהיו דים לכל המלחמה שיש לכם לעשות עם אויביכ' הרבים שהם הגברים שברגלי והרוכבים על הסוסים הקלי' והפרשי' המזויני' מכף רגל ועד ראש הם וסוסיהם ומרכבו' השלישי' · ועתה תסדרו מחניכם ברבוע כאמור והחניה כלה תתקנוה ותערכוה במקום יותר גבוה שיהיה אל ידיכם כדי שתשלטו על חניית האויבי' כאשר יאות לכם· ותזכרו להעמיד המחנ' במצב נכון שכשתלחמו עם שונאיכם יזרח השמש ויכנסו נצוציו בעיניהם ויכום בסבורים ולא יראו בהרמת ידיכ' עד שירגישו בגופם הפצעים החבורות והמכות זה אחר זה עד לאין מרפא · ועל כל פנים תהיו קדשים בשבתכם במחנה כאשר צותה לנו התורה ויתד תהיה לך על אזניך וגו' פן יראה' חו' ה' בכם ערות דבר ושב מאחריכם.

גם סביב למחנה תעשו החפירות והחריצי' והמעיקי' הנאותי' הנקראים טרינצירי ויהיה לכם הלילה למשמר והיום למלאכה · ובידכם האחת תעשו מלאכתכם ובאחרת תחזקו בשלח ותהיה החרב חגורה על ירככם והפוניאוז על מתניכ' · גם תעמדו תמיד

tificiali plenas, qui deſinito & ſtatuto tempore ſponte accenditur, ut pulvis incendatur, ad diruendum domos, & mœnia, & turres in hoſtes; eo quod ſub iis aperiatur terra pulveris impetu, qui in cavea occluſus eſt, cujus os ita valido pariete obturatum eſt, ut exitum pulveris, tum cum igni accenſus eſt, cohibeat, donec ob violentiam ignis occluſi res ſimilis terræ motui magno, qui perrumpit montes & ſaxa, & deglutit integras provincias, in barathrum deſcendant. Hujuſmodi foveæ latine *Cuniculi*, & Italice *Mine* appellantur.

Præterea in primis ordinibus erit vexillum magnum Imperatoris, aliaque ſigna minora principum millum, cujus juſſu incedere debebunt milites adverſus hoſtes, eorumque motiones cognoſcent, utrum progredi ea via, quam ingreſſi ſunt, debeant, an pedem referre, an lateraliter incedere ob eas cauſas, quæ notæ ſunt ſigniferis, & principibus exercitus.

Parandi quoque vobis erunt הקלגסים i. e. *tympana*, quibus neceſſario tempore evocemini, ut omnes ſimul conveniatis, & ordine militibus convenientis diſtributi; neque tubæ, ut Domini mandatum obſervetur, prætermittendæ vobis erunt. Et hæc ſatis erunt ad quodvis bellum, quod vobis gerendum erit adverſus multos veſtros hoſtes, peditatu, levi equitatu, & equitibus a planta pedum uſque ad verticem armatos, & equis, & trinorum curribus præſtantes. Ordinanda modo vobis ſunt caſtra in quadratum, uti dictum eſt, quæ, ſi fieri poteſt, in loco perexcelſo ponenda & ſtatuenda vobis ſunt, ut, quando liceat, veſtrorum hoſtium caſtris immineant; illudque vobis præcipue animadvertendum eſt, ut loco convenienti caſtrametemini, ita ut, quando pugnabitis adverſus veſtros hoſtes, luceat ſol, ejuſque radii in eorum oculos ingrediantur, & ardoribus percutiantur, neque videant manuum elationem, donec ſentiant in corporibus ſuis vulnera, contuſiones, & plagas, quibus mederi nemo poſſit. In primis omnimode eſtote ſancti in veſtris caſtris, ut nobis a lege præcipitur *Deut.* XXIII. 13. 14. *Gerens paxillum in balteo* &c. *Et nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te.*

Præterea in caſtrorum circuitu conſtruenda vobis ſunt foſſæ, foveæ, & valla idonea, quæ *Trinciere* nuncupantur, quæ vobis noctu ad cuſtodiam, & interdiu ad opus inſervient; atque altera manu faciendam eſt vobis opus, & altera ſtringendus eſt gladius, ſitque enſis veſtris femoribus, & pugio lumbis præcinctus. Præterea ſemper in acie inſtructi ſitis,

בסרור

בסרור כאלו היה לכם אז להלחם בפועיל ולא ירגישו האויבים במעשיכם לעולם.

גם לא תצאו חוץ מן המחנה לעשות עם האויבים סקאראמוצי כנהוג אלא ברשות שר האלף שלכם ולא ילחמו אנשים מכם עם האויבי׳ אלא במצות שר צבא כל המחנה כי הוא יפקוד כל האנשים הצובאים ויבחר הכלי זיין אשר עמה׳ יערכו המלחמה ההיא עמהם · וכאשר תחזרו אל המחנה ללון שם עד סקאראמוצה אחרת להשיב נפשכם ולהברות גופכם העיף להורגי׳ כאשר תשבו לאכול לחם· קצת מכם יסעדו לבם וברכים כושלות יאמצו והנשארי׳ ישמרו כהוגן ובשורה כל המחנה עד כלות׳ לאכול ולשתות.

ועל כי הבטלה מביא׳ לידי שעמום לא תרגיעו ולא תשקוטו עד אשר תשחיתו הסללות גדולות אשר בטחו בם אויביכם · וכדי שתעשו כל מעשיכ׳ בחכמה רבה ומבלי שום סכנ׳ בחרו לכם אנשי׳ ערומי׳ ונאמנים לשבטיכם שיהיו תמיד מוזהרים ועומדים לרגל במחנה אויביכם עד שידעו מה שחורשים שונאיכם עליכ׳ רעה באופן שתוכלו לשמור עצמכם בכל עת ממזימותם כאשר לדמכם יארובו ויצפנו לנפשותיכ׳ · נקרא המרגל בלשון יון פרוסאגוגיבס · כתו׳ בפי · ברו · באומיקרון בסיגמא· באלפא· בגאמה· באומיגה· בגאמא· באיפסילון עם הצירי · ובאיפסילון עם החירק· שישמש במקו׳ ביטא ובסיגמא · ובלטון לאטינו יאמרו לו אימיסאריאוס· ובלעז ספיאה· ועל פי המרגלים האלה עשו כל מעשיכם ביום ובלילה ולא תרחקו השעה · ואם יאמרו לכם קומו ועשו או שבו והיו תשמרו לעשו׳ ככל אשר יורו וכאשר ייטב בעיניה׳ · קומו אם כן בחצות הלילה כשימש חשך · וברשות שר צבא הגדול שלכם בחשאי עד שלא ישמע, שונאיכם קולכם אפי׳ בדממה דקה תצאו עם חבורת אנשים גברים ובעלי זרוע עזרסי מלחמה בכל כלי מלחמה ולעדור בלא לב ולב ועמה׳ יהיו במספר נכון למספר עצמו של סללות האויבים אנשי מלחמה שיהיו פניהם פני אריה וכצבאים למהר במרוצה וקלים כנשר ונוחים לקפץ באיל ולערוץ על בתי הסללות בחכמה ועליהם לא יהיה אלא חרב ופוגיון ופטיש חזק כפטיש הנפחים רחב מאד במקום נקישתו ועל אזורם יהיה תלוי כיס אחד של עור מלא מסמרים רבי׳

quasi tum vobis pugna committenda esset; vobisque danda est opera, ut nunquam opera vestra hostes præsentiant.

Nemo præterea egrédiatur de castris ad velitandum cum hostibus, uti fieri consuevit, sine permissu principis mille, *seu tribuni*; nemoque vestrum pugnabit cum hostibus injussu Imperatoris, qui debet perlustrare omnes milites, qui pugnaturi sunt, eaque arma seligere, quibus prælium ordinare debent, hostiumque numerum manifestare, quos tum peculiariter velit oppugnare. Cum in castra revertemini, ut ibi pernoctetis usque ad alteram velitationem, ad instaurandum animum vestrum, & corpus a cæde defatigatum, quando considebitis ad edendum panem, pars vestrum suum animum confirmabit, & genua infirma corroborabit, & reliqui tota castra custodient donec edendi & potandi finis factus sit.

Verum cum otium causa sit stupiditatis ne momento quidem otiosi & quieti sitis; donec destruatis *Solalot* magnas, quibus hostes vestri confidunt; atque ut omnia singulari prudentia, & sine ullo periculo agatis, eligendi vobis erunt viri sagaces & fideles ex vestris tribubus, qui semper inquirant, & speculentur in hostium castris, donec cognoscant, quid mali contra vos inimici vestri moliantur; ita ut omni tempore ab eorum sagacitate præcavere possitis, cum vitæ vestræ, & animabus vestris insidiantur. Explorator Græce dicitur προσαγωγεύς scriptum pi, ro, omicron, sigma, alpha, gamma, omega, gamma, epsilon cum zere, epsilon cum Chirec, qui pro ita inservit & sigma; & Latine *Emissarius*, & Italice *Spia* nuncupatur. Atque ad verba horum emissariorum omnia vobis diu noctuque agenda erunt, neque aliquid fiet festinanter. Si vobis ab his dicetur, consurgite, & agite, aut consistite; omniaque vobis agenda erunt, quæ vos docebunt, & probabunt. Consurgite igitur media nocte, in summis tenebris, cum obscuratus est sol. Et permissu Imperatoris cum silentio, ita ut hostes vestri non audiant vocem vestram, & ne levem quidem motum, egrediemini una cum viris fortitudine, & robusto brachio insiguibus, qui sint ordinati omnibus armis ad occidendum imbelles, cum quibus erunt juxta numerum *Solalot* hostium milites adspectu leoni similes, & veloces instar caprearum, & leves instar aquilarum, & faciles ad exsiliendum instar arietis, & devolvendum capsas *Solalot* cum scientia, unoque gladio, pugione, & valido malleo armati sint, instar fabrorum mallei, qui latus sit ad latus percussionis, balteoque appensus

שיהיו

שיהיו חדי' בצדם האחד ובצדם האחר יהי'ו לצד ראשם רחבים וברזל המסמרי' יהיה מתוקן באופן שלא יהיה עוד בו רכות הטבעי מהברזל הפשוט אך יתקשה ויתהוה למתכת הנקר' אצאלי שאז מפני קשיותו יתפוצץ במהרה בלי עמל ויגיעה ואחרי אשר אנשי הצבא ההוא יגיעו אצל מחנה האויבי' ינוחו שם במארב כדי ישלא ישמעו האויבים קול המון עם כקול מים רבים ויקיצו אבל לא יהיו רחוקי' מאד מהסללו' כדו שיוכלו להציל בעלי המסמרות מני שחת ביד רמה אם יצטרך· ואז בעלי הפטישי' יקומו וילכו לנפצם ויפלו פתאום על הסללות שהם בקצה מחנה האויבים כנהוג וישימו חודו של מסמר בפי הסללה היינו במקו' שמוציתים בו האבק באש בעת השפיכה ויקישו בחזקה על ראש המסמר הרחב בפטיש רחב כדי שמפני הפחד והרעדה והבהלה לא יכו לבטלה שלא במקו' המסמר וכאשר ידעו שנכנס היטב המסמר בסללה יקישו מן הצד עם הפטיש תחת ראש המסמר העודף מבחוץ יתפוצץ מיד ועל הפציצה יקישו בפטיש פעם אחרת בחזקה עד שישאר שוה שטח מקו' המסמר עם שטח הסללה מבחוץ כי כמשפט הזה לא יצלחו עוד הסללות למלאכת השפיכה להרע לכם כאשר היה עם לב העם עובדי עכו"ם בני עמון ומואב אשר מאס ה' בהם· אחרי כן בחפזה יבואו בשלום עד מקו' אשר שם האנשים המצפי' אות' וישובו אל המחנה שמחים וטובי לב על כל הטובה אשר עשה ה' להם להצילם מיד מונאיהם וכל העדה כלם קדשים יודו לאל השמים כי הושיעה להם ימינו וזרוע קדשו ולעיני הגוים גלה צדקתו.

ומפני שבעת המלחמה כיון שנתנה רשות למשחית לחבל שוב אינו מבחין בין צדיק לרשע· אם יארע לא יהיה הדבר ולא יבא שהשונאים כאשר עשית' להם כן יעשו לכם היינו שבמסמרים לא ימוטו יסתמו בערמה גם הם סוללותיכם במסמרים· בעבור זה אל ירך לבבכם כי אני אלמוד לכם אם יהיה אלהים עמכם להשיב שבות הסללות כמבראשונה להחזירן טובות כאשר היו מאז קודם הפעולה הרעה הזאת מהאויבים· ולא תרדפו אחרי למוד הבומבארדירי הקדמונים

ſit marſupium pelliceum clavorum plenum, qui ab uno latere ſint acuti, & ab altera capitis parte lati, ferrumque clavorum ſit ita præparatum, ut nihil remaneat ex naturali ſimplicis ferri teneritudine, ſed induratum ſit, illudque metallum ſit, quod *Acciaro* appellatur; tum enim duritiei cauſa facile ſine multo labore frangitur. Poſtquam milites pervenerint prope hoſtium caſtra, ibi in inſidiis inſidebunt, ne hoſtes audiant vocem tumultus populi, quaſi vocem aquarum multarum, & excitentur; at non conſiſtent procul ab tormentis bellicis, ut clavigeris manu robuſta auxilio eſſe poſſint, ſi neceſſitas poſtulabit; tum qui malleis inſtructi ſunt, conſurgent, magnoque animo irruent confeſtim in *Solalot*, quæ ſunt juxta conſuetudinem in extremitate caſtrorum hoſtium, inducentque clavi acumen in os *Solala*, i. e. in eum locum, ubi tempore exploſionis pulvis igne accenditur, magnaque vi percutient in lati clavi caput lato malleo, ne timoris, & celeritatis cauſa irrita ſit percuſſio, neque fiat in ſitu clavi; cum vero viderint, clavum optime in *Solala* penetraſſe, ad latus percutient malleo infra clavi caput extrinſecus eminens, quod ſtatim rumpetur, eoque loco, ubi fractum eſt, magna vi iterum malleo percutient, ita ut ſuperficies ſitus clavi extrinſecus *Solala* ſuperficiei fiat æqualis; eaque de cauſa hæ *Solalot* in poſterum explodi non poterunt ad detrimentum vobis inferendum, uti excogitarunt gentes Idololatræ, i. e. Ammonitæ, & Moabitæ, quos abhominatus eſt Dominus. Poſthæc celeriter in pace venient ad locum, ubi milites eos exſpectant, & revertentur in caſtra hilares, & læti pro omnibus bonis, quæ fecit illis Dominus, ut liberaret de manu inimicorum ſuorum; & univerſa congregatio omnium ſanctorum laudabit Dominum Deum cœlorum, qui ſervavit eos ſua dextra, & brachio ſancto ſuo, & in conſpectu gentium juſtitiam ſuam manifeſtavit.

Cum belli tempore facultas data ſit vaſtatori devaſtandi, nullumque fiat diſcrimen inter juſtum & impium, ſi contingat (quod Deus avertat) ut hoſtes, quæ illis feciſtis, vobis faciant, i. e. clavis doloſe veſtras *Solalot* obturent; ne hac de cauſa animo cadatis; vos docebo, ſi fuerit vobiſcum Deus, rationem inſtaurandi *Solalot* in priſtinam conditionem, qua fuerant antequam hoc detrimentum vobis ab hoſtibus illatum eſſet. At nolite conſectari doctrinam veterum exploſorum, qui vobis quædam peculiaria olea artificialia propoſuerunt, quæ ſunt ignis,

אשר

אשר שמו לפניכם זה שמנים מלאכותו' מיוחדים וזה אש ולהבה עזה לחתיך המסמרים כי לא ידעו בין ימינם לשמאלם ובחשכה התהלכו ולא יבינו שבמקום התכת המסמרים יתיכו הסוללה עצמה· אך הדרך הנכון הוא אשר אומר לכם עתה· קחו אם כן לכם מנקבת טובה וחזקה נקראת בלשון יון תיריתרון· כתוב בתיו· באיפסילון עם הצירי· ברו· בתיו· ברו· באומיקרון ובניי· שבצרופן יחד תקראו תיריתרון או נקראת תריפאנון· כתוב בתיו· ברו· באיפסילון עם חירק תחת האלף· בפי· באלפא· בניי. באומיקרון· ובניי. שבצרופם יחד תקראו תריפאנון· ובלאטינו טריברא בבית דגוש'· ובלעז טריוילה אה מולינו ולא תסירו הסללה מהתבה שלה בשום פנים אך תגלגלו אותה בה עד שתגלו חלקיה הסמוכים למקום נתינת האש שבראשונה ורחוק מהמקום הראשון כמו שני אצבעות ברחב מצד ימין לו או מצד שמאל כאשר יוטב בעיניכם תעשו שם במנקבת פי קטן שיגיע עד חלל הסללה ואחרי הנקב הנאו' תתקנו אש פיו במנרה הנקראת לימה עד שיהיה מבחוץ פתוח לרוחה ומתוכו יהיה צר כי לא יגרע כח שפיכותה עתה ממה שהיה קודם סתום המסמרות שבה.

והנה גם למעלה מהמקו' המסומר רחוק ממנה ברחב שני אצבעות תוכלו גם כן לעשות הנקב החדש הזה אם תרצו· אך אם תעשוהו שם תבירו ששפיכת הסללה תצא בחזקה' ובחפזה יותר ממה שראוי לה· ותהיה בעבור זה מסוכנת להשבר או להתבקע ׃ אולם צורת המנקבת היא נעשית כמו שרביט ברזל ישר· ארכו כאמה וחצי ונסותו כאצבע גדול של אדם בינוני ועגול כלו עד חצי אמה סמוך לסופו שאז על החצי אמה יש כמו זר של ברזל עודף אשר עליו ינוח תפוח ברזל גדו' כרמון נקוב באמצעיתו וגודל הנקב הזה יהיה באופן שיכנס השרביט בו וינוח התפוח על הזר העודף עד שיעמוד בו בהדוק רב·אמנם מן הזר ולמטה השרביט הזה הוא חד מאד ומתוקן לארבע פיות חותכות היטב עד סוף השרביט וחוד יהיה מתוקן לנקוב המתכו' כלם בשלם שבפני' והנה על השרביט של ברזל זה יתנו עץ אחד ארוך כשני שלישי אמה שילך לצד רחבו של שרביט גם ממה שהוא שרביט הברזל כרין ובשורה· והעץ הזה הוא נקוב

& valida flamma, quibus clavi conterantur, qui non discernunt inter dextram & sinistram, & in tenebris ambulant, qui non vident, in fundendis clavis, ipsas *Solalot* fundi posse. At vera ratio est ea quæ a me describitur. Sumenda vobis est optima & valida terebra, quæ Græce dicitur τέρετρον, scriptum tau, epsilon, cum zere, ro, tau, ro, omicron, & ni, quæ si una connectantur, legetur, τέρετρον, aut τρύπανον appellatur, scriptum tau, ro, epsilon cum Chirec sub aleph, pi, alpha, ni, omicron, & ni, quæ si una connectantur, legetur τρύπανον, & Latine *Terebra* cum beth daghessato, & Italice *Trivella a molino*; ne ullo modo a sua capsa *Solala* removeatur, quæ tandiu rotabitur, usque dum ejus partes deprehendantur illi loco proximæ, ubi prius ignis accendebatur, & procul a pristino situ in latitudine duorum circiter digitorum sive ad dextram sive ad sinistram, ubi vobis probabitur, terebra vobis faciendum erit in foramine os parvum, quod ad spatium inane *Solala* perveniat, & post foramen conveniens, serra ejus os aptandum est, que *Lima* appellatur, ut extrinsecus sit satis latum, & intrinsecus angustum; neque minor erit expulsionis, impetus quam erat antea, priusquam clavis obstructa esset.

Ceterum vel supra situm clavo obstructum procul ab eo in latitudine duorum circiter digitorum, fieri posset, si liberet, novum foramen; verum si ibi fiat, videbitis *Solala* explosionem majori impetu erupturam quam conveniret, magnumque fore periculum, ut *Solala* finderetur & disrumperetur. Ceterum terebræ figura est similis virgæ ferreæ rectæ, cujus longitudo est unius cubiti cum dimidio, & crassitudo instar pollicis hominis mediocris, totaque rotunda est usque ad dimidium cubitum usque ad ejus extremitatem; tum supra dimidium cubitum deprehenditur circulus ferreus redundans, in quo statuitur pomum ferreum, quod mali punici magnitudinem æquat, in medio perforatum; hujusque foraminis magnitudo hujusmodi erit, ut in illud virga ingrediatur, pomumque super circulo redundanti accuratissime statuatur. Ceterum ab circulo & inferius hæc virga sit acutissima, & quatuor instructa aciebus usque ad ejus extremitatem, ejusque acies apta sit ad perforanda optime omnia metalla. Huic virgæ ferreæ imponitur lignum longum quasi duas tertias cubiti partes, quod producitur ad latus latitudinis virgæ, eaque crassius uti convenit; illudque in medio perforatum est, & per virgam ferream usque ad pomum transgreditur, & a vir-

באמצעיתו ועובר בשרביט של ברזל עד על התפוח· ומראש השרביט זה ירד מתר אחד של קנבוס עובר בטבעת שהוא קבוע מלמעלה בשרביט הברזל עצמו כי מלמעלה במקו׳ הטבעת המתר הזה התחוב בו הוא שלם· ומלמטה הוא נפרד וירדו שני קצותיו על שני קצות אעץ העובר בשרביט עד על התפוח שקושרים אותם שם מזה ומזה במתרי׳ דקים בהדוק רב וכשיסבבו השרביט של ברזל פעם אחת או שתים יסתבך המתר בשרביט ויעלה העץ מעט· וכשודתפוהו למטה יסבבו המתרים השרביט וינקב כל מה שנתון תחת חודו אם יתמידו בהילכ׳ ובהובאה מלמטה למעלה כאשר ידעו כל האומנים שעושי׳ בו מלאכה בכל יום· ובמנקבת הזאת ינקבו קנה הסללה היטב ותחזו׳ הסללה לאיתנה הראשון להשתמש בה כחפצכם.

ואתם אם יזדמן מבלילה תפלו פתאום על האויבים להכות בם והם לא ידעו כשתחזרו במחנה עיפי׳ ויגעים טוב הוא שתשכבו עד שלישית היום להעביר שינה מעיניכם ותנומה מעפעפיכ׳ ולהנפש מהתלאה אשר התישה כחכם· ואז אחיכ׳ כל בית ישראל יהיו לכם ולהם למשמרת פן יבואו האויבים עובדי עכו״ם האמורי׳ להתעולל במחנה או בסללות ׳ולא יפגעו באיש נפרד מחברו ערום בלי לבוש מלחמ׳ וכלי קרב ולכלכם תמציאו קשת נחושה בזרועותיכם להרוג בשונאיכ׳ עד שבעבור זה יחתו הגוים מכם.

ועל כי לפעמים יקרה שצריכי׳ אנשי הצבא להודיע לאחיהם שבערים הבצורות דבר מה של עקר במשפטי המלחמ׳ וסדר השמירה או לזרזם שבזמן ידוע יתנו אורבים להשמיד ולהכרית אותם· אם תצטרכו לדבר זה או כדומה לזה כדי שלא ירגישו השונאים מה שבלבבכם עליהם ולא יתפסו ויוציאו פתשגן הכתבים מיד רכבי הרכש האשתרנים בני הרמכים· אלמוד לכם בשלשה פנים איך תוכלו לעשות שלא ירגישו בכתבים שלכם האויבים מעולם.

ועתה הניחו מן הצד הרצים כלם ונושאי אגרות הנהוגים ובחרו באנשים שאין להם צורה ושימו עליה׳ חלוק ושלמות בלות ונעלות בלות ומטולאות ברגליהם ולחם יבש נקודי׳ בתוך שקים שבורים ומצוררים ובתרמילם ובמשענת עץ בידם ילכו הלוך ונגוף

gæ ſummitate deſcendit funis cannabinus, qui tranſgreditur per annulum qui pariter ſupra virgam ferream infixus eſt; funiſque ſuperius in ſitu annuli, in quo infixus eſt, eſt integer, & inferius diviſus, ejuſque duæ extremitates deſcendunt uſque ad duas ligni extremitates, quod per virgam tranſgreditur uſque ad partem pomi ſuperiorem, quæ hinc inde tenuibus funiculis accurate colligantur; cum ſemel aut bis virgam ferream circumeunt, funis virgam circumdabit, & paululum lignum adſcendet; cum vero deorſum impelletur funiculi virgam circumibunt, omneque, quod ejus aciei ſubjectum erit, perforabitur; ſi perſeverabunt agere ſurſum & deorſum juxta ſcientiam artificum qui in hujuſmodi artificio operantur quotidie, terebraque hac optime perforabunt *Solala* cannam, quæ ad priſtinam perfectionem ad uſus neceſſitatem reſtituetur.

Si contingat ut noctu de improviſo in hoſtes impetum faciatis, ut imprudentes opprimatis, quando revertemini in caſtra laſſi & defatigati, præſtabit, ut uſque ad tertiam diei partem quieſcatis, ad abigendum ſomnum ab oculis veſtris, & laſſitudinem ab animabus veſtris, quia infirmata eſt virtus veſtra, tum omnes fratres veſtri de domo Iſrael vobis erunt præſidio & cuſtodiæ, ne hoſtes veſtri Idololatræ vos aut Solalot de improviſo deprehendant, neque aliquem ab ſuo ſocio ſejunctum inermem opprimant; idcirco ſemper ſtabitis in ſtatione cum armis in manibus, & arcu æneo in brachiis veſtris ad occidendum inimicos veſtros, ita ut vos gentes magnopere pertimeſcant.

Cum aliquando contingat, ut milites exercitus ſignificare debeant fratribus ſuis, qui in munitis urbibus habitant, aliquid magni momenti, quod ſpectat bellum & ordinem ſtationis, aut admonere, ut definito tempore inſidias inſtruere debeant ad delendos & profligandos hoſtes, ſi hoc aut ſimili opus habeant, ne hoſtes veſtra excogitata præſentiant, capiantque ac deprehendant literas ſcriptas in manibus curſorum, qui veredros & veloces mulos equitant; triplici ratione vos docebo, ne ex veſtris literis hoſtes conata veſtra deprehendant.

Deſerendi modo vobis ſunt omnes curſores & tabellarii conſueti, vobiſque comparate viros deformes, qui ſubuculam, & veſtes detritas, & ſandalia attrita, & reſuta in pedibus inducant, ſitque illis panis ſiccus in ſacculis laceris, & relegatis, & pera ad latus, baculuſque ligneus in manu, qui ambulabunt ſibi femora alterum ad alterum tanquam mendici per-

וארכבותיהן

וארכבותיהון דא לדא להוו נקשן כאלו היו אביונים נאנחים מבקשי׳ להם ועל׳ חלוקיה׳ הבלות ומטולאות כתבו כל מה שתרצו כפי למוד האופן הראשון כי לא ירגישו האויבי׳ בכתב שאינו נראה׳ ולא יפשיטו׳ מכתנת׳ כי בלים הם ולא יצלחו למלאכה וכמשפט הזה ירשו אותם שונאוכם לבקש את מחיתם וילכו להם עד שיגיעו אל תוך העיר וישמעו אחיכם הנאהבים והנעימים במכתב חלוקם כל אשר חפצתם.

אמנם האופן הראשון הוא זה׳ קח ויטריאולי רומאנו הנקרא בלשון לאטינו אטראמינטום סוטוריאום׳ ובלשון יון נקרא קאלכאנטי בחירק הטית או קאלכאנטוס כי יש להם משמעות אחד וכן קראוהו רבותינו ז״ל והנה היונים הכותבים המלה הזאת כותבים אותה באות הכ״ב מהאלפא ביתא שלהם הנקראת קי׳ ואלפא׳ ולאמדה׳ וכאפה׳ ואלפא׳ וניי׳ וטיטא׳ ואומיקרון וסיגמא׳ עד שהמלה הוא קאלכאנטוס ולא כאשר כתבו תמיד המדפוסים הסכלים קנקנתוס בקוף בנון ותיו׳ שים אותו בכלי ההטפה והיוצא בהטפ׳ הראשונ׳ הוא טוב לכתוב על כתפי החלוק וכאשר תרצ׳ לקרות מה שכתוב שם תשוה החלוק במי בשול עפצים כי כאשר ידעת העפצים הם אשר קוראים אותם בלשון לעז גאלה ותכף תקרא מה שכתוב על החלוק.

האופן השני הוא אם תכתוב על נייר לבן או על סודר של טל עם מיץ תפוחים הדומים לאתרוגים הנקראים לימוני או עם מיץ הפומי ראנצי או עם מיץ התפוחים הנקראים תפוחי אדם בלעז פומי די אדם וכאשר תחמם ותשים הנייר או הסודר נגד האש תכף תקרא הקריאה.

האופן השלישי הוא אם תכתוב על גוף האדם עצמו או על הזרוע או על החזה או על השדרה או על הכתף או במקום אחר כפי חפצך עם חלב היוצא מאילן התאנים או מהתאנה עצמה כשהיא פגה׳ ואם היו התאנים של יערים הם יותר טובים לזה ממה שהוא חלב התאנים שבגנות ושבשדות׳ אחרי כן כתוש פחם של כל עץ שרוף שתרצה כי כל פחמי העצים הם טובים׳ ושפשף הפחם כתוש על הכתב כי ישהירו האותיות ותקראו אותם׳

ואין זה כתובת קעקע שאסרה לנו התורה כי הכתובת קעקע האסור הוא כתב המחוקה ושקוע שמקעקעו בפחם והוא משחיר ואינו נמחק לעולם. וזה הכתב נמחק ברחיצת מים ולא ישארו שם הרשומים אחרי הרחיצה הנאותה׳ עם כל זה אתם כיראי שמים אם תוכלו לעשות

cutientes, qui ſuſpirant quærentes panem; eorumque ſubuculis detritis & reſutis ſcribenda vobis erunt quæ placebunt juxta hoc primum documentum; quia veſtri hoſtes hujuſmodi ſcripturam, quæ non videtur, non deprehendent, neque exuent ſuis veſtibus detritis, quæ nullius ſunt uſus; eaque de cauſa hoſtes veſtri permittent illis, ut ſibi comparent panem, illique abibunt, uſque dum intra urbem perveniant, & audiant fratres veſtri chariſſimi, legantque ex ſcriptura ſubuculæ omnia quæ deſideratis.

Prima ſignificandi ratio hujuſmodi eſt. Sumatur calchantum Romanum, quod Latine *atramentum ſutorium*, & Græce χαλκάνθη, aut χαλκάνθος appellatur, quæ unum idemque ſignificant, atque ita nuncupatur a Sapientibus f. m. Græci vero ſcribunt hanc vocem 22. ſui alphabeti litera, quæ chi dicitur, & alpha, & lamda, & cappa, & alpha, & ni, & thita, & omicron, & ſigma, ut ſit vocabulum χαλκάνθος, contra id quod ſcripſerunt typographi imperiti קנקנתוס cum coph, ni, & tau. Indatur hoc calchanthum in vas ſtillatorium, quod ex primo ſtillicidio egreditur, optimum erit ad ſcribendum in ſubuculæ humeris; ſi quod ibi ſcriptum eſt legere volueris, adſpergenda tibi erit camiſia aquis in quibus עפצים decoctæ ſint, ſicuti notum eſt עפצים ſunt quæ Italice *Galla* appellantur, ſtatimque leges, quod in ſubucula ſcriptum eſt.

Secunda ratio hæc eſt. Si ſcribas in charta alba, aut ſudario lineo, ſucco pomorum, quæ aſſimilantur iis malis citreis, quæ *Limoni* nuncupantur, aut ſucco malorum Aſſyriorum, quæ Italice *pomi d' Adamo* nuncupantur, ſi caleſiat, & collocetur carta aut ſudarium contra ignem, ſtatim ſcriptura legetur.

Tertia ratio hujuſmodi eſt. Si ſcripſeris in ipſius hominis corpore, aut brachio, aut pectore aut dorſo, aut humero, aut alio loco juxta tuum arbitrium, lacte qui de ficus arbore, aut ipſo ficu diſtillat, cum eſt immaturus, & caprifici erunt meliores ficubus hortenſibus aut agreſtibus, & poſthæc contriveris carbonem ex quocunque ligno combuſto, omnia enim ligna idonea ſunt, & carbone contuſo fricueris ſuper ſcriptura, tum literæ nigreſcent, & verba legentur.

Neque hæc ſcriptura putanda eſt inciſa, quæ nobis a lege prohibetur; etenim ſcriptura notis inuſta eſt ſcriptura inſculpta & effoſſa, carboque in ejus profunditatem penetrat, neque unquam deleri poteſt; at hæc ſcriptura, ſi aquis abluatur, deletur, neque ulla poſt lotionem remanent ſigna; tamen vos qui timetis Deum,

עם האופני' הראשונים ולא תהיה השעה דחוקה לכם עשו כי על כל פנים הכתב הזה הוא מתולדת הכתובת קעקע ממש· וגם יש אופנים אחרים להודיע מה שתרצו במקום רחוק לעיר או לאנשי מלחמה שהם במארב ורחוקים מכם מבלי שום אדם שלוח אליהם שם כמו בהעלאת עשן בחצי היום עם קש או תבן שרופים או אורים של עצים דולקים המורים בזה שביום ההוא עצמו יצאו ויכו האויבים עמהם במלחמה· או בלילה בהוראת נר דלוק חוץ מהחלון או ממקום גביה כמה פעמים זה אחר זה עם ריוח מה בין כל ההוראות· והפעם הראשון בריות שיש בו ממש· ירצה לומר אות א'·והפעם השני דרך משל בשני הוראות תכופות זו אחר זו ירצה לומר ב' וכן בהוראות שונות כפו מספר אותיות האלפאביתא· וכמשפט הזה יצרפו האותיות במלות וידעו מה שתרצו· או תוכלו לכתו' ולשים פתק תחת כנפי יונים נקראן בחולין פרק שלוח הקן דורסיות או הרדוסיות· אך האופני' האתרוני' האלה אינם ברורים או בטוחים כראשינים· ולכן די לכם בשלשה האופבים אשר כתבנו בראשונה.

ומפני שכמעט בדברים האלה שהם עם כל זה למוד הכרחי לכם יצאתי חוץ מהשטה המלמדת אתכם המשפטי' הנכוני' ללוחמים בפועל·אשוב עתה אם יגזור ה' למקום דבורי הראשון אשר יצאתי ממנו·ואוסיף עוד לדבר אליכ' בחקים ובמשפטים צדיקים שילמדו ידכם לקרב ואצבעותיכם למלחמה· ועל הכל אזכיר לכם ואחזור להזכיר כי טוב הוא שלא להניח מעולם ועד עול שעה של השקט ובטח לאויביכ'· אך יהיו תמיד בעד מחשבותיכם ופעולותיכם בצרה ובצוק' ולא יאמינו בחייהם עד כי בערב יאמרו מי יתן בקר ובבקר יאמרו מי יתן ערב מפחד לבבם אשר יפחדו· על כן לפעמי' יקומו הנערים שלכם ביום ויצחקו עם השונאים בכל כלי נשק האמורים או במקצת מהם כדי שתצורו עליהם בכל עת ובכל רגע ולא יהיה לעולם מרגוע לנפשם· נקרא הצחוק הזה בלעז סקאראמוצה· ואם תמצאו שיהיו שונאיכם בלי סדר ובערבוביא ויתחילו לנפול חללים לפניכם אז תוסיפו סכום אנשי הצחוק ההוא

si vobis alterutra ex commemoratis supra rationibus vobis usurpanda est; eo quod hæc scriptura omnino derivatur ab scriptura notis inusta. Præterea aliis modis significare vobis licebit, quæ cupitis in loco vel remoto ab urbe, militibus, qui insidias instituunt, aut a vobis remoti, quamvis a vobis nulli ad eos mittantur nuncii, e. g. aut extollendo fumum interdiu palea, aut fœno combusto, aut titionibus ligneis ardentibus, ad ostendendum, quod eo ipso die proficiscendum vobis sit cum iis in prælium ad percutiendos hostes vestros; noctu vero ostendendo lumen accensum extra fenestram, aut ex loco excelso pluribus vicibus una post aliam aliquo intervallo inter hæc omnia signa; & primum aliquo interstitio significabitur litera א; & secundum e. g. duobus signis uno post aliud designabitur litera ב', & sic in variis signis juxta numerum literarum Alphabeti; & hac ratione connectent literas in verba, & intelligent ea quæ cupitis. Potest etiam scribi & appendi charta sub alis columbarum, quæ cap. XII. I. *Cholin* vocantur דורסיות aut הרדוסיות; at hæ postremæ rationes non sunt ita claræ & evidentes uti primæ; idcirco vobis satis erunt primi modi, quos ab initio descripsimus.

Verum his fere rebus, quæ vobis necessario addiscendæ sunt, extra ordinem egressus sum, quo vera artis militaris instituta vos docebam; itaque revertar, si ita decreverit Deus, ad meam pristinam dissertationem, a qua declinavi, vobisque præterea disseram de legibus justis & institutis, quibus assuescant manus vestræ ad prælium, & digiti vestri ad bellum; in primis vos monebo, ne ullo unquam momento patiamini quiescere hostes vestros, sed semper stratagemmatis & operibus angustia & timore oppressi, neque eorum vita sit unquam tuta, ita ut dicant in vespera, quis dabit vobis mane, & mane dicant, quis dabit vesperam propter terrorem, quo eorum animi perculsi erunt; idcirco aliquando consurgent vestri juvenes interdiu, & lacessent vestros hostes quovis armorum genere, quæ commemorata sunt, aut aliqua specie, ut semper angustia premantur, nulloque momento eorum animi quiescere possint; quod Italice *Scaramuccia* appellatur; si hostes incompositos & perturbatos deprehendatis, ut incipiant cadere in conspectu vestro occisi; tum multiplicandus est numerus militum hujus velitationis, quæ Italice *Scaramuccia grossa* nuncupatur; pugnandumque vobis est, donec in conspectu vestro in acie gladii hostes vestri ca-

ההוא ותעשו כמו שאומרים בלעז סקאראמוצה גרוסה׳ ותלחמו בם עד שיפלו אויביכ׳ לפניכם לחרב׳ וגם כאשר ינוחו יגיעי כח בחצי הלילה באפלה שלחו מכם אלף למטה אלף למטה לצבא לבושים בחלוקי׳ לבנים על חשריונות וכרסי הברזל וצניף לבן על כובע הנחשת והברזל לכלם כדי שיכירו זה את זה באישון לילה בלובן החלוקים והצניפים ולא יכו איש את רעהו בשגגה כי באופן הזה תכו בהם מכה רבה ויפול פחדכם ומוראכם עליה מאד׳ נקרא הדבר הזה מאת אנשי המלחמ׳ אינקאמישאטה ואברהם אבינו ע״ה הוא היה׳ הממציא הראשון ממשפט המלחמה הזאת כדכתיב ויחלק עליהם לילה׳ היינו שנפל עליהם בחלוקי׳ לבנים לבושים על מלבושיהם של אחי ענר אשכול וממרא בעבור חשך הלילה להכיר האנשים האלו אשר הלכו אתו מתוך אנשי הארבעה מלכים אשר נלחם אתם׳ גם כל מעשיכם תעשו פתאום ובמהירות רבה כי המהירות עושה פרי גדול במלחמה׳ הלא תראו ביהושע מה שעשה מחמת המהירות והעזר האלהי בחמשת מלכי האמורי כדכתיב ויבא אליהם פתאום כל הלילה ויכם מכה גדולה בגבעון׳ וגם בזמן המלחמ׳ שימו לכם אורבים אחרי אויביכם וכאשר תהיו בעומק המלחמה ולא יהיה להם פנאי לאויבי׳ להשמר מכם יקומו האורבים שלכם להכות אותם מאחריהם עד שתהיה להם המלחמה פנים ואחור ולא ישאר להם שריד ופליט.

ואם ח״ו הם יסגירו אתכם בשני מחנות מהם עד שתהיו באמצע לאויבים לא ירך לבבכם׳ אך מי בכם שיהי׳ בפני המלחמה ילחם בחזקה ולא יהפוך עורף לאויב. והמאסף למחניכם יהפוך פניו גם הוא נגד אנשי הצבא של שונאיכם הבאים מאחריכם כמו שעשו יואב ואבשי אחיו כדכתיב וירא יואב כי היתה אליו פני המלחמ׳ ויערוך לקראת ארם וגו׳ ואת יתר העם וגו׳ ויאמר אם תחזק מחני ארם וגומ׳ והלחמו בחזקה עד שיפללו חללים לפניכם או ינוסום מפניכם.

dant. Præterea cum quiescent media nocte defatigati in tenebris, immittendi vobis erunt mille ex singulis tribubus ad pugnam induti super loricas & thoraces ferreos albis subuculis, infulaque alba super cassidem æneam & ferream, ut se mutuo cognoscant in tenebris noctis propter subucularum & infularum albedinem, neque se mutuo imprudentes percutiant; eoque modo plaga magna illos percutietis, magnusque terror in illos irruet; apud milites hoc *Incamisciata* appellatur; & Abraham pater noster b. m. primus hoc pugnæ genus invenit, sicuti scriptum est *Genes.* XIV. 15. *Et divisis sociis irruit super eos nocte*, i. e. irruit super eos interulis albis, quas super vestimentis suis induerunt fratres Aner, Escol, & Mamre in tenebris noctis, ut isti homines cognoscerentur, qui cum eo irruerunt in milites quatuor regum, cum quibus pugnabat. Præterea vobis de improviso magnaque celeritate agenda sunt omnia, eo quod celeritas in bello utilissima est; nonne videtis quid ab Josue celeritate & Dei auxilio actum sit adversus quinque reges Amorrhæorum? Scriptum est enim *Jos.* X. 9. *Irruit itaque Josue super eos repente tota nocte adscendens ---- contrivitque plaga magna in Gabaon*. Præterea belli tempore instruendæ vobis sunt insidiæ, cum pugna commissa fuerit, neque tempus affuerit hostibus vestris, ut a vobis se tutari possint, consurgent qui sunt instructi in insidiis, ut a tergo percutiant, ita ut aversi & adversi oppugnentur, nemoque ex cœde evadere possit.

Si vero (quod Deus avertat) contingat, ut inter duo eorum castra obsessi teneamini, ut ab hostibus circumsessi sitis, non demittendus est vobis animus; sed qui instructi sint in primo agmine, fortiter pugnabunt, nec terga vertent hostibus, qui vero in novissimo agmine, ipsi quoque convertant facies contra exercitum vestrorum hostium, qui vos ab tergo aggrediuntur; sicuti factum est ab Joabo & Abisai ejus fratre, uti scriptum est 2. *Reg.* X. 9. *Videns igitur Joab quod præparatum esset adversum se prælium, & ex adverso & post tergum ---- instruxit aciem contra Syrum* &c. *Et ait Joab; si prævaluerint adversum me Syri* &c. Et pugnabitis fortiter, donec cadant in conspectu vestro interfecti, aut fugiant.

פרק לב.

בסדור עורכי המלחמה ביום הקרב ולמוד המלחמה עם החיות והפילים והפרשים הרוכבי' על הסוסים הקלים שנקראו בלעז קאבאלי ליגירי ועל הסוסים המזויינים וגו'.

הן אלם קצות דרכי משפטי המלחמה אשר אמרתי לכם כהיום הזה בקצרה· לכן גשו נא אלי עד שאלמד אתכם מה יש לעשות לכם ביום קרב כאשר תחפצו להראות פניכם לפני אויביכ' בני עמון ומואב הצרים אתכם עד שתכחידום מגוי ויפלו חללים לפניכם.

ועתה כשיזדמן היום' הקצוב למלחמה הכללית נקראת בלעז יורנאטה אחרי הכנת כל כלי זייניכם וסדור אנשי המלחמה שורות שורות כהלכה התפללו אל' ה' בכל לבבכם ובכל נפשכם והתודו על כל חטאתיכם והלחמו בגבורה כי יעתר ה' לקולכם וישמע תפלתכם השמימה ויסלח לאשמותיכם ויתן את אויביכם הקמים עליכם נגפי' לפניכם בדרך אחד יצאו אליכם ובשבעה דרכים ינוסו לפניכם.

והנה סדר עורכי המלחמה ביום הקרב הכללי יהיה כמשפט הזה השומר מכל וכל התנאים הצריכים במלחמה· שימו דרך משל שיהיה כל המחנה שלכם מאה אלף איש ושר הצבא ירצה להלחם עם שנים עשר אלף איש בלבד כמספר שבטי ישורון או כמספר האויבים הבאים להלחם עמכם· תחלקו כל מחנה הלוחמים לחמשה חבורות והשתי חבורו' הראשונו' יהיו אלף איש לכל חבורה· וכן יהיו השתי חבורו' האחרונות והחבורה האמצעית תהיה של שמנת אלפים· אולם בחבורה הראשונה של אלף איש תשימו בראשה ארבעה חצוצרות וארבעה קלגסים.

דעו בני כי הקלגסי' ישמשו לעולם לאנשי המלחמ' שברגלי אך החצוצרות יצטרכו תמיד לרוכבי הסוסים בלבד· ועם כי בתוך המערכות אשר כתבתי לא שמתי רוכבי הרכב והפרשים שלא לעבור על דברי התורה המואסת בם, עם כל זה הוספתי בסדורי זה על הקלגסים גם החצוצרות לקיים את דברי ה' במדבר י' אשר צוה וכי תבואו מלחמה בארצכם כו' והרעתם בחצצרות וגו' כאשר עשה על פי למוד זה אביה וכל איש יהודה דברי הימים ב' יג' כדכתי' ויפנו יהודה וגו' ויצעקו לה'

CAPUT XXXII.

Ubi agitur de acie instruenda in die pugnæ, doceturque quomodo pugnandum sit cum feris, & Elephantibus, & levi equitatu, qui Italice appellatur Cavalli leggieri, *& cum cataphractis equitibus* &c.

HÆC sunt pars sapientiæ militaris, quæ vobis hodie breviter commemoranda putavi; idcirco accedite ad me, ut vos doceam, quid in die prælii vobis agendum sit, quando volueritis congredi cum hostibus vestris Ammonitis, & Moabitis, qui vos angustia opprimunt, ut ex gentibus deleantur, & in conspectu vestro concidant interfecti.

Cum dies definita pugnæ generalis advenerit, quæ Italice *Giornata* appellatur, postquam parata sint omnia instrumenta bellica, instructique milites in suas acies sicuti convenit, obsecrate Deum toto corde vestro, totaque anima vestra, & confitemini omnia peccata vestra, & fortiter pugnate, quoniam de cœlo vocem vestram & orationem vestram exaudiet, dabitque inimicos vestros, qui insurgunt contra vos, percussos ante oculos vestros; per unam viam incedent contra vos, & per septem vias a conspectu vestro fugient.

Hoc ordine in die pugnæ generalis est instruenda acies, quo omnes omnino ordines pugnæ necessarii observantur, Putate, e. g. vobis esse centum millia militum, & exercitus imperatorem cum duodecim tantum millibus pugnare velle juxta numerum tribuum Jessurun, aut juxta numerum hostium, qui cum vobis ad pugnandum incedunt. Distribuite totum exercitum in quinque classes, & ex duabus prioribus mille milites singulis assignentur, pariterque duabus novissimis, at media acies sit octo millibus instructa. Verum in prima statuantur primum quatuor tubæ, & quatuor tympana.

Sciatis velim mei filii, semper tympana ad peditatus & tubas ad equitatus usum tantum instituta esse. Et quamvis in instruendis aciebus, quas descripsi, non recensuerim currus & equites, ne violarem præcepta sanctæ legis, quæ illos abbominatur, tamen in hac ordinatione tubas præter tympana addendas putavi, ut servarentur uti scriptum est *Num.* X. 9. verba Domini, qui præcepit. *Si exieritis* ad bellum de terra vestra &c. *clangetis ululantibus tubis*. Uti factum est ex hoc documento ab Abia, omnibusque viris de Jehuda, uti scriptum est. 2. *Paral.* XIII. 14. *Respiciensque Juda* &c. *Clamavit*

והכהנים

והכהנים מחצצרים בחצצרו' ונו' · והנה יהיו בשורה שוה חצוצרת אחת וקלגס · חצוצרת אחת וקלגס חצוצרת אחת וקלגס · וחצוצרת אחת וקלגס · ואחריה' יבואו בשוה זה אצל זה שר האלף מצד ימין ומשנהו שהוא במקומו לבדו כשלא ימצא שם לסבה מן הסבות שר האלף מצד שמאל · ויהיו שניהם מזויינים בכובע וכרס ובתי זרועות ובתי יריכים של ברזל והחרב והפוניאון על יריכם וגם חרב שלופה של שתי ידים על כתפם אחריהם בשורה הראשונה של אנשי המלחמה יהיו עשרים אנשים בשפודים מזויינים עם הכובע הכרס הבתי ידים והזרועות של ברזל עם המגן על זרוע שמאל והפטיש תלוי על צוארם וחרבות' ופוניאונם על מתניהם שיהיו לעזר ולמשמרת שר האלף ומשנהו · ואחריהם יבואו השורות של אנשי המלחמה עשרים עשרים לכל שורה עם כלי זיינם בידיהם כפי טבע הכלים שיצוה שר הצבא · ואצל הכלים המיוחדים להם יהיה לעולם על כל איש מלחמה חחרב על יריכו והפוניאון על מתניו · ובכל השורות יהיו השרי עשרות שר אחד מצד ימין לשורה ושר אחר מצד שמאל · וכן בכל מקום שיזדמן להיות שם מקומו ימצא שם או שר חמשים או שר מאות כדי שיוכלו לראות בעין תוצאות המלחמה ויצוו תכף לאנשיהם כפי הצורך וההזדמן מה שהוא טוב לעשות בהשמרת האויבים הנלחמי' נגדם.

ועתה קודם שיגיעו אנשי המלחמה שבמערכה לסכום חמש מאות יהיו בשלשה שורות האחרונות שלהם שלשה שורות של עשרים עשרים רמחים מזויינים עם הכבע הכרס הבתי יריכים והזרועות של ברזל עם המגן זרעל וע שמאל והפטיש תלוי לצוארם והחרב והפוניאון על מתניהם כנהוג · אהריה' יבואו הארבעה חצוצרות וארבעה קלגסים אחרים כמשפט האמור · ואחריהם יבא האלפירו של שר האלף הנושא הדגל מזויין בלבוש ברזל עם החרב על ירכו והפוניאון על מתניו ועל ימינו יהיו בשורה חמשה אנשים עם חרב של שתי ידים שלופה על שכמם והפטיש על צוארם וגם בחרבם על יריכם והפוניאון הנהוג וכן יהיו חמשה אנשים אחרים כאלו על שמאלו · אחריו יהיו שלשה שורות אחרות של עשרים עשרי' רמחים מזויינים כראשונים והששה שורות ביחד שהם

ad Dominum, ac Sacerdotes tubis canere cœperunt. Statuentur vero in eadem acie æqualiter tuba & tympanum, tuba & tympanum, tuba & tympanum; poſthæc incedent æqualiter unus prope alium princeps millium, & ejus vicarius, qui vicariam præſtat operam, cum aliqua de cauſa princeps millium adeſſe non poſſit, ad ſiniſtram, amboque armati erunt caſſide, & thorace, & brachialibus, & ocreis ferreis, & gladio & pugione ſuper femora, una cum enſe evaginato, qui ambabus ſtringitur manibus, ſuper humeros. Hos in prima militum acie conſequentur viginti viri telis armati cum caſſide, thorace, chirothecis, & brachialibus ferreis, una cum ſcuto humero ſiniſtro impoſito, & malleo collo appenſo, & gladio & pugionibus ſuper latera, qui principi millium ejuſque vicario ſint cuſtodiæ & præſidio. Hos conſequentur turmæ militum, ex quibus viginti in ſingulas acies diſtributi ſint, cum armis præ manibus juxta ſpeciem armorum, quas juſſerit Imperator, & præter arma peculiaria inſtructus erit quivis miles gladio ſuper femore, & pugione ſuper latere, & in ſingulis turmis aderunt principes decem, *ſeu decuriones*, unus ad dextram & alter ad ſiniſtram, pariterque in ſingulis locis, ubi opus erit, aderit princeps quinquaginta, & princeps centum, *ſeu centurio*, ut propriis oculis inſpicere poſſint pugnæ eventum, jubeantque ſuis militibus, ſicuti neceſſitas & caſus & utilitas poſtulabit, ad profligandos hoſtes, qui contra pugnant.

Nunc vero priuſquam aſſequantur milites, qui ad quingentorum numerum in ea acie deprehenduntur, in tribus eorum noviſſimis ordinibus aderunt tres haſtatorum acies, quarum ſingulæ viginti haſtatos complectantur, qui inſtructi ſint galea, thorace, ocreis, brachialibus ferreis, & ſcuto ad ſiniſtram, & malleo collo appenſo, & gladio, & pugione ad latera juxta conſuetudinem. Poſt hos aderunt quatuor tubæ, & quatuor tympana, juxta ordinem ſuperiorem, uti dictum eſt; deinde conſequetur ſignifer principis millium, qui fert vexillum, armatus veſte ferrea, & enſe ad femur, & pugione ad latus, & ad ejus dextram inſtructi erunt in una acie quinque milites cum gladiis, qui ambabus ſtringuntur manibus, evaginatis ſuper humeros, & malleo collo appenſo, pariterque gladio ſuper femore, & pugione ſuper latere juxta conſuetudinem; pariterque quinque alii aderunt milites ad ejus ſiniſtram iiſdem armis inſtructi. Poſtea aderunt tres aliæ turmæ haſtatorum, quarum ſingulæ viginti haſtatos iiſdem armis ac ſuperiores, ornatos contineant; & ſex una turmæ, quæ

פנים

פנים ואחור לאלפירו יהיו ביחוד לעזרתו שלא יקרבו לו האויבים או יהיו הבאים עליו אנשים שברגלי או יהיו רוכבי הסוסים קלים· ועיניכם יהיו תמיד אל הדגל שביד האלפירו ותרדפו אותו במהלכו לעולם · ובפרט תלכו אחרי נושא הדגל הגדול של שר הצבא בסדר נכון ובקרוב מקום הואיל כי הדגלים כלם הם לעינים לכל אנשי המלחמ׳ · ועל כי הוא היזק גדול וחרפה עזה אם האויבים ינזלו בחזקה וביד רמה הדגל מיד האלפירו הזורה אותו לרוח · לכן תשמרוהו אתם בכל עוז כי במעוזו יהיה לכם שלום · ואחרי השורות האלה יהיו יתר השורות הנותרות לעלות לסך החמש מאות שיהיו אלף יוצאי צבא בין הכל ולשמוש המערכה הזאת כלה יהיה שם עמהם שר הסדור המעמיד השורות של אנשי המלחמה על מקומם · נקרא בלשונ׳ סרגינטי כמו שתאמר סיניור ריגינטי · ועמו יהיה גם כן משנהו נקרא לוגוטיניטי והם יעברו תמיד במחנה ויעמידו על סדורם השורות אל נכון ·

וגם כי בנוף החבורה הזאת של אלף איש יש עמהם העשרה שרי מאות אשר ידעתם · עם כל זה לא יהיה שם אלא הדגל האחד של שר האלף· הואיל כי רבוי הדגלים הוא באמת לטפול וללא תועלת במלחמה כאשר אמרתי · על כן תורתינו הקדושה צותה שבכל מחנה ישראל שהיו שם שש מאות אלף רגלי יוצאי צבא יהיו בלבד ארבעה דגלים גדולי׳ ואולי היו עמהם שמנה דגלי׳ קטני׳ ממנו דגל אחד לכל שבט עם ציור החיות הנאותים לכל דגל קטן הערך וגדול בהחלט כמו שאמרו רבותינו ז״ל שהיו כל הדגלי׳ של בגדי משי ושל גיוני׳ שונים כמו שתרגם יונתן בן עוזיאל על פסוקי פרש׳ במדבר סיני · והנה אחרי האלף איש שעברו יבאו האלף איש האחרים של חבורה השנית ועמהם הארבעה חצוצרות והארבעה קלנסים כאמור ושר האלף ומשנהו מזויינים בראשונים עם העשרים רמחים בשורה הראשונה כמשפט אשר כתבנו שהם להם למשמרת · וגם עם הדגל יהיו לפניו הארבעה חצוצרות והארבעה קלנסים והחמשה אנשים מימינו ומשמאלו והששה שורות של רמחים אשר זכרתי בחבורת האלף איש אשר כתבתי עם כל האנשים וכלי מלחמה כפי צווי שר הצבא שאמרתי לכם מכל וכל באלף הראשונים.

circumſtant ſigniferum, ejus præcipuo præſidio aderunt, ne hoſtes accedant, ſive eum adoriantur pedites, ſive leves equites; oculique veſtri ſint ſemper intenti ad vexillum, quod fert ſignifer, quem ſemper in ejus itinere ſequi debetis, & præcipue convenienti ordine perſequi eum debetis, qui magnum fert vexillum imperatoris; cum omnia ſigna propoſita ſint oculis omnium militum; prætereaque cum ſit magnum detrimentum magnaque infamia, ſi vi & manu excelſa hoſtes ſignum eripiant de manu ſigniferi, qui per aerem ventilat, idcirco ſumma virtute cuſtodiendum eſt, eo quod in eo defendendo veſtra ſalus conſiſtat. Poſt has aderunt reliquæ acies, quæ quingentorum militum numerum comprehendant; mille enim omnino egredientur ad pugnam; in quo agmine erit præfectus inſtruendæ aciei, qui militum turmas ſuis in locis inſtruet, qui eorum lingua *Sargente* appellatur, quaſi *Signor Regente* diceretur, pariterque illi aderit vicarius, qui *Luogotenente* nuncupatur, qui ſemper incedent in caſtris, & acies, uti convenit, inſtruent.

Et quamvis in agmine mille militum affuerint decem principes centum, *ſeu centuriones*, tamen, uti conſtat, unum conſtituebatur vexillum principis millium, cum vexillorum multitudo magis ſit impedimento quam utilitati in præliis, ut a me dictum eſt: idcirco noſtra ſancta lex juſſit, ut in omnibus caſtris Iſraelis ubi caſtrametata eſſent ſexcenta millia peditum, qui ad bellum egrederentur, quatuor tantum majora adeſſent vexilla; & probabile eſt præter hæc alia octo minora ſigna fuiſſe, ſingula ſc. pro ſingulis tribubus, ubi effingebatur figuræ animantium ſingulis vexillis convenientes, minoribus juxta diſpoſitionem, & majoribus abſolute; uti dixerunt Sapientes noſtri f. m. omnia ſigna fuiſſe ſerica, & ex variis coloribus, uti *Chaldaice* interpretatus Jonathan Uzielides in cap. 11. *Num.* Poſt mille milites qui prætergreſſi ſunt, mille alii conſequentur cum quatuor tubis, & quatuor tympanis, uti dictum eſt, & princeps millium, & ejus legatus iiſdem, quibus ſuperiores, armis inſtructi, una cum viginti haſtatis in prima acie juxta ordinem quem deſcripſimus, qui ſibi præſidio forent; pariterque prope vexilla aderunt quatuor tubæ, & quatuor tympana, & quinque milites ad dextram, & ad ſiniſtram, & ſex haſtatorum ſeries, quæ a me in agmine millium commemoratæ ſunt, una cum omnibus militibus, & armis juxta imperatoris juſſum omnino, ſicut a me de ſuperioribus millibus dictum eſt.

אהריהם תבא החבורה השלישית של שמנת אלפים אנשי מלחמה ולפניהם יהיו ששה חצוצרות וששה קלנסי׳ בשורה שוה חצוצרת וקלנס כאמור׃ אחריה׳ יבואו משנה שר הצבא ורעהו מזויני׳ כמשפט הזה בעצמו שאמרנו בשרי האלפים שעברו׃ אך במקום החרב שלופה על שכמם של שתי ידים יהיה ביד כל אחד מהם כידון אחד היינו אל באַרדה אחת׃ והנה במלחמה לא יבואו המלך או השר הגדול של כל הצבא ויועציהם וחכמיה׳ כלל הואיל כי טוב הוא שיעמדו במחנה בתוך הטרינצירי כהי שיהיו לכל אנשי הצבא מעיר לעזור ולא ימותו במלחמה פן יכבו נר ישראל במותן׃ ועל צד ימין ושמאל של משנה שר הצבא ורעהו יהיו הספאדוני כמספר ההוא אשר אמרנו בנושאי הדגלים׃ אחריהם בשלש׳ שורות זו אחר זו של עשרים עשרים אנשי׳ לכל שורה יבואו נושאי השפודים עם חרבם ופוניאונם ופטישם כמשפט או במקום הפטיש האלה הכתובה בפרק שלפני זה שיהיו בפרטות למשמרת להם היינו למשנה שר הצב׳ ורעהו בשלם שבפנים׃

ובשורות האחרונות של ארבעת אלפים יהיו עשרה שורות של עשרים עשרי רמחים עם כל כלי זיינם ככתוב למעלה באלף איש הראשוני׳ והשניים׃ אחריהם יבואו ששה חצוצרות וששה קלגסים כסדר האמור׃ ואחריהם האלפירו גיניראלי נושא הדגל הגדול ובשורה שוה עמו מצד ימינו יהיו עשרה אנשים מזוינים עם החרב של שתי ידים שלופה על שכמם והפטיש והחרב והפוניאון כאשר הם ביד החמשה מזה ומזה הסמוכים לשאר הדגלים וכן יהיו מצד שמאלו העשרה אנשים מזויינים כאשר הם לו מצד ימין׃ אהרין יבואו עשרה שורות אחרות של עשרים עשרים רמחים לכל שורה מזויינים כאמור ואחריהם יהיו כל הארבעת האלפים אחרים של החבורה הזאת ככל התנאים האמורים׃ ואחרי החבורה הזאת של שמנת אלפי׳ יבואו כמשפט האמור השתי חבורות האחרות של אלף איש לכל חבורה מזויינות כסדר שאר החבורות הראשונות עם כלי זיינן שיהיו עליה׳ במצות שר הצבא.

תעמדו אם כן כסדר הזה נכונים להכות באויבים אך לא תלחמו ולא תצאו מהמחנה

Poſt hos incedet tertia acies octo millium militum, præ quibus aderunt ſex tubæ, & ſex tympana, in eadem ſerie tubæ & tympana, uti dictum eſt; poſthæc progredientur legatus, ejuſque ſocius iiſdem inſtructi armis, quæ commemorata ſunt in principibus millium, qui jam prætergreſſi ſunt. Verum pro gladio evaginato in humeris qui utraque ſtringitur manu, ſinguli fariſſam, quæ *Alabarda* dicitur, præ manibus habebunt. In prælium vero non egredientur rex, aut imperator, eorumque conſiliarii, & ſapientes, utilius erit ipſos intra vallum morari, ut univerſo exercitui tanquam ex urbe auxilio eſſe poſſint, & ne moriantur in prælio, ne ipſis occidentibus lucerna Iſraelis exſtinguatur. Ad dextram & ſiniſtram legati, ejuſque ſocii, aderunt enſes prægrandes juxta numerum, quem diximus in ſigniferis. Poſthæc in tribus aciebus una poſt aliam, quarum ſingulæ viginti milites continebunt, conſequentur ii, qui inſtructi ſunt telis, una cum ſuis gladiis, pugionibus, & malleo juxta conſuetudinem, aut pro malleo clava, quæ ſuperiori capite deſcripta eſt, ut peculiari, & ſingulari præſidio ſint legato ejuſque ſocio.

Et in noviſſimis aciebus quatuor millium aderunt decem agmina haſtatorum, quorum ſingula viginti haſtatos comprehendant, uti ſupra deſcriptum, eſt in primo & ſecundo agmine, quorum ſingula mille complectuntur; poſthæc aderunt ſex tubæ & ſex tympana juxta ordinem commemoratum; deinde ſignifer generalis, qui magnum fert vexillum, & in eadem ſerie ad ejus dextram & ſiniſtram decem ſtatuentur milites inſtructi gladio, qui ambabus ſtringitur manibus, evaginato ſuper humero, & malleo, & enſe, & pugione, uti dictum eſt de iis, quorum quinque ad hoc, & quinque ad alterum ceterorum ſignorum latus adeſſent; pariterque ad ſiniſtram aderunt decem milites iiſdem inſtructi armis, quibus muniti ſunt ii, qui ad dextram ordinati ſunt. Hos conſequentur decem aliæ acies armatorum, quorum ſingulæ viginti haſtatos comprehendant iiſdem uti dictum eſt armis munitos. Poſt hos aderunt reliqua quatuor hujus agminis millia juxta conditiones commemoratas. Poſt hoc octo millium agmen, eodem ordine progredientur reliquæ duæ acies, quarum ſingulæ mille armatos comprehendant, iiſdem juxta juſſum imperatoris quibus ſuperiores, armis inſtructæ.

Hoc ordine inſtructi parati eritis ad percutiendum hoſtes veſtros; verum non

חוץ לטרינצירי עד שתראו הסי' שיתן לכם
שר הצבא שתלכו להלחם· נקרא הסימן הזה
בלשון יון סינטימא· כתוב בסיגמא· באיפסילון
בחירק· בניי· בטיטא· וביוטא· ובמי· ובאלפא·
גם לא תצאו להלחם בהדרגה במערכות
שונאיכם עד שתרעו בפועל מה שרוצי' האויבים
לעשות נגדכם· והנה אם יגרו בכם ראשונה
החיות רעות כמו הדובים הזאבים הנמרים
והאריות כאשר נהגו לעשות רבים מהאנשים
הקדמונים ילכו נגדם בעלי זרוע וגבורה עם
פוניאון אחד שלוף בידם ושני פוניאונים
אחרי על מתניה' בתערם שישתמשו בהם
באפיסרת הפוניאון הראשון אם יפול ארצה
לסבה מן הסבות ולא יבחרו בבלי נשק
ארוכים כי לא יצלחו במלחמת החיות רעות·
גם האנשים האלה מכף רגל ועד ראש יהיו
מלובשים בלבושי ברזל ומענק סביב לצואריהם
ומזרועותם המלובשים בכלי ברזל וידם
השמאלית נתונה בתוך סוברקים או ספריקין
בלעז גואנטי של ברזל עם הבתי אצבעו' שלהם
גם של ברזל ומהם ובן מהענק בפרט יצאו
ברזלים חדים כזרת ארכן עם ברזלים אחרים
קצרים בתוכן לנתוץ מלתעות כפירים אם
בשיניהם נגדם יתמרמרו· וכאשר יפתחו פיהם
לבלעם ולהכותם בשניהם ישימו היד והזרוע
השמאלי בגרונם כי להיותם מלאי' בברזלים
החדים ההם ישארו החיות נצודות בם כדג
בחכה. ואז עם הפוניאון ישפכו דמם ארצה
ואין מציל· גם שלחו עם הגבורים האלה
שורה אחת או שתי שורות של אנשי' ובידם
לפידים וכדורי אש בוערי מהכדורי' אשר
אמרתי שתכינו להאיר לכם בלילה במחנה·
גם עם הבלסטראות של ברזל תשפכו במציעות
חיותא כדורי אש מלאכותי מוצתים בקדמיתא
כי בראות החיות האלה הכדורי' והלפידים
מתהפכים כנו נורא יקידתא פחד יקראום
ורעדה ותאהזום פלצות רבה עד כי יסוגו
אחור וישובו למחנה שונאיכם בהתבהלה
וישלטו אריותא בהון ויהדקון כל גרמיהון
ושאר חותא יתקטלון כחדא עם כלי זיינא
דבקדמיתא שדריתו קדמיהון.

ואם באולי ישלחו לקראתכם הפילים
מזויינים שעליהם אנשים רבים על מגדלי
עץ המורים חצים ואבנים· תסדרו תכף ומיד
עשרה סללות גדולות מצד ימין המחנה
ועשרה סללות גדולות גם כן מצד שמאל,
כי הנה אין להעלים מכם שהסללות לא

est vobis pugnandum, neque ex vallo egrediendum priusquam ab imperatore propositum sit pugnæ signum (appellatur hoc signum Græce σύνθημα scriptum sigma, epsilon cum Chirec, ni, thita, jota, mi, & alpha.) Neque gradatim egredemini ad pugnam adversus inimicos vestros, nisi prius vobis certo hostium consilia & conata innotescant. Si vero contra vos feras, i. e. ursos, lupos, leopardos, & leones, excitabunt, quod factum esse a multis veteribus constat, contra illos incedant viri animo & robore præstantes cum pugione præ manibus evaginato, una cum duobus aliis ad latus pugionibus vagina inclusis, quibus utantur, si primus amitteretur, aut aliqua de causa in terram laberetur; neque prælonga sunt eligenda arma, quæ in ferarum pugna parum utilia sunt. Pariterque hi milites a planta pedis usque ad verticem capitis tecti sint vestimentis ferreis, & torque circa collum: brachia quoque sint ferro tecta, & manus sinistra chirothecis ferreis, quæ Italice *guanti* appellatur una cum digitalibus ferreis; & ab his & ab torque præcipue promineant ferra acuta in palmi longitudine cum aliis ferris brevioribus ad confringendas maxillas leonum, si dentibus contra illos assurgent. Si vero os aperuerint ad deglutiendum, & dentibus percutiendum, inferent manum & brachium sinistrum in eorum os, quæ cum acutis ferris tecta sint, feræ quasi piscis calamo capientur; tum pugione fundent in terram eorum sanguinem, ut ullo modo evadere non possint. Pariter cum his militibus robore præstantibus una aut duæ militum acies mittendæ sunt, qui in manibus habeant titiones accensos, & pilas igne ardentes ex iis, quas vobis dixi parandas esse, quibus noctu castra collustrarentur; pariterque balistis ferreis vobis effundendæ erunt inter feras globi ignis artificialis ardentes, eos titiones instar superiorum, eo quod, cum feræ viderint hos pilos, & titiones, qui convertuntur in medio ignis ardentis, magno timore & horrore afficientur; ut velociter revertantur in castra hostium, & leones in eos dominentur, & eorum ossa conterant, & reliquæ feræ simul occidant armis, quæ antea contra illos projecistis.

Si vero contra vos immittantur elephanti armati, quibus in turribus, ligneis imponuntur multi milites, qui sagittas & lapides jaculantur, statim disponendæ sunt decem *Solalot* majores ad dextram castrorum, & decem ad sinistram, [neque enim ignoratis, *Solalot*

יתכנו

יתכנו לעולם מצר פנים למחנה אלא מן הצד ובריוח ההוא שבין צדדי הסללות פנים בפני׳ נגד פני מחנה האויבים תשימו בעלי מלחמה עם קשתות נחושה רבות בינוניות לשפוך אותם נגד השונאים על הסמוכות של עץ אשר ידעתם ולא תתנו ריוח בין שפיכה ושפיכה מהסללות גדולות כי כן יעשו גם כן האנשים אשר בידם המוסקיטוני׳ ובאופן הזה תהרגו הפילים והאנשי׳ כלם שעליה׳ במגדלים׳ ואם יותר פיל מהם במקרה בחיים שלא תשאר באמרה פלטה מהם יהזור לאחוריו במחנה האויבים בהפזה ויעשה בהם היזק יותר גדול ונפלא ממה שחייתם אתם עושים בכליכם בם.

ואם יבואו עליכם האויבים עם הקשתות נחושה קטנות הנקראי׳ ארקיבושי אלה לה ספאנייולה גם אתם תצאו לקראת׳ בקשתות שלכם הדומו׳ לקשתות האלה׳ וגם יהיו עמכם בין השורות נוסף על הקשתות נחושה שבידיכם המורים החצים שיכו באויבים בזמן שוכינו הקשתות שלהם המלאום עפר וכדורי ברזל או עופרת ויתנו ריוח לכם למלאות ולהכין את הקשתות שלכם בלי פגע עד שהם יכו אתכם במתון ובאיחור זמן ואתם תכו אותם תמיד ובמהירות באופן שתגברו עליהם ותשמידו אותם עד כלה.

אולם נגד דורכי הקשת בחחים הנהוגי׳ מקדם ושמשתמשי׳ בם הישמעאלים שבזמננו גם אתם צאו לקראתם עם הקשתו׳ והחצי׳ שלכם ואז תבינו תראו ותדעו גודל התועלת שתקבלו מהקשתות עץ והחצים הקטנים שלכם.

ואם רוכבי הרכב יציקו אתכם׳ הזהרו במרוצתם ואז אל תעמדו צפופים׳ אלא ברחוק מעט בין איש לאיש יוהיו ביד שנים מכם החרבות גדולות אשר מכים בם בשתי ידים׳ וביד האיש האחר תהיה הקשת נחושה בינונית השופכת הכדור מעל הסמיכה של עץ ועמה תהיה לו האלה או הפטיש תלוי בצוארו עד שתהוו שלשה בשורה היינו הקשת נחושה עם האלה או הפטיש באמצע והחרבות מזה ומזה לקשת נחושה ותעמדו בשורה עד שתקרב המרכבה אצלכם ואז מי שיש בידו הקשת נחושה יכוין להכות את איש מלחמ׳ העומד על המרכבה וישפוך אותה נגדי בכוון ויעמוד חזק׳ אחרי כן יערוף הסוסים הבאים לקראתו עם הפטיש או האלה המוכנרת לו תלויה בצוארו ולא יזוז עצמו ממקומו׳ ואתם

nunquam in conſpectu caſtrorum, ſed ad latus eſſe dirigendas] atque in illo intervallo, quod intercedit inter latera *Solalot* e regione caſtrorum hoſtilium, conſtituendi erunt milites cum pluribus arcubus æreis mediocribus ad explodendos contra hoſtes ſuper ligneis fulcimentis, uti noſtis; neque ullum ſit intervallum inter unam & alteram *Solalot* majorum exploſionem; idemque faciendum eſt a militibus, qui majores ſclopos in manibus habebunt; atque ita interficietis elephantos, militeſque, qui in eorum turribus imponuntur; ſi caſu ex cæde ſuperfuerit elephas [qui certe ſupereſſe non poteſt] fugiens in caſtra hoſtium revertetur, & ſtragem majorem in illos edet, quam edere concupiſtis.

Si contra vos hoſtes incedant arcubus minoribus æneis, qui *Archibugi alla Spagnola* appellantur, vos quoque iiſdem arcubus adverſus illos progrediemini; aderuntque vobiſcum pariter inter acies præter arcus æneos in veſtris manibus, ſagittarii, qui in hoſtes ſagittas jaculabuntur, quibus vulnerabuntur inimici, tum cum parabunt arcus, ut pulvere & glandibus ferreis & plumbeis impleant; vobiſque licebit ſine ullo impedimento veſtros arcus implere, ita ut raro & temporis intervallis in vos ſuos explodant; & vos jugiter & celeriter, ita percutiatis, ut prævaleatis, & omnino profligetis.

Ceterum adverſus ſagittarios, qui ſagittas jaculantur, quorum uſus antiquitus obtinuit [quibus noſtris temporibus utuntur Iſmaelitæ] vos quoque incedetis veſtris arcubus & ſagittis, tum vobis magna utilitas innoteſcet, quæ vobis parta erit ex arcubus ligneis, & veſtris parvis ſagittis.

Si vero qui in curribus incedunt, vos anguſtia premerent, attendite ad eorum curſum, tum non ſtabitis arctati, ſed inter unum & alterum virum ſit parum intervalli, & in manu duorum ex veſtris militibus ſint prægrandes enſes, quibus ambabus manibus vulnus infligitur, habeatque alius arcum æneum mediocrem, ex quo glans ligneo fulcimento explodatur, qui pariter clava, aut malleo collo appenſo ſit inſtructus, ut tres in eadem ſerie conſiſtatis, i. e. arcus æneus in medio cum malleo & clava, & prægrandes enſes ad utrumque ænei arcus latus, ſtabitiſque in ordine, donec contra vos currus accedat; tum qui manu tenet arcum æneum proponet ſibi percutiendum militem in curru ſtantem, contra quem recta illum explodat, & robuſte conſiſtat. Poſthæc occidet

בעלי החרבות תעברו לפניכם ותשימו המרכב׳ באמצע לכם ובזמן אחד שניכם בלי אחור זה יכה הרכב שעל הסוס מזה וזה הרכב האחר שעל הסום מזה שניכם בברת אחרת ותעברו פתאום לפנים מהמרכבה׳ אחרי כן תהפכו פניכם נגד הגבור שהוא עליה ותהרגו אותו אם הוא חי אחרי שפיכת הקשת נחושה ועל כל פנים תהרגו השני רכבים והסוסים עמם כי בנקלה תעשו זה בהיות בידכם החרבות האלה והפטיש או האלה שאין מי שיעמור לפניכם וכן תעשו לכל אנשי הרכב׃

אך אם ירוצו נגדכם הפרשים שעל הסוסים קלים נקראו בלעז קאואלי ליג׳ירי. והרוכב היחיד מהם נקרא בלשון יון גימניתיס׃ כתוב בגאמה׃ באיפסילון בחירק׃ במי׃ בניי׃ באיטה׃ בתיו׃ באיטה׃ ובסיגמא׃ והרוכבי׳ הרבי׳ מהם נקראו בלאטינו ויליטיס אז תראו אם ירוצו אחד אחר זה אחר זה אם לאו׃ ואמ ירוצו נפרדים׃ אחרי שתסורו מהדרך אשר בו נכון מרוצת הסוס עשו בשנים מכם עם החרבות ארוכו׳ הנקראים ספאדוני כמו שעשיתם ברוכבי הרכב׃ אמנם אם יסעו יחד רוכבי מסוסים קלים ויבואו כלם באגודה נגדכם להשמיד אתכם או תכדרו גם אעם ארבע׳ שורות של אנשים מזויינים של שלש׳ שלשה שורות באופן זה׃ תשימו בשורה הראשונה שורה אחרת של מאה אנשים עם הרמחים הנקראים פיקי׃ וזכרו כי האנשים האלה הם מזויינים עם כרס ברזל וירכים של ברזל ובתי זרועות של ברזל ועל הזרוע השמאלי יש בהם מגן או צנה ויש גם כן עמהם החרב על ירך שמאל והפוגיאון על המתנים של ימין והאלה או הפטיש של ברזל תלוי על הצואר׃

ובשורה השנית תשימו מאה שופכי קשתות נחושה בינוניות על הסומכות היינו פורצ׳ילי ועליהם כל הכלים אשר אמרתי שהם מיוחדים להם והחרב והפוגיאון והאלה או הפטיש כאשר למדתי אתכם׃ ובשורה השלישית יהיו מאה מורים בחצים עם החרב והפוגיאון והאלה או הפטיש תלוי על הצואר׃ והשלשה שורות אלו קראתי אותן שורה אחת׃ וכן תעשו שלשה שורות אחרות של שלשה שלשה שיהיו ארבעה שורות של שלשה שורות לכל שורה המזויינו׳ כאמור׃ והשורות האלה יעמדו בהדרגה זה אחר זה׃ היינו בראשונה הרמחים׃

equos ; qui contra ſe incedunt, malleo, aut clava ſibi parata, & collo appenſa , neque a loco ſuo recedet . Vos vero , qui gladiis inſtructi eſtis , prætergrediemini, & ſtatuetis in medio veſtrum currunt, tum eodem tempore ſine ulla mora veſtrum alter percutiet alterum qui equo inſidet ab hoc latere , & alter alterum ab altero latere ambo eodem momento , deinde facies veſtras convertetis contra magnanimum currui inſidentem , eumque occidetis [ſi adhuc vivat poſt arcus ænei exploſionem] atque omnimode interficite duos equites, equoſque, quod facile conſequemini, cum in manibus habeatis hujuſmodi gladios , & malleum, aut clavam , ut nemo vobis obſiſtere poſſit; idemque vobiſque agendum eſt in omnibus aurigis.

Si contra vos incedant equites levis armaturæ , qui Italice Cavalli leggieri nuncupantur , unuſque eques Græce γυμνήτης dicitur, ſcriptum gamma , epſilon cum chirec, mi, ni , ita , tau, ita , & ſigma; multique ex his equitibus Latine *Velites* appellantur , tum attendetis an ſigillatim incurrant unus poſt alium , necne ; ſi ſeparati incedant , poſtquam de via receſſeritis, quæ eſt contra equi curſum , duo ex vobis prælongis enſibus , qui *Spadoni* dicuntur , id agant , quod de inſidentibus in curru feciſtis . Si vero ſimul levis armaturæ equites incedant , omneſque turmatim incurrant ad vos profligandos ; tum vos quoque inſtruite quatuor acies hominum armatorum , quarum ſingulæ tres acies comprehendant, hoc modo. Statuatur in prima ſerie cum acie centum militum lanceis inſtructorum , quæ *Picche* appellantur ; Illud recordemini , quod hi milites ſint armati thorace ferreo , & femoralibus ferreis, & brachialibus ferreis; & in lævo brachio ſcuto , aut parma , appenſumque pariter habeant femori ſiniſtro gladium, & lateri dextro pugionem , & collo clavam, aut malleum.

In Secunda acie collocentur centum exploſores arcuum æneorum mediocrium ſuper fulcimentis, quæ furcillæ dicuntur, inſtructique ſint omnibus inſtrumentis , quæ commemorata ſunt , quæ illis ſunt peculiaria, una cum gladio, pugione, & clava , & malleo, uti vos docui . Atque in tertia acie aderunt centum ſagittarii, cum gladio, pugione, & clava , & malleo collo appenſo ; atque hæ tres acies una tantum a me acies appellantur. Sic inſtruendæ ſunt tres aliæ acies , quæ ſunt quatuor, quarum ſingulæ tres comprehendant acies iiſdem , quibus dictum eſt, armis inſtructæ ; Et hæ acies gra-

בשנית הקשתות נחושה׳ בשלישית הקשתות של עץ והחצים וכן בכל שורה מהארבעה שורות׳ והרמחים שהם בשורה הראשונה יטו הלהב שלהם נגד הפרשי׳ והסוסי׳ שלהם ויכו אותם ואחריהן הקשתות של נחשת׳ ואחריהן הקשתות של עץ והחצים׳ וכן כל השורות.

והואיל כי בא לידי וכידרת הרמחים דעו כי המכים בם או בכידונים או בשפודים לא יעמדו לעולם ברחב הגוף נגד האויב׳ אך יהיו פניהם ועיניהם נגדו ויכו אותו בהפוך הגוף מן הצד עד שיכה הרומח או הכידון או השפוד ביושר על האויב וגוף המכה יהיה על צדו בעת ההכאה׳ באופן שצדו השמאלי שיש על זרועו המגן יהיה נגד האויב ויד הימין של בעל הרומח יהיה כמו לאחוריו כדי שהזרוע של שמאל עם המגן יגן על גוף המכה ועל יד הימנית שתהיה פנויה תמיד להכות מבלי מעיק׳ על כן השורות האלה הארבעה אשר אמרתי יכו בסוסים קלי׳ זה אחר זה׳ וכאשר ישברו הרמחי׳ יכו כל השורות בפטישי׳ או באלות׳ וכן יעשו בעלי הקשתו׳ נחושה וכן דורכי הקשתות של עץ כי כשהם כלם בערבובי׳ אין מקום לקשת נחושה בכדורי׳ ושל קשת עץ בחצי׳ להלחם בם עמהם׳ ובאופן זה תאמינו שלא תהיה לעולם שפעת סוסים קלים שלא תפול תחת אנשים מזויינים כאלה.

והנה אם יבואו עליכם תופשי חרב ומגן׳ אתם לא תשאו מגן וצנה׳ כי מי שאינו יודע להשתמש בשלם שבפנים בהם הוא כמו מת מושלך בפני אויב כי הנה במקום שיש להם להגן על ההכאות הם פותמים העינים שלהם במגן אם יניפו אותם דרך משל על הראש להגן מכה מהמכות ולא יראו היכן תטה חרב האויב כי אולי יערים ובמקום הראש יכה על הבטן או על השוקים׳ לכן במקו׳ מגן וצנה תלחמו עם החרב ביד ימין שיהיה קשור בשלשלת של ברזל על זרועכם׳ וביד השמאלי תאחזו בפוגיאון כי תוכלו להגין בו ולהכות יחד׳ ואם תפול חודה של חרב האויב בתוך הברזלים עקומים שיש לחרבות הקצרות ההם הבולטים מן הצד כאמו׳ בפרק שלפני זה בהפוך מעט של יד שמאל שלכם תסגירו חרב האויב בברזלים של פוגיאוניכם זה ולא יוכל להשתמש בה האויב עד שתכו

datim una poſt aliam ſtatuentur, id eſt in prima collocabuntur haſtæ in ſecunda arcus æneі, in tertia arcus lignei, & ſagittæ; quod pariter in ſingulis ex quatuor aciebus obſervandum eſt; & lanceæ, i. e. haſtati, qui ſunt in primo agmine, inclinabunt earum acies contra equites, & eorum equos, & percutient, & deinde arcus ænei, & poſtremo arcus lignei, & ſagittæ; atque idem fiat in ceteris omnibus aciebus.

Cum mentio a me facta ſit de lanceis, & ſariſſis, & telis, ſcitote, quod qui his percutiunt, aut ſariſſis, aut telis, nunquam conſiſtent in latitudine corporis contra hoſtem, ſed converſi erunt eorum facies oculique adverſus illum, & corporis converſione ad latus percutient, ut recta hoſtem lancea, aut ſariſſa aut telum percutiat, corpuſque percuſſoris percuſſionis tempore ſit ad ejus latus, ita ut latus ejus ſiniſtrum, cujus brachium ſcuto munitum eſt, ſit contra hoſtem, & manus dextera haſtati ſit quaſi ad ejus dorſum, ut brachium ſiniſtrum, ſcuto percuſſoris corpus tegat ac tueatur, manuſque dextra ſine moleſtia ſemper libera ſit ad percutiendum. Idcirco hæ quatuor acies percutient equites levis armaturæ unum poſt alium; poſtquam perfractæ ſint haſtæ, omnes acies percutient malleis, & clavis; hoc idem faciant exploſores arcus ænei, & ſagittarii; etenim in omnium perturbatione, non eſt locus arcui æneo, cum glandibus & arcui ligneo cum ſagitta ad pugnandum. Atque ita mihi credite nunquam fore agmen levis equitatus, quod non concidat manu militum, qui hujuſmodi armis ſint inſtructi.

Si vero in vos incurrant gladio & ſcuto armati, vos non incedetis ſcuto & parma inſtructi; eo quod qui his perfecte uti neſciat, habetur quaſi mortuus projectus ante conſpectum hoſtis; etenim cum volunt ictum declinare, ſcuto claudunt oculos, quod ſi v. g. ſuper caput ad repellendum ictum extollant, non videbunt, quo directus ſit hoſtis gladius, qui fortaſſe callide aget, & pro capite, ventrem & femora percutiet. Idcirco pro ſcuto & parma, pugnandum vobis erit gladio in manu dextra, qui catena ferrea brachio ſit alligatus, manuque ſiniſtra ſtringendus erit pugio, quo una ſimul vos tueri, & percutere poſſitis; Si vero hoſtilis gladii acies incidet in ferra contorta, quibus breves gladii inſtructi ſunt, quæ ex latere prominent, uti ſuperiori capite dictum eſt, parva ſiniſtræ manus converſione, hoſtilem enſem in pugionum veſtrorum fer-

בו

כי מכה רבה טרם שיבא החרב ברשותו כמלפנים.

אולם בשמוש החרב צריך שתהיו בקיאים הרבה והעקר הוא שצריך שיהיו לכם עינים של נמר שיראו היטב היכן נוטה יד האויב להכות· וגם יחד צריכים לכם ידים ממהרו׳ להגן ולהכות· וגם צריך שלפי מצב האויב תתקנו אתם עצמכם להגן ולהכות יחד· ומלמדי המלאכ׳ הזאת הנקרא׳ סגרימיאה בלשון לועז ובלשון יון מאקירא· כתוב במי· באלפא· בכי· באלפא· ויוטא· ברו· באלפא· וטיקניי· כתוב בתיו· באיפסילון עם הצירי תחת האלף· בכי· בניי· באיטא· שהן ב׳ מלו׳ שכצרופן יחד תקראו במלה אח׳ מאקירטיקניי ובלשון לאטינו ארס גלאדיאטוריאה ובלשוננו הקדוש למוד משפטי הכאות כלי נשק אמרו כי לפי מצב האויב תכינו עצמכם על אחד משלשה פנים היינו או בהטיית היד ובהעמרת חודה של חרב למעלה נגד הראש נקראת שמירה גבוהה בלשונם גוארדיארה אלטה או בהגבהת היד על הראש וחודה של חרב תביט נגד הרגלים ונקראת השמירה הזאת שמירה שפלה בלשונם גוארדיאה באסה· והשמירה השלישי׳ היא כשיביט חודה של חרב אמצעיתו של גוף האויב במשיכת היד של נושא החרב כמעט לאחוריו נקראת שמירה רחבה ובלשונם גוארדיארה לארגה ובכל אחת מהשלשה שמירות האלה תוכלו בפעם אחת להגן ולהכות.

ואת׳ בתוך המכים בחרב תשימו ג״כ המכים בכדונו׳ ובשפודים ובחרבות ארוכו׳ של שתי ידים כדי שיהיו לכם לעזרה לפי ההזמן נגד חרבות האויבים· עוד תרעו שכמו שהכאת הכידין והרומח וגם לפעמי׳ השפוד כי הוא יכה לפעמים בפיו כמו שעושה החרב ולא יכה תמיד בחודו של להבו הוא בקו ישר שהוא הקצר שבקוים ולכן יכו מכה עזה בקוצר מרחקם שידקרו אז האויב מהחזה עד חוץ לשדרה ביושר· כן ההכא׳ בחרב אם לא תכה בחודה כמו שעושים בסטוקאטה היא בעגול כי אם תצייר שהיד שיש בה החרב תהיה כמו מרכז והחרב הזקוף יהיה כמו הקו היוצא ממנו כשתטה החרב תראה שהוא מכה בעגול וכל עוד מהעגול הוא יותר גדול כן ההכאה היא יותר עזה לכן ההכא׳ הנעשית מחצי החרב ולמעלה היא

rum includetis, neque hostis illo uti poterit, & multa plaga percutietis priusquam ut antea libere uti possit.

Ceterum quod gladii usum spectat, magnopere exercitati & instructi sitis oportet, vobisque sint leopardorum oculi, qui recte videant, quo manus hostilis ad percutiendum inclinet, vobisque sint necesse est manus promtæ, ut eodem tempore una simul & ictus repellere & percutere possitis; præterea necesse est, ut juxta hostis posituram vosmetipsos disponatis ad propugnandum & oppugnandum eodem tempore; qui hanc artem docent, quæ Italice *Schrimia* (*rectius Scherma*) dicitur, & Græce *μαχαιρα* scriptum mi, alpha, chi, alpha, & jota, ro, alpha; & *τέχνη* scriptum tau, epsilon cum zere, sub aleph, chi, ni, ita, quæ voces si una connectantur, una voce legetur *μαχαιρατέχνη*, & Latine *Ars Gladiatoria*, & nostra lingua sancta doctrina rationis percutiendi armorum instrumenta; dicunt, juxta hostis posituram vobis disponendum esse vestrum corpus juxta aliquam ex tribus rationibus, sc. aut manus inclinatione, statuendo gladii aciem superius contra caput, quæ custodia alta dicitur, & Italice *Guardia alta*; aut manus elevatione supra caput, itaut ensis acies contra pedes despiciat, atque hæc custodia demissa Italice *guardia bassa* nuncupatur; tertiaque custodia est, tum cum quando ensis acies ad medium hostis corpus disponitur, si paululum ensiferi manus retrahatur, lataque custodia appellatur, & Italice *Guardia Larga*; & quavis ex his quatuor custodiis vobis eodem tempore & propugnare & oppugnare licebit.

Vobis inter eos qui gladio percutiunt, collocandi quoque erunt, qui percutiunt sarissis, & telis, & prælongis ensibus, qui ambabus stringuntur manibus, ut juxta opportunitatem adversus hostiles gladios vobis præsidio sint. Præterea sciatis velim, quod quemadmodum sarissæ, & aliquando etiam veru ictus (interdum enim cum eo cæsim instar ensis, non semper punctim percutitur) fit in recta linea, quæ linearum omnium est brevissima, idcirco modici intervalli causa vulnus magnum infligent, transfigentque tum hostem recta a pectore usque ad dorsi exteriorem partem; ita vulnus gladio inflictum, nisi acie infligatur, uti fit punctim, erit orbiculare; etenim si animo tibi fingas manum ensiferi esse tanquam centrum, & gladium erectum quasi lineam, quæ ab illo egrediatur; si ensis demittatur, videbis orbiculariter percutere; & quotiescunque orbis major erit, pariter vehe-

יותר

יותר מסוכנת להיורה כי היא רחוקה יותר מהמרכז ממה שהיא ההכאה הנעשת מחצי החרב ולמט' כאשר הוא גלוי וידוע זה למי שהוא בקי בספרי איבקלידי די ספקו.

ועל הכל צריך לחזהר שהאויב לא יעיז פניו להקריב עצמו עד שיאחז הנלחם עמו בזקנו או בלבושו נגד הצואר · קראוהו בעלי המלאכה הזאת ויניר אה לי פריסי כמו שעשו נערי יואב ואבנר על ברכת גבעון ואז אם יארע כדבר הזה לאחד מכם להציל נפשך ממות צריך שאתה הנאחז בזקן או בלבוש תביט היטב ביד הימנית של אויב ואז תעזוב החרב שלך שהיא בידך הימנית כי הנה היא קשורה בזרועך עם השלשלת ותגביה שתי ידיך לצד ראשך ותאחז בימינך בחודו של הפוגיאון שיש ביד שמאלך ותתקן הפוגיאון ותחזיק בו בשתי ידיך ופיו יביט למטה ומוכן באופן שכשיטה המכה כלי זיינו להמיתך תוריד בחזקה שתי ידיך שבם הפוגיאון כי גם יחד תגין על המכה ותכה המחזיק בך בפי הפוגיאון על היד או על הזרוע עד שיעזבך ותכף תתרחק ממנו מעט להלח' עמו מחדש בחזקה כי תוכל להחזיר בנקלה חרבך בימין להיותה קשור' בזרועך כאשר למדתי אתכם.

סוף סוף כשיראו האויבים שנפל כמעט כל מחניהם ארצה וכי מתו רובם עם כלי זייניכם כדובים שכולים ישלחו בכם כל חבורת פרשיהם המזויינים הם וסוסיהם אשר סמכו עליהם כל אנשי המלחמה נקראו האנשים האלה בלשון לאטינו מיליטיס גראויס ארמאטורי ובלשון לעז אומיני דה ארמי שהיה לעולם בטחונם בהם · ובאמת ובתמים אין מי שיוכל לעמוד בפניהם בקשת עץ וחצים וחרב ורומח ושפוד וכידון מבלי העזר האלהי · וגם הקשתות נחושה קטנות ובינוניות יהיו כאין נגדם בדרך הטבע · על כן מהרה חושו אל תעמודו וסדרו כל הסללות גדולות שלכם לחמשה שורות של עשרה עשרה סללות רחוקה השורה האחת מהשור' השנית חמש מאות אמה ולא תתקנו השורות סללה כנגד סללת שלפניה בקו ישר · אך עשו באופן שמללות השורא השניה יכינו לעומת ריוח האמצעי של סללות הראשונות וכן סללה אחר סללה לעומת הריוח הפנוי שבכל הסללות שבראשונ'.

mentius erit vulnus; ideoque vulnus dimidio ense inflictum est periculosius, eo quod sit remotius a centro, quam sit vulnus, quod dimidio ense inferius infligitur, uti notum manifestum est illi, qui in Euclidis libris satis sit exercitatus.

In primis illud animadvertendum est, ne hostis audax ad eum accedat, donec adversarium suum, cum quo pugnat, e regione colli aut barba aut vestibus apprehendat, quod ab hujus artis peritis appellatur *venire alle prese*; uti *legitur* factum esse ab juvenibus Joab & Abner juxta cisternam Gabaon; si cui vestrum hoc contingat, ad evitandam mortem, tibi, qui barba aut veste apprehensus es, observanda recte est manus dextra tui adversarii, deferendusque tibi est gladius, quem dextra manu tenes, qui catena brachio alligatus est, oportetque, ut ambas manus ad tuum caput extollas, capiasque manu dextra pugionis aciem, quem sinistra tenes, dirigasque pugionem, atque utraque manu prehendas, ejusque acies inferius despiciat, ita dispositus, ut quando hostis ad te occidendum arma inclinabit, tibi robuste ambæ manus, quibus pugionem tenes, declinandæ sint; quo fiet, ut eodem tempore ictum repellas, & percutias illius, qui te apprehendit, pugionis acie manum, aut brachium, donec te dimittat; tum paululum ab eo recedes, iterum fortiter pugnaturus; facile tibi iterum dextra gladium stringere licebit, qui sit, ut te docui, brachio alligatus.

Postremo, cum viderint hostes fere totam aciem cecidisse, vestrisque armis magnam partem interfectam, quasi ursi prole orbati contra vos immittent universum agmen equitum armatorum, & equorum, quibus milites maxime confidunt; qui Latine *milites gravis armaturæ*, & Italice *Uomini d'arme* appellantur, quibus semper confiderunt. Equidem nemo arcu ligneo, & sagittis, & gladio, & lancea, & veru, & sarissa, sine Dei auxilio, iis obsistere poterit; pariterque arcus ænei minores & mediocres adversus illos naturaliter pro nihilo habebuntur; idcirco celeriter sine ulla mora disponite omnes vestras majores *Solalot* in quinque seriebus, quarum singulæ decem *Solalot* comprehendant, atque inter singulas series sit quingentorum cubitorum intervallum; neque colllocentur series *Solala* e regione *Solala*, quæ sit in ejus conspectu in linea recta; sed ita agendum, ut *Solalot* secundæ seriei dirigantur contra intervallum primarum *Solalot*, pariterque *Solala* post *Solala* contra intervallum, quod inter omnes *Solalot* primæ seriei intercedit.

והנה

והנה הסללות ששופכות כדור של שלשה ליטרי׳ יהיו סמוכי׳ לאויבים בשורה הראשונה וכן בשורה השנית· אמנם בשלישית וברביעית תסדרו הסללות של ששה ליטרים ובחמישית יהיו הסללות של שלשים ליטרים ואחרי כל החמשה שורות של הסללות הגדולות תסדרו כשלשים שורו׳ של מאה מאה קשתות נחושה שהם השלשת אלפים קשת נחושה בינוניות עם הסמוכות שלהן כאמור והשור׳ הראשונ׳ מהן תהיה רחוקה מן השורה של סללות הכדורי׳ של שלשים ליטרים שהיא האחרונה שבסללות הגדולות כמאה אמה לפחות והוהרו שלא תשפכו הקשתות של נחושה הבינוניות או הקטנות בעודן הסללות גדולות מלאות בכדורים ועפר· וכן בשאר הזמנים לא ישפכו הקשתות נחושה קטנות או בינוניות לעולם אצל הסללות גדולות מלאות אלא ברחוק מאה אמה פן ידליקו בלהב היוצא מחם העפר שבסללות הגדולות ויהיו אז הסללות הגדולות האלה הנשפכות בבלי דעת לכם לפוקה.

ועתה נגד הפרשים האלה תשפכו ראשונ׳ בעת הראוי הסללות של שלשים ליטרין שבאחרונה· אחריהן תכף הסללות שבשורה הסמוכה להן של ששה ליטרין כדיר· אחריהן תכף השורה האחרת של ששה ליטרין · ואחריהן כאמור של שלשא ליטרין· ובסופן גם כן האחרת של שלשה ליטרין כי באלו בגזרת ה׳ ירדו כלם בשאול תחתית ולא תוסיפו לראותם עוד עד עולם· ואם באולי ישאר מהם פלטים אז השלשת אלף קשת נחושה בינוניו׳ יכו בהם עד כלה וימיתו יחד כל האויבים הנשארים שנשארו נעים ונדים במחנה· תכלית הדברים אחרי אשר תשמידו כל אויבינ׳ עמון ומואב וסיעתם מקטנ׳ ועד גדולם· העבירו קול במחנ׳ שלא יפשיטו החללים אלא אחרי הידיעה בברור שתמו כל׳אנשי המלחמה כי הנה פעמים רבום קרה ששבו האויבים שהיו נסתרים במארב בפתע וכשמצאו הנוצחים נטושים על פני כל הארץ לשלול שלל ולבוז בז הכום ויכתום עד שהחרימום· ולכן השמיעו לכל אחיכם שלא יעיז איש אחד מהם לגזל את חחללים עד שיתן להם רשות המלך או שר הצבא· והאיש אשר יחטא בזדון יומת· ועל הכל קודם שתקרבו בחקים ובמשפטים אשר למדתי אתכם למלחמה· שלחו מן המחנה כל איש הירא ורך הלבב כאשר צותה לנו התורה וגם כל מי שיש לו סבה נכונה שבגללה יכול

Cæterum *Solalot*, quibus trilibres globi exploduntur, in prima ſerie proximæ erunt hoſtibus, pariterque in ſecunda; at in tertia & quarta parabuntur *Solalot* ſex librarum, & in quinta *Solalot* triginta librarum; poſt omnes quinque ſeries majorum *Solalot*, inſtruendæ vobis erunt triginta circiter acies, quæ centum arcus æneos comprehendant; eruntque tria millia arcuum æneorum mediocrium cum ſuis fulcimentis, uti dictum eſt; ſitque inter primam horum aciem & ſeriem *Solalot* globorum triginta librarum, quæ inter *Solalot* majores poſtrema eſt, centum ſaltem cubitorum intervallum; illudque præcavendum eſt, ne arcus ærei mediocres aut minores explodantur, tum cum *Solalot* majores globis & pulvere inſtructæ ſunt; pariterque reliquis temporibus non explodentur arcus ærei minores aut mediocres prope majores *Solalot* cum plenæ ſunt, niſi fuerit centum cubitorum intervallum, ne flamma, quæ ab iis egreditur, pulvis majorum *Solalot* accendatur, ne tum majores *Solalot*, quæ imprudenter exploduntur, ſint vobis detrimento.

Nunc vero adverſus hos equites convenienti tempore explodendæ vobis erunt *Solalot* triginta librarum, quæ in noviſſima ſerie collocatæ ſunt; poſthæc extemplo *Solalot* ſeriei, quæ proxima illis ſit, globi ſex librarum; deinde confeſtim altera ſeries ſex librarum; & poſthæc, uti dictum eſt, *ſeries* trium librarum; & poſtremo pariter altera trium librarum; quibus Dei beneplacito deſcendent omnes in infernum, neque adjicietur, ut unquam amplius videatis; ſi vero ſuperfuerint, tum tria millia militum, qui mediocribus arcubus inſtructi ſunt, uſque ad internecionem percutient, concidentque pariter omnes hoſtes, qui vagi reliqui erant in caſtris. Poſtremo poſtquam profligaveritis omnes hoſtes veſtros Ammonitas & Moabitas, & eorum ſocios ab infante uſque ad ſenem, edicetur per univerſa caſtra, ne interfecti ſpolientur, niſi certo cognitum ſit omnes milites concidiſſe; etenim plerumque accidit, ut redeuntes hoſtes, qui inſtructi erant in inſidiis, deprehendentes victores humi ſtratos ſpoliantes ſpolia, & prædam prædantes, percuſſerint, & profligarint; idcirco ſignificate omnibus veſtris fratribus, ut nemo audeat interfectos ſpoliare, niſi facultas data ſit ab Rege, aut ab imperatore, qui vero per contumaciam peccaverit, occidetur. In primis priuſquam accedatis ad belli ſtatuta & leges, quæ vos docui, emittite extra caſtra omnes timidos & imbelles, ut nobis lex præcepit, pariterque omnes quibus ſit

מן

מן הדין לסרב מלכת במלחמה נקראו בלשון
לאטינו קאבסאריאי מיליטיס והעמידו זקפים
בעקבו של עם ואחרים מאחריהם וכשלין של
ברזל בידיהן· וכל המבקש לחזור ממי שלא
הורשה מן התור׳ הרשו׳ ביד הזקפין לקפח
את שוקיו ׳של חוזר מהמערכ׳ כרצונו שתחלה
של נפילה ניסה· שנאמר נס ישראל בפני
פלשתים וגם מגפה גדולה היתה בעם ולהלן
הוא אומ׳ וינוסו אנשי ישראל מפני פלשתים
ויפלו· על כן אתם תהפכו פנים ולא עורף
לאויב והלחמו עמם עד כי ישמידם ה׳ מפניכם
יכחשו אויביכם לכם ואתם על במותימו
תדרוכו.

ואלה הם חפרטי׳ שרציתי אני הכהן
משוח מלחמ׳ להזכי׳ לכם ללמד יריב׳ למלחמ׳·
כי כמו שהוא ית׳ יהב חכמת׳ לחכימין כן
מוסי׳ עוצם וגבור׳ בגבורי׳· בטחו א״ב בה
ואל ירך לבבכם מפני צהלת סוסים וצחצוח
חרבות אל תיראו מפני הנפת התריסין ושפעת
הקלגסים אל תחפזו מקול הקרנות אל תערצו
מפני קול הצוחות כי ה׳ אלהיכם הוא ההולך
עמכם· הם באים בנצחונו של בשר ודם
ואתם באים בנצחונו של מקום· פלשתים
באו בנצחונו של גלית ומה היה סופו לסוף
נפל בחרב והם נפלו עמו· בני עמון באו
בנצחונו של שובך ומה הוה סופי לסוף נפל
בחרב והם נפלו עמו· ואתם אין אתם כן כי
ה׳ אלהיכם ההולך עמכם להלחם לכם· ואם
יצוהו אויביכם ויוציאו קול הברה להבעית או
באולי לצעוק על מכותיהם וסנופיהם· אתם
תנו תודה לה׳ כי לא עזב חסדו ואמתו מכם
והציל אתם מיד שונאיכם כמו שעשה
ליהושפט דכתיב ויועץ אל העם ויעמד
משוררים לה׳ וגומ׳ ובעת החלו ברינה ותפלה
נתן ה׳ מארבים וגו׳ ויהודה בא על המצפה
וגו׳ ויבא יהושפט וגו׳ וביום הרביעי בקהלו
לעמק ברכה כי שם ברכו את ה׳ על כן קראו
את שם המקום ההוא עמק ברכה עד היום·
ברוך ה׳ לעולם אמן ואמן.

אין זה תוספת כי אם עקר· רע אתה

legitima causa, qua jure liceat a militia dimitti, qui Latine *causarii milites* appellantur, statuite lictores in extremitate exercitus, & post illos milites manu secures ferreas tenentes, quibus liceat præcidere crura eorum, qui fugere, aut recedere conarentur, si non fuerint ii, quibus a lege facultas data est; etenim fuga est principium ruinæ; dictum est enim I. *Reg.* IV. 17. *Fugit, inquit, Israel coram Philistiim, & ruina magna facta est in populo*; alibique pariter, i. e. I. *Reg.* XXXI. I. *Et fugerunt filii Israel ante faciem Philistiim, & ceciderunt*. Idcirco convertite vos faciem non cervicem hosti, & cum eo pugnate, donec profliget eum Dominus in conspectu vestro, vobisque subjiciantur inimici vestri, illisque absolute dominemini.

Hæ sunt res peculiares, quas ego Sacerdos in bellum unctus, rem ut militarem doceremini, commemorandas curavi; etenim quemadmodum Deus benedictus impartitur sapientiam sapientibus, ita pariter fortibus fortitudinem auget; confidite igitur in Domino, neque timeat cor vestrum hinnitum equorum, neque gladiorum fulgorem, non expavescite ab scutorum collisione, neque a multitudine tympanorum; neque effugite a strepitu curruum, neque expavescite a voce clamorum; quia Dominus Deus vester vobiscum venit; illi veniunt robore humano confisi, vos vero fortitudine Divina freti; Philisthæi venerunt Goliæ virtute freti; quis fuit ejus exitus? tandem ipse gladio cecidit, illique cum ipso ceciderunt. Filii Hammon venerunt virtute Sciobach confisi; quis fuit eventus? Ipse gladio cecidit, & illi cum ipso ceciderunt; vos vero non hujusmodi estis; quia Dominus Deus vester vobiscum venit, ad pugnandum pro vobis; & si clamabunt hostes vestri, & frement, ut vos perterrefaciant, aut fortasse suis vulneribus & plagis clamabunt; vos date laudem Domino, quod non deseruerit misericordiam suam & veritatem suam a vobis, & liberaverit a manu inimicorum vestrorum, uti fecit Jehosaphato, uti scriptum est 2. *Paral.* XX. 21. *Deditque consilium populo, & statuit cantores Domini &c. Cumque cepissent laudes canere, vertit Dominus insidias eorum &c. Porro Juda cum venisset ad speculam &c. Venit ergo Josaphat &c. Die autem quarto congregati sunt in valle benedictionis: etenim quoniam ibi benedixerant Domino, vocaverunt locum illum vallis benedictionis usque in præsentem diem*. Sit benedictus Dominus in æternum; amen, amen.

Hoc *quod sequitur* non est appendix,

הקורא כי כאלה ודומה להן היו דברי הכהן
משוח מלחמה בשעה שבירת המקדש קיים
על פי התור' והמצוה דברים כ' כשהיו קמים
עליה' גבל ועמון ועמלק עם אשור ויושבי צור
ושאר אויביה' להלח' עמהם עם כל כלי
משחית לכלותם ולגרשם מן הארץ אשר נתן
לנו ה' למורשה· אמנם לעת עתה אשר
אנחנו חוסים תחת צל כנפי ארונינו ושרינו
ישמרם ה' ויברכם העושי' עמנו רק טוב כל
היום הזהרו מאד לנפשותיכם פן ח"ו תבגדו
ותמרדו בם· אך היו לעולם כמוטל עליכם
להם לעבדים נאמנים בכל לב ובכל נפש
ואויבים בפרט לאויביהם כלם הצרים אותם·
ובגלל הדבר הזה אמרו רבותינו ז"ל במסכת
כתובות פרק שני דייני גזירות בגמרא על
פסוק השבעתי אתכם בנות ירושלם אמר רבי
יוסי בן חנינא שלש שבועות תללו כו' ואחת
שהשביע את ישראל שלא ימרדו בעמים
המושלים בם כו' והכרו על כל פנים תמיד
מה שאמרו רז"ל גם כן במסכת אבות פרק
שלישי משנה שנית הוי מתפלל בשלומה של
מלכות כי באמת ובתמי' בשלומה הטוב והנכון
גם לנו שלום· ואני לא כתבתי לכם למודים
כאלה להעלות רחמנא ליצלן על לבבכם
טינא ומחשבה בלתי נכונה כי' זאת היתה
רעה חולה ונגד רצון בוראינו השם נפשנו
בחיים תחת ממשלתם ומלכותם· אך העתקתי
כל הכתוב בפרק מאנשים הבקיאים שלהם
שכתבו כאלה רבות בלשון לעז וחוזרים על
כל החפצי' החכמה הזאת מיד ליד משיצאו
מן הדפוס בכל עת ובכל שעה שורצו·
ועל פי הדברים האלה תבירו ותדעו כי גם
הטפשים שלהם חכמום הם ושברוב
תבונתם ושכלם מלכנו ושרינו המושלים בנו
עשו להם חיל וזכו ברצון ה' להיות שופטים
בארץ.

והנה לא נפלאת היא ממי שיהיו רבים
מהתלמודי' שחשקה נפשם בתורה ולא ירצו
לפנות לבם אפילו כרגע לדברים אחרים של
הכמה גם כי ייוחסו לתקון הקבוץ המדיני
שימאסו לדעת באמרי בינה איך יפלו גבורים

sed essentiale; scito, Lector, hæc aut his similia stante sancta domo fuisse verba Sacerdotis ad bellum uncti, ex præcepto legis, & præcepto quod habetur *Deut.* XX. quando contra illos insurgebant Gebal, & Ammon, & Amalech, & Assur, & habitatores Tyri, ceterique hostes ad pugnandum cum ipsis omni armorum genere ad profligandos, & perdendos, & expellendos a terra, quam Deus illis in hæreditatem concesserat; at his temporibus, quibus protegimur sub umbra alarum dominorum & principum nostrorum, quos Deus servet & benedicat, qui nobiscum quotidie tantum bonum operantur, maxime cavete animarum vestrarum gratia (quod Deus avertat) ut eos prodatis, & contra eos rebelletis. Quinimo sciatis velim vobis præceptum esse, ut illis semper fideliter ex toto corde vestro, & ex tota anima vestra serviatis, sitisque præcipue inimici eorum hostibus, a quibus appugnantur; eaque de causa dixerunt Sapientes nostri f. m. *Gemara Chetubot* cap. XIII. in *Cantic.* II. 7. *Adjuro vos, filiæ Jerusalem* &c. Dixit R. Jose filius Chanina; hæ sunt tres adjurationes &c. Una est, qua adjuravit Israelem, ne rebellaret ab iis populis, qui illi dominaturi erant &c. & recordamini semper omnino, quod dixeruut pariter Sapientes nostri f. m. III. 2. *Aboth*. Orandum est pro salute imperii; eo quod sine ullo dubio ab ejus salute derivari nobis verum bonum possit. Ego vero non hæc scripsi documenta (absit) ut cor vestrum zelus & cogitatio non recta invaderet; Hoc esset maximum malum, & contrarium voluntati nostri Creatoris, qui posuit animas vestras in vita sub eorum potestate & imperio; verum hæc ego capita descripsi a viris peritis, qui præter hæc multa alia Italice scripserunt; & circumferuntur omnibus iis, qui hanc scientiam amant, ex altera in alteram manum; cum ex typographia prodeant quovis tempore & hora; Atque ex his vobis innotescet vel eos, qui indocti inter illos sunt, esse sapientissimos, atque eorum sapientia & intelligentia nostros reges & principes, qui nobis imperant, potentiam suam confirmasse, & divina voluntate factos esse dignos, qui judicarent terram.

Non ignoro fore multos discipulos, quorum anima legis studium desiderat, noluntque animum suum ne momento quidem convertere ad alias scientias, quamvis ad societatem civilem referuntur, qui respuentes scientiam intelligen-

ויאבדו

ויאבדו בכלי מלחמה׃ ועל כן יאשימו אותי כי פתחתי פי ודברה לשוני בחכי יותר מדאי בסללות בקשתות ובכרונים בחרבות בחניתות באלות ברמחים ובשאר הכלים ויתר המשפטים הצריכים ללוחמים׃ אבל מה אעשה אם עונותינו הטו את לבבנו ולא שמרנו את ברית ה׳ אלהינו עד כי הוצרכנו ללמוד תורת המלחמות כדכתיב שופטים ג׳ למען דעת דורות בני ישראל וגומ׳׃ והנה בחמלת ה׳ עלינו נוסף על למוד התנאים הנאותים להולכים בקרב כבר ידענו מספורי התורה והנביאים והכתובים מה שצריך לעשות כשנרצה להציל אנשים ונשים וטף כשנשבו לבין העמי׳ מבלי מכנת ילידי בית ובעלי ברית שר הצבא ההולכים עמו ועוזרים לו להשיב את השביה למקומה אשר לוקחת משם׃ כדכתיב בראשית י״ד וירק את הניכיו וגו׳ ויחלק עליהם לילה וגו׳ כמו מפירשתי למעלה׃ או כשירצו בשעתם המעטי׳ והרפים לחנקם מהרבים ומהחזקים שעשו להם נבלה ביד רמה כדכתיב בראשית ל״ד ותצא דינה בת לאה וגו׳ ויענו בני יעקב וגו׳ ויהי ביום השלישי בהיותם כואבי׳ וגו׳ או כשנגמרו ראשי שבטי ישראל להשיב גמולם בראשם של אישי׳ פועלי און כשחרפו וגדפו המלאכים השואלים בשלומם לשם נגידי העם ששלחו אותם שם כדכתיב שמואל ב׳ י׳ ויאמר דוד אעשה חסד עם חנון וגו׳ ויקח חנון וגו׳ וישמע דוד וגו׳ ואת העם אשר בה הוציא וישם במגרה וגו׳ או כשיזדמן להכרית מי שהמית במרמה אנשים ונשים שהיו חוסים תחת צלו באמונה׃ כדכתיב שמואל ב׳ ח׳ ויך את מואב וימדדם בחבל וגו׳ שני חבלים להמית ומלא החבל להחיות כי חבל אחד החיה דוד בעבור שישבו עמו בשלום אחיו ובית אביו כל ימי היותו במצודה ושני חבלים להמית על ידי שהרג מלך מואב אביו ואמו אחרי שסלק עצמו מהמצודה כי אמרו רבותינו ז״ל במסכת סנהדרין פרק ארבע מיתות אמר רבי יוחנן משו׳ רשב״י היינו דאמרי אינשי

tiæ, quo pacto concidere possint robusti, & inutilia fieri instrumenta bellica; eaque de causa me accusabunt, quod prolixior fuerim quam deceat in describendis *Solalot* arcubus, sarissis, verubus, gladiis, lanceis, & clavis, aliisque instrumentis, aliisque legibus ad bellum spectantibus. At mihi quid agendum erat? Si iniquitates nostræ depravarunt corda nostra, neque fœdus nostri Dei custodivimus, ut nobis necesse fuerit instituta belli addiscere; sicuti scriptum est *Judic.* III. 2. *Ut postea discerent filii eorum certare cum hostibus* &c. Ecce propter misericordiam Dei pro nobis, præter documenta iis utilia, qui ad prælium proficiscuntur, ex libris legis, & Prophetarum, & Agiographorum nobis innotescit, quid agendum nobis sit, quando liberare voluerimus viros mulieres, & pueros, qui inter populos serviunt, sine periculo domesticorum, & fœderatorum, cum imperatore incedunt ad opem præstandam, eique auxiliantur ad recipiendam prædam, & restituendam ad locum, de quo abducta est, uti scriptum est *Genes.* XIV. 14. *Numeravit expeditos vernaculos suos &c. Et divisis sociis, irruit super eos nocte* &c. Uti superius explicatum est. Aut cum paucis & infirmis copiis multos & robustiores ulcisci voluerint, a quibus infamia affecti sint; uti scriptum est *Genes.* I. *Egressa est autem Dina filia Liæ &c. Responderunt filii Jacob. &c. Et ecce die tertio, quando gravissimus vulnerum dolor est &c.* Aut cum statuerunt principes tribuum Israelis reddere retributionem super caput hominum, qui operabantur iniquitatem, quando probris & contumeliis affecerunt legatos, qui nomine principum populi, a quibus missi erant, de eorum salute rogarunt, uti scriptum est 2. *Reg.* X. 2. *Dixitque David; faciam misericordiam cum Hanon &c. Tulit itaque* &c. *Quod cum Hanon audisset David* &c. *Populum quoque ejus adducens servavit, & circumegit super eos ferrata carpenta, divisitque cultris &c.* Aut quomodo contigit excidere eum, qui fraudolenter occidit viros & mulieres, qui confidenter sub ejus umbra protegebantur, uti scriptum est 2. *Reg.* VIII. 2. *Et percussit Moab & mensus est eos funiculo* &c. Duobus funiculis ad occidendum & plenitudine funiculi ad vivificandum funiculo uno vivificavit David, eo quod in pace cum eo fuerint sui fratres, & domus sui patris iis omnibus diebus, quibus mansit in Mazuda, & duobus funiculis ad occidendum, quod interfecerit rex Moab patrem suum, &

מיניה וביה אבא ליזיל ביה נרנא כי אתא
רב דימי אמר ירך מתוכה מסרחת· רבי יהושע
בן לוי אמר על ידי שהרגו לאביו ולאמו ·
גם נודע לנו מן ספורי הנביאים איך תפדה
אומה שלמה מעבדות ותצא לחרות בפעולת
אדם אחד דורש טוב לעמו כדכתיב שופטים
ד׳ ויעש לו אהוד חרב וגו׳ ואיך ישמרו האויבים
הרבים בערמה העורכים נגדנו מלחמה
כדכתיב יהושע ה׳ ויקם יהושע וכל עם
המלחמה לעלות העי וגו׳ והאורב קם מהרה
ממקומו וכומ׳ וגשופטים כ׳ כתיב וישם ישראל
אורבים אל הגבעה וגו׳ והאורב החישו
ויפשטו אל הגבעה וגו׳ ואיך יבהילו בחכמה
ראשי העם ושופטיו את האויבים וימיתו
אותם בחרפה במלחמה כדכתיב שופטים ז׳
ויתקעו שלשת הראשים בשופרות וישברו
הכדים וגו׳· גם נגלה לנו איך במלחמת
שני גבורים איש לקראת רעהו בהסכמת
המחנות גם יחד יקוב הדין את ההר את
מי מהמתנגדים יעבור אחד מהחלקים
המתגרים בכלי נשק זה בזה כדכתיב שמואל
א׳ י״ז ויצא איש הבנים ממחנות פלשתים
וגו׳ ויקח מקלו בידו וגו׳ ואיך הם משפטי
האקוסי בלעז והקארטילי והמינטיטי כדכתיב
נחמיה ו׳ וישלח אלי סנבלט כדבר הזה פעם
חמישית את נערו ואגרת פתוחה בידו וגו׳
ואשלחה אליו לאמר לא נהיה כדברים האלה
אשר אתה אומר וגו׳ ואיך צריך שתהיה
השמירה נגד האויבים כשבמרמה ירצו לחבטיל
העם ממלאכה כאשר הם בונים להנאתם
עיר פרוצה אין חומה כדכתי׳ נחמיה ד׳ ואעמיד
מתחתיות למקום וגו׳ הבונים בחומה והנושאים
בסבל וגו׳ במקום אשר תשמעו את קול
השופר וגו׳· מצורף שיחזקאל הורה לנו על
פי ה׳ איך צריך להלחם על עיר מבצר כדכתיב
יחזקאל ד׳ ואתה בן אדם קח לך לבנה וגו׳
ואתה קח לך מחבת ברזל וגו׳ ובסימן כו׳

matrem suam, postquam a Mezuda discessisset; dicunt enim Sapientes nostri f. m. *Sanhedrin* VII. Dixit R. Johanan nomine R. Simeonis filii Jochai. Dixerunt homines; ex eadem sylva *allatum est lignum* quod in securim introduceretur. Venit R. Dimi dicens; femur intus computruit. Dixit R. Jehosua filius Levi, quod occiderunt patrem suum, & matrem suam. Præterea constat ex libris Prophetarum, quomodo redimenda sit integra natio ex servitute, & in libertatem restituenda unius hominis opera, qui quærit bonum populo suo; uti scriptum est *Judic.* III. 16. *Qui fecit sibi gladium &c.* Et quomodo fraude hostes, quamvis multi sint, profligari possint, cum in prælio contra vos incedunt, uti scriptum est *Jos.* VIII. 3. *Surrexitque Josue & omnis exercitus bellatorum cum eo, ut adscenderet in Hai &c. Cesserunt loco simulantes metum* &c. Pariterque *Judic.* XX. 29. *Posuerunt filii Israel insidias per circuitum urbis Gabaon &c. Insidiæ quoque quæ circa urbem erant, paulatim se aperire cœperunt* &c. Et quomodo sapienter deterrere possint principes populi ejusque judices hostes, & cum infamia in prælio occidere, uti scriptum est *Judic.* VII. 19. *Cœperunt buccinis clangere, & complodere inter se lagenas* &c. Pariter manifestum est, quo pacto pugna duorum bellatorum, alterius adversus alterum, consensu simul duorum exercituum decidantur belli judicia, & quænam ex duabus partibus belligerantibus altera sit alteri servitura; uti scriptum est I. *Reg.* XVII. 4. *Et egressus est vir spurius de castris Philistinorum, nomine Goliat &c. Et tulit baculum suum* &c. Et quænam sint judicia, *accuse* Italice, *Cartelli e Mentite*, uti scriptum est *Nehem.* VI. 5. *Et misit ad me Sanaballat, juxta verbum prius quinta vice puerum suum, & epistolam habebat in manu sua scriptam &c. Et misi ad eos dicens non est factum secundum verba hæc* &c. Et quomodo instituenda sit custodia adversus hostes, si quando fraudolenter dare operam vellent, ut populus ab opere cessaret, tum cum extruitur ad eorum utilitatem urbs perrupta, quæ non sit mœnibus munita; uti scriptum est *Nehem.* IV. 13. *Statui in loco &c. Edificantium in muro & portantium onera &c. In loco quocunque audieritis clangorem tubæ* &c. Præterea *Ezechiel* ex ore Domini nos docet, quomodo urbs munita oppugnanda sit, uti scriptum est IV. I. *Et tu fili hominis sume tibi laterem &c. Et tu sume tibi sartaginem ferream* &c. Pariterque XXVI. 7. dictum est. *Quia hæc dicit Dominus Deus; Ecce ego addu-*

כתיב

כתיב כי כה אמר ה׳ אלהים הנני מביא אל צר וגו׳ · וירמיהו למד דעת את העם להכין הסוסים והכלים הצריכים לערוך מלחמה על פני השדה · כדכתיב סימן מ״ו ערכו מגן וצנה וגו׳ וגם הורה לנו המשפט הנכון על דרך הטבע להנצל מהאויבים כדכתיב סימן נ״א הברו החצים וגו׳ וכאלה רבו פסוקים אחרים שהאירו עינינו בדרכי העולם עד שלא נהיה בעיני המון העם כסוס כפרד אין הבין · ואם משה רבינו ע״ה שצוה על פי ה׳ כמה דקדוקי גנופי תור׳ כמעט ברמיזה האריך במצותו בפרטי המלחמה וכתב שלשה פרשיות עליה כמו שקרינו דברים כ׳ כי תצא למלחמה וגו׳ כי תקרב אל עיר וגו׳ כו תצור אל עיר וגו׳ ורבותינו ז״ל סדרו גם הם במשנה פרק שלם על זה שהוא פרק שמיני דסוטה וגם שנו עליה הדברי בגמר׳ בפרק ההוא בעצמו שהוא פרק משוח מלחמ׳ · ובספרי שלשו אותם המשפטים ואמרו ובנית מצור על העיר . עושה את מיני מטרסאות ומביא את לה מיני בלסטראו׳ עד רדתה ואפי׳ בשבת כו׳ וגם במדרש ויסעו על פסוק ויהי חתת אלהים בראשית לה דברו גבוהה חכמינו ז״ל במלחמת בני יעקב עם הכנענים ועם בני עשו המזויינים עם כי אין שם למוד הכרחי אלא לזכור לנו כי ה׳ אלהינו הוא נאדר בקדש ונורא תהלו׳ עושה פלא למה לא נוכל גם אנחנו לדבר בצדק ומשפט ומישרים בספורי המלחמה כדי שידע כל מי שבשם ישראל יכונה שגם בנו דבר ה׳ ושאין לנו צורך לחזר בגלל הדבר הזה אחרי ספרי חכמיהם שלא כדת · ועתה סלח נא לי אתה הקורא אם הארכתי במקום שהאמנת שהיה לי לקצר אחרי ששמעת עתה ממני שנמוקי עמי · ואם רע בעיניך לקרות שלטי הגבורים זה כלו על הסדר כאשר כתבתי מפי על הספר בדיו קרא אותו לסירוגין ופטור עצמך מהדברים הערוכי׳ בונגד חפצך כי כן הוציא מצרת הקריאה הזאת נפשך ולי תעשה חסד להעמיד ממנה במרחב רגליך וענתה בי צדקתי על שכרי לפניך כי אשלם תודות לך על הרחיקה כמו על הדרושה ולדור ודור אספר תהלתך ·

cam ad Tyrum &c. Et *Jeremia* nos docet ſignificandum populo, præparandum eſſe equos & arma neceſſaria ad prælium in campo, uti ſcriptum eſt XLVI. 3. *Præparate ſcutum & clypeum*. Pariterque nobis oſtendit viam, qua naturaliter nos ab inimicis noſtris defendamus, uti ſcriptum eſt LI. 11. *Acuite ſagittas &c.* Atque his ſimilia ſunt multa alia Scripturæ loca, quæ illuminant noſtros oculos in viis mundi, ne videamur in conſpectu multitudinis populi quaſi equus & mulus quibus non eſt intellectus; Si Moſes præceptor noſter b. m. præcepit Dei juſſu tot ſubtiles conſiderationes, aliaque legis fundamenta graviſſima quaſi ſimplicibus indicationibus tam prolixus eſt in ejus præcepto in belli proprietatibus, ut de illo tres ſectiones deſcribat, uti legitur *Deut.* xx. *Si exieris ad bellum &c. Si quando acceſſeris ad expugnandam civitatem &c. Quando obſederis civitatem* &c. Et Sapientes noſtri f. m. de hoc inſtituerunt pariter in *Miſchna* caput integrum, quod eſt octavum *Sotah*, multaque præterea docuerunt in Gemara, in capite משוח מלחמה, & in *Siphri* hæc ſtatuta explicarunt, dicentes; *Et munitionibus circumdederis;* Tibi exſtruendæ ſunt machinarum ſpecies, & baliſtarum ſpecies adducendæ; *ut expugnes eam*. Vel in Sabbatho &c. Pariterque in *Medras* in *Geneſ.* xxxv. 5. *Cumque profecti eſſent, terror Dei invaſit omnes* &c. Uberrime diſſeritur a Sapientibus noſtris f. m. de præliis filiorum Jacobi cum Chananæis, & filiis Eſau armatis, quamvis ibi non ſit documentum neceſſarium, niſi ad commemorandum nobis, quod Deus noſter ſit fortis & admirandus, cur nobis quoque non licuerit juſte & recte diſſerere de narrationibus bellorum, ut innoteſcat omnibus, qui Iſraelitarum nomine inſigniuntur, nobis non neceſſe eſſe, ut hæc immerito in libris eorum ſapientum perſcrutemur? Nunc mihi ignoſcas velim, lector, ſi prolixior fui in his rebus, in quibus putabas me fore breviorem; quoniam audiſti mihi rationes eſſe. Si diſpliceat oculis tuis hunc *Schilte Haggibborim* legere eo ordine, quo in libro ſcriptus eſt, lege ex uno ad alium locum, & prætermitte ea, quæ contra voluntatem tuam ſcripta a me ſunt; eo quod ita a lectionis moleſtia animam tuam liberabis, mihique pro tua moleſtia miſericordiam facies, & in me in conſpectu tuo mea bonitas ſuper mea mercede teſtificabitur, tibique gratias agam tam tua remotione, quam tuo ſtudio, ſemperque laudem tuam narrabo.

והנה קודם חתימת פרקי זה דעו בני כי הרמב״ם ז״ל בפרק ד׳ מהלכות כלי מקדש פסקא כ׳ וכ״א כתב׳ כשימות המלך או הכהן הגדול או אחד משאר הממונים מעמידי׳ תחתיו בנו או הראוי ליורשו׳ וכל הקודם לנחלה קודם לשררת המת והוא שימלא מקומו בחכמה או ביראה אף על פי שאינו כמוהו בחכמה שנאמר במלך הוא ובניו בקרב ישראל׳ מלמד שהמלכות ירושה והוא הדין לכל שררה שבקרב ישראל שהזוכה לה זוכה לעצמו ולזרעו׳ והוסיף לכתוב שם משוח מלחמה אין בנו מתמנה תחתיו לעולם אלא הרי הוא כשאר הכהנים אם נמשח למלחמ׳ נמשח ואם לא נמשח לא נמשח׳ וכשהכהן משוח מלחמה משמש במקדש משמש בארבעה כלים כשאר כהנים.

מעלין משררה לשררה גדולה ממנה׳ ואין מורידין אותו לשררה שהיא למטה ממנה שמעלין בקדש ולא מורידין׳ ואין מורידין לעולם משררה שבקרב ישראל אלא אם סרח׳ ואל תתמהו אם בן כהן גדול ובני שאר הממוני׳ ירשו מעלת אביהם ובן משוח מלחמה לא יתמנה תחתיו אם לא יבחרו בו וימשחו אותו כאשר כתב הרב ז״ל כי בני כל הממוני׳ כלם בנקלה ידעו לשרת שרות אביה הואיל כי הכ״ג לא ידע לעשו׳ עבודה שלא ידענה כהן הדיוט׳ ובני הגזברים ואמרכלים והסגנים ידעו לשרת בלי למוד כאביהם ממש׳ אמנם בן משוח מלחמה לא ידע לעשות ספורי הלצה בקהל עם ישראל ולא יהיה בקי בפרטי המלחמות אלא בלמוד רב ובאריכות זמן׳ ועל כן לא יתמנה תחת אביו אם לא ידע בכל אלה כמוהו ובשלם שבפנים׳

Ceterum priusquam hoc caput absolvam, scitote, mei filii, *Maimonidem* f. m. IV. 20. *de constitutionibus de vasis Sanctuarii* hæc scripsisse. Quando moriebatur rex, aut Sacerdos magnus, aut aliquis ex reliquis præfectis, ejus filius aut hæres ejus loco constituebatur; & qui præferebatur in hæreditate; præferebatur quoque in mortui ministerio si quando ejus locum impleret sapientia, aut pietate, quamvis non esset mortuo similis in sapientia; Scriptum est enim de Rege *Deut.* XVII. 20. *Regnet ipse, & filii ejus super Israel*; ad docendum, regnum esse hæreditarium; idemque jus esse apud Israelitas in omnibus ministeriis, quod si quis acquirat, sibi & semini suo acquirat. Atque addit scribens ibidem, nunquam in uncti ad bellum locum ejus filium successisse, sed habebatur tanquam reliqui Sacerdotes, si unctus erat in bellum, unctus erat, sin minus, non erat unctus; & unctus in bellum si quando in Sanctuario ministraret, quatuor vestibus, sicut reliqui Sacerdotes, ministrabat.

Gradatim adscenditur ad gradum majorem, non autem ad inferiorem descendunt, quia adscendunt in sancto non descendunt; nec faciunt unquam inter Israelitas ab suo gradu descendere, nisi peccati causa tantum. Neque illud mireris, quod filius Sacerdotis magni, filiique ceterorum præfectorum suorum patrum dignitates hæreditarent, & filius Sacerdotis in bellum uncti ejus loco non succederet, si non eligeretur, sicuti scribit præceptor f. m. Eo quod filii ceterorum præfectorum, facile addiscere poterant suorum patrum ministeria; quandoquidem Sacerdos summus non ea ministrabat ministeria, quæ a Sacerdote vulgari ignorari possent; & filii quæstorum, & præfectorum ærarii sacri, & antistitum perinde ac patres decenter ministerium callebant; at fieri poterat, ut filius Sacerdotis in bellum uncti nesciret orare eleganter in medio congregationis Israelis, neque esset exercitatus in belli proprietatibus nisi diuturno studio & tempore, ideoque non succederet patri, nisi hæc omnia perfectissime sciret.

פרק לג.

במשפט מלאכת בגדי כהונה ואיך היו נעשים אותם ועל מה הם מכפרים ושלבישת הבגדים היא צריכה בשעת עבודה וגו׳.

להיות הכהן גדול בחיר ה׳ נבדל מכל שאר עמו ישראל להקדישו קדש קדשים: גזרה חכמתו יתברך שיעמוד בהיכל מלך ה׳ צבאות כבן בירת נחמד ונעים בלבושי חור כרפס ותכלת אחוזי׳ בחבלי בוץ וארגמן עם משבצות זהב ממולאי׳ בתרשיש ואבן יקרה· ועליו ציץ נזרו קדש לה׳ לכבוד ולתפארת· וגם ליתר הכהנים הנגשי׳ אל ה׳ הזהיר שיתקדשו בבגדי ישע ומעילי צדקה כידוע לכל מי שקרא מקרא· וכמו שצוה ה׳ לכל עדת ישורון בכלל להכין להם ולסערם בחליפות שמלות אלה כדכתיב ועשית בגדי קדש· כן חייב לכהנים בפרט שיסירו לעולם מעלית׳ בגדי חול בשעת עבודה׳ ואל המזבח יקרבו בלבושי קדש׳ בלבד שנאמר וחגרו אותם אבנט והיתה להם כהונה· בזמן שבגדיהם עליהם כהונתם עליהם· אין בגדיהם עליהם אין כהונתם עליהם אלא הרי הם כזרים· והזר הקרב יומת בידי שמים.

ואלה הבגדים אשר יעשו· דרשו רבותינו ז״ל במס׳ ערכין כשם שהקרבנות מכפרין כך בגדי כהונה מכפרי· ועל כן נסמכה פרשת הקרבנו׳ לבגדי כהונה כי החשן מכפר על הדיינים שנאמר ועשית חשן משפט· אפור מכפר על עכו״ם שנאמר אין אפוד ותרפים וכתיב ויעש אותו גדעון לאפוד· מעיל מכפר על לשון הרע שנאמר ונשמע קולו· יבא דבר שבקול ויכפר על מעשה קול· ולשון הרע זה· זה לשון הרע שבפרהסיה אבל לשון הרע שבצנע׳ קטר׳ מכפרתו· כתנת תשבץ· מכפרת על שפיכות דמים שנאמר

CAPUT XXXIII.

Ubi agitur de vestibus Sacerdotum, & earum artificio, & quidnam expiarent, & quod ministerii tempore essent induendæ &c.

CUM summus Sacerdos esset electus Domini, & separatus ab reliquo populo suos Israelis, ut sanctitate sanctitatum sanctificaretur, decrevit ejus sapientia benedicta, ut staret in templo regis Domini exercituum tanquam filius domus desiderabilis, & dilectus, indutus vestibus ex albo lino, & hyacintho funiculis byssi & purpuræ apprehensis, cum tessellis aureis lapide pretioso plenis; & in eo splendebat ejus corona *Sanctitas Domino* ad decus & gloriam; pariterque ceteri Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, præmonentur, ut se sanctificarent vestimentis salutis, & tunicis justitiæ, uti manifestum est omnibus iis, qui scripturam legunt. Quemadmodum præcepit Deus universæ congregationi Jessurun generaliter, ut præpararent, & præberent vestium mutationes, uti dictum est *Exod.* XXVIII. 2. *Faciesque vestem sanctam*; ita pariter tenentur præcipue Sacerdotes exuere vestes profanas in tempore ministerii, neque ad altare nisi vestimentis sanctis accedant; uti dictum est *ibid.* XXIX. 8. *Cingesque balteo ---- eruntque Sacerdotes*. Quo tempore induti sunt vestibus suis, sunt Sacerdotes; quo tempore non sunt induti, non sunt Sacerdotes, sed tanquam alieni habebantur; & alienus, qui accedit ad altare, morte cœlitus illata moriebatur.

Hæc sunt vestimenta, quæ conficienda erant. Exponunt Sapientes nostri f. m. in tractatu *Erachin*. Sicuti Sacrificia expiabant; ita pariter Sacerdotii vestimenta expiabant; ideoque proxima est sectio Sacrificiorum vestibus Sacerdotalibus, quia pectorale expiabat pro judicibus; sicuti dictum est *Exod.* XXVIII. 15. *Rationale quoque judicii facies*. Humerale pro Idololatria expiabat; sicuti dictum est. *Ose.* 4. *Sine Ephod & sine theraphim*. Pariterque *Judic.* VIII. 27. *Fecitque ex eo Gedeon Ephod*. Pallium pro maledicentia expiabat, sicuti scriptum est *Exod.* XXVIII. 35. *ut audiatur sonitus*. Veniat quod est in voce, & expiet pro opere vocis; hæc maledicentia respicit publicam maledicentiam, at maledicentiam occultam suffitus expiabat. Tunica tessellata expiabat pro homicidio, sicuti dictum est *Genes.* XXXVII.

ויטבלו

ויטבלו את הכתנת בדם· וכתנת זו כמין חלוק היתה וסמוכ׳ לבשרו היתה ומשובצת זהב כחלוק זו שנותנין בה פרישה· והוא שכתוב ושבצת הכתנת שש מלשון משבצות זהב· מצנפת מכפרת על גסי הרוח· יבא דבר שבגובה ויכפר על מעשה גובה· ואבנט מכפר על הרהור הלב ודרשו רבותינו ז״ל כי היו באבנט ל״ב אמות כמנין לב· ציץ מכפר על עזות פנים שנאמר והיה על מצח אהרן וכתיב ומצח אשה זונה היה לך· והמכנסים מכפרים על העריות ועל הליכת הרגלי׳ ההולכים לעשות עבירה,

והנה בגדי כהונה הם שלשה מינים· היינו בגדי כהן הדיוט ובגדי זהב ובגדי לבן· בגדי כהן הדיוט הם ארבע׳· כתנת· מכנסים· מגבעות· ואבנט· ובגדי זהב הם בגדי כהן גדול והם שמנה· הארבעה של כהן הדיוט ומעיל ואפוד· וחשן· וציץ· בגדי לבן הם ארבעה שמשמש בהם כ״ג ביום הכפורי׳ כתנת ומכנסים ואבנט ומצנפת וארבעתן לבנים· וחוטן כפול ששה ומן הפשתן לבדו הם· ושתי כתנות היו לו לכהן גדול ביום הכפורים· אחת לובשה בשחר ואחת בין הערבי׳· ושתיהן בשלשים מנה משל הקדש ואם רצה להוסיף מוסיף משלו· ומקדיש התוספת· ואף על פי שבגדי לבן של יום הכפורים היו של פשתן בלבד· עם כל זה בקצת שמנה בגדים של כהן גדול ובקצת ארבעה של כהן הדיוט היו שם צמר ופשתים יחדו והם חשן ואפוד ואבנט בשמנה בגדי כ״ג ואבנט בבגדי כהן הדיוט· וגם כי התורה אסרה לכל ישראל צמר ופשתים לעולם לכהנים התיר לבישת שעטנז בשעת עבוד׳ בלבד וזהו שכתוב באפוד ועשו את האפוד זהב תכלת וארגמן ותולעת שני ושש משזר· וכתיב בחשן ועשית חשן משפט זהב תכלת וארגמן ותולעת שני ושש משזר· וכן באבנט· התכלת הוא הצמר הצבוע בעצם

31. *Tulerunt autem tunicam ejus ---- & in ſanguine ---- tinxerunt*. Atque hæc tunica erat inſtar ſubuculæ, proximaque erat carni, & erat auro teſſellata ſimilis illi camiſiæ, quæ corrugatur; & hoc eſt quod ſcriptum eſt ושבצת הכתנת שש, ex ſignificatione משבצות זהב. Cidaris pro ſuperbis expiabat; veniat quod eſt in altitudine, & expiet pro opere altitudinis, *ſc. pro ſuperbia*. Balteus expiabat pro cordis cogitatione, & explicant Sapientes noſtri f. m. in balteo fuiſſe ל״ב i. e. 32. cubitos, juxta numerum לב i. e. *cor* Lamina expiabat pro impudentia, ſicuti ſcriptum eſt *Exod.* XXVIII. 38. *Imminens fronti Pontificis*. Pariterque ſcriptum eſt *Jerem.* III. 3. *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi;* Femoralia expiabant pro ſcortationibus, & pro inceſſu pedum, quibus ad patrandas tranſgreſſiones ambulabant.

Ecce Sacerdotalium veſtium tria erant genera; i. e. veſtes Sacerdotii vulgaris, & veſtes aureæ, & veſtes albæ. Quatuor erant Sacerdotis vulgaris veſtes; Tunica, femoralia, cidaris, & balteus. Veſtes aureæ ſummi Sacerdotis erant octo, nempe quatuor Sacerdotis vulgaris, & pallium, & humerale, & pectorale, & lamina; pariterque quatuor erant veſtes albæ, quibus in die expiationum ſummus Sacerdos utebatur, nempe tunica, & femoralia, & balteus, & cidaris, omneſque quatuor erant albæ, quarum filum ſexies conduplicatus erat, omneſque lineæ erant; duæque tunicæ in die expiationum ſummo Sacerdoti parabantur, quarum alteram mane, & alteram veſperi induebat; ambæque triginta minarum pretio de pecunia ſacra comparabantur, ſi quid addere vellet, de ſuo addebat, auctuſque ſanctificabatur. Quamvis veſtes albæ diei expiationum lino tantum conſtarent, tamen pars octo veſtium ſummi Sacerdotis, & pars veſtium Sacerdotis vulgaris e lino lana commixto conſtabant, i. e. pectorale, & humerale, & balteus in octo veſtimentis ſummi Sacerdotis, & balteus in veſtimentis vulgaris Sacerdotis; & quamvis omnes Iſraelitæ a lege prohibeantur uti lana & lino omni tempore, tamen linum & lana Sacerdotibus miniſterii tempore tantum licita erant. Hoc eſt quod ſcriptum eſt de Ephod *Exod.* XXVIII. 6. *Facient autem ſuperhumerale de auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta*. Pariterque *ibid.* v. 15. de Pectorali ſcriptum eſt. *Rationale quoque judicii facies ---- ex auro hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta*. Idem de balteo. התכלת

השמים

השמים· ארגמן הוא הצמר הצבוע ארום· ותולעת השני הוא הצמר הצבוע בתולעת· השש הוא פשתים· נקרא גם כן בד· ופירש רשי ז״ל במסכת יומא ריש פרק בא לו· בד דבר העולה מן הקרקע הוא הפשתן שאינו יוצא אלא מן הקנה האמצעי מה שאין כן בקנבוס שהוא יוצא מבחוץ סביב העץ ומספרו של בד שש· והנה החשן והאפוד היו חמשה מינים ופרכת ארבעה· ורימוני המעיל שלש׳ מינין· כיצד באפוד אמור ועשו את האפוד זהב תכלת וארגמן תולעת שני ושש משזר· בחשן כתיב ועשית חשן משפט וגומ׳ זהב תכלת וארגמן ותולעת שני ושש משזר תעשה אותו· וכתיב בפרכת ויעש את הפרכת תכלת וארגמן ותולעת שני ושש משזר· וכתיב ברמוני׳ ויעשו על שולי המעיל רמוני תכלת וארגמן ותולע׳ שני משזר· לא נאמר בו שש שלא היו רמונים אלא שלשה מינים שזורין ודרשו רבותינו ז״ל במסכת יומא פרק הנזכר לעיל· כל מקום שנאמ׳ שש חוטן כפול ששה· משזר שמנה· פרוש משזר בלא שש כמו ברמונים מעיל יב׳· פרכת כ״ד חשן ואפוד כ״ח· ובאור זה כי הפרכת שהוא ארבעה מינין ונאמר בו שש כל מין ומין ששה חוטין· הרי הפרכת כ״ד.

רמונים שיש בהם שלשה מינים ולא נאמר בהם שש· כל מין ומין שמנה הרי כ״ד דילפינן משזר משזר מפרכת· מה משזר דפרכת שהוא ארבע׳ מינים כ״ד· אף משזר דרמוני׳ שהן שלשה מינין כ״ד· מעיל יב׳ דילפינן תכלת תכלת מפרכת מה פרכת ששה חוטין של תכלת אף מעיל כן וכתיב כליל ופרושו גדיל· ואין גדיל פחות משנים· והרי יב׳· חשן ואפוד שיש בו מין חמשי נוסף על השאר והוא הזהב· הנה הוא כ״ח חוטין· ארבעה מינים ששה הרו כ״ד· זהב שהוא מין חמשי אי אפשר לומר עליו ששה· שהרי כתוב בו וקצץ פתילים· ופר״שי ז״ל שם ביומא פתילים שנים· וכשבא לקצץ הרי ד׳· אם כן חשן ואפוד כ״ח חוטין· זאת ועוד כל מקום שנאמ״ בתורה מעשה רוקם הוא

erat lana medicata fuco ad ſimilitudinem coloris cœli; ארגמן eſt lana rubro tincta, & תולעת השני erat lana cocco infecta. Et שש erat linum, quod בד quoque appellatur. Explicat *Raſchi* f. m. in cap. VII. I. *Joma*. בד eſt quod e terra creſcit, & eſt linum, quod e ſola canna media egreditur, at in cannabe circa lignum extrinſecus egreditur; & numerus בד ſex deſignat. Ecce pectorale & humerale quinque conſtabat ſpeciebus, & velum quatuor, & pallii mala punica tribus. Quomodo? Dictum eſt de humerali *Exod.* XXVIII. 6. *Facient autem ſuperhumerale de auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta*. Pariterque de pectorali ſcriptum eſt *ibid.* v. 15. *Rationale quoque judicii facies ---- ex auro, hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta*. Et de velo ſcriptum eſt *ibid.* XXVI. 31. *Facies & velum de hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta*. Et de malis punicis *ibid.* XXVIII. 33. *Deorſum autem ad pedes ejuſdem tunicæ per circuitum quaſi mala punica ex hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto*. Non commemoratur hic byſſus, quia mala punica tribus tantum ſpeciebus retortis conſtabant. Explicant Sapientes noſtri f. m. in tractatu *Joma* capite commemorato; ubicumque dicitur שש, linum ſexies & ubi dicitur משזר, octies duplicabatur, nempe משזר ſine שש ut in malis punicis. Pallium itaque filo duodeno conſtat, velum 24. pectorale & humerale 28. Et hæc eſt demonſtratio, quod velum conſtaret quatuor ſpeciebus, quod in eo dictum eſt שש, ſingulæ ſpecies ex ſex filis, ecce velum 24. conſtabat.

In malis punicis tres erant ſpecies, neque in illis שש commemoratur; ſingulæ ſpecies octo filis conſtabant, ecce 24. Explicatur a pari משזר משזר a velo ſicuti משזר veli, quod erat quatuor ſpecierum, erat 24. etiam משזר malorum punicorum, quæ tribus conſtabant ſpeciebus, 24. Pallium 12. quia explicatur a pari תכלת תכלת a velo, ſicuti velum ex ſex filis hyacinthi, ita pariter pallium, de quo ſcriptum eſt כליל, quo גדיל *ſc. cincinnus* indicatur, nec poteſt fieri cincinnus niſi ex duobus, ecce 12. Pectorale & humerale, in quibus erat quinta præ ceteris ſpecies, i. e. aurum, 24. filis conſtabant, i. e. ſingulæ ſpecies ſex filis ecce 24. Aurum, quod eſt quinta ſpecies, non poterit dici ſex filis conſtitiſſe, quia de illo ſcriptum eſt *Exod.* XXXIX. 3. *Inciditque bracteas aureas*. Interpretatur *Raſchi* f. m. in tractatu *Joma* duos funiculos, qui cum inciderentur,

שתהיינה הצורות הנעשות באריגה נראות מצד אחד בפני האריג׳ ומעשה חושב הוא שתהיה הצורה נראת משני צדדים פנים ואחור.

והנה בלבישת במגדי הקדש בשעת עבודה הכהן גדול ושאר הכהנים שוים באזהרת מיתה׳ אמנם הכהן גדול ביחוד יובדל אז מיתר אחיו הכהנים בשלשה תנאים׳ כי הנה כל הכהנים בארבעה בגדים בלבד יוכשרו לעבודה׳ והוא לא הורשה בה אם לא יעטה ויפאר עצמו בכל שמנה בגדים המיוחדי׳ לו׳ ההבדל השני הוא כי כהני הדיוט הם צריכים ללבישת ארבעה בגדים לעולם ויקראו מחוסרי בגדים בהשמטת בגד אחד מהם׳ והכהן הגדול בזמן מן הזמנים לא יחטא׳ אבל הוא מצווה שבמקום שמנה ילבש ארבעה כאשר היה עושה בעשור לחדש השביעי׳ ההבדל השלישי הוא שבגדי כהן הדיוט היה בהם שעטנז לעולם כי הם היו צריכים לאבנט והאבנט הוא של צמר ופשתים יחדיו והכהן הגדול בלבישת ארבעה בגדים היה אסור בלבישת שעטנז דכתיב כתנת בד קדש ילבש וגומ׳ ובאבנט בד וגומ׳ אמרו בתורת כהנים על פסוק זה שנאמר בו בד ארבע׳ פעמי׳ בד׳ להוציא את החשן׳ בד להוציא את האפיד׳ בד להוציא את המעיל׳ בד להוציא את הציץ׳ והטעם כפי שבגדי כהן גדול שמנה כאמור׳ בארבעה מהם בד ובארבעה מהם יש זהב׳ ולא היה רשאי הכהן אז להכנס לפני לפנים בבגדי זהב לפי שאין קטיגור נעשה סניגור׳ ולפיכך הזכיר עם כל אחד מהם בד למעט שאר הבגדים שכתוב בהם לפני ה׳ לפי שנאמר בחשן לפני ה׳ תמיד נאמר באפוד לפני ה׳ ונאמר במעיל בבאו אל הקדש לפני ה׳ ונאמר בציץ לזכרון לפני ה׳ יכול יכנס בהם לפני לפני׳ לכך נאמ׳ בד להוציא את החשן׳ בד להוציא את האפוד׳ בד להוציא את המעיל׳ בד להוציא את הציץ׳ וכשם שמחוסר בגדים חייב מיתה ופוסל את העבודה כך יתור בגדים כגון שלבש שתי כתנות או שני אבנטים או כהן

erant quatuor; itaque pectorale & humerale 28. filis constabant. Præterea ubicunque dictum est in lege מעשה רוקם *opus plumarii*, id designat, ut figuræ, quæ in textura fiebant una tantum parte conspicerentur; ומעשה חושב *opus artificis*, ut ante poneque ex utraque parte figuræ apparerent.

Ceterum ut has sanctas vestes induerent in tempore ministerii cum Sacerdos magnus, cum reliqui Sacerdotes æqualiter mortis pœna præmonebantur; at summus Sacerdos præcipue a fratribus suis Sacerdotibus tribus conditionibus differebat. 1. Quod omnes Sacerdotes quatuor tantum vestibus legitime ministrabant, at illi non licebat ministrare, nisi se obvelasset, & induisset octo vestibus sibi peculiaribus. 2. Quod Sacerdotes vulgares tenerentur semper induere quatuor vestes, & vestibus indigentes dicebantur, si quando una ex his defecisset. At Sacerdos summus aliquando non peccabat; sed jubebatur pro octo tantum quatuor induere, uti fieri consuevit die decimo septimi mensis. 3. Quod in vestibus Sacerdotis vulgaris semper heterogeneum deprehenderetur; necessarius enim erat balteus, & balteus lana & lino simul commixto constabat. At summo Sacerdoti in induendis quatuor vestibus vetitum erat heterogeneum induere; scriptum est enim *Levit.* XVI. 4. *Tunica* בד *linea vestietur* &c. *accingetur zona* בד *linea* &c. Dixerunt *in lege Sacerdotum* i. e. *in Siphra* in hunc locum, dictum est quater בד; בד ad excludendum pectorale, בד ad excludendum humerale, בד ad excludendum pallium; בד ad excludendum laminam; ea de causa, quod octo essent vestes summi Sacerdotis, uti dictum est; in earum quatuor dictum est בד *linum*, & in quatuor זהב; neque licebat summo Sacerdoti in adytum ingredi cum vestibus aureis, quia accusator non poterat fieri defensor; ideoque in singulis commemoratur בד ad excludendas alias vestes, in quibus scriptum est *coram Domino*; quia dictum est in pectorali *Exod.* XXVIII. 29. *Coram Domino in æternum*; pariterque *ibid.* v. 12. dictum est in humerali; *Coram Domino*; Dictum quoque est in pallio *ibid.* v. 35. *Quando ingreditur & egreditur Sanctuarium in conspectu Domini*. Pariterque de lamina *ibid.* dictum est לזכרון לפני ה. Crederem, quod cum his in adytum ingrederetur. Idcirco dictum est בד ad excludendum pectorale, בד ad excludendum humerale, בד ad excludendum pallium, בד ad excludendum laminam. Sicuti deficiens vestibus reus erat mortis, & reprobabat ministerium, ita pari-

הדיוט

הריוט שלבש בגדי כהן גדול ועבד הרי זה מחלל העבודה וחייב מיתה בידי שמים· ואמר בבגדי כהונה על בשרו ולבשם מלמד שלא יהיה דבר חוצץ בין בשרו לבגדים אפילו נימא אחת או עפר או כינה מתה· ואם היתה בין בשר לבגד הרי זו חציצה ועבודתו פסולה· לפיכ׳ אין הכהן יכול לעבוד בתפילין של יד שהרי היא חוצצת· אבל של ראש אינה חוצצת· ואם רצה להניחה בשעת עבוד׳ מניח׳ כי הנה שערו היה נראה בין ציץ למצנפת ששם מניח תפילין· ופירש ר״שי ז״ל הילכך ליכא חציצה· ותנא דאצטריך לאשמועינן אם הניחה אינה חוצצת משום יתור בגדים הוא דאצטריך לאשמועינן דלאו בגד הוא· וכן צריך להזהר בשעה שלובש שלא יהיה אבק בין בגדו לבשרו ולא כינה אף על פי שהיא בחיים· ושלא תכנס הרוח בשעת העבוד׳ בין בשרו לבגדו עד שיתרחק מעליו הבגד ולא יכניס ידו תחת חלוקו עד שתהיה היד חוצצת בין בשרו לבגדו· ולא יצא שערו מן הבגד ולא תהיה בבגד נימא מדולדלת· ואם היה שם אחד מכל אין עבודתו כשרה.

פרק לד.

בבגדי כהונה שיהיו לכבוד ולתפארת ובצורת הבגדים וגו׳.

בגדי כהונה מצותן שיהיו חדשים נאים ומשולשלי׳ כדרך בגדי הגדולי׳ שנאמר לכבוד ולתפארת· היו מטושטשים או מקורעים או ארוכים יותר ממדתו או קצרים פחות ממדתו או שסילקן באבנט ועבד עבודתו פסולה· ובגדי כהונה כלן אין עושין אותן מעשה מחט אלא מעשה אורג· ואם נעשו צואין אין מלבנין אותן ואין מכבסין אותן אלא מניחין אותן לפתילות ולובשין חדשים· שאין עניות במקום עשירות· לפיכך היו עושין מחליצות רבות של בגדי כהנים הדיוטי׳· וכל בגדי הכהנים אינן באין אלא משל׳

ter vestibus abundans tenebatur morte, & reprobabat ministerium. Quomodo? Si duas tunicas, aut si duos balteos induisset, aut si Sacerdos vulgaris Sacerdotis summi vestes induisset, & ministraret, ministerium ejus erat illegitimum, & mortis cœlitus illatæ reus erat. Præterea dictum est in vestibus Sacerdotii *Levit.* XVI. על בשרו ולבשם; ad docendum, quod nihil inter carnem & vestes interesse debeat vel capillus, aut pulvis, aut pediculus mortuus, si inter carnem & vestem interesset, secerneret, & ejus ministerium esset illegitimum; idcirco Sacerdos manuum phylacteriis ministrare non potest, quia secernunt, at capitis phylacteria non secernunt; quæ si velit sibi ministerii tempore imponere, imponat, eo quod ejus coma conspiceretur inter laminam & cidarim, ubi phylacteria imponebantur. Explicat *Raschi* f. m. ea de causa non secernebat; & Sapiens Mischnicus opus habet, ut nobis sensa sua explicet, sc. quod si imposuisset, non secernerent propter vestium abundantiam, opus est, ut nobis explicet, non fuisse vestem. Præmonendi pariter sunt quo tempore eas induunt, ne inter vestem & carnem pulvis intersit, ne pediculus quidem quamvis vivus; ne aer ministerii tempore inter carnem & vestem ingrediatur; ita ut ab eo vestis semoveatur, neque sub indusio manum suam introducat; ita ut manus inter carnem & vestem secernat, neque pilus extra vestem egrediatur, neque filum pendulum, si quid ex his fuerit, ejus ministerium illegitimum est.

CAPUT XXXIV.

Ubi agitur de vestibus Sacerdotii, quæ instituta erant ad decus & gloriam, & de forma vestium &c.

PRæceptum est, ut Sacerdotii vestes essent novæ, decentes, & latæ ad similitudinem vestium optimatium, sicuti scriptum est *Exod.* XXVIII. 2. *In gloriam & decorem*. Si inquinatæ essent, aut detritæ, aut statura longiores, aut breviores, aut balteo subduxisset, & ministrasset, ejus ministerium est illegitimum. Vestes Sacerdotales non erant acu factæ, sed textæ; si sordidæ factæ essent, non erant dealbandæ & lavandæ, sed in ellychnia recondendæ erant, & novæ induebantur; quia in loco divitiarum non est paupertati locus. Idcirco multæ vestium Sacerdotum vulgarium mutationes faciendæ erant, omnesque vestes pecunia publica comparabantur; si quis privatus

צבור· ויחיד שהתנדב בגד מבגדי כהונ׳ מוסרן לצבור ומותר.

ועשה להם מכנסי בד· תניא במסכת נדה פרק כל היד מכנסים למה הם דומים כמין פלניא של פרושים· למעלה עד מתנים למטה עד ירכים· היינו למעלה מן הטבור קרוב ללב עד סוף הירך שהוא הארכובה ויש להם שנצי׳ ואין להם לא בית תנקב ולא בית הערוה אלא מוקפין כמין כיס· ומכנסי כהן גדול וכהן הדיוט שוים· גם אבנטו של כהן גדול היה דומה במעשיו לאבנט כהן הדיוט ומעשה רוקם היה· רחבו כמו שלש אצבעות וארכו שנים ושלשים אמה· מקיפו ומחזירו כרך על גבי כרך· הכתונת להרמב״ם ז״ל בין של כהן גדול בין של כהן הדיוט משבצות היו שהוא בתים בתים באריגה כמו בית הכוסות היינו מתוכו כדרך שעושים האורגים בבגדים הקשים· אמנם רבי אברהם ן׳ עזרא אינו סובר כן· כתב בפרשת תצוה אמר הכתוב על כתונת אהרן בתחלה ושבצת הכתונת שש שהיא שמובצת לבדה ולא כן כתנת בניו· והתשבץ עשוי לכבוד אהרן וכמה אמר במעשה היינו בפרשת צו ויתן עליו את הכתנת בה״א הידיעה והיא המשובצת: ועל בניו וילבשם כתנות כמו ולבני אהרן תעשה כתנות· והנה מן הכתובים יש להר׳ אברהם ן׳ עזרא על מה להסמך כי לעולם כתו׳ כתנת תשבץ בלשון יחיד ובכתנו׳ בניו של אהרן לא הזכיר לעולם תשבץ וצריך עיון.

בית יד של כתנת נארג בפני עצמו ומחברין אותו עם גוף הכתנת בתפירה· וארך הכתנת הוא עד למעלה מהעקב· וארך בית יד שלה עד פס יד הכהן ורחבו כרחב היד· המצנפת האמורה באהרן להר׳מבם ז״ל היא המגבעת האמורה בבניו אלא שכהן גדול צונף בה כמו שלופף על השבר ובניו צונפין בה ככובע ולפיכך נקראת מגבעת: וארכה לכהן גדול ולהדיוט ששה עשר אמות: ודעת רש״י ז״ל הוא כרבינו ז״ל כתב בפירוש התורה מצנפת כמין כיפת כובע שקורין כו״פיאה שהרי במקום אחר קורא להם מגבעות מתרגמינן קובעין· והראב״ד ז״ל כתב

aliquam ex veſtibus Sacerdotalibus obtuliſſet, cœtui tradebat, licitaque erat.

אמנם לא עמדתי אחרי כן במחשבת הזאת אפילו שעה אחת שמלפנים התאויתי תאוה לדבר בגיונים כהלכה ונחמתי והדרי בי מחפצי זה תכף ומיד הואיל כי גלוי וידוע לפני שהכרת הבדל ושמו׳ הצבעי׳ בערום ובחסר כל יתר המשפטים הנאותים לשום לפנינו בבינה ובהשכל כמו שעשתה הכת השני׳ הזאת שהשמיטה כל התנאים המוסיפים מנדעא לחכימין לא תועיל כלל ללמוד לנו מחות סבות הגיונים באבנים טובות ומרגליות כמצטרך וגם בחקירת דברי הכת הראשונ׳ כבר ידעתי נאמנ׳ שלא יגיע אל תכלית חשקו בדבר הגיונים מי שלא עמל מנעוריו ועסק בכל תורת הפלוסופיא הטבעית בתמידות יומם ולילה לא שבת׳ ולכן לא רציתי להעמים עליך ארוני הקריאה עתה לבטלה. האמנם אם יזדמן שתאוה נפשך לרעת משפטי תנאי ודרכי הכת השנית דוק ותשכח בין בתבי שאר החברים הספר שעשה על הדבר הזה אנטוניאו׳ טיליסיאו קוסינטינו כי בי״ג פרקים שבו תמצא חרות על לוחותיו

ſis una ſimul componuntur, quamvis ſenſui aliquando appareant quaſi inclinantes ad croceum colorem propter commixtionem rubedinis cum eorum luce conjunctæ, uti ſcribit *Alexander Aphrodiſienſis* Philoſophus libro primo ſuorum tractatuum Phyſicorum cap. 11.

Alii vero voluerunt perſcrutari qualitates colorum, & eorum cauſam ſubſtantialem, uti fecerunt commemorati Philoſophi, ſed dederunt operam ut omni conatu & ſcientia præcipue aſſequerentur differentiam omnium, qui reperiuntur, colorum, eorumque nomina & numerum, & eorum ſpeciem, nomenque, quo inſigniuntur, aut reſpectu urbium & locorum, ex quibus primum allati ſunt, aut ſimilitudine colori terræ, pulveris metallorum, aquarum, fluviorum, arborum, plantarum, herbarum, florum, fructuum, gummarum, gemmarum, animalium, avium, piſcium, & volucrum ſanguinis, maris, ejuſque fluctuum, nivis, aeris, nubium, iridis, quæ conſpicitur in nubibus, ignis, firmamenti, ſolis, lunæ, exercitus cœlorum, planetarum, & his ſimilium, ita ut in iis perſcrutandis deſatigati ſint, & invenerint in rebus creatis centum & quindecim colores differentes ex his qui innotuerunt.

Idcirco ne hora quidem in hoc conſilio perſeveravi; ſi enim cupiebam diſſerere de coloribus ſicuti conveniebat, ſtatim hujus conſilii me pœnituit, cum plane ſciam, ſcientiam differentiæ & nominum colorum, ſi ſejuncta ſit ab reliquis omnibus notitiis, quæ perfecte a nobis cognoſci debent [in quibus ſecundæ claſſis ſapientes operam impenderunt, prætermittentes omnes conditiones hujuſmodi, quibus doctis tantum ſapientiæ comparatur] nihil omnino prodeſſe, ut cognoſcamus qualitates, & cauſas colorum lapidum pretioſorum, & gemmarum, uti neceſſe eſt; præterea in perſcrutandis verbis primæ claſſis, jam non ignoro non poſſe conſequi ſcientiam perfectam colorum, qui diu noctuque ab adoleſcentia perpetuo ſtudio non vacaverit, operamque impenderit philoſophiæ naturali; idcirco, domine, in hac lectione inutiliter tibi moleſtus eſſe nolui. Si vero contingeret, ut cuperes ſcire conditiones & rationes ſecundæ claſſis, abi, & lege, & invenies inter ſcripta aliorum auctorum, librum quem compoſuit de hoc argumento *Antonius Tileſius Coſentinus* quia in tredecim capitibus, in quæ *liber* diſtribuitur, deprehendes tabulis inſculpta omnia, quæ tibi per tranſennam commemoravi. Si vero cupieris præterea intelligere & ſcire ex Græco-

בשלם שבפנים כל מה שזכרתי לך כאן דרך העבר׳ אחד לאחד למצוא חשבון׳ ואם באולי תחפוץ גם כן להבין וללמוד מהחכמה יונית מה שגלו לנו אנשי הכנסיה שלהם הראשונ׳ מהעמיקתא והמסתרתא שנמצאו ברצון ה׳ בנמצאי׳ מכח היסודות שהיו׳ כהיום הזה אצלנו בחשוכא ואצל רז״ל מימי עולם בנהורא רבא הפוך ובלה וסיב בספ׳ השני מהנפש ובספר החוש והמוחש ובספרי הנטיעות לאריסטוטילי על דרך יסודי הפלוסופיא הטבעית׳ וגם ראה בספר החמשי מתולדת הבעלי חיים ובמאמר השמני מהשאלות ותשובות שלו בלשונם פרובלימאטה ובמקומות אחרים שדבר על זה אריסטוטילי גדול החכמים שביונים׳ וסוף סוף כל מה שכתב הפלוסוף הזה גם ברמיזה גם בארוכה על הגיונים והמראות בספרים שונים׳ כמעט יצא לקראתך ותראה אותו ותשמח בלבך בספר אחר יוני בפרוד המכונה בלשון לאטינו די קולוריבוס הנחלק לששה פרקים בלבד׳ ועם כי פלוטארקו אומ׳ שאריסטוטילי חבר שני ספרי׳ ביחוד על הגיונים והמראות׳ ופאקימירו המחבר כשזכר מנין ספרי אריסטוטילי אמר גם הוא שיש בחשבון ספריו של אריסטוטילו שני ספרים על מהות הגיונים ועל כן יש מי שאמר שהספר הזה שזכרתי באחרונה הוא של אריסטוטילי׳ אני עם כל זה לא כן דמיתי כי האמנתי שהוא מטיאופראסטו תלמידו עם כי דבריו הם דומי׳ הרבה לסגנון דברי אריסטו׳ רבו׳ ויהיה הספר הזה ממי שתרצה מש׳ניהם הוא באמרת מלא חכמה ודעת וממנו תצא לך תורת הגיונים והמראות שנמצאו בטבע היסודו׳ ושהבינו על נכון בחכמת׳ הפלוסופים ההם אשר נתן ה׳ בקרבם דעה ובינה׳ קרא אותו גבר עמיתי בשובה ונחת אם תרצה כי ידעתי שלנפשך ינעם כשתבין בשכל מליו.

ונתנה האבן הזאת לראובן על שם שנתמעט בשרו ודמו בתעניותיו כשבלבל יצועי אביו והוא סימן שקבל ה׳ את תשובתו ומחק את עונו.

הפטדה או הטופאציאו נקרא כן על שם המקו׳ המובא משם׳ שאמרו שהיא אי אחת נקרא׳ טופאסיס אולי בארץ כוש כדכתי׳ לא יערכנה פטדת כוש׳ והאבן הזאת היא של שני מינים׳ הא׳ צבעו הוא ירוק היינו ייאלו

rum sapientia quæ nobis aperuerunt viri illustriores eorum congregationis de rebus occultis, & phænomenis, quæ in creaturis divina voluntate inventa sunt elementorum virtute, quæ nobis nostris diebus obscura sunt, quæ apud nostros Sapientes f. m. antiquitus erant clarissima, te converte, & lege diligenter secundum librum de anima, & librum de sensu, & sensibili, & libros de plantis *Aristotelis* juxta ordinem principiorum Physicæ, pariterque vide quintum librum de generatione animalium, & octavam dissertationem de ejus quæstionibus, quæ ab ipsis Problemata appellantur, & alia loca in quibus differit *Aristoteles* Græcorum sapientissimus, postremo ea omnia, quæ hic Philosophus scripsit præcipue & uberrime in variis libris de coloribus & visu; facile videbis, & animo lætaberis in peculiori libro Græco, qui Latine inscribitur *de coloribus*, in sex tantum capita distributus; quamvis *Plutarchus* scribat ab eo duos peculiares libros de coloribus & visu scriptos esse, & Phakimerus autor quoque, quando commemorat numerum librorum *Aristotelis*, dicat inter ejus opera duos libros de colorum qualitatibus recenseri; ideoque est qui dicit hunc postremum librum, quem commemoravi, *Aristoteli* tribui, ego tamen non ita sentio, sed puto ab *Theophrasto* ejus discipulo scriptum esse, quamvis ejus locutio sit valde similis locutioni orationum *Aristotelis* sui magistri; Hic liber, sive uni sive alteri tribuatur, singulari scientia & eruditione refertus est, tibique ex eo derivabitur doctrina colorum, & visus, qui deprehenduntur in natura elementorum, & quod solide eorum virtutem Philosophi perceperint, quibus Deus intelligentiam, & singularem scientiam impartitus est; lege illum, mi comes, quieta & tranquilla mente; tibiq; maximæ erit voluptati, quando abs te ejus verba recte percipiantur.

Assignatus est hic lapis Ruben, quia diminuit carnem & sanguinem suum jejuniis, quando lectum patris sui commiscuit; & hoc erat signum, quod Deus ejus pœnitentiam acceptasset, & peccatum suum delevisset.

פטדה aut (*a*) topazius ita nuncupatur ex loco, ex quo adducitur; dicitur enim esse insula, quæ *Topasis* appellatur, sita fortasse in terra Æthiopiæ, sicuti dictum est *Job.* XXVIII. 19. *Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia*. Duæque sunt hujus lapidis species, quarum altera est flava auro similis, & hæc est

דומה

(a) Vide *Plinium Histor. natural.* lib. XXXVII. cap. 32.

דומה לזהב והוא האבן · המובחר׳ שבמינו ·
הב׳ הוא הנוטה לצבע הירוק הנקרא ויירדי
משותף עם צבע ייאלו דומה לזהב כמו
שהוא זנב הכרתי שהוא שורש נטיעה שהיא
ממין הבצלים הנק׳ בלעז פורו ובלשון רז״ל
הפורי מצורף לשם זה כרתי נקראו נ״כ
כרישין במסכת שביעית פר׳ כלל גדול
העולשין והכרישין · ובסוף עוקצין חוץ מכרישי
שדה והרגילה כי תרגום כרישין הוא כרתי
ובסוכה פרק לולב הגזול והירוק ככרתן כו׳ ·
ויש לו לזנב הכרתי הזה במקצת צבע הייאלו
והוירדו גם יחד · ע״כ היונים קראו המין
השני הזה מהאבן האמור קריסופטירים להיות
כי צבעו הוא משותף לשני הצבעים האמורי׳ ·
והאבן הזאת בפטעה לפעמי׳ תגדל בכמות
גופה הרב׳ מאד · עד שאמרו שעשי האנשים
הקדמונים פסל א׳ כדמות אשה כלו מאבן זה
לכבוד ולתפארת מלכת מצרים הנקראת
ארסינואי אשת המלך פילאדילפו שהיה
דומה לה ארבע אמות קומתו.

והאבן הזה עלה לחלק שמעון לאות על
חטא שבטו עם בנו׳ מואב ומדין כי הנה
כמ״ש רז״ל סימן לעבירה הדרוקן · ואולי בעבור
עון זה לא ברך משה שבטו של שמעון
בפרטות בשע׳ פטירתו · ומפני שחמל ה׳ עליו
רצה שהאבן הזה כמו סניגור ילמד עליו
זכות ויצנן גופו ודמו עד שלא יהיה כ״כ
להוט אחרי הזמה כי אמרו הפלוסופים
שהטופאציאו הוא בטבעו נגד תאות המשגל׳ ·
וגם אלבירטו מאנייו הפלוסוף העיד בספרו
השני מהאבנים טובות פרק י״ח כי הוא
מקרר מאד בסגולתו · ושעשו בפניו תלמידיו
נסיון מספי׳ מכחו ופעולתו של אבן זה · כי
שמו אותו במים שהין רותחין על האש
ושנצטננו המים מיד עד ששמו בם הידים
ערומו׳ מבלי היזק שום כויה או תולד׳ אבעבועו׳
עליה׳ כמו שיצמחו בכויי׳ האש ·

הברקת או הכיראבנוס אמר אלבירטו
מאנייו בספר השני מהאבנים טובות פ״ב · כי
הוא אבן טוב הדומה לזכוכית הטובה והבהירה
בלעז קריסטאלו שצבעו נוטה לירקות חלוש
נקרא הצבע הזה בלשון יון כיאניאוס · כתוב
בכאפה שלהם ובאיפסילון עם החירק תחת
האלף אחרי הכאפא · ובלשון לאטינו צירוליאו
הדומה לרקיע הבהיר כשלא יראו בו
העבים · ואמר שיורד האבן הזה לארץ עם
המטר מתוך הענן עם הזקים והברקים ·
ושנמצ׳ הכיראבנוס הזה באדצו׳ אשכנז וספרד

melior; secunda inclinat ad colorem viridem flavo auri simili commixtum, juxta caudæ porri similitudinem, quæ est radix plantæ ex cœparum speciebus, quæ Sapientum f. m. lingua nomine conjuncto dicitur כרתי, pariterque כרתין, & in tractatu de *Anno Sabbathico* VII. I. appellatur כרשין; & cap. III. 6. *Succah* dicitur ככרתן; atque hujus porri cauda partim est coloris flavi viridi permixti; ideoque a Græcis secunda hujus lapidis species dicitur קריסו פטירים, eo quod ejus color ex his duobus coloribus sit concinnatus; atque iste lapis naturaliter aliquando est permagnus, ut ex eo dicatur ab hominibus antiquis efformata fuisse (a) statua integra mulieris ad decus & gloriam Reginæ Ægypti, quæ vocabatur Arsinoe uxor Regis Philadelphi, eratque illi similis in altitudine quatuor cubitorum.

Iste lapis impartitus fuit Simeoni in signum peccati patrati ab sua tribu cum mulieribus Moab & Madian; dicunt enim Sapientes nostri f. m. Signum lasciviæ est hydrops; & probabile est, quod hujus peccati causa momento suæ mortis tribui Simeonis Moses non benedixerit; & quod Deus, qui illius misertus est, voluerit hunc lapidem illi quasi defensoris loco esse, ejusque patrocinium suscipere, ejusque corpus & sanguinem refrigerare, ne lascivia immergeretur; quia dicunt philosophi topazium natura sua contra lasciviam utilem esse; pariterque *Albertus magnus* Philosophus testatur in suo libro II. cap. 18. de lapidibus pretiosis; sua proprietate multum refrigerare; & in suo conspectu suos discipulos sufficiens experimentum de hoc lapide fecisse, sc. in aquis bullientibus posuisse, statimque aquas deferbuisse, ita ut in eas manus nudas introducerent sine ullo detrimento adustionis, aut ortu pustularum, uti solent pullulare in ignis adustionibus.

הברקת sive ceraunus; dicit *Albertus Magnus* lib. II. cap. 2. de lapidibus pretiosis esse lapidem pretiosum similem optimo vitro & translucido, quod Italice *Cristallo* appellatur, cujus color inclinat ad colorem subviridem *seu viridem remissum*, qui Græce κύανεος appellatur scriptum cappa, epsilon cum chirec sub aleph post cappa, & Latine *cœruleus* similis firmamento lucido, in quo nubes non conspiciantur; dicitque hunc lapidem descendere in terram cum pluvia de medio nubium cum fulguribus, & fulminibus; & inveniri hunc ceraunum in Germania, & Hispania, & Hispanum ad colorem aureum inclinare, atque instar

(a) Vide *Plinium* ibid.

ושהספרדי הוא נוטה לצבע הזהב והוא חם
באש · ופליניאו גם הוא זכר האבן הזה בספר
ל״ז שלו מהדברים הטבעיים פ״ט · אמנם
זינוטימו המחבר אמר כי הציראבנו הוא לבן
ובהיר ושבקרבו יש כמו צורת ככב מתנועע ·
נקרא בלשוננו הקדוש האבן הזה ברקת ע״ש
שהוא יורד לארץ עם הברקים · ובלשון יון
נקרא כיראבנו · כתוב עם הכ׳ שלהם והאיפסילון
כצירי · והרו · והאלפא · והאיפסילון עם החירק ·
והניי · והאומיקרון · והסיגמא · שבצרופם יחד
נקראת התבה הזאת כיראבנוס שר״ל בלשוננו
זיקא שהוא באולי מה שקראו אותו רז״ל
ברכו״פרק הרואה ככבא דשביט היינו סאייטה ·
קראו היונים האבן הזה בלשון סאיטה כי גם
הזקים לא ירדו אלא עם הברקים · ובלאטינו
יקרא האבן הזה לאפיס פולגוריס · ובלע״ז
פייטרה דיל לאמפו ·

ונתנה האבן הזאת לשבט לוי לכבוד וגדולה
להיות כי הם לומדים משפטי ה׳ ותורתו
לישראל כדכתיב יורו משפטיך ליעקב ותורתך
לישראל והתורה ג״כ נתנה בקולות וברקים
כדכתיב ויהי קולות וברקים וענן כבד על
ההר ויצא׳ התורה מתוך האש כדכתיב את
הדברים האלא דבר ה׳ אל כל קהלכם בהר
מתוך האש וגו׳ ·

הנפך או הקארבונקייו נק׳ בשם זה על כי
הוא דומ׳ לאש המוצת בפחם הבוער והמבהיק
או נקר׳ כן מפני שהאש לא ישלוט בו ועל
כן יש מחכמי האבני׳ טובי׳ שקוראי׳ אותו אפיר
כי פיר בלשון יון ר״ל אש · ועם תוספ׳ אאלף
לפניו ר״ל בלא חמימות או הרגשת אש כי
כאשר אמרנו האש לא ישלוט בו · והאבן
הזאת היא של מינים רבים והמינים המובחרים
בין שאר המינים · הם ההינדים והגאראמאנטי
הנקראים ג״כ קרקידוניאי לזכר העיר שהיתה
רבתי עם ועושר וכבוד הנקראת קארטאגיני ·
והאיטיאופיאי היינו הבאי׳ מכוש הם בכלל
המינים המובחרי׳ · וגם האלבאנדיצי
והאמיטיסטי זונטי שהם הטובים שבכלם
נלוו עמם · ובכל מין ממיני הקארבונקיי היותר
צבועי׳ ובהירי׳ יקראו זכרים · ואשר למטה
מהם בצביעות ובבהירות הם הנקבות כי ברוב
האבנים טובות ישימו החכמים ההבדל הזה
של זכרי׳ ונקבו׳ · וקליסטראטו המחבר אמ״כי
במרא׳ צבעו צרי׳ שהקארבונקייו ידמה
בראשונה כמו שיעלה עשן ממנו ושאחרי כן
צריך שיראה עצמו דמו שיהיה צלול ובוער

ignis esse calidum. *Plinius* quoque mentionem facit de hoc lapide lib. XXXVII. cap. 38. *Histor. Naturalis*; albam esse At *Zenothemis* scriptor fatetur ceraunum esse album, & translucidum, sed habere intus stellam concursantem; hic lapis nostra sancta lingua ברקת appellatur, eo quod cum fulguribus in terram descendat, & Græce κεραυνός scriptum eorum kaph, epsilon cum zere, ro, alpha, & epsilon cum Chirec, & mi, omicron, & sigma, quæ si una connectantur, legetur κεραυνός, quod nostra lingua significat זיקא, quod fortasse est quod dixerunt Sapientes nostri f. m. cap. IX. *Gemara Berachoth* ככבא רשביט i. e. *Sagitta*. A Græcis hic lapis fulminis nomine appellatur, eo quod fulmina non descendant nisi cum fulguribus, & a Latinis *lapis fulguris*, & Italice *Pietra del lampo*.

Assignatus fuit hic lapis tribui Levi ad gloriam & excellentiam, eo quod docerent Israelem Dei instituta & ejus legem, sicuti scriptum est *Deut.* XXXIII. 10. *Legem tuam o Jacob, & legem tuam o Israel*. Lex pariter data fuit cum tonitrubus & fulguribus, sicut dictum est *Exod.* XIX. 16. *Ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem*. Et lex de medio ignis egressa ëst, sicuti scriptum est *Deut.* V. 22. *Hæc verba locutus est Dominus ad omnem multitudinem vestram in monte de medio ignis &c.*

הנפך aut carbunculus hoc nomine appellatur, quia est similis igni accenso in carbone ardenti & coruscanti, atque hoc nomine appellatur, quia in eo ignis non dominatur; ideoque a nonnullis sapientibus, qui periti sunt in scientia lapidum pretiosorum, *apir* appellatur, quia Græce ignis πῦρ dicitur, si a præmittatur, significatur res sine calore & sensu ignis, quasi diceretur in eo ignis non dominari. Multæ [*a*] sunt hujus lapidis species, optimi sunt Indici, & Garamantici, qui pariter Charchedonii appellantur memoria urbis, quæ populo, & opibus & gloria referta erat, quæ dicebatur Chartago; atque Æthiopici, qui a Chus afferuntur, pariterque Albanditii, & Amethystozontes, qui omnium optimi habentur, cum his conjunguntur; & ex omnibus Carbunculorum speciebus, qui micantiori colore & splendore celebrantur, vocantur mares, qui vero hebetiori colore & splendore sunt, dicuntur fœminæ. Et autor, Callistratus (*b*) dicit; in aspectu sui coloris carbunculum hujusmodi esse, oportere quasi ex eo fumus excitaretur; & deinde apparere, quasi

בלבנת

(a) Vide *Plinium* Histor. Natur. lib. XXXVII. cap. 25. (b) Vide *Plinium* ibid.

בלברת אש צלולה · והוסיף לכתוב כי הקארקידוניאי יטו בטבעם לצבע השחור ושנגד האש או השמש יבהיקו יות׳ משאר מיני הקארבונקיי ואלו האבנים היינו הקארקידוניאי כשהם בתוך הבית במקו׳ שלא ישלט בו האויר הבהיר בשופע הם כצבע השושנה · ובמקום מגולה נראים כבוערי׳ באשי ונגד השמש ידמו לאש בהיר שיוצאות ממנו נצוצות רבות · אמר אלבירטו כי הקארבונקיין באבנים הוא כזהב הטוב בין שאר המתכות במעלה · ושסגולותיו הם רבים מאד על שאר האבנים · ואחרים אמרו שיועיל בפרטות נגד המרה השחורה והדאגה · ושהנושה אותו ינצח במלחמה כל אויביו.

והנה הקארבונקיין הזה ניתן ליהודה מפני שהיה גדול מכל אחיו במעלה ושלכן הירה לו משפט המלוכ׳ כדכתי׳ לא יסור שבט מיהוד׳ כו׳ וגם מפני שהושחרו פניו בראותו שעלת׳ טינא בלב יעקב אביו עליו כאשר לא נמצ׳ יוסף ועמד יהוד׳ בספק זה עד כי שמע אביו בברכו אותו שאמ׳ לו מטרף בני עלית · וגם הושחרו פניו כששלחה לו תמר כלתו ואמר׳ הכר נא למי החותמת והפתילים כו׳ · ועו׳ יאות לו הנופך הזה מפני דאגת לבו כשמתה אשתו ושני בניו בחייו והיה צריך בעבור זה לנחמה כדכתיב וינחם יהודה וסוף סוף מפני שהי׳ גבר על אויביו במלחמ׳ כדכתיב ידך בעורף אויביך ובדוד הוא אומ׳ ואכרתה את כל אויביך מפניך.

הספיר או הצאפירו · לדעת אלבירטו הוא בא מארצות המזרח ומארצות ההינדים · וצבעו הוא נוטה לירקות הכרכום החלוש בטבעו הדומה לבהירות הרקיע הזך · ואמר שהסאפירו הטוב יש בקרבו כמו ענן כהוי · ופראנציסקו רואיאו אמר כי צבעו הוא הנקרא צירוליאו · ושיש בקרבו ענגים דומים לצבע התכלת עד שירמו ללהב הגפרית כשיתחילו להצית בו האש עם נקודות קטנו׳ דומות לזהב הבהיר ועם כל זה לא תבהיק האבן

eſſet lucidus & ardens ad ſimilitudinem flammæ ignis claræ, ſcribitque præterea charchidonios ſua natura ad nigrum colorem inclinare, contraque ſolem, & ignem præ ceteris carbunculis fulgere; [a] lapides, i. e. carbunculi, cum domi detinentur in loco, ubi clarus aer parum dominetur, roſæ colorem imitantur, at in loco aperto videntur quaſi igni ardentes, at contra ſolem aſſimilantur igni claro, unde plurimæ ſcintillæ egrediantur. Dicit *Albertus* carbunculum inter lapides eſſe quaſi aurum optimum præ ceteris metallis, ejuſque proprietates plurimas eſſe præ cæteris lapidibus. Alii dicunt præcipue prodeſſe contra melancholiam, & animi dolorem, eumque, qui ſecum illum ferat, ſuos hoſtes in bello ſuperare.

Ecce hic carbunculus attributus fuit Jehudæ, quia præ cunctis ſuis fratribus erat dignitate maximus, ideoque illi regni jus conveniebat, ſicuti ſcriptum eſt *Geneſ.* XLIX. 10. *Non auferetur ſceptrum de Juda &c.* Præterea nigruerunt ejus facies, cum videret Jacobo patri ſuo locum eſſe, ut de ſe quereretur, quod Joſephus non reperiretur; permanſitque in hac dubitatione, donec audivit patrem ſuum ſibi benedicentem qui dixit; *ibid.* v. 9. *Ad prædam, fili mi, adſcendiſti.* Pariterque ejus facies nigruerunt, quando Thamar ſignificavit *ibid.* XXXVIII. 25. *Cognoſce cujus ſit annulus & armilla* &c. Præterea illi conveniebat carbunculus propter dolorem, quo affectus eſt vivens ob mortem uxoris, & duorum filiorum; ideoque neceſſaria erat conſolatio, ſicuti ſcriptum eſt *ibid.* XXXVIII. 12. *Qui poſt luctum conſolatione ſuſcepta.* Tandem eo quod hoſtes ſuos in bello ſuperaret, ſicuti ſcriptum eſt ibid. XLIX. 8. *Manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum.* Et de David dictum eſt 2. *Reg.* VII. 9. *Et interfeci univerſos inimicos tuos a facie tua.*

הצפיר aut (*b*) *Zaffiro* juxta ſententiam *Alberti* ex regionibus orientis & Indiæ affertur, ejuſque color inclinat ad flavum colorem croci remiſſi, *aut hebetioris*, naturaliter ad firmamenti, quando clarum eſt, colorem inclinat; ſcribitque legitimum Sapphirum intra ſe quaſi nubem obſcuram continere. At *Franciſcus Robæus* ſcribit, ejus colorem eſſe cœruleum, nubeſque intra ſe continere hyacinthino colori ſimiles, ita ut aſſimilentur flammæ ſulphuris, quando in eo ignis accendi incipit, cum parvis punctis claro auro ſimilibus; tamen hic lapis non ita lucet, ut in eo appareant

הזאת

(a) Vide *Plinium* ibid. (b) Vide *Plinium Hiſtor. nat.* lib. XXXVII. cap. 39.

הזארת עד שיראו בו התמונורת כמו שיראו
במראה הנקרארת ספיקייו· וסגולורת האבן
הזאת הם רבות כמו לשמור בריאות העינים
וכל הגוף· אמנם תועיל גם כן לנפש עד
שתהיה תמיד נכונה ומוכנת לעבודת ה׳ ולהגות
בתורתו ובמצותיו· ותועיל לרדיפרת השלום
והמנוחה·

והנה נתנה האבן הזאת לישׂשכר מפני
שהיו גדולי׳ בחכמרת התורה ויושבי בבירת
המדרש תמיד כדכתי׳ וישׂשכר באהליך וכתיב
ומבני ישׂשכר יודעי בינה לעתים· והענן שבתוך
הסאפירי הזא הענן אשר עמו נתנה התורה
כדכתיב ויהי קולות וברקי׳ וענן כבד על ההר
והענן לא היה בהיר דכתיב וערפל תחרת
רגליו· ועוד נתן הסאפירו לישׂשכר מפני
שלוחות התורה של סמפירינון היו· ובמתן
תורה כתיב ותחת רגליו כמעשה לבנת הספיר
ונפש בעלי התורה היא צרורה בצרור החיים
תחרת כסא הכבוד שכתוב בו כאבן ספיר
כמראה דמות כסא· וגם מצות התורה הם
מאירות עינים כדכתיב מצות ה׳ ברח מאירת
עינים· ועוד מפני שישׂשכר היה אוהב מנוחת
התורה וסובל׳ עולה בשמחה כדכתיב וירא
מנוחה כי טוב וכו׳ ויהי למס עובד· היינו
בחר להיורת עבד לה׳ ולתורתו.

היהלום או הדיאמאנטי· הוא במעלה רבה
בין כל חפצי האדם והוא העולה בחשיבורת
על כל שאר האבנים הטובים כפי דערת
פליניאו המחבר· אמנם אלבירטו נתן המעלה
הזאת לנופך· באשר כתבתי· והיהלום רבו
הימים והשנים כי לא הכירו אותו אלא מלכים
מועטים מימי קדם והאמינו שלא ימצא אלא
במחצבי הזהב וזה איננו אמת הואיל כי יולד
ג״כ במקומורת ההם שימצא גם הזכוכירת
לבנה הנקראת קריסטאלו שהוא כמעט ממינו
או קרוב לו· ומיני היהלום הם ששה· היינו
הכושי· ההינדי· הערבי· המוקדוני· הציפריאנו׳
והסידיריטי שהוא דומה לברזל המצהיב אחרי
הלטישה·

figuræ, ut in ſpeculo videntur. Hujus lapidis proprietates plurimæ ſunt, e. g. ad ſervandum oculorum & totius corporis ſanitatem; pariterque animæ prodeſt, quo promta fiat ad Serviendum Deo, operamque ſuæ legi & præceptis impendendum, & ad conſectandam pacem & quietem.

Attributus fuit hic lapis Iſſachari, quia excellentes erant in ſcientia legis, ſemperque ſancto ſtudio incumbebant, ſicuti ſcriptum eſt *Deut.* XXXIII. 18. *Et Iſſachar in tabernaculis tuis*. Pariterque ſcriptum eſt 1. *Paral.* XII. 32. *De filiis quoque Iſſachar filii eruditi, qui noverant ſingula tempora*. Et nubes, quæ intra Sapphirum continetur, deſignabat nubem, qua data fuit lex, ſicuti ſcriptum eſt *Exod.* XIX. 16. *Et ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem*. Neque nubes erat clara; ſicuti dictum eſt *Pſalm.* XVII. 18. *Et caligo ſub pedibus ejus*. Præterea aſſignatus fuit Iſſachari Sapphirus, quia tabulæ legis erant ſapphirinæ. Et in danda lege ſcriptum eſt *Exod.* XXIV. 10. *Et ſub pedibus ejus quaſi opus lapidis ſapphirini*; Animaque eorum, qui legi dant operam, colligata eſt cum faſciculo vitæ ſub Dei throno, de quo ſcriptum eſt *Ezech.* I. 26. *Quaſi aſpectus lapidis ſaphiri ſimilitudo throni*. Pariterque præcepta legis illuminant oculos, ſicuti dictum eſt *Pſalm.* XVIII. 9. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*. Præterea quod Iſſachar amabat quietem legis, & cum lætitia ferebat jugum ſuum, ſicuti dictum eſt, *Geneſ.* XLIX. 15. *Vidit requiem quod eſſet bona* &c. *factuſque eſt tributis ſerviens*; i. e. hoc elegit, ut eſſet Dei ſervus & legis.

היהלום aut adamas, eſt in multa æſtimatione inter omnia hominis deſideria, & dignitate ceteros omnes lapides pretioſos antecellit juxta *Plinii* (*a*) ſententiam. At *Albertus* præfert carbunculum, ut a me ſcriptum eſt. (*b*) Plurimi jam anni præterierant; neque adamas niſi paucis Regibus antiquis innotuerat; & (*c*) putabant ſolum in auri fodinis oriri; quod falſum eſt, eo quod naſcatur etiam in iis locis, ubi vitrum album reperitur, quod Chryſtallus appellatur, quid fere eſt ejuſdem ſpeciei, illique ſimilis. Sex [*d*] ſunt adamantum ſpecies, i. e. Æthiopicus, Indicus, Arabicus, Macedonius, Cyprius, & Sederitis, qui fulgenti ferro ſimilis eſt, poſtquam acutum & expolitum ſit. Omnes ſpecies exceptis poſterioribus duabus, quæ

(a) Vide *Plinium* Hiſtor. natural. lib. XXXVII. lib. 15. (b) Vide *Plinium* ibid. (c) Vide *Plinium* ibid. (d) Vide *Plinium* ibid.

הלטישה׃ וכל המינים ממנו בלתי השני מינים האחרונים שיתפוצצו בנקלה הם קשים עד מאד ודוחפי׳ לאחור הפטיש המכה בם כאשר אמרו רבי׳ שהאמינו שלא ישברו כי אם בחזק׳ עזה ובטבעם ינצחו המימות האש ולא יוחמו בו בשום פנים לעולם׃ ועכ׳ היוני׳ קראו היהלום בלשונם אדאמאס כי הוא פורק עול כל הדברים המפסידים אותו מעל שכמו ויעמוד בתקפו שנים רבות.

ובלשוננו הקדוש נקרא הדיאמנטי יהלום מפני שהוא רושם ושובר כל האבנים טובות ונוקב ומשבר בפרט הבדולח והוא מגזרת הולם פעם שהוא לשון שבירה׃ ופעולות הדיאמאנטי הם אלו׃ היינו שהנושאו בזרוע השמאלי בפרט ינצח האויבים והענקים הגבורים והחיות הרעות׃ ויועיל להסיר הכשפים והפחד והרעדה׃ וטוב למי שמבקש השלום ורודף אחריו׃ ויועיל גם כן להעשיר.

ונתן היהלום לזבולון הואיל כי כל בני שבטו היו מאריכים ימים ולא היו יראים מהדברים המחליאים דומיא דיהלום שיהיה זמן רב ולא ימות עד עדן ועדנין ופלג עדן׃ אמר אריסטוטילי בספר האריכות וקצרות החיים בלשונם די לונגיטודיני איט בריויטאטי ויטי׃ כי הדרי׳ תחת איקלים שאוירו יהיה חם ולח יאריכו ימים כי הנה יסוד החיים הוא החמימות והלחות ואם החמימו׳ המתמיד בחזק׳ יפסד וידעך מרוב חומו׃ כן כשהלחות הנלוה עמו יתן ויחזור ויתן בחום ההוא תמורת הנתך ממנו יחיה האדם ימי׳ רבים עד שימצא בחום שבקרבו הלחות הנאות להיות מזון לו׃ ואוירואי הערבי תלמידו כתב כי זה אינו אמת בהחלט באויר החם ולח בפשיטות כי הנה מזג החמימות והלחות הדומה לזה הוא אב לכל עפוש והפסד׃ אך אם נכון הוא דעת אריסטוטי׳ יהיה אמת במקומות שהלחות לא יהיה פשוט כי הנה צריך שיהיה עם הלחות בצרוף מעט יבשות שיחליש כח הלחות המותריי שבו לא זולת כמו שהוא האיקלים אשר בו שפע הלחות עם ערוב כח המלח המיבש והמסיר סבת עפושו׃ ועל כן בארצות ההם שהם על חוף הים יאריכו ימים הגרים שם יותר ממה שיהיו בערי׳ שהם על הנהרו׳ והמים המתוקי׳ עד שזבולון שפע ימים ינק היינו יאריך ימים

facile franguntur, sunt (*a*) durissimæ, & malleum percutientem repellunt, juxta opinionem multorum, qui putant nisi magna vi non posse frangi, & natura sua (*b*) ignis calorem superare, neque unquam ullo modo ab eo calefieri; ea de causa a Græcis ἀδαμας appellatus est, quia corrumpi non potest multosque annos in sua firmitate permanet.

Et in nostra Sancta lingua adamas יהלום appellatur, eo quod omnes lapides pretiosos designet & frangat, & præcipue vitrum perforet & perrumpat, derivaturque ab הלם, quo effractio significatur; Adamantis operationes sunt hæ quæ sequuntur, i. e. qui illum ferat in brachio presertim sinistro, superat hostes, & gigantes robustos, & belluas rapaces; magnoque est adjumento ad abigendum præstigias, & metum, & tremorem, utilisque est illi, qui quærit pacem; pariterque prodest ad ditandum.

Assignatus fuit adamas Zebulon, cum omnes ex ea tribu diuturnam viverent vitam, neque ab iis, a quibus morbi giguuntur, sibi timebant, ad similitudinem adamantis, qui diuturno perdurat tempore neque corrumpitur.

Dicit *Aristoteles* in libro de *diuturnitate, & brevitate vitæ*, quod ii, qui incolunt sub ea cœli plaga, cujus aer sit calidus & humidus, vitam vivant diuturnam, quod vitæ fundamentum sit calor & humiditas; si enim calor violenter continuaret, perderetur, & exstingueretur propter suam copiam, sic si cum humido componatur, ipsum librat calorem, tum homo vitam diuturnam vivit, donec in ejus calore conveniens humiditas deprehendatur, quæ sibi quasi alimento inservit. At *Averroes* Arabs ejus discipulus scribit, hoc absolute non esse verum in aere calido & umido; quia constitutio, quæ sit illi similis calida & humida, est principium corruptionis, & putredinis. Si tamen vera sit regula *Aristotelis*, vera erit in iis locis, ubi simplex non erit humiditas; etenim necesse est, ut cum humido aliquid siccitatis commixtum sit, quæ superfluæ humiditatis vim infirmet; uti contingit in ea cœli plaga, ubi umiditas sit maxima, cui vis salis commixta sit, quæ exsiccat & removet causam suæ corruptionis, ideoque qui terras portui maritimo proximas incolunt diuturniorem vivunt vitam quam ii, qui urbes fluminibus & aquis dulcibus proximas incolant. Idcirco Zabulon, qui maris influxu nutriebatur, producebat vitam suam, quia maris abundantiam sugebat, i. e. quod in ma-

מפני

(a) Vide *Plinium* ibid. (b) Vide *Plinium* ibid.

מפני ששפע ימים ינק ר"ל מפני שהוא עומד
על חוף הים המלוח בטבעו והמרפא הלחות
המותריי שהוא סבת העפוש· וע"כ אמ' יעקב
אבינו זבולון לחוף ימי' ישכון כו'· עוד נתן
היהלום לזבולון מפני שהיה עשיר משני
שמות· הא' מפני ששפע ימים ינק כמו
שעושי' כל העומדים על חוף הים שיביאו
בעריה' יורדי הים באוניות חפצים רבי' כסף
וזהב וכלים כמ"ש יחזקאל על עיר צור סימן
כ"ה והאחד מפני טמוני חול היינו מפני
הזכוכית לבנה והדיאמנטי שנמצאו בהרים
שבגבולו ויחילו הרים לו כיולדה דיאמנטי
הרבה עד שיעשו מהם פרקמטיא מעולה
של תועלת רב ולכן יקראו היינו יזמיני העמים
הבאים שם בפרקמטיאות שונות עד שילכו
עמם אל ההר הטמונים שם הדיאמנטי·
ובמקום ההוא יזבחו זבחי צדק היינו יכרו
להם כירה גדולה של אהבה משפע הטוב'
ויזבחו להם צאן ומרי לרוב עד שימכרו
להם האבנים הטובות ההם ויביאו הכסף
והזהב באוצרותיה'.

עוד נתן היהלום לזבולון מפני ששבטו היה
מצליח בפרקמטיא כי הנה יש מהדברים
שאם לא ימכרו תכף ומיד יבואו הבעלי
לידי היזק כי יפסדו או יוזלו· אך הפרקמטי'
של זבולון לא הית' כן כי באמת גם כי
תעמוד ברשותו זמן רב לא היתה נפסדת
ולא תפחות ממנה משווית דבר אך תרבה שכרה
בעבור הולדתות שיולדו לו מקרבה וממעיה
ויצאו לאויר העולם תוך הזמן שתהיה תחת ידיו
כמו שעושים הדיאמנטי הטובים· והנה
פראנציסקו רואיאו בספר הראשון שלו כתב
כדברים האלה ממש בלשון לאטינו· היינו
ספר לי אשת חיל נאמנת לי כי למטרוניתא
אחת נקרא' איוירינסה ממשפחת השרים
לונסימבורגי נפלו לחלקה בירושה שני
דיאמאנטי שנגנזו לימים חלפו למו באוצרותיה
והם עוד היום מונחי' שם תחת ידיה
וברשותה בשמירה מעלייתא שכל א' מהשני
אבני' האלה פעמים הרבה בנס גמור ומוחלט
מולידים בזמן מהזמנים אבנים אחרים כדמותם
בצלמ' למיניה' ומי שיביט בם יכיר כי הם כמו
בני' עצמיי' להם הנולדי' ובאים מזרעם ובהם
ממש לא זולת· ואם נרצה אנחנו להתפלס'
נאמר כי הכח ההוא השמימיי הנתון לאבני
במתנה מאת ה' אשר בגללו הם מולידי' ברומה

ris natura salsi portu habitaret, quod superfluæ humiditati medetur, quæ est causa corruptionis, ideoque dicit Jacob pater noster *Genes.* XLIX. 13. *Zabulon in littore maris habitabit* &c. Præterea attributus fuit Zabuloni adamas; qui duabus de de causis dives erat; primum, quod marium abundantiam sugebat, uti fieri consuevit ab iis omnibus, qui maris portus incolunt, eo quod in illas urbes qui mari navibus vehuntur, multas argenti, & auri, & vasorum opes adferant, uti scriptum est de civitate Tyri *Ezech.* XXVIII. 2. pro rebus in sabulo abditis, i. e. pro vitro pretioso, & adamante, quæ in montibus suæ portionis deprehenduntur, qui sibi pariebant quasi parturiens plurimos adamantes, ita ut ex iis magna negotiatio plurima utilitate fieret; ideoque invitabant eos populos, qui illuc variis mercibus se conferebant, donec cum iis ad montes proficiscerentur, ubi adamantes reconduntur, ibique *immolabant victimas justitiæ Deut.* XXXIII. 19. i. e. magnum amoris convivium agebant earum divitiarum causa, ipsisque mactabant oves, & pinguedines multas, donec ipsis venderent lapides pretiosos, & aurum argentumque in thesauros suos adducerent.

Præterea attributus est adamas Zabuloni, quia ejus tribus in mercatura prosperabatur; etenim res nonnullæ nisi statim vendantur, domini damno afficiuntur, eo quod aut corrumpantur, aut merces minoris æstimentur; at merces Zabulonis non erat hujusmodi, quæ quamvis diu in sua esset potestate, non corrumpebatur, neque ejus pretium minuebatur, sed augebatur propter partus, qui ab ea & ab ejus visceribus nascebantur, qui ad mundi lucem educebantur, quo tempore erant in ejus potestate, uti fit in pretiosis adamantibus. *Franciscus Robæus* in suo primo libro his ipsis verbis Latine scribit; i. e. Mihi narravit fœmina lectissima, matronæ, quæ Eurensa vocabatur de gente Principum Lucemburgensium, forte obtigisse duos adamantes, qui ab ipsa in suis scriniis reconditi fuerunt, ibique adhuc in ejus potestate diligenter custodiri, singulos ex his adamantibus sæpe quasi prodigiose certis temporibus alios lapides sibi similes ad eorum imaginem parere; qui eos speculatur, extemplo videt, eos esse filios ab ipsis & eorum semine non aliunde natos. Et si libeat philosophari, dicendum nobis erit illam cœlestem virtutem divino munere lapidibus impartitam, qua sibi similes pariunt, primum naturam aeris puri, a quo circundatur,

יתליף

יתליף בראשונה טבע האויר הזך המוקף להם וישנה אותו שנוי בגלה ותקיף עד שיתהורו למים נקרשים כקרח הנורא׳ אחרי כן בכח האלהי המוטבע באבנים הטובות ההם יתהפכו ויתקשו המים עד שיהיו לדיאמנטי טובים למיניהם.

וזה אינו חוץ משטת דעת שאר הפלוסופים הטובים הטבעיי׳ כי הנה טיאופראסטו היוני שהי׳ תלמוד מעולה לאריסטוטילי הגדול שבחכמיהם כתב גם הוא כי ההבנים טובות הם מולידות ברומה כל עוד שהכח האלהיו הנוסס בם יושפע באצילות נפלא מאתו יתברך וינוח בקרבם ובטבע׳ בחזקה ובאמוץ רב׳ וגם פליניאו כתב בספר שבעה ושלשים שלו ההדברים הטבעיים פרק עשירי׳ האבן הנקרא גיסידאני היא באה מארץ מדי וצבעה הוא נוטה לכרכום המפוזר עליו פרחים רבים׳ והיא נמצאת גם כן בארץ הארבילי׳ ואמרו שהאבן הזאת היא הרה ואם יקישו בה יכירו כי יש אבן אהרת בקרבה והיא יולדת אותה במשך שלשה חדשים.

הלשם או הטורקואיס שבלשון יון נקראת ביאנוס כתוב בכאפא׳ באיפסילון בחירק׳ באלפא׳ בניי׳ ובאומיקרון׳ ובסינמא׳ ובלשוננו טורקינה׳ היא אבן יקרה וחשובה בעיני רבים עד שהזהב והכסף וכל החפצים לא ישוו בה דבר בעיניהם מבלעדה והיא של שני מינים׳ המין הראשון הוא הגרוע והוא הבא מארצו׳ ספרד׳ והשני הוא המובחר והיא הטורקואיס ההינדית מזרחירת׳ וחומר שתיהן הוא גם וגם זוהרה הוא חלוש׳ אמנם הספרדירת יש לה צבע ירוק עז וחשוך כעשבים הרטובים נקרא בלעז ויירדי סקורו׳ וע״כ לא תיטב בעיני האנשים׳ ושכרה הוא מועט ונמכרת בזול וצבע המזרחירה הוא הנקרא ביאניאו המעורב עם דמות מראה לבן כחלב׳ והצבע הזה המשותף מהם נקרא בלשון יון גלאבקו׳ ובלאטינו ציסיאו ולא יאמר כן על דבר מהדברים במלה הזאת בעצם אלא על צבע עיני הבעלי חיים הדומים לטורקואיס כמו שהם עיני האריות והחתולים והעטלפים וזולתם׳ והנה לפעמים מועטים ועתים רחוקים נמצאת האבן הזאת מבלי שום רשום או עורק ההולך בקרבה׳ והטהורה מהמומים האלה והשוה בכל חלקיה בצבעה הטוב הנקרא גלאבקו כאמור היא היא המובחרת והחשובה בהחלט.

אמר פראוציסקו רואיאו בספר השני שלו מהאבנים טובות פרק י״ח׳ באמרת זהו דבר נפלא בעיני מה שראיתי בטבעה של אבן זארת׳ דעו כי איש אחד שהירה ממשפחתי

alterare, & manifeſta, & violenta alteratione alterare, donec fiat quaſi aquæ glaciatæ maximæ glaciei ſimiles. Deinde ipſa divina virtute impreſſa lapidibus pretioſis ejuſdem ſpeciei, convertuntur & obdureſcunt ipſæ aquæ, donec fiant adamantes pretioſi ex ipſis ſpeciebus.

Neque hoc contrarium eſt ſententiæ ceterorum excellentium Philoſophorum Phyſicorum. Etenim Græcus *Teophraſtus* qui celebratur præ omnibus diſcipulis *Ariſtotelis* principis inter eorum Sapientes, ſcribit pariter, lapides quoque pretioſos parere ſibi ſimiles, quovis tempore, quo divina virtus in illos influit admiranda affluentia a Deo benedicto, & in eorum viſceribus reſidet, & eorum natura obnixe continetur. *Plinius* quoque ſcribit lib. XXXVIII. cap. 59. *Hiſtor. natural.* Gaſidanem Medi mittunt, coloris orobini veluti floribus ſparſam. Naſcitur & in Arbelis. Hæc quoque gemma concipere dicitur, & intra ſe partum fateri concuſſa, concipere autem trimeſtri ſpatio.

הלשם, aut *Turcoes*, quæ Græce [a] κύανος dicitur ſcriptum cappa, epſilon cum chirec, alpha, ni, omicron, & ſigma, & latine *Turchina*, eſt lapis pretioſus, & a multis æſtimatus, ut ei æquale in excellentia non habeatur argentum & aurum, & omnia deſiderabilia. Duæ ſunt ejus ſpecies; prima quæ eſt inferior, affertur ex regionibus Hiſpaniæ, & ſecunda, quæ eſt pretioſior, & eſt cyanus Indicus orientalis; amborum materies eſt craſſa, & ſplendor hebetior, at Hiſpano eſt color perviridis & obſcurus inſtar herbarum recentium, Italice diceretur *Verde ſcuro*, ideoque hominibus non probatur, parvique venditur & æſtimatur; at orientalis color eſt albus, & ſimilitudinem albedinis lactis imitatur, & iſte color ex his commixtus Græce dicitur γλαυκός, & Latine *cæſius*; Neque hoc dicitur de qualibet re hac voce peculiari, ſed propter colorem oculorum animalium, qui cyano ſunt ſimiles, quales ſunt oculi Leonum, felium, & veſpertilionum, & his ſimilium; & plerumque intra hunc lapidem ſignum aut vena aliqua conſpicitur; qui vero ab his vitiis purus ſit, & ſit æqualis in omnibus ſuis partibus in ſuo optimo colore, qui eſt glaucus, uti dictum eſt, eſt optimus & ſelectiſſimus.

Dicit *Franciſcus Robæus* in ſuo ſecundo libro cap. 18. *de lapidibus pretioſis*. Hoc magnopere admirandum eſt, quod meis ipſis oculis vidi de natura hujus lapidis. Scitote virum de mea gente & familia ha-

(a) Vide *Plinium ibid.*

ומבית אבי היה לו האבן הזאת טורקואיס
קשורה בטבעת זהב שהיה נושא אותה
תמיד כמו תכשיט מעולה באצבעותיו· ויהי
היום חלה האיש הלזה עד שבגלל חליו
הגיע לשערי מות ובמותו והאבן באצבעותיו
שזה נפלא הוא מאד הטורקואיס הזאת
שבחיי אדוניה היתה יפה וברה כחמה ולא
הית' בארץ מולדתי וכמעט בכל העולם כלו
טורקואיס אחרת כמותה תכף כמו אשה
המתאבלת על בעלה הנפטר מן העולם פנה
זיוה והדרה מפניה ורושם כעור או עורק
עכור שמראהו כצבע זנב הכרתי פרח' על
מצחה ונטל תוארה ותפארתה ממנה· עד כי
בגלל הדבר הזה סרה אז ממני התאוה עזה
שהיתה בקרבי לקנות אותה על כל פנים
ואפילו ברמים יקרים מאד· ולא חפצתי בה
עם כי יכולתי להביא אותה ברשותי בדמים
מועטים· על כן הלכת והיתה לאיש אחד
למקנה· והנה פתאום היה הדבר הזה· שאחרי
אשר באה הטורקואיס ברשות הבעל. השני
ראיתי אותה ששבה תכף כבשרה ובשרותה
וביופיה ממש כבראשונה ולא היה בה כל
מום שיטול תפארתה ממנה· עד כי בעבור
רוע מזלי דאנתי מאד ישאנתי מנהמת לבי
בפרט כי ראיתי שיש באבן הזאת מדעת
קונה לחראות לכל בפרוש סכנת המקרים
הרעים טרם בואם· וגם היא טובה חוץ
מהמיתה לשמור נושאה שלא יפול ברעה·
ודע כי היא נכונה גם כן לאמץ ולחזק את
הלב החלוש ולהסיר הדאגת ולהרבות השמחה
ולשמור בריאות העינים ולעשות שהאיש
המשתמש בה בכל אשר יעשה יצליח.

אמנם נתנה האבן הזאת לדן לכפר עליו
אם יהיה זכאי וצדיק במעשיו הואיל כי דן
בטבעו הזא דומה לטורקואיס האוהבת בשוה
בעלים הרבה זה אחר זה מבלי הבדל· וכן
דן לא עמד זמן הרבה באמונתו כי פעם
אהב את השם להלוך בדרכיו ופעם הלך
אחרי העגלים אשר עשה ירבעם ונתנם בעריו
וברשותו כדכתוב וישם את האחד בבית אל
ואת האחד נתן בדן· ופעם הקים לו פסל
מיכה כדכתיב וישימו להם את פסל מיכה
וגו'· ועוד נתנה לו האבן הזאת הנקרא' לשם
על שם העיר לשם שקראוה דן כשם דן
אביה· גם עלתה לחלקו מפני שנמשל דן
לארי כדכתיב דן גור אריה יזנק מן הבשן·
והעיר לשם שמה מלפנים היה ליש כדכתיב
ואולם ליש שם העיר לראשונה והליש הוא
הארי כדכתיב לביא וליש מהם ישעיה ל' עוד
נתנה לו לדן הטורקואיס מפני שהאבן הזאת
נדמית לעיני הארי הנמשל לו דן· ויכונה
הארי בדבר הדומה לעיניו יותר מכל הגוף
מפני שעיני הארי הם סבת גבורתו· אמר
פליניאו בספרו השמיני מספור הדברים

buisse hunc lapidem cyanum annulo aureo insertum, quem continue tanquam optimum ornamentum suis digitis gestabat; die quodam, quo iste ægrotavit ita gravi morbo, ut morti proximus esset, & moriens (hoc est admirandum) cum digito hunc cyanum gestaret, qui vivo domino instar solis clare micabat, nullusque in universa mea patria, & fortasse in toto terrarum orbe cyanus huic similis reperiebatur, statim quasi mulier, quæ mœreret mariti morte, splendorem & formam amisit, & signum deforme, aut vena turbida, cui porri caudæ color inerat, in eo effloruit, sublataque est ejus forma, & color, ita ut ea de causa mihi deferbuerit desiderium, quo flagrabam, mihi ejus omnino vel plurima pecunia comparandi; ideo alterius potestati cessit, qui emit; quem statim ac secundi domini cessit potestati, vidi extemplo restitutum in suam pristinam essentiam, colorem, & formam, qualis antea erat, nullaque labe vel minima deformabatur; ita ut meam fortunam maxime doluerim, præsertim videns in hoc lapide divini aliquid inesse, qui demonstraret omnibus periculum malorum eventuum priusquam evenirent. Præterea optimus est hic lapis ad præservandum hominem, qui gestat, ab omni malo, excepta morte; & scito optimum quoque esse ad corroborandum infirmi animum, & abigendum dolorem, & augendam lætitiam, & servandam oculorum sanitatem, & efficiendum, ut is, qui gestat, in omnibus suis operibus prosperetur.

Idcirco assignatus est Dan, ut per illum expiaretur, dignusque haberetur suis operibus; cum esset Dan natura sua similis cyano, qui æqualiter multos dominos unum post alium nullo habito discrimine diligit; ita pariter Dan non fuit diu in fide sua constans; aliquando Deum amavit, ut in viis ejus ambularet, & aliquando abiit post vitulos, quos fecit Jeroboamus, statuitque in suis urbibus, & in suo imperio, uti scriptum est 3. *Reg.* XII. 29. *Posuitque unum in Bethel, & alterum in Dan.* Et aliquando erexit sibi Michæ sculpturam, sicuti scriptum est *Judic.* XVIII. 31. *Mansitque apud eos idolum Michæ.* Præterea datus est illi hic lapis appellatus לשם propter urbem לשם, quæ appellata fuit Dan juxta nomen Dan patris sui. Præterea attributus est illi, quia Dan comparatus est Leoni, sicuti scriptum *Deut.* XXXIII. 22. *Dan catulus leonis, fluet largitur in Basan.* Et pristinum nomen urbis לשם erat ליש, sicuti scriptum est *Judic.* XVIII. 29. *Quæ prius Lais diceba-*

הטבעיי'

הטבעיי׳ פרק י״ו׳ בימים הקודמי׳ לא היו צדים האריות אלא בסכנה ובינִיעה רבה׃ אמנם בימי המלכות מהקיסר קלאודיאו הרומיי׃ המקרה הראה לנו דבר שהוה בושה וכלימה לחית הזאת עד מאד כי כשבא הארי על רועה אחד מארץ גיטוליאה לטרוף אותו תכף השליך הרועה הבגד או הכסות שהיה עליו על ראש הארי עד שסתם את עיניו ונצל ממנו בנקלה׃ וכבר הריצו הדברים והשמיעו אותם למלכות׃ ובאמת קשה הוא לחאמין איך יזדמן שחיה אחת שאין למעלה ממנה בגבורה תבא לידי יראה ורכות הלבב ובמסתר פנים ועטיפת הראש וסתימות העינים בלבד תסיר כחה ממנה ותבא בחרפ׳ תחת רשות וממשלת האדם עד שיקשרוה בחבלום וכשה לטבח תובל וכרחל לפני גוזזיה תאלמה׃ וזהו מפני שכל כחה ישכון ויליז בעיניה׃ ועכ״ אין להפלא אם האיש ליסימאקו שהיה כלוא וסגור בסוהר במצות אליכסנדיר עם ארי נוהם גבור חיל חנק אותו בנקלה׃

עוד נתנה לדן האבן הזאת לשמיר עיני השופט הבא ממנו כדכתיב דן ידין עמו כאחד שבטי ישראל׃ והוא שמשון׃ אם יזכה ולא יזנה אחרי עיניו׃ אמנם מפני שכל שבטו סרו מאחרי ה׳ כאמור והוא חטא בעיניו עד מאד כדכתיב אותה קח לי כי היא ישרה בעיני הפלשתים נקרו את עיניו כדי שיקבל עונשו בעולם הזה׃ ולא יטרד מן העולם הבא׃ וגם בזכות האבן הזאת נעתר ה׳ לקולו ושמע תפלתו כשחזר בתשובה ודאג על עונותיו עד שנקם נקמתו משתי עיניו כדכתיב ויאמר ה׳ אלהים זכרני נא וחזקני נא אך הפעם וגו׳׃ ואמרו במדרש שאמר שמשון רבונו של עולם תן לי שכר עיני אחת בעולם הזה ושכר עיני אחרת תהא שמורה לי ומתוקנת לעתיד לבא.

עוד נתן הלשם לדן מפנו ששמשון כב יכול נדמה לה׳ יתב׳ שדן גם הוא את ישראל כאביו שבשמים׃ אמרו במסכת סוטה פרק המקנא׃ אמר ר׳ יוחנן שמשון דן את ישראל כאביהם שבשמים שנאמר דן ידין עמו כאחד וגו׳׃ ואמר ר׳ יוחנן שמשון על שמו של הקב״ה נקרא שנאמר כי שמש ומגן ה׳ אלהים׃ אלא מעתה לא ימחק׃ אלא מעין שמו של הקב״ה׃ מה הקב״ה מגן על כל העולם כלו אף שמשון הגין בדורו על ישראל׃ אמר אברהם

tur. Et ליש ſignificat leonem, uti ſcriptum eſt *Iſai.* xxx. 6. *Leæna & leo ex eis*. Præter hæc aſſignatus eſt cyanus quia aſſimilatur oculis leonis, cui Dan comparatus fuit; & ſimbulo exprimitur leo magis oculorum ſimilitudine quam reliqui corporis, quia ab oculis leonis robur derivatur. Dicit *Plinius* in ſuo octavo libro cap. 21. *Hiſtor. Naturalis* Capere eos *antiquitus* ardui erat quondam operis; Principatu Cladii caſus rationem docuit, pudendam pene talis feræ nomine, paſtoris Gætuli ſago contra ingruentis impetum objecto; quod ſpectaculum in arenam protinus translatum eſt, vix credibili modo torpeſcente tota illa feritate, quamvis levi injectu aperto capite, ita ut devinciatur non repugnans, videlicet omnis vis conſtat in oculis. Quo minus mirum ſit a Lyſimacho Alexandri juſſu ſimul incluſo ſtrangulatum leonem.

Præterea datus eſt Dan hic lapis ad conſervandos judicis oculos, qui ab eo naſci debebat, ſicuti dictum eſt *Geneſ.* XLIX. 16. *Dan judicabit populum ſuum* &c. Hic fuit Samſon, ſi innocens fuiſſet, neque abiiſſet poſt oculos ſuos. Idcirco ſicuti univerſa ejus tribus a Deo receſſit, ſicuti dictum eſt, & oculis vehementer peccavit, ſicuti ſcriptum eſt *Judic.* XIV. 3. *Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis*: a Philiſtæis oculis orbatus fuit ut ſua pœna afficeretur in hoc mundo, neque a futuro expelleretur; atque etiam ob meritum horum lapidum Deus ejus vocibus auſcultavit, & ejus orationem exaudivit, tum cum pœnituit, & doluit peccatis ſuis, ut una ultione ambos oculos ulciſci potuerit, ſicuti dictum eſt *ibid.* XVI. 28. *Domine Deus memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem priſtinam* &c. Et dicitur in *Medraſc*, quod dixerit Samſon, Domine mundi; da mihi mercedem alterius ex meis oculis in hoc ſeculo, & alterius in futuro mihi reſervata & præparata ſit.

Præterea atributus eſt הלשם Dan, quia Samſon in hoc Deo benedicto aſſimilabatur, ipſe quoque judicans Iſraelem ſicut pater qui eſt in cœlis; Dicunt in *Gemara Sotah* cap. Dixit R. Jochanan; Samſon judicavit Iſraelem, ſicuti eorum pater, qui eſt in cœlis, ſicuti dictum eſt *Geneſ.* ibid. *Dan judicabit populum ſuum* כאחד *ſicut unus* &c. Dixit R. Jochanan; Samſon Dei nomine appellatus fuit, ſicuti dictum eſt Pſalm. LXXXIV. 12. כי שמש ומגן ה׳ אלהים. Hoc delere nefas erit. At eſt analogum nomini Dei; Sicuti Deus protegit univerſum mundum, ita pariter Samſon ſua ætate pœ-

המחבר שמשון על שמו של הקב״ה נקרא ·
אולי אמרו זה כי חשבניה דיק כחשבניה
דדיק כי אהיה שהוא שם ה׳ שמות ג׳ עולה
כ״א ושמשון גם כן עולה כ״א במספר קטן
או על שמו של הקב״ה נקרא היינו בשם
ההויה שעולה כ״ו כי שמשון כאמו עולה
כ״א ושמו של שמשון נכתב בחמש אותיות
שבצרופם יחד הם כ״ו·

השבו או היאצינטו הוא אבן הדומה כמעט
לפרח ההוא הנקרא גם הוא בשם זה יאצינטו·
וצבעו הוא משותף מצבע הזהב וצבע הירוק
כעשב כמעט דומה לכיאניאו אבל אינו
כמוהו מכל וכל ונקרא הצבע הזה בלשון
יון פירוס הכתוב עם האות׳ שלהם פי ורו
כפול ואומיקרון וסיגמא שרוצה לומר כרכומי
דומה ללבת אש שיש בה גם כן צבע נוטה
מעט לירקות העשבים חלוש· ובלאטינו נקרא
פולבוס· והיאצינטו והאמיטיסטו הם כמעט
דומי׳ בצבעם זה לזה· אך יובדל בזה צבע
היאצינטו מצבע האמיטיסטו כי צבעו של
האמיטיסטו הוא דומה לפרח הויאולה ממש·
אמנם היאצינטו הוא יותר חלוש בצבעו ונוטה
מעט לצבע התכלת·

של שלש׳ מינים· הא׳ הוא נוטה מעט והנה
היאצינטו הוא לארמימות הפחם או הגחלת
המוצתת באש· ולאבן הזה רבים מחכמי האבנים
טובות נתנו המקום הראשון שבמינו במעלה·
המין השני היא נוטה לצבע הכרכום עד שיהיה
חשוך מעט מהצבע פולבו הפשוט· והשלישי
הוא נוטה מהצבע פולבו לצבע צירוליאו
שהוא הכיאניאו ונקר׳ האבן מהמין
השלישי זה יאצינטו ספריי· ולמין זה האחרון
חכמים אחרים נתנו המעלה הראשונה
העולה על שאר המינים להיות שנכללו בו
טבע היאצינטו והסאפירו גם יחד· והמין הזה
,רגיש גם כן יותר איכיות ושנוי האויר הסובב
עלינו ממה שעושים שאר היאצינטי כי אם
יהיה האויר זך גם הוא יאיר היטב ויראה
לנו פנים צהובות ושוחקות· ואם יהיה האויר
מעונן גם הוא יחשך ויתמעט קצת בזיוו והודו·
עד שבדבר הזה נכיר ונדע שסגולות היאצינטו
יושפעו עליו מן השמים· אמנם האבן הזה
וכל שלשת המינים ממנו הוא קשה בטבעו
ולא יעשו בו פתוחי חותם אלא ביגיעה רבה·
וסגולות היאצינטו הם אלה· היינו הקרירות
והצנון כי הוא מקרר ומצנן את הגוף ומביא
שינה ומנוחה ושמחה על הנושאו׃ ויועיל

tit Israelem. Dixit autor Abraham. Samson Dei nomine appellatus fuit; probabile est hoc dictum esse, quia supputatio numerica unius alterius supputationi respondet etenim ex אהיה quod est Dei nomen, uti legitur *Exod.* III. numerus 21. eruitur; & ex שמשון pariter 21. minori numero eruitur; Sive Dei nomine appellatus fuit, i. e. nomine ההויה unde numerus 26. eruitur, pariterque ex שמשון 26. eruitur, uti dictum est, & nomen Samsonis quinque scribitur literis, quæ si una connectantur, sunt 26.

השבו aut hyacinthos flori similis, qui hyacinthi nomine insignitur; ejus color commixtus est [*a*] auri colore, & viridi instar herbæ, feræ, sed non omnino similis cyaneo; Græce hic color πυῤῥὸς dicitur scriptum eorum litera pi, & ρο duplici, omicron & sigma, i. e. color croceus similis flammæ ignis, in qua est color fere inclinans ad virorem hebetiorem herbarum, & Latine dicitur *fulvus*. [*b*] hyacinthos & amethystus sunt fere similes, sed in hoc differt hyacinthi color ab amethysti colore, quod amethysti color sit similis flori violaceo, at hyacynthos est colore gremissior; & paulo inclinat ad התכלת *hyacinthi* colorem.

Tres [*c*] sunt hyacinthi species, prima paulum inclinat ad rubedinem carbonis igni accensi, aut prunæ; atque huic lapidi qui periti sunt in scientia lapidum pretiosorum, principatum dederunt in sua specie. Secunda species ad colorem croceum inclinat, ut sit simplici colore fulvo obscurior. Tertia a fulvo ad cœruleum colorem inclinat, qui est cyaneus; appellaturque hic lapis hujus tertiæ speciei hyacinthos sapphirius; huic postremæ speciei alii sapientes præ ceteris principatum tribuerunt, cum in ea hyacinthi & sapphiri natura una simul includatur. Hæc species sensibilior est qualitatibus, & mutationibus aeris, qui nos circumdat; quam ceteri hyacinthi, si enim purus fuerit aer, qui nos circumit, clarius lucebit, ejusque facies nobis videbitur micantior, & quasi obridens; si vero fuerit aer nubilosus, ipsa pariter fiet obscura, & de ejus splendore & forma remittet, ut hinc innotesceret hyacintho virtutes a cœlo derivari. Ceterum tres hujus lapidis species natura sua sunt duræ, neque ex his sigillorum sculpturæ nisi magno labore fiunt. Hiacynthi virtutes sunt quæ sequuntur, i. e. frigiditas, quæ corpus refrigerat, conciliat gestanti somnum, & quietem, &

ללב

(a) Vide *Plinium ibid.* cap. 42. (b) Vide *Plinium ibid.* cap. 24. (c) Vide *Plinium ibid.* cap. 42. Vide *Plinium ibid.*

ללב וישמור האדם מכל רע בזמן המנפה ושנוי האויר אם יתלוהו על הצואר ויגע הבשר וירד על החזה במקו׳ מושב הלב והוא טוב כמו שאמרו החכמים להעשיר· וימציא לנושא אותו חן וחסד ורחמים בעיני כל רואיו ויועיל לחכמה ולהשכל· והנה שם האבן הזה בלשוננו הקדו׳ היא שבו על שם הישיב והמנוח׳ מלשון לכן קראתי לזאת רהב הם שבת ישעיה׳ והלשון לועז האומר ייאצורי לשכיבה הוא כמעט דומה לשם הזה יאצינטו· וגם השכיבה נאמרת על ההנאה והמנוחה והמרגוע כמו שכתב החכם ר׳דק בשרש שכב· עד כי ישמש שבו לשכיבה ולישיבה ולמנוחה גם יחד.

אמנם נתנה האבן הזאת לנפשלי מפני שהוא היה חכם ובעל מליצה כדכתיב הנותן אמרי שפר· והיה עשיר ושלו ושקט ושמח כדכתיב נפתלי שבע רצון ומלא ברכת ה׳· על כן השבו היה ראוי בלי ספק לעלות לגורלו באבני החשן.

האחלמה או האוניקו הוא של מיני׳ רבים כי יובדלו ביניה׳ או מצד הצבע שלהם או מצד המקום הבאים ממנו· אך חמרו של אוניקו הוא בעצמו שוה לכל המינים שלו· אמנם מצד הצבע יהיו האוניקי של חמשה מינים· המין הראשון הוא לבן דומה לצפורן האדם כי כן נקרא בלשון יון הצפורן אוניקס· והמין הזה אין לו שום רישום עליו· המין השני הוא לבן עם רישומי׳ אדומים· המין השלישי הוא לבן עם רשומים שחורים· הרביעי הוא שחור בהחלט מבלי שום רושם· החמישי והוא הטוב שבכלם הוא שחור עם רישומים לבנים· ואולם ההבדל שיש ביניהם מצד המקום הוא על שני פנים· כי המינים האלה כלם או הם באים מארץ מדי או מארצות הערב.

אמרו החכמים שלהם כי מי שישא האבן הזה עלו הוא מביאו לידי דאגה ופחד ורעדה וירבה החלומות המבהילים והקטטות והמריבות והמלחמות· על כן האוניקו נקרא בלשוננו הקדוש אחלמה על שם החלומות שמביא עליו הנושא אותו· וכן כתב ר׳דק ז׳ל בשרש חלם שהאבן אחלמה נקרא כן על שם החלומות·

והנה נתנה האבן הזאת לגד מפני שהיה לעולם טרוד במלחמות כדכתיב גד גדוד יגודנו היינו גדודי יגודו הימנו שיעכרו עם אחיהם למלחמה כל חלוץ עד שנכבשה

lætitiam, cordique prodeſt, & epidemiæ, & aeris mutationis tempore ab omni morbo tuetur, ſi collo appenſus, carnemque tangens, ſuper pectus deſcenderit, ubi ſitum eſt cor. Optimus eſt (uti dicunt ſapientes) geſtanti, ut diteſcat, & inveniat gratiam & miſericordiam, & pietatem in conſpectu omnium, qui illum videant; prodeſt quoque ſcientiæ & intellectui; hic lapis noſtra ſancta lingua שבו appellatur ob quietem & requiem, ex eo quod ſcriptum eſt *Iſai.* XXX. 7. *Ideo clamavi ſuper hoc; ſuperbia tantum eſt quieſce*; & vox vernacula *giacere* i. e. שכיבה eſt fere ſimilis nomini hyacinthi. Pariterque שכיבה uſurpatur ad ſignificandum jucunditatem, quietem, & requiem, uti ſcribit ſapiens *Radak* in radice שכב.

Idcirco attributus fuit hic lapis Nephtali, quia erat ſapiens & optimus orator, uti ſcriptum eſt *Geneſ.* XLIX. 21. *Dans eloquia pulchritudinis*. Et erat dives, quietus, & tranquillus, & lætus, ſicuti ſcriptum eſt *Deut.* XXXIII. 23. *Nephtali abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini*. Ea de cauſa השבו conveniens erat, qui ſorte impartiretur ſine ullo dubio Nephtali in lapidibus pectoralis.

האחלמה, aut onychis ſunt multæ ſpecies, quæ cum colore, tum loco, unde afferantur, inter ſe differunt; at onychis ſunt quinque ſpecies; prima candida eſt humani unguis ſimilitudine; unguis enim Græce ὄνυξ appellatur, iſtaque ſpecies nulla zona inſignitur; ſecunda candida eſt rubris zonis, tertia candida eſt nigris zonis, quarta tota nigra eſt nullis zonis inſignita, quinta omnium optima nigra eſt albis zonis inſignita; ceterum diſcrimen, quod inter illas intercedit, ratione loci; eſt duabus de cauſis; eo quod omnes ſpecies afferantur ſive de Media, ſive de Arabia.

Dicunt eorum Sapientes, quod qui hunc lapidem geſtat, perturbatione, metu, & tremore afficiatur, & ab eo multiplicentur ſomnia horribilia, & turbæ, & contentiones & certamina; idcirco onyx noſtra ſancta lingua אחלמה appellatur, propter ſomnia, quæ geſtanti derivantur; atque ita ſcribit Radak f. m. in radice חלם, quod lapis אחלמה propter ſomnia ita appelletur.

Aſſignatus fuit hic lapis Gad, quia ſemper bellis occupatus fuit, ſicuti ſcriptum eſt *Geneſ.* XLIX. 19. *Gad accinctus præliabitur ante eum*. Id eſt exercitus ab eo præliabuntur qui cum fratribus ſuis

הארץ·

הארץ · ואת שילחמו בלבד עם המערכת הראשונה שתצא לקראתם מהאויבים כדכתיב ועבדיך יעברו כל חלוץ צבא לפני ה׳ למלחמה ואחרי כן ישקוטו ויניחו אחיהם שילחמו הם לבדם עם שאר המערכו׳ : אין הדבר כן· כי הוא גד יגוד ג״כ עם העקב היינו ילחם תמיד עד שידיע למערכו׳ האחרונות שהם עקב וסוף מחנה האויבי׳· באופן שיהיו תמיד עסוקים ונטפלים במלחמות· גם בני גד היו דואגים מאד על מיתת משה רבינו ע״ה ועל כן מאהבתם אותו כאשר ראו בראשונה קודם שיעלו ראשי עם ישראל לארץ שהיתה שם חלקת מחוקק ספון אשר צדקת ה׳ עשה ומשפטיו עם ישראל בחרו לשאל הארץ ההיא לנחלה מאת ה׳ עד שתהיה ראשית כבוש הארץ עולה לחלקו בראשונ׳ לא מפני שיחפצו ויתאוו לישב שם בשב ואל תעשה מפני רכות׳ לבבם וירצו לקחת להם שדה אחוזה מבלי כלי מלחמה כי הנה כתוב ואנחנו נחלץ חושים כו׳ עד אשר אם הביאונום אל מקומם וכן עשו כדכתיב ויתא ראשי עם אלא מפני שנכספה וגם כלתה נפשם לחסות תחת צל קבורת בחיר ה׳ כאשר העיד הכתוב ואמר כי שם חלקת מחוקק ספון· והנה הדאגות המתמידות והמלחמות החזקות אין ספק שיביאו גם כן על האדם הטרוד והיעף והיגע חלומות מבהילים והזיונות של פחד ורעדה על דרך רעיונך על משכבך סליקו· אמנם בזכות האבן הזאת המזכרת טרדו׳ שבטו ודאגת בניו לפני ה׳ יזכה גד כי ירחיב ה׳ את לבו מרוב שלום וגם ירחיב את גבולו עד שישקוט על כר נרחב שמח וטוב לב וישלוט באויבים מבלי עמל ואנחה ויעלוז לפנו ה׳ כשיפלו בידו בנקלה כמו שישמח הארי כשיטרוף זרוע וקדקוד הנטרף ויאכל וישבע והוא כורע ורובץ תחתיו מבלי שיחזר אחריו·

התרשיש או הקריסוליטו הוא אבן של

incedent ab bellum armati, donec terra subjiceretur. Si tibi veniret in mentem dicendum esse, quod solum cum prima hostium acie pugnarent, quæ contra illos egrederetur, sicuti scriptum est *Num.* XXXIV. 27. *Nos autem famuli tui omnes expediti pergemus* לפני ה׳ *ante Dominum ad bellum;* & deinde quiescerent & tranquilli essent, & sinerent fratres suos cum ceteris aciebus solos præliari; non ita se res habet, quia Gad pariter usque ad finem pugnare debebat, sicuti dictum est *Genes. ibid.* i. e. pugnabit jugiter, donec ad novissimas acies perveniret, quæ sunt extrema & finis castrorum hostium, ita ut semper bello operam impenderent. Præterea filii Gad morte Mosis magistri nostri b. m. plurimo affecti erant mœrore; propter amorem quo illum prosequebantur, quando primum viderunt, priusquam adscenderent principes populi Israelis ad terram, quod ibi sepultus esset legislator qui *fecit justitias Domini, & judicium suum cum Israel*, decreverunt petendam illam terram in suam hæreditatem a Domino, ita ut prima terra subacta primum in portionem suam sibi contingeret; non ea de causa quod ibi cuperent habitare propter animi sui infirmitatem, & sine armis agrum possessionis capere vellent; quinimo dixerunt *Num.* XXXII. 17. *Nos autem ipsi armati & accincti pergemus ad prælium ante filios Israel, donec introducamus eos ad loca sua.* Atque ita fecerunt, sicuti dictum est ויתא ראשי עם; sed ea tantum causa, quod concupivit & desideravit eorum anima confugere sub umbra sepulchri dilecti Domini, sicuti testatur scriptura *Deut.* XXXIII. 21. *Quod in parte sua doctor esset repositus.* Ceterum certum est a doloribus, & perturbationibus continuis, & maximis bellis sine ullo dubio homini occupato, & defatigato derivari somnia, quæ deterrent, & visiones terribiles, & horribiles, sicuti scriptum est *Daniel.* II. 29. *cogitare cœpisti in strato tuo.* Idcirco ob virtutem & meritum hujus lapidis, qui hujus tribus occupationes commemorabat, & perturbationes suorum filiorum coram Domino, Gad habitus est dignus, ut Deus multa pace dilataret cor suum, & proferret fines suos, donec in prato amplo lætus & corde hilaris conquiesceret, & inimicis suis facile sine labore & suspiriis dominaretur, & exultaret coram Domino, quando in suam potestatem caderent, quasi leo lætatur, quando *cepit brachium & verticem*, & comedens saturatur, & se incurvans recumbit, neque insequitur.

התרשיש sive chrysolithus est lapis qua-

ארבע

ארבע׳ מינים· כי הנה או הוא בא מארץ הערב או הוא בא מארצות אשכנז או היא הינדי או הוא בא מכוש· וצבע הערבי הוא בלתי פשוט ועכור· והאשכנזי הוא כצבע לבן חלוש נוטה מעט אל הזוהר והוא אבן רך הנשבר בנקלה· ההינדי צבעו יטה׳ מעט אל הצבע ההוא הנקרא כיאניאו או הוא דומה לשמן זית הצלול· או הוא דומה למימי הים שנוטים אל ירקות חלוש מהעשבים עם מעט אדמימות והוא בהיר עד שהתרשיש הרומה לים ירמה לרקיע שבו נראה דמות התרשיש כרכתיב ביחזקאל א׳ מראה האופנים ומעשיהם כעין תרשיש כו׳· ועוד כתוב ומראה האופנים כעין אבן תרשיש יחזקאל ט׳ והכושי יש לו צבע ירוק חלוש ובהיר ולעין השמש יבהיק כוכב שצבעו דומה לזהב והשני מינים האחרונים הם הנבחרים שבמינו.

אמרו החכמים בטבע האבנים כי יעיל הקריסוליטו׳ לאברי הנשימה ולרכות הלבב ולמרה השחור׳· ושהוא מנגד לסכלות ושהוא מגרש ומבריח הרוחות רעות ושהוא מחכים הפתאים ונותן בם דעה ובינה והשכל ושימנע החלימות הרעים· ושירפא הפחד והרעדה· ושהנושאו עליו הוא מוצא חן בעיני כל רואיו: ושאם האדם ישתמ׳ ממנו תמיד יצליח בפרקמטי ויהיה ערום ופקח בעסקי העולם.

והנה נתן התרשיש לאשר מפני שהוא היה מוצא חן כרכתיב יהי רצוי אחיו· ועוד מפני שידמה התרשיש לים· ובאשר נאמר שופטים ה׳ אשר ישב לחוף ימים ועל מפרציו ישכון· או מפני שידמה הקריסוליטו לצבע השמן זית הטוב שהוא הדבר שנשתבחה בו ארצו ברכתי׳ וטובל׳ בשמן רגלו· עוד מפני שהיו בני שבטו חכמים כבראה באשה התקועית ובאשה החכמה דשבע בן בכרי· שאמרו ז״ל שהיא היתה שרח בת אשר· וכן נראה מתרגום הקרוש יונתן בן עוזאל על פסוק ושם בת אשר שרה· ששרה היתה רבת הימים שכתב ושום ברת אשר שרח דאתברת בשיתין ריבוון מלאכין ואיתעלרת לגינתא רעדן בחייהא מן בגלל דבשרת ית יעקב דעד כדון יוסף קיים· ועוד בשבח השמן אמרו

tuor ſpecierum; etenim vel ex Arabia, vel ex Germania, vel ex India, vel ex Æthiopia affertur. Arabici color eſt ſimplex & turbidus; & Germanici color eſt albus remiſſus, & ad micantem inclinat, & eſt lapis tener, qui facile frangitur. Indici color inclinat fere ad illum colorem, qui cyaneus appellatur, aut ſimilis eſt claro olivarum oleo, aut aquis marinis, quæ referunt virorem hebetiorem herbarum aliqua rufa nota diſtinctum, & eſt diaphanus, ut chryſolithus, qui mari ſimilis eſt, firmamento aſſimiletur, in quo Chryſolithi ſimilitudo conſpicitur, uti ſcriptum eſt *Ezech.* I. 16. *Et aſpectus rotarum, & opus earum quaſi lapis* תרשיש *chryſolithus* &c. Sic Hebræus. Pariterque *ibid.* ſcriptum eſt X. 9. *Species autem rotarum erat quaſi viſio lapidis chryſolithi*. Æthiopici color eſt viridis hebetior, & diaphanus, & ad oculum ſolis ſplendet quaſi ſtella quæ aureo colore inſignita ſit: duæ poſteriores ſpecies ſunt omnium optimæ.

Dicunt, qui periti ſunt in ſcientia naturæ lapidum, chryſolithum prodeſſe organis reſpirationis, & cordis palpitationi, & melancholiæ, & inſcitiæ adverſari, & ſpiritus malignos abigere & expellere, & indoctos ejus cauſa fieri ſapientes, illiſque ſapientiam, ſcientiam, & optimum intellectum comparare, malaque ſomnia prohibere, timiditati & tremori mederi, illumque, qui geſtat, invenire gratiam in oculis omnium, qui ipſum intueantur; eumque, qui ſemper eo utatur, in mercatura proſperaturum, & in rebus humanis ſagacem & prudentem futurum.

Ecce attributus eſt hic lapis chryſolithi Aſſer, quia inveniebat gratiam, ſicuti ſcriptum eſt *Deut.* XXXIII. 24. *Sit placens fratribus ſuis*. Præterea quod chryſolythus mari comparetur, & de Aſſer ſcriptum eſt *Judic.* V. 17. *Aſſer habitabat in littore maris, & in portubus morabatur*. Aut quod chryſolithus ſit ſimilis optimo olivarum oleo, quo maxime ejus terra celebrata eſt; ſicuti ſcriptum eſt *Deut. ibid. Et tingat in oleo pedem ſuum*. Præterea, quod viri ſuæ tribus eſſent ſapientes, uti videtur in muliere Tekoah, & in muliere ſapiente Seba filii Bicri, quam dicunt noſtri Sapientes fuiſſe Scerach filiam Aſſer quod demonſtratur ex paraphraſi Chaldaica S. Jonathanis Uzielidis, qui in textum *Num.* XXVI. 46. *Nomen autem filiæ Aſer fuit Sara*; quæ plurimos vixerat annos ita ſcribit; & nomen filiæ Aſer fuit Sara; & vivens in Paradiſum ingreſſa eſt, quod Jacobo nunciaſſet, Joſephum adhuc vivere. Præterea in olei laudem hoc dixerunt Sapientes noſtri f. m. quod pater obliviſci fa-

רבותינו

רבותינו ז״ל כל מה שהאב משכח הבן מפקח
או כל מה שהזית משכח השמן מפקח.

השוהם או הסמיראלדו הוא בין כל האבנים
טובות השלישי במעלה · ואין בכלם צבע שייטב
בעיני האדם יותר מצבע האבן הזה כי הנה
אנחני מתערגני׳ מאד במראה היריק של כל
העשבים והאילנות הרטובים בטבע וכל מכן
מראה הסמיראלדו יהיה טוב וישר ואהוב
ונחמד בעינינו מפני שלא ימצא דבר אחר
בנבראים שיטה לצבע הירוק השלם והמובחר
כמוהו · ועוד הסמיראלדי לבדם הם נאים
ומתוקני׳ לעינים תמיד ולא ירוו או ישביעו
אותם לעולם עד שיקוצו בם ולא יחפצו
במראיתם · אך כהיות העינים חלושים ועיפים
במבט דבר מה הקש׳ לעיני׳ יחזירו הסמיראלדי
הראות על מתכונתו עד שיהיו העינים שלוים
ושקטים בריאו׳ וחזקי הראות כבראשונה ·
והאומנים המפתחים פתוחי חותם באבנים
הטובות ישתמשו בהם להסיר מעיניהם כל
חלשה ויגיעה הבאה בהם כשיתעסקו ומן
ארוך במלאכת הפתוח · עוד הסמיראלדי הם
מחזיקים העינים עד שיראו למרחוק
המשתמשים בם יותר ממה שרואים בלתם
וזהו כי יזהיר אורו הסמיראלדו בעננו ענן
מאיר ומצהיב בכל נופו עד כי יזרח ויפיע
על כל מה שהוא סביב לו ·

והנה הסמיראלדי הם של שני׳ עשר מינים ·
היינו כפי טבע המקומות המיבאי׳ מהם והם
אלה · השיטיצי · הבריטאניצי · שבאים
מאיננילטירה · המצריים · הציפריאני · הכושיים ·
הארמיניאי · הפרסיים · האטיניאינסי .
והבאים מארץ מדי הקארקידונניאי ·
הלאקוניצי · והציציליאני · אך המעלה
הראשונה תיוחס לסמיראלדי שיטיצי כי הם
יותר קשים משאר הסמיראלדי ואין בהם
כל מום כמו שיש בשא׳ המיני׳ מהם · המעלה
השנית היא בבריטאני היינו בבאים מארץ
אינגילטירה · והשלישית היא במצריים ·
והשיטיצי כמו שאמרו רבים ומצאו בהרי׳
הנבוהי׳ במקום אשר שם מחצבי הזהב ובעמל
רב וביגיעה נמרצת יקחו אותם אנשי הארץ
משם · כי הגריפי נקרא הגריפו בלשוננו
הקדוש פרס והוא העוף טמא השני הכתוב
בפסוק הנשר והפרס כו׳ אשר שם יקננו
ישמרו אותם ולא יניחו שהנוים הדרים בהר
ההוא יטלו אותם משם גם כי הם באים
מזויינים תמיד להוציא בחזקה ממקומם הטבעי
הזהב והסמיראלדי · נקראו הנוים הדרים שם
ארימאספי · ואין להם אלא עין אחת במצחם ·
אולם יוני אחד העיד כי הסמיראלדי יצמחו
בהרים אשר הם במעי ים אוקיאנוס הנקראים
בלעז סקוליי · ואחרים אמרו והוא האמת ·
שיולדו במחצב הנחשת כי החלורה של נחשת
הנקראת בלעז רופיגייני היא ירוקה כעשבים
עד מאד · והנה הסמיראלדי היפים הם
ירוקים בשלמות עם זוהר נמרץ עד כי יצבעו

cit filius facit recordari, aut quod oliva obliviſci facit, oleum recordari facit.

השוהם aut ſmaragdus (*a*) tertium inter lapides pretioſos æſtimationis obtinet locum; neque ullus color hoc hominum oculis (*b*) jucundior eſt. *Nam herbas quoque virentes, frondeſque avide ſpectamus; Smaragdos vero tanto libentius, quoniam nihil omnino viridius comparatum illis viret. Præterea ſoli gemmarum contuitu oculos implent nec ſatiant; quin & ab intentione alia obſcurata adſpectu ſmaragdi recreatur acies*; ita ut oculi quieti & valentes ad priſtinum ſtatum reſtituantur. *Scalpentibuſque gemmas non alia gratior oculorum refectio eſt; ita viridi lenitatem laſſitudinem mulcent. Præterea longinquo amplificantur viſu*, qui his utuntur, *inficientes circa ſe repercuſſum aera, ſemperque ſenſim radiantes, & viſum admittentes.*

(*c*) Smaragdorum genera ſunt duodecim, i.e. a locorum natura, unde afferuntur, & ſunt ſequentes; Scythici, Brittanici, qui ex Anglia adducuntur, Ægyptii, Cyprii, Æthiopici, Armenici, Perſici, Athenienſes, & qui de Media afferuntur (*d*) Charchedonii, Laconici, & Siculi. Sed princeps [*e*] Scythicis tribuitur locus; ſunt enim reliquis ſmaragdis duriores, neque maculis ut ceteri deformantur. Proximum locum obtinent Brittanici [legendum Bactriani] qui ex Anglia afferuntur, & tertium Ægyptii. Scythici, uti multi dixerunt, deprehenduntur in altiſſimis montibus, ubi ſunt auri fodinæ, multoque labore & moleſtia ab ejus regionis incolis colliguntur, eo quod Gryphes, (qui Hebraice dicuntur פרס, & eſt avis immundus ſecundus deſcriptus in textu הנשר ואת הפרס) qui ibi nidificant, eos cuſtodiant, neque ſinunt montis incolas accipere, ut ſemper armati adveniant, ut a naturali loco aurum & ſmaragdos vi abſtrahant. Qui hanc incolunt regionem, vocantur Arimaſpi, unoque tantum in fronte inſigniuntur oculo. Ceterum Græcus autor teſtatur Smaragdos florere in montibus, qui ſunt in ſinu maris oceani, qui Italice *ſcogli* appellantur; at alii (quod verum eſt) dicunt produci in fodinis æris, quia æris rubigo inſtar herbæ eſt viridis. Ecce perfectiores ſmaragdi ſingulari virore inſigniuntur cum magno nitore, ita ut ſuo fulgore & ſplen-

בברקם

(a) Vide *Plinium ibid.* cap. 16. (b) Vide *Plinium ibid.* (c) Vide *Plinium ibid.* c. 16. (d) Male Brittanici, legendum Bactriani Vide *Plinium ibid.* (e) Vide *Plinium ibid.* (f) Legendum Calchedonii vide *Plinium ibid.* c. 18.

בברקם וזיום האויר הסמוך בצבע ירוק וצריך שיהי' השטח העליון שלהם ישר וחלק באופן שהחלק האחר לא יכסה בצלו החלק האחד ממנו עד שלא יראה בעבור זה הזוהר שלו בכל החלקים בשוה כמו שנראה בשטח הישר והחלק·

אמרו החכמים כי הסמיראלדו יועיל בסמים הממיתים כי אם יתנו ממנו כמו שמנה גרעיני שעורה כתוש היטב עד שיהיה לעפר דק למי שאכל סם ממית יציל החולה מהמות· ואמרו שאם הנחשים הרעים יביטו כמו שעה בסמיראלדו הטוב ימקו עיניהן בחוריהן והוא טוב אם יהיה תלוי בצואר או קשור בטבעת לשמור האדם שלא יבא לידי חולי הנופל· וגם הסמיראלדו הוא מתנגד לבעילת האשה ואם יהיה ביד האדם כשהוא בא עליה יתפוצץ מרוב ההתנגדות שיש לו עם משכבי האשה· אמר אלבירטו מאגיו בספרו השני ממיני המחצב והאבנים טובות פרק י״ז כי מלך אונגאריאה שמלך בימיו של אלבירטו· היה לו סמיראלדו אחד טוב ומובחר קשור בטבעת באצבעו בשעת בעילת המלכה אשתו ושבעת הביאה נשבר האבן לשלשת חלקים· עד כי הדבר ברור הוא שהסמיראלדו בטבעו הוא שונא הזימה· ואמרו שיועיל לזכירה ולעינים· ושהוא טוב להעשיר· ושהוא מלמד לשון האדם להליץ ולדבר בחכמה· ולהבין החידות הנעלמות ושכמעט יביא האדם לידי נבואה.

והנה נתנה האבן הזאת ליוסף מפני שהיו לו עינים טובים לראות ולהכיר והיתה לו גם כן זכירה מעלייתא כדכתיב וירא יוסף את אחיו וגו'· ויזכור יוסף את החלומות וגו'· וגם מפני שלא רצה לבא לידי חטא ובעילת זנות עם אשת אדוניו כדכתיב ולא שמע אליה לשכב אצלה להיות עמה· וכשברך יעקב אותו אמר ותשב באיתן קשתו ויפוזו זרועי ידיו· וגם מפני שהיה חכם ובעל הלצה נאה כנרא' בפתרון חלום פרעה שהשיב בהדרגה ובחכמ' על ראשון ראשון ועל אחרון אחרון· וגם מפני שנצנצה בו רוח הקדש וידע מה שהיה עתיד לבא במהרה או ברב הימים ברוח נבואה כדכתיב אחרי הודיע אלהים אותך את כל זאת· וגם מפני שהיה איש מצליח ובעבורו אדוניו העשיר כדכתיב

dore vicinum aerem viridi colore collustrent; at necesse est, ut superior superficies sit recta & lævis, ut pars altera alteram sua umbra non tegat, ut ea de causa ex omnibus partibus ejus splendor non conspiciatur, uti conspicitur, tum cum ejus superficies sit recta & æqualis.

Dicunt Sapientes, smaragdum contra aromata virulenta prodesse; si enim præbeatur ex eo quantitas octo granorum hordeaceorum ita contusa, ut pulvis minutissimus fiat, illi, qui aromata venenata comederit, ægrotus a morte liberabitur; testantur pariter, si serpentes in smaragdum pretiosum fere horam inspiciant in eorum visu oculos liquefieri. Præterea optimum est, si collo appendatur, aut in annulo insertum ad præservandum hominem epilepsia. Pariterque smaragdus veneri adversatur, si in hominis manu deprehendatur, cum veneri dat operam, frangetur ob antipathiam adversus muliebrem concubitum. Dicit *Albertus Magnus* in suo secundo libro de qualitatibus metallorum, & lapidum pretiosorum cap. 17. Ungariæ regem, qui *Alberti* ætate regnabat, habuisse smaragdum pretiosum, & selectissimum annulo insertum, quem digito gestabat, dum cum Regina ejus uxore concumberet, in concubitus actu lapidem in tres fractum esse partes; ita ut manifestum sit, smaragdum sua natura lasciviæ adversari. Dicitur præterea prodesse memoriæ, & visui, & divitiis comparandis, & eloquentiæ cum elegantia, & sapientia, & explicandis ænigmatibus occultis, & fere homini divinationem affert.

Ecce hic lapis Josepho attributus est, quia optimis præditus erat oculis ad videndum, & congnoscendum, & singulari ornatus erat memoria, uti scriptum est *Genes.* XLII. 8. *Et tamen fratres ipse cognoscens &c. Recordatusque somniorum* &c. Præter hæc quod noluerit peccare, & adulterium committere cum uxore domini, sicuti scriptum est *Ibid.* XXXIX. 10. *Et ille recusabat stuprum*. Neque illi auscultavit, ut cum ea concumberet; & quando illi benedixit Jacob, dicit *Genes.* XLIX. 24. *Sedit in forti arcus ejus, & dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum illius;* Præterea quod esset sapiens, & eloquens ut apparet in interpretatione somnii Pharaonis, qui gradatim, & singulari sapientia respondit, primum primo, & extremum extremo; pariterque, quod in illum influxit spiritus sanctus, & futura cognovit statim, aut multo post tempore spiritu prophetico, sicuti scriptum est *ibid. Quia ostendit tibi Deus*

ויברך ה' את בית המצרי וגו'· והוא גם כן היה עשיר גדול ושולט בכל ארץ מצרים וכתיב וילקט יוסף את כל הכסף וגו'· וגם בלי ספק היה לו עושר בפלא מפני שכלכל את כל בית אביו ואחיו בשנות רעבון לחם לפי הטף עד שהאבן הזאת מן הדין היתה לו למנה נאה באבני החשן.

הישפה או היאספי· יש מהחכמים שאמרו שימצאו במינה הזכר והנקבה· ואלבירטו בספרו השני מהאבנים טובות פ"ח כתב כי היא אבן רבת הצבעים ושהיא של עשרה מינים ולא זכר אותם· אמנם אני אחרי היגיעה הרבה בינותי בספרים ובמחברים שונים ומצאתי המינים האלה שהם עשרה במספר מפוזרים בספריהם ולקטתי אותם זה אחר זה באמונה ואלה הם· היינו ההינדית הנקרא' פעם נאראמאציאה ופעם פוליגראמוס· הציפריאה· השיטיקה הפרסית הנקראת איריזוסה מפני שבצבעה היא דומה לנחשת הנקר' בלשון לאטינו אים· הטירמודונציאקה· הקאפאדרוציאה· הפריגיאה· הטראציקה· הקאלצידיקה· היאספיאקאטי· והיא אבן ישפה מורכבת בטבע בתוך המחצב שלה עם אבן אחרת הנקראת אקאטי· ובלשון לעז אגאטה· אמנם ההינדית היא ירוקה בעשב ובהירה והיא דומה לסמיראלדו· ואין הבדל ביניהם אלא מצד חמרם כי חמר היאספי הזאת הוא יותר גם ממה שהוא חמר הסמיראלדו והיא היותר חשובה שבשאר מיני היאספי· הציפריאה והשיטיקה הם צירוליאי בצבעם שאמרתי שהוא הוא הצבע הנקרא בלשון יון כיאניאו· ואולם הצרפתים קוראים לציפריאה יאספיס לבנה· והקאפאדרוציאה צבעה הוא כתכלת נוטה לצבע צירוליאו ואינה בהירה· הפריגיאה היא נוטה אל הארמימות· והטראציקה תטה לצבע ההינדית· ואינה מובחרת כמוה· הקאלצידיקה היא עבורה ומעורבב' בצבעים רבים והיא הגרועה שבכלם· ואחרי ההינדית היאספי הנוטים לצבע התכלת הם שניות במעלה· אחריהן היא היאספי שצבעה דומה לשושנ' כמו הפריגיאה· ואחריה היא הטראציקה הדומה לסמיראלדו הגרוע.

והנה אמרו החכמים כי סגולות הישפה הם אלה· היינו שישמור האדם שלא יתנו

omnia quæ locutus es. Pariterque quia erat fortunatus, ejusque causa ejus dominus locuples factus sit, ficuti fcriptum eft *ibid*. XXXIX. 5. *Benedixitque Dominus domui Ægyptii* &c. Præterea ditiffimus erat, & univerfæ terræ Ægypti dominabatur, ficuti fcriptum eft *ibid*. XLVII. 14. *E quibus omnem pecuniam congregavit* &c. Præterea fine ullo dubio miris affluebat divitiis quia pane aluit univerfam domum fui patris, & ejus fratres in annis caritatis ut merito in fuam partem illi hic lapis contingeret in lapidibus pectoralis.

הישפה, aut Jafpis; nonnulli fapientes afferunt in fua fpecie marem & fœminam deprehendi. *Albertus* in fuo libro fecundo cap. 8. de lapidibus pretiofis, fcribit effe lapidem variis coloribus infignitum, ejufque decem effe fpecies, neque mentionem facit. At ego poft fingularem laborem ftudui in libris, & in variis autoribus inveni, decem effe fpecies, quæ dividuntur in libris, & ego fumma fide unam poft aliam collegi; i. e. [*a*] Indica, quæ aliquando Garamafia appellatur, & fæpe Polygramos, Cypria, Scythica, Perfica, quæ vocatur [*b*] Ærifufa, quia ejus color eft לנחשת fimilis, quod latine æs dicitur, Thermodontiaca, Cappadocica, Phrygia, Thracica, Chalcidica, & Jafpethis; & naturaliter lapis Jafpidis in fua fodina cum alio lapide, qui Achates, & Italice *Agata* appellatur, conjunctus eft. Ceterum Indicus inftar herbæ viret, & eft diaphanus, & fmaragdo fimilis eft, neque ullum inter illos intercedit difcrimen, nifi materiæ ratione, quia Jafpidis materia eft fmaragdi materia craffior, & præ ceteris Jafpidis fpeciebus æftimatur. Cyprius & Scythicus funt colore cærulæo, quem dixi effe colorem illum qui Græce *κυάνεος* dicitur. Idcirco Galli Cyprium Jafpidem album appellant; & Cappadocici color eft inftar hyacintho, qui inclinat ad colorem cœruleum, neque eft diaphanus. Phrygius ad rubedinem inclinat, Thracicus ad colorem Indici, at illo minoris æftimatur; Chalcidicus eft turbidus, variifque coloribus immixtus, & infimum obtinet locum; Poft Indicum Jafpidibus, qui ad hyacinthi colorem inclinant, fecundus tribuitur æftimationis locus. Poft illos eft Jafpis Phrygius, cujus color eft rofæ fimilis; Poft hos commemoratos eft Thracicus, qui deteriori fmaragdo fimilis eft.

Dixerunt Sapientes, Jafpidis virtutes effe fequentes, i. e. præfervat hominem a venenis mortiferis; & qui geftat, non

לו

(a) Vide *Plinium ibid.* cap. 37. (b) Vide *Plinium ibid.*

לו הסמים הממיתים· ושהנושאו לא ימות ויחנק בשטיפת הימים והנחלים· ונאלינו העיד שהוא מרפא במגע את חלשת האצטומכא מבלי שיפותח עליו צורת הדרקון או הנחש כמו שהי׳ עוש׳ המלך ניקיפסו· ועו׳ הישפה יש לו צבע עוצר חזק שיעצור הדם במגע כשהוא שותת מהפה או מהמקוה או מהרחם· ושהוא טוב להחזיק ראות העינים מפני צבעו הירוק הטוב להם· ושמסיר תאות המשגל הבלתי נכון ונאות באדם· ושיועיל לאשה המקשה ללדת.

אמנם נתנה הישפה לבנימן מפני הכח העוצר שבו לרצון לו לפני ה׳ מפני שסגר את פיו הפתוח ולא הלשין את אחיו לאביו במכירת יוסף· ועוד לזכור לו זכות אמו שילדה אותו חי והיא הלכה לעולמה בעת לדתה ולדה הזיקה ולא המיתה אותו עמה׳ ועוד להגין על שבטו במעשה פלגש בגבעה שאולי בזכות האבן הזה שהי׳ בחשן והגין על הזימח לא מתו השש מאות איש שנסו המדברה אל סלע רמון ולא נכרת שבט אחד מישראל מכל וכל. ועד כה עזרני ה׳ למען טובו בחקירת מהות ואיכות אבני החשן כפי טבע האבנים ותכונת שבטי יה החקוקי׳ עליהם׳· כן יגבר עלי חסדו בדרישת אבני האפוד אבני זכרון לבני ישראל· ואדברה בעדותיו נגד מלכים ולא אבוש.

אין ספק כי כמו שאבני החשן היו שנים עשר לשנים עשר שבטי יעקב חלוקי׳ זה מזה וזה מזה· כן אבני האפוד היו שנים בלבד דומי׳ זה לזה וזה לזה לשמוש שמות ששה השבטים על האבן האחת· ואת שמות הששה הנותרים על האבן השנית· ומפני שאותיות אבני החשן היו בלבד ששה על אבן אחת ואותיות השבטים הכתובים על אבני האפוד היו חמשה ועשרים על כל אבן׳ והם ששה שבטי׳ על כל אחד משתי אבנים לא רצתה התורה להטריח את ישראל למצוא אבנים טובות גדולות בעבור האפוד ושלא ימצאו אלא בהוצאה רבה ובגיע׳ גדולה כי ע׳ משל הברקת· הנופך· והיהלום· והדומיהן׳ לא ימצאו אלא בדרך נס· שיהיו גדולות עד שיוכשרו לפתוח עליהם חמשה ועשרים אותיות משלם על כל אחת מהן כמשפט· ובחר בשוהם בעד ׳אבני האפוד להקל מעל ישראל ההוצאה הגדולה והטורח והעמל להיותו בפרט הגדול שבכל האבנים טובות כאשר אומר· והנה ידעתי גם אני ידעתי שיש באבנים טובות אבני׳ אחרו׳ גדולות שיוכלו לשמש

moritur suffocatus in maribus, & fluminibus; & *Galenus* testatur tactu mederi stomachi infirmitati, quamvis non sit illi insculpta draconis aut serpentis figura, uti factum est ab rege Nikipso. Præterea Jaspis tactu adstringit valide sanguinem, qui defluit ex ore, aut naribus, aut vulva; visumque corroborat ob optimum colorem viroris, abigitque appetitus carnales, qui hominem dedecent, prodestque mulieri in partus difficultate.

Idcirco attributus fuit Jaspis Binjamin ob virtutem adstringentem, quæ illi a Deo assignata est, quia cohibuit os suum, ne patri accusaret fratres suos in venditione Josephi; præterea ad commemorandum matris meritum, quæ vivum illum peperit, & ipsa mortua est, neque detrimentum attulit, neque secum occidit, pariterque ad protegendam tribum in opere concubinæ Gabaa; probabile enim est ob meritum hujus lapidis, qui erat in pectorali, & a lascivia tuetur, non periisse sexcentos viros, qui in desertum ad saxum Rimmon fugerunt; ut ne una ex Israelis tribubus omnino deficeret. Hactenus auxiliatus est mihi Deus mirabili sua misericordia in investigatione specierum & essentiæ lapidum pectoralis juxta lapidum naturam, & dispositionem tribuum Domini ipsis insculptarum; ita Deus misericordia sua me corroboret in inquisitione lapidum humeralis, lapidum memorialium pro filiis Israelis; & ego loquar de testimoniis ejus in conspectu regum, & non confundar.

Manifestum est, sicuti duodecim erant pro duodecim tribubus Israelis pectoralis lapides distincti & inter se dissimiles, ita humeralis lapides inter se similes duntaxat fuisse, quorum alteri sex tribuum nomina, & alteri sex quoque tribuum nomina inscriberentur. Cum literæ lapidum pectoralis sex tantum singulis lapidibus inscriptæ essent; & literæ tribuum insculptæ lapidibus humeralis quinque viginti singulis lapidibus inscriptæ essent, singulisque pariter lapidibus sex tribuum inscripta essent nomina, noluit lex molesta esse Israeli, ut inveniret pro humerali lapides magnos pretiosos, qui sine maximo impendio & labore comparari non possent; Etenim e. g. cœraunus, carbunculus, & adamas & his similes nisi prodigiose tam ampli inveniri non possint, ut perfecte & optime eorum singulis quinque & viginti literæ inscribi possent; & elegit smaragdum in lapides humeralis ad allevandum maximum impendium, & molestiam, & laborem Israelis, eo quod præcipue præ ceteris lapidibus pretiosis sit maximus. At ego non ignoro præter

כשהם עצמו לששה שמות גם יחד כמו שהם הטופאציאו· היאספי· והאנטה· ודומיהן· אמנם נתרצתה התורה בשהם יותר מבשאר האבנים האמורים לסבה אשר אכתוב בעזרת ה׳ בסמוך.

הלא כתבתי לכם כי הטופאציאו הוא גדול מאד עד כי עשו ממנו צלם ודמות פסל אחד למלכת מצרים הנקראת ארסינואי שהיה כאשר אמרתי ארבע אמות קומתו· וכן היאספי אין ספק שהוא פרה ורבה גם הוא על קצת האבנים טובות הגם כי לא יגיע לגודל הטופאציאו לעולם· כי הנה אמר פליניאו בספר שבע׳ ושלשים מספור הדברים הטבעיים פרק ט׳ כי ראה חתיכה אחת מהאבן הזאת הנקרא׳ יאספי שמשקלה היה * אחד עשר אונקיו׳· ושממנה עשו פסל ודמות נירון קיסר ששריון קשקשים היה לבוש· וגם כתב בספר ההוא עצמו פ״א׳ כי פירו המלך שעשה מלחמה לימים מקדם עם הרומיים ומלך על הגוים ההם הנקרי׳ איפירוטי היתה לי אנאטה אחת שהיה עליה רשום דמות אפולו עם הציטארה בידו והוא אחד מהאלילים שדמו להם לאלוה היונים הקדמונים ואמרו שהיא מוצא דברי השירות ומלאכת הרפואה ומשפט הגדת העתידות ואופן יריית החצים· ומצא גם כן הכלי ההוא מהביגון שנקר׳ בלשון לע״ז ציטארה שהוא ממין הנבל כאשר כתבתי בפרקי הקודמים· וגם בחברת אפולו היו שם על האבן ההיא התשע נשים חכמות ששמו להם היונים הכוזבים לאלוהות נקראו בלשונם היוני׳ מוסי הייהו החכמות שהן על הזמרה והרקידה עד שהיה צריך שהאנאטה הזאת תהיה גדולה מאד.

אמנם השהם והוא הסמיראלדו יגדל בלי ספק על האבנים טובות האמורות הרבה כי הנה כתב טיאופראסטו שבדברי הימים של מצריים נמצא כתוב כי מלך אחד מבבל שלח דורון למלכם היינו למלך מצרים סמיראלדו אחד ארבע אמות ארכו ושלש אמות רחבו· וגם אמר שאצל המצריים עצמם בבית אלילם אמון היה אובליסקו אחד של ארבעה סמיראלדי ארבעים אמה ארכו ושמצדו האחד היה רחבו ארבע אמות· ומהצד השני היה שתי אמות· ואפיאוני פוליסטוריקו שקדם בזמן הרבה לטיאופראסטו כתב גם הוא כי עוד בימיו היה בהלאבירנטו של מצרים הקולוסו מהסאטראפו שהיה מסמיראלדו אחד של תשעה אמות.

דעו בני כי מלת אוביליסקו הכתובה בכי שלהם במקו׳ הק׳ היא יגית שר״ל אבן שלמה

(*) Male אחד עשר אונקיו׳.

ſmaragdum in lapidibus pretioſos alios magnos lapides deprehendi, quibus una ſimul ſex nomina inſcribi poſſent, e. g. Topazium, Jaſpidem, Achatam, & his ſimiles: at lex præ ceteris commemoratis lapidibus ſmaragdum elegit ea de cauſa, quam Dei auxilio proxime deſcribam.

Jam ſcripſi mira magnitudine Topazium inveniri, ut ex eo efformata ſit ſtatua Arſinoe reginæ Ægypti, ut a me dictum eſt, in altitudine quatuor cubitorum, neque dubium eſt jaſpidem magnitudine nonnullos pretioſos lapides excellere, quamvis topazii magnitudinem nunquam aſſequatur. Etenim dicit *Plinius* lib. xxxvii. cap. 37. *Hiſtor. naturalis*. Magnitudinem jaſpidis quindecim unciarum vidimus, formatamque inde effigiem Neronis thoracatam. Pariterque *ibid.* ſcribit. c. 1. Pyrrhum regem, qui antiquitus cum Romanis bellum geſſit, & Epirotis imperavit, habuiſſe Achatam, cui inſculpta fuit imago Apollinis manu cytharam tenentis, qui eſt ex illis Idolis, quem Græci ſibi deum effinxerant, dicentes fuiſſe cantus, & medicinæ, & divinationis, & jaculationis ſagittarum, inventorem, pariterque inveniſſe inſtrumentum muſicum, quæ *cetra* Italice appellatur, quæ lyræ ſpecies eſt, ut in ſuperioribus capitibus a me ſcriptum eſt; Atque una cum Apolline in hoc lapide collocatæ fuerunt novem mulieres ſapientes, quas mendaces Græci ſibi mente finxerunt fuiſſe divinitates, & eorum lingua Græce μοῦσαι i. e. Sapientes appellatæ ſunt, quæ muſicæ & choreæ præſunt, ita ut hic lapis maximus fuerit oporteat.

Verum השהם qui eſt ſmaragdus reliquos omnes commemoratos lapides pretioſos magnitudine excellit. Scribit *Theophraſtus* in Chronicis Ægyptiorum ſcriptum eſſe, Regem Babylonis dono miſiſſe eorum regi, i. e. regi Ægypti ſmaragdum, cujus longitudo erat quatuor cubitorum, & trium latitudo. Pariterque proxime dicit apud eoſdem Ægyptios in domo eorum Idoli Ammon fuiſſe obeliſcum ex quatuor ſmaragdis quadraginta cubitos longum, & ab altero latere quatuor, & altero latere duos cubitos fuiſſe latum. Et *Apion Polyhiſtor*, qui multo tempore Theophraſtum præceſſit, pariter ſcribit, ſua ætate fuiſſe præterea & in laberyntho Ægyptiaco Satrapæ coloſſum ex uno ſmaragdo confectum novem cubitorum.

Scitote mei filii vocem *obeliſcum* ſcriptum eorum cappa pro chi eſſe Græcam, qua deſignatur lapis integer, ere-

וקיפה

וזקופה נבוהה הרבה כמין עמוד מרובע
שהוא רחב מתחתיו והולך ומתמעט מלמטה
למעלה עד סוף גבהו עד שיהיה ראש העמוד
חד מאד ויניחו אותו בחדותו כאשר הוא ·
או יעשו עליו כדמות כדור לנוי · בקראו
העמודים האלה בלשון לעז אגוליי או פיראמידי
שיש מהם עוד היום בעיר רומי · וגם מלת
לבירינטו הכתובה עם האיפסילון אחרי הב׳
והטיטא אחרי הנון היא יונית ורצה לומר
טרקלין אי חצר של חדרים סביב ההולכים
ונכנסים זה בזה בערבוביא עד כי מי שהוא
באמצע החדרי׳ אינו יודע למצוא הדרך
המוציא אותו לחוץ גם כי החדרי׳ הם פתותים
ואין עליהם דלת עץ סוגר · ומהלאבירינטי
האלה לא היו בעולם אלא ארבעה במספר ·
הראשון היה המצרי שהיה היות׳ גדול והיפה
שבכלם · השני היה באי אחרת הנקראת
קריטה והיא האי שקוראין אותה היום
קנדיאה · השלישי היה באי אחרת הנקראת
בלשון יון לימנוס והיא אי אחת שהיא בתוך
ים איניאו שיש לה מצד צפון הארץ ההיא
הנק׳ סטאציאה · וממערבה יש שם ההר
ההוא הנקרא אטון · וזמילו הארקיטיקטו עשה
בו מאה וארבעים עמודי׳ גדולים ויפים ·
והרביעי היה באיטאליאה שעשה אותו המלך
פורסינה שמלך על כל ארץ הטוסקאנה ·
גם קולוסו היא מלה יונית שרוצה לומ׳ פסל
גדול מאד מאד כמו שהי׳ הפסל שהיה בעיר
רודי והיא עיר אחת שהיא באי הנתונה בים
הנקראת קארפאטיאום והאי הזאת היא
השלישית במעלה בתוך איי האטיאה · ועשה
הקולוסו או הפסל ההוא האיש קאריסו שהיה
תלמיד לליסיפו שגבהו היה שבעים אמה
ובמנה בתוך השבעה דברי׳ נפלאי׳ שהיו
בעולם · וסאטראפו היא מלה פרסית שנשתמשו
בה היונים והלאטיני בשוה שרצה לומר
מושל או פקיד · ואולי צפנת פענח דפרעה
היה משמעותה כן.

כלל העולה מן הדברים הוא שעל כל
אחד מארבעה אבנים האלה היו יכולים
לכתוב בעבור גדלם החמשה ועשרים אותיות
האמורות · אמנם מפני שהתורה הקדושה
בפירוש אמרה באבני האפוד אבני זכרון לבני
ישראל ובאבני החשן אמרה גם כן והאבנים
תהיינה על שמות בני ישראל שתים עשרה
אין ספק שהצריכה התורה האבנים כלם
לעלות באפוד ובחשן לסכום שתים עשרה

cta, altissima instar columnæ quadratæ, quæ inferius lata est, & procedendo minuitur ab inferiori ad superiorem partem usque ad finem suæ altitudinis, ita ut vertex columnæ fiat acutissima, & qualis est in suo acumine relinquitur, aut in ejus vertice quasi globus ornamenti gratia imponitur. Istiusmodi columnæ Italice *Aguglie* aut (a) *Pyramides* appellantur, quæ etiamnum Romæ conspiciuntur. Vox quoque *Labyrinthus* scripta epsilon post bita, & thita post nun Græca est, qua designatur Palatium, aut atrium conclavibus circumdatum, ita ut qui sit in medio conclavium, nesciat invenire viam egressus, quamvis omnia conclavia sint aperta, neque habeant valvas ligneas, quibus obserentur. Ex his (b) labyrinthis quatuor in orbe terrarum tantum erant. Primus erat Ægyptiacus, qui erat omnium amplissimus, & pulcherrimus. Secundus erat in insula, quæ dicitur Creta, & nostra ætate *Candia*. [c] Tertius erat in altera insula, quæ Græce dicitur λέμνος, quæ mari Ægæo continetur, cui ad aquilonem est illa terra, quæ Statia vocatur, & ad occidentem est ille mons Athos. Et *Zemilus* Architectus in eo construxit centum & quadraginta columnas maximas & elegantissimas. Quartus erat in Italia, quem fieri fecit rex Porsenna, qui universæ Etruriæ imperitabat. *Colossus* quoque est vox Græca, qua designatur maximum simulacrum, cujusmodi erat colossus civitatis Rhodi, quæ est in insula sita in mari Carpathio; & hæc inter Asiæ insulas tertium celebritatis locum obtinet. Exstructus est hic colossus aut simulacrum a (d) Charete Lysippi discipulo, cujus altitudo erat septuaginta cubitorum & inter septem mundi miracula numeratur. Satrapes vero est vox Persica, qua pariter Græci & Latini usi sunt, & significat dominantem, aut præfectum & probabile est צפנת פענח Pharaonis idem significare.

Quod ex commemoratis rebus eruitur, est, quod singulis ex quatuor lapidibus propter eorum magnitudinem possent inscribi quinque & viginti commemoratæ literæ. Cum a nostra sancta lingua peculiariter dictum sit in lapidibus humeralis אבני זכרון לבני ישראל pariterque in lapidibus pectoralis dictum sit ואבנים תהיינה על שמות בני ישראל שתים עשרה; non est dubitandum, a *lege* juberi, ut omnes lapides, qui humerali, & pectorali imponebantur, essent duodecim pro duode-

לשנים

(a) Vide *Plinium* lib. xxxvi. cap. 16. (b) Vide *Plinium* lib. xxxvi. cap. 19. (c) Vide *Plinium ibid.* (d) Vide *Plinium* lib. xxxiv. cap. 18.

לשנים עשר שבטים ולא יותר׳ ולכן לא נתנה לנו רשות שנקח מין אחר מהאבנים נוסף על מה מכתוב בחשן בעבור האפוד׃ כי אמרה ולקחת את שתי אבני שהם שנמנה השהם גם כן באבני החשן עד שהאגאטה לא הוכשרה לעלות באבני האפוד כי היא לא היתה באבני החשן׃ ואם תאמרו הא ניחא באגאטה כי היא לא הית׳ מהמנין׃ אמנם הפטדה שהם ממנין אבני החשן מפני מה לא עלו לשמוש האפר כשהם עצמו הואיל כי מפני גדלם היו נכונים גם כן לפתוח השש שבטים׃ לזה אשיב בקצרה כי התורה בחרה בשהם יותר מהפטדה וישפה לשלשה סבות׃ האחת להלוק כבוד ליוסף שקדם לכל אחיו במלכות כי הוא היה מלך בחייו. ומיהודה לא מלך איש עד דוד המלך ע״ה׃ השנית מפני שמלכות ישראל נקראת על שם יוסף כדכתיב הנני לוקח את עץ יוסף וכו׳׃ ואבני האפוד היו זכרון לבני ישראל בכלל ולא לשום שבט בפרט כדכתיב אבני זכרון לבני ישראל׃ השלישית מפני שנתנה הבכורה ליוסף כדכתי׳ דברי הימים א׳ ה׳ ובחללו יצוע׳ אביו נתנה בכורתו לבני יוסף בן ישראל׃ וכמו שלקח יוסף פי שנים בבכורתו כך זכה שהאבן שלו ישמש ב׳ פעמי׳ בבגדי הכהן׃ האחד באפוד והשני בחשן׃ והתהלה לה שזכני למלאת חפץ אנשי סגולה במשפט אבני החשן ואבני האפוד כאשר שאלו ממני ואני אשיר עוז ה׳ וארנן לבקר חסדו כי היה לי אלהים משגבי אלהי חסדי.

פרק לו.

במעשה האפוד ובסדר לבישת הבגדים ובאורים ותומים וגו׳.

ועשו את האפוד זהב תכלת וארגמן וגו׳ הנם כי לא חדשתי דבר במעשה האפוד כאשר היה מן הראוי׃ עכ״ז אכתוב אותו כאן כדברי הרמב״ם ז״ל ממש כדי להשלים בפרקים האלה מעשה הבגדים ולא תצטרכו לחזר אחרי המפרשי׳ שבאולי לא יהיו לכם

cim tribubus; Idcirco nobis non data est facultas accipiendi alteram speciem lapidum præter illos, qui pro humerali in pectorali describuntur; quia dictum est ולקחת שתי את אבני שהם, numeratur pariter smaragdus inter lapides pectoralis; ita ut Achates non est idoneus, qui locum habeat in lapidibus humeralis, quia non recensebatur in lapidibus pectoralis; & fortasse dicetur; concedetur de Achata, qui inter illos non numerabatur; & topazius, & jaspis, qui inter pectoralis lapides recensebantur, poterant inservire humerali perinde ac ipse smaragdus; & quod sua magnitudine idonei erant, quibus sex tribuum nomina inscriberentur. Breviter respondebo, legem præ topazio & jaspide smaragdum tribus de causis elegisse; 1. ut honor Josepho impartiretur, qui imperio omnibus suis fratribus excelluit; vivens enim rex fuit; & de Jehuda non fuit rex nisi usque ad Davidem. 2. Quod regnum Israeliticum Josephi nomine appellatum fuit, sicuti scriptum est *Ezech.* XXXVII. 19. *Ecce ego assumam lignum Joseph* &c. Et lapides humeralis fuerunt generaliter in recordationem filiis Israel, non vero pro una tantum tribu peculiariter, uti scriptum est אבני זכרון לבני ישראל 3. quia Josepho primogenitura impartita fuit, uti scriptum 1. *Paral.* V. 1. *Sed cum violasset thorum patris sui data sunt primogenita ejus filiis Joseph, filii Israel*. Sicuti Josepho duplex assignata est pars pro sua primogenitura, ita dignus fuit, ut ejus lapis bis inserviret in vestibus Sacerdotis, semel in humerali, & iterum in pectorali. Sit laus Deo, qui mihi tribuit meritum, ut excellentium virorum desiderio satisfacerem de lapidibus pectoralis & humeralis; quod a me postularunt; & ego cantabo fortitudinem Domini, & cantabo mane misericordiam suam; quia Deus fuit mihi exaltatio mea, Deus misericordiæ meæ.

CAPUT XXXVI.

Ubi agitur de humerali, & de ejus opere, & de ordine induendi vestes, & de Urim, & Thummim &c.

FAcient autem superhumerale de auro, & hyacintho, & purpura &c. Quamvis mihi nihil sit innovandum in opere humeralis, uti convenit, tamen hoc loci juxta peculiarem *Maimonidis* f. m. sententiam describam, ut his capitibus perficiam opus vestium, ne sit necesse, ut vos interpretes, qui fortasse non aderunt

תמיד

תמיד מן המוכן· האפוד רחבו כרחב גבו
של אדם מכתף לכתף· וארכו כנגד אצילי
הידים מאחריו עד הרגלים ויש לו כמו שתי
ידות יוצאות ממנו בארינ ולכאן ולכאן
שחוגרין אותו בהן והם הנקראי׳ חשב האפוד
והכל ארוג זהב תכלת וארגמן ותולעת שני
ושש על שמנה ועשרי׳ חוטין כמעשה החשן
ותופר עליו שתי כתפו׳ כרי שיהיו על כתפות
הכהן· וקובע על כל כתף וכתף אבן שהם
מרובע משוקע בבית של זהב · ומפתח על
שתי האבנים שמות השבטים ששה על אבן
זו וששה על אבן זו כתולדותם· ואף על
פי שכתבתי בפרק הקודם מא שידעתי על
אבני החשן והאפוד · עם כל זה אכתוב כאן
דברי רבינו על אבני האפוד · ואתם בחרו
לכם הטו׳ בעיניכ׳· וכותבין שם יוסף יהוסף ·
ונמצאו כ״ה אות באבן זו וכ״ה אות באבן זו ·
וכך היו כותבין האבן שכתו׳ בה ראובן על
כתפו הימנית· והאבן שכתוב בה שמעון על
כתפו השמאלית· היינו על האבן הימנית
ראובן לוי יששכר נפתלי גד יהוסף · ועל
האבן השמאלית שמעון יהודה זבולון דן אשר
בנימן· ועושה בכל כתף שתי טבעות אחד
מלמעלה בראש הכתף ואחד מלמטה לכתף
למעלה מן החשב· ונותן שתי עבותות זהב
בשתי טבעות מלמעלה והם הנקראים
שרשרות· ואחר כך מכניס קצת העבותו׳ של
חשן בטבעו׳ שלמעלה בכתפות האפוד ומכניס
שני פתילי התכלת שבשולי החשן בשתי
הטבעות שלמעלה מחשב האפוד ומורידין את
השרשרות שבטבעות כתפות האפוד עד
טבעות החשן העליונות כדי שידבקו זה בזה
ולא יזח החשן מעל האפוד וכל המזיח חשן
מעל האפו׳ ומפרק חבורן דרך קלקול לוקה·
נמצא כשלובש האפוד עם החשן יהיה
החשן על לבו בשוה והאפוד מאחריו וחשב
האפוד קשור תחת החשן ושתי כתפי׳ האפוד
על שתי כתפיו ושתי עבותות זהב יורדות
מעל כתפיו מכאן ומכאן מכתפות האפוד עד
טבעת החשן ושני חוטי תכלת מרובסי׳ מתחת
אצילי ידין משתי טבעות חחשן התחתונות

consulatis. Humerale juxta latitudinem hominis dorsi ab una ad alteram scapulam latum erat; & longitudo contra axillas ad dorsum usque ad pedes, cui attextæ erant quasi duæ fasciæ hinc inde egredientes, quibus præcingebatur, quæ humeralis cingulum vocabantur; totumque contextum erat ex auro, hyacintho, & purpura, coccino, & bysso ex octo & viginti filis juxta opus pectoralis illique duo humeralia assuebantur, ut Sacerdotis humeris inessent; singulisque humeralibus statuebatur smaragdi quadratus lapis aureæ palæ infixus, duobusque lapidibus insculpebantur nomina tribuum, sex uni lapidi, totidemque alteri lapidi juxta ordinem nascendi. Et quamvis in superiori capite quæ mihi nota erant de lapidibus pectoralis & humeralis scripsi, tamen hoc loci a me nostri præceptoris verba describentur de lapidibus humeralis; vos vero quæ magis probabuntur, eligetis. Et Joseph יהוסף scribebatur; & quinque & viginti literæ in uno lapide, totidemque in altero deprehendebantur; atque ita scribebatur; Lapis, cui inscriptus erat Ruben, humero dextro, & lapis, cui inscriptus erat *Simeon*, humero sinistro imponebatur; i. e. lapidi dextro *Ruben*, *Levi*, *Issachar*, *Nephtali*, *Gad*, *Joseph*; & sinistro *Simeon*, *Juda*, *Zabulon*, *Dan*, *Asser*, *Benjamin*. Duo fiebant annuli, unus in humeralis superiori parte, & alter in parte inferiori supra cingulum & duo funiculi catenæ aureæ in duos superiores annulos inducebantur, qui שרשרות *catenæ* appellantur. Tum introducebantur extremitates funiculorum pectoralis in annulos superiores *assutos* Ephodi humeralibus. Et inducebantur duo funiculi hyacinthini, qui erant in ora pectoralis in duos annulos, qui erant supra cingulum humeralis; & demittebantur catenæ, quæ erant in annulis ephodi humeralium, usque ad annulos superiores pectoralis, ut una conjungerentur, ne pectorale ab humerali dimoveretur; Qui vero pectorale ab humerali dimovisset, & eorum conjunctionem dissolvisset, modo corrumpendi, vapulabat. Deprehendebatur, cum induisset humerale cum pectorali, super ipso corde pectorale positum fuisse, & ab tergo humerale, & cingulum humeralis sub pectorali colligatum, & duo humeralia Ephodi super duos humeros; & duo funiculi aurei descendebant hinc inde ab humeris ab Ephodi humeralibus usque ad pectoralis annulos; & duo funiculi hyacinthini subter axillis ab duobus annulis inferioribus pectoralis ducebantur

עד

עד שתי טבעות כתפות האפוד התחתונות שהם למעלה מן החשב׃

כיצד סדר לבישת הבגדים לובש המכנסים תחלה וחוגר את המכנסים למעלה מטבורו מעל מתניו׃ ואחר כך לובש הכתנת ואחר כך חוגר את האבנט כנגד אצילי ידיו ומקיפו כרך על כרך עד שגומר וקושר ׃ועל האבנט מפורש במסכ׳ זבחים פרק כל הזבחים שנזבחו שלא לשמן תנא כשהן חוגרין אין חוגרין לא למט׳ ממתניה׳ ולא למעלה מאציליהם אלא כנגד אצילי ידיהן שנאמר לא יחגרו ביזע׃ אמר אביי במקום שמזיעין ׃ וכן קבל יונתן בן עוזיאל מפי הנביאים ותרגם על לבשרהון יסרון׃ ואחר כך צונף במצנפת כמין כובע׃ כהן גדו׳ אחר שחוגר באבנט לובש המעיל ועל המעיל האפוד והחשן וחוגר בחשב האפוד על המעיל מתחת החשן ולפיכך נקרא מעיל האפוד שחיגרו באפוד׃ ואחר כך צונף במצנפת וקושר הציץ למעלה מן המצנפ׳ טוב הוא שתקראו הר׳מבן במקומו על מה שהשיג על ר׳שי ותבינו דברי רבינו במה שכתב וקושר הציץ למעלה מן המצנפת ושערו היה נרא׳ בין ציץ למצנפ׳ ושם היה מניח תפילין בין ציץ למצנפ׳

ונתת אל חשן המשפט את האורים ואת התומים׃ הזכירן בה״א הידיעה ולא זכרן בשום מקום כשזכר הבגדים כי לה מנאן עם יתר הכלים במלאכת האומנין שיאמר בהם ועשית את האורים ואת התומים׃ והנה זה עדות שלא היו מעשא חרש כי אם מעשה שמים׃ ומפני זה נזכרו בלשון ידיעה כלשון וישכן מקדם לגן עדן את הכרובים ולא נזכרו הכרובים קודם לכן׃ כן כתב הרמב״ן ז״ל׃ וכלל הדבר באורים ותומים שהיו שמות קדושים מכחם ידע הכהן העתיד וישמיע לכל שואל דברים העתידים׃ והשמות האלה שני חלקים׃ האחד מכחם יאירו אותיות השבטים הקבועי׳ באבני החשן והם הנקראים אורים בהיותם מאירים לעיני הכהן׃ והשני מכחם יבא בלב הכהן שידע להצמיד

ad duos annulos humeralium Ephodi inferiores, qui erant ſupra cingulum humeralis.

Quinam erat ordo induendi veſtes? Primum induebantur femoralia, quæ præcingebantur ſuper umbelicum ſupra lumbos, deinde induebatur tunica, & deinde præcingebatur balteus contra partem inferiorem axillarum, qui involucro ſuper altero involucro circumplicabatur; donec totus præcingeretur. Et de balteo explicatur cap. I. *Sevachim*; traditio eſt: Quando ſe præcingunt, non ſe præcingunt neque infra lumbos, neque ſupra eam partem, quæ eſt infra axillas, ſed contra axillas; dictum eſt enim *Ezech.* XLIV. 18. *Et non accingentur in ſudore*. Dixit Abaje in loco ſudoris; Atque ita explicat *Jonathan Uzielides* ex ore Prophetarum, & interpretatur; *Super carne ſua ligabunt*. Deinde ſe tegebat cidari ad ſimilitudinem pilei efformata. Summus Sacerdos poſtquam balteo ſe præcinxerat, induebat pallium, & ſupra pallium humerale & pectorale, præcingebat illud cingulo humeralis ſuper pallio ſubter pectorale; ideoque humeralis cingulum vocabatur, quia cum humerali præcingebat. Deinde ſe cidari tegebat, & ſuper cidari lamina vinciebat. (Legendus vobis erit *Nachmanides* loco ſuo in eo, quod *Raſchio* contradicit, & intelligetis verba noſtri præceptoris in eo quod dicit; *Et ſuper cidari laminam vinciebat*.) Ejuſque coma inter laminam & cidarim conſpiciebatur, ibique inter laminam & cidarim phylacteria imponebantur.

Pones autem in rationali judicii האורים ואת התומים, He emphatico appellantur, neque alibi commemorantur, cum facta mentio eſt de ceteris veſtibus; neque numerantur cum ceteris veſtibus in opere artificis, de quibus dictum ſit, *& facies Urim* & *Thummim*; Hinc clariſſimum eruitur argumentum non fuiſſe opus artificis, ſed opus divinum duntaxat; eaque de cauſa phraſi emphatica commemorantur juxta textum *Geneſ.* III. 24. *Et collocavit ante paradiſum voluptatis Cherubim*. Neque antehac Cherubini commemorantur; ita ſcribit *Nachmanides* f. m. & concludit hæc Urim & Thummim fuiſſe nomina ſancta, quorum virtute Sacerdos futura præſciebat, & cuique conſulenti futura ſignificabat; & hæc nomina in duas partes fuiſſe diſtributa; altera ſua virtute illuſtraſſe literas tribuum, quæ in lapidibus pectoralis inſculptæ erant, & vocabantur *Urim*, quia illuminabant oculos Sacerdotis; altera

ולחבר

ולחבר האותיות ולהוציא התיבה מהן כדי שיהיה מכוין בתשובת השאלה ומכח השמות האלה יהיה לב הכהן תמיד בידיעת האותיות וברוח הקדש שבו יבא בלבו כי זה חבורן וסדרן והם הנקראי׳ תומים ואולי לפי דעתי אני אברהם מבלי התבודדות הכהן היה מבין מכח השמות חבור האותיות באופן זה · שהאורים יאירו האותיות לא כלן בבת אחת אך מכח התומים יאירו ראשונה האות האחת· ואחריה האות השני שלא בערבוביא. וכפי הקדימה והאחור מהאור הבא באותיות זה אחר זה ידע הכהן לחבר המלות כתקנן׳ כמו על דרך משל כאשר שאלו ישראל בה מי יעלה לנו אל הכנעני בתחלה להלחם בו · השיב ה׳ יהודה יעלה · ואז האורים האירו כאחד כל שמו של יהודה כי הוא נקל הקריאה כי כן בתוב כלו בשלמות באבני החשן· אמנם מלת יעלה הבין אותה הכהן בזה האופן כי אחרי שחזרו אותיות יהודה להיות בלי אור כאשר היו קודם השאלה יו״ד של ישׂשכר האירה· ואחריה עין של שמעון ואחריה למ״ד של לוי ואחריה הא״ של רחם שהית׳ ג״כ באבנו של לוי· ושני חלקי השמות הקרושים האלה הנקראים אורים ותומים על שם פעולתם היו נתונים בין כפלי החשן כי על כן היה כפול ואחרי שהלביש משה לאהרן האפוד והחשן אחרי כן נתן בין כפלי החשן האורים והתומים · וידיעת הדברים על ידם היתה מדרגה ממדרגות רוח הקדש למעלה מבת קול ולמטה מן הנבואה· ואמרו בריש פ״ק דברכות למה נקרא שמם אורים ותומים אורים שמאירים דבריהם· תומים שמשלימים דבריהם· ונקראו ג״כ כרתי ופלתי כרתי שכורתים דבריהם פלתי שמופלאים מעשיהם· והנה עשו בבית שני אורים ותומים כדי להשלו׳ שמנה בגדים כמשפט ההוא שהיו בבית ראשון כפי כחן ואע״פ שלא היו נשאלים בהן מפני שלא היתה שם רוח הקדש וכל כהן שאינו מדבר ברוח הקדש ואין שכינה שורה עליו אין נשאלין בו· וכיצד שואלין עומד הכהן ופניו לפני הארון והשואל מאחריו פניו לאחרי הכהן ואומר השואל אעלה או לא אעלה ואינו שואל בקול רם

sua virtute illustrasse mentem Sacerdotis, ut sciret comparare & connectere literas, & ex his eruere illa verba, quæ relationem haberent ad postulati responsum; atque horum nominum virtute Sacerdotis mentem cognovisse literas, & spiritu sancto, qui in ejus mentem infundebatur, cognovisse, quo pacto componerentur, & disponerentur; & hæc תומים appellabantur. Ego vero Abraham puto sine mentis abstractione, Sacerdotem horum nominum virtute literas hoc modo composuisse; quod Urim non una simul literas, sed virtute Thummim primum unam deinde aliam sine confusione illuminarint; & juxta ordinem, quo prius, & posterius literæ una post aliam lumine illustrabantur, cognoscebat Sacerdos, quomodo voces componerentur; e. g. quando postularunt a Domino Israelitæ. *Quis ascendet ante nos contra Chananæum, & erit dux belli? Dixitque Dominus: Judas ascendet. Judic.* I. I. Tum Urim integrum nomen Jehudæ una simul illuminarunt, quod facile legi poterat; ita enim perfecte scriptum erat in lapidibus pectoralis. At vocem יעלה hoc modo componebat Sacerdos; postquam obscuratæ essent literæ Jehuda, quales erant ante postulatum; litera י Issachar lucebat, deinde ע Simeonis, & postea ל Levi, & deinde ה רחם, quæ erant in lapide Levi; atque hæ duæ species nominum sanctorum, quæ Urim & Thummim propter eorum operationëm appellantur, in duplicatione pectoralis collocatæ erant, quod hac de causa duplicatum erat; Postquam Moses vestivit Aharon pectorali, & humerali, in eorum duplicatione Urim & Thummim collocavit; hujus sapientiæ gradus erat superior Bath Kol, & inferior prophetia. Dicunt Sapientes cap. I. *Gemaræ Berachoth*; cur vocabantur Urim & Thummim? Urim, quia verba illuminabant; Thummim, quia eorum verba perficiebant; pariterque כרתי ופלתי appellabantur; כרתי, quia definitive loquebantur; פלתי, quia admiranda erant eorum opera. Fecerunt deinde in secunda domo Urim & Thummim, ut numerus octo vestium pro viribus juxta legem compleretur, qua fuerant in prima domo, quamvis illa non consulerent, quia ibi non erat Spiritus sanctus; at Sacerdos, qui non loquitur per Spiritum sanctum, non consulebat. Quomodo consulebantur? Stabat Sacerdos facie ad arcam conversa; post eum consultor erat, cujus facies conversa erat ad tergum Sacerdotis. Et consultor dicebat; *adscendam, an non adscendam?* Nec vero elata voce rogabat, nec animo secum cogitabat, sed voce submissa velut

ולא מהרהר בלבו אלא בקול נמוך כמו
שמתפלל בינו לבין עצמו ומיד רוח הקדש
לובש את הכהן ומביט בחשן ורואה בו במראה
הנבואה עלה או לא תעלה באותיו' שבולטות
מן החשן כנגד פניו · והכהן משיבו ואומ' לו
עלה או לא תעלה · ואין שואלין על שני
דברים כאחד ואם שאל משיבין על הראשון
בלבד ואין נשלין בהן להדיוט אלא או למלך
או לב"ד או למי שצורך הצבור בו שנאמר
ולפני אלעזר הכהן יעמוד וכו' זה מלך · וכל
בני ישראל זה משוח מלחמ' או מי שצריך
הצבור בשאלתו וכל העדה אלו ב"ד הגדול וזה
שאתה מוצא בדברי נביאים שהכהנים היו
חוגרין אפוד בד לא היו כהנים גדולים שאין
האפוד של כהן גדול אפוד בד ואף הלוים
היו חוגרין אותו שהרי שמואל הנביא לוי
היה ונאמר בו נער חגור אפוד בד אלא
אפוד זה היו חוגרין אותו בני הנביאים ומי
שהוא ראוי שתשרה עליו רוח הקדש להודיע
כי הגיע זה למעלת כהן גדול שמדבר על
פי האפוד והחשן ברוח הקדש.

is, qui solus preces fundit. Confestim Sacerdos Spiritu sancto inflatus pectorale inspiciebat; & visione prophetica videbat; *adscende*, aut *non adscende* ex literis prominentibus ex pectorali contra faciem suam; & Sacerdos respondebat; *adscende* aut *non adscende*. Neque simul de duabus rebus consultandum erat; & si consuluisset, primo postulato tantum respondebatur; neque vero pro homine privato consultabatur, sed pro rege, aut Synhedrio, aut eo, qui cœtui necessarius erat; sicuti dictum est *Num.* XXVII. 21. *Pro hoc siquid agendum erit Eleazar Sacerdos consulit Dominum. Pro hoc* rex designatur. *Et omnes filii Israel*; his designatur Sacerdos in bellum unctus, aut is, cujus opera cœtui necessaria est. *Et cetera multitudo*. Hoc est Synhedrium magnum. Quod vero reperitur in Prophetis, Sacerdotes se Ephod lineo præcinxisse; hi non erant summi Sacerdotes, quia Ephod summi Sacerdotis non erat lineus; Levitæ quoque se illo præcingebant; Samuel enim Propheta erat Levita, de quo dictum est 1. *Reg.* II. 18. *Puer accinctus Ephod lineo*. Verum hoc amiculo se præcingebant filii prophetarum, & quicunque idoneus erat, in quo Spiritus sanctus conquiesceret, ad demonstrandum, hunc pervenisse ad excellentiam summi Sacerdotis, qui per Ephod & pectorale in Spiritu sancto loquitur.



JOHANNIS LIGHTFOOTI
DESCRIPTIO
TEMPLI HIEROSOLYMITANI,
Præsertim quale erat tempore
SERVATORIS NOSTRI.



JOHANNES LIGHTFOOTUS LECTORI.

N*On majorem impendissem laborem in itinere* Hierosolymam *faciendo, ut Templum viderem, si etiamnum hodie staret, quam impendi in eo, uti feci, aliorum oculis lustrando, dum eorum Scripta legi. Ac nihilominus, quantivis fuerint mei labores, successum Operis mei apud Lectorem necesse est me dubiæ Librorum fortunæ permittere, quandoquidem nec ejus favorem submisse petere animus est, nec est quod me eum impetraturum desperem. Si brevior fui quam dignitas argumenti requirebat, vel Lectoris expectationem fefelli, difficultas argumenti satis me defendet; & cupiditas alios juvandi leviorem reddet censuram.*

Vix est in Literarum studiis opus difficilius descriptione ædificiorum & locorum nunquam a nobis conspectorum, & remotorum: & Scriptura etiam vix quicquam habet obscurius descriptione hujus structuræ. Si tam sæpe Judæorum narrationes hic adjeci, id inde factum est, quod ex nullo alio loco, excepta Scriptura, meliorem peti posse rei explicationem crediderim. Novi quidem nullorum Auctorum Scripta pejus audire quam Judæorum, & sæpe etiam merito: liceat tamen ipsis referre Historiam suarum Consuetudinum & Antiquitatum, æque ac aliis; sique iis fidem detrahas, alios afferre qui credenda magis de re prædicta loquantur, impossibile esse agnoscito.

Pro omnibus quæ in eorum Scriptis occurrunt causam non dixerim, nisi ipsis similis esse velim. Sed non possum eis in rebus ad Historiam pertinentibus fidem prorsus detrahere, ut qui videantur optima omnium monumenta suæ ipsorum *Antiquitatum habere.*

Notissimum est studiosis, quantam lucem viri eruditi attulerint multis difficilibus Scripturæ locis, notitia Judaicarum Consuetudinum & Antiquitatum, ad quas passim respicit & alludit Novum Testamentum. Non opus est me procul quærere exempla eruditorum, qui felicissimi in ejusmodi illustrationibus fuerunt. Incomparabile illud par in nostra Gente, nulli ex exteris Gentibus secundum, Hugo Broughtonus *in superiori, &* Joannes Seldenus *in hac nostra ætate, erunt instar omnium. Quamvis autem ne per somnium quidem cogitare aut sperare possim me perventurum ad minimam partem eorum eruditionis in hisce studiis, & felicitatis in interpretationibus Scripturæ: attamen non possum non animos sumere ex aliorum experimentis, & jucundius talia ipse monumenta evolvere, non sine spe me aliquem fructum inde ablaturum, & quædam non prorsus inutilia aliis inde hausturum.*

Quid utilitatis redire possit ex hoc Volumine, Lectori dijudicandum relinquere me oportet, non autem de me ipso judicium ferre. Hoc spero, & sine superbia & mendacio dicere possum, hoc argumentum raro antea tam fuse in Anglico nostro idiomate pertractatum fuisse; & quod hic affertur in Judæorum monumentis, utplurimum adeo esse possibile & probabile, atque adeo consentaneum Scripturæ, rationi, & Josepho, *(cujus*

(cujus fides majoris vulgo ponderis est quam Thalmudicorum) quanquam fateor non necessario credi oporteat, nullum tamen futurum sit invictum argumentum quod ei opponi queat,

Susceperam pensum majoris temporis, laboris & voluminis, sed ejusdem operis atque hoc est; ex Scriptura nempe, Thalmudicis ac Judaicis Scriptoribus edere descriptionem Terræ Canaan; *& ita quidem, ut si dextre ejusmodi uterer Auctoribus non spernendam ex iis utilitatem etiam ducturus. Ac certe, nisi me meum fallit judicium, eximium & singularem usum in hujusmodi opere præstare possunt; & inde hauriri sexcentæ vel millenæ potius raræ & eruditæ observationes ad hoc argumentum pertinentes quibus non parum illustratur Chorographia & Historia ejus regionis, & quæ aliunde peti non possunt. Sed cum multum temporis in eo labore consumpsissem, atque etiam in opere progressus essem, comperi consilium meum ab eruditiori & acutiori calamo occupatum fuisse *, qui quamvis eadem via, ac ego feceram, rem procedat, attamen adeo me ἀκριβείᾳ & diligentia superat, ut videam, si pergam, me oleum & operam perditurum. Ideoque id pensum omisi, ne actum agerem, & animum meum ad hanc converti descriptionem, quia tale quippiam me editurum promiseram.*


* Thomas Fullerus T. B.

Dum elaboro hoc opus, amplam ædificiorum Templi Tabulam adornavi, juxta descriptionem quam oratione complexus sum hoc in Libro, cujus conspectu & collatione facilius & jucundius intelligerentur quæ hic describuntur, si potuisset una edi, sed nondum facultatem ejus Tabulæ perficiendæ nactus sum. Et decreveram quidem hunc Tractatum eo usque supprimere, donec una in luminis auras exire posset: sed eum emittere coactus fui partim aliorum importunitate, partim argumento hoc proprio, non debere occasionem amitti experiendi quomodo excipiendus esset hic Tractatus, priusquam majorem laborem & sumptus impendissem ad quærendum Tabulæ sculptorem. Si quis ex eruditis meis amicis, perlecto hoc Libro, existimet Tabulæ editionem esse alicujus momenti, hoc incitamento permovebor ad rem ipsam, quantum potero, præstandam.

Magnæ-Mundoniæ in Hertfordiensi Comitatu,
April. 3. 1650.



JOHAN-


MERIDIES
AREA
TEMPLI
Ut fuit tempore Servatoris
Descripta manu
JOHANNIS LIGHTFOOT
ORIENS
Mons Olivetti
OCCIDENS
SEPTENTRIO
Scala Cubitorum
A. Altare æneum
K. Conclave Panum Propositionis
L. Conclave Lapidum Altaris
M. Porta Beth Mokadh alias Porta Korban
WWWW. Atrium exterius seu Gentilium
X. Sanctum Sanctorum



JOHANNIS LIGHTFOOTI DESCRIPTIO TEMPLI HIEROSOLYMITANI.

CAPUT PRIMUM.

De situ Montis Moriah : הר הבירה.

2. Paral. 2. 1. Isai. 2. 2.

MOriah, *Mons Domus Domini*, undecunque nomen trahat, [circa cujus etymum variæ sunt conjecturæ] a Deo designatus fuit in eum usum in quem adhibitus est, igne cœlitus demisso, & antea antiquissimis temporibus oblatione *Abrahami*, qui ibi *Isaacum*, alterius victimæ figuram, mactare voluit. Quidam existimant vocatum fuisse *Moriah* ab הוראה *Instructio*, quia inde exiit Lex & doctrina in omnem *Israelem*. Alii putant nomen hoc derivatum esse a voce מור, quæ *myrrham* significat, & aroma, quia is solus erat locus in quo Thymiama offerretur. Alii ex מוראה יה *Moreh jah*, *Conspicietur Dominus*, quia Filius Dei ibi humana carne indutus erat appariturus. Itaque omnes existimant, in illa etymologia fuisse aliquid quod futurum prædiceret, seu respiceret ad aliquid quod olim contingere debebat. Sed si velimus accommodare etymologiam ad tempus illud quo Mons & finitima regio primum vocata est *Terra Moriah*, poterimus id nominis interpretari *Terram Doctoris Dei*, (ut *Joann.* 3. 2.) vel *Terram Domini Doctoris mei*, in qua nempe degebat *Sem*, seu *Melchisedek*, magnus Doctor viarum Domini, (dum vicini *Cananæi* in tenebris ambulabant & a delusionis Doctoribus ducebantur) & terram quam *Dominus ejus Doctor* designaverat ipsi in prædictione patris *Noachi*.

1. Paral. 21. 26. & 22. 1. Genes. 22. 2. R. Salom. in Gen. 22. Onkel. ibid. Fuller. Miscell. lib. 2. cap. 15.

Hic Mons erat ita situs in medio *Hierosolymæ*, ut Urbs circa ipsum θεατροειδὴς esset, seu instar theatri. Ad Austrum condita erat *Hierosolyma* ipsa in Monte *Acra* : & *Acra* quidem per se altior erat quam *Moriah*, sed ab *Asmonæis* non parum explanatus fuerat dum regnarunt; & vallis etiam quæ interjacebat terra impleta fuerat, ut Templum superaret fastigia ædificiorum quæ erant in *Acra*, & ascensus ab Urbe in Templum planior & facilior esset. Confer *Luc.* 3. 5. Ad Septentrionem erat Mons *Sion*, in quo condita erant splendidissima ædificia Regiæ & Civita-

Joseph. Antiquit. lib. 15. cap. 14. Ezech. 40. 2. & Kimch. ibid. & Tosapht. ad Kelim. Joseph. de Bell. lib. 5. cap. 13.

vitatis *Davidis*. Hi duo Montes *Acra* & *Sion*, & Civitates ipsis inædificatæ, Civitas & Aula *Canaanis* (uti sunt apud nos *Londinum* & *Vvestmonasterium*) ita declives erant in extremitatibus quæ ad Euronotum & Euro-aquilonem vergebant, ut ad Orientem & Austrum Templi sibi invicem occurrerent, valle inter ipsos & Templum undique interjecta, nisi ad Austrum, ubi minus profunda erat, propter exæquationem quam antea memoravimus ab *Asmonæis* factam.

Psalm. 48. 2. Ab. Ezra, ibid.

Quamvis hic Mons *Moriah* per se non æquaret altitudinem duorum collium qui hinc inde positi erant, attamen valde præfractus erat. Λόφος κάρτερος, ἀπόκρημνος κὴ κατάντης τὰ πέριξ. *Validus, præceps præfractus undique collis*. Atque inde agnoscebant masculos, *Qui tenebantur apparere coram Domino tribus diebus festis, ex eo quod semel poterant ascendere in Montem Templi manu a patre ducti*.

Joseph. de Bell. lib. 5. cap. 14. Hagigah, Per. 1.

Hic Mons etiam in distributione agrorum divisus est, & altera quidem pars sorte obvenerat cuidam Tribui, altera alii. *Nam maxima pars Atriorum erat in portione Judæ; sed Altare, Porticus, Templum, & Locus Sanctissimus in portione Benjaminis*. Et ea quidem pars quæ *Judæ* obvenerat erat fornicibus oppleta: וכיפין על גבי כיפין היו בנויות מפני אהל הטמאה, *Cum fornicibus inædificatis fornicibus*, ait *Maymonides*, *propter Tentorium Pollutionis*.

Aboth R.Nathan Per. 34. Zevachim, Per. 5. in Gemara, Beth Habbechirah.

Jam autem quod vocat *Tentorium Pollutionis*, posset optime intelligi de Cloaca seu Sentina, sub solo facta & fornicibus tecta ad educendas sordes & abluitiones Atriorum, qualem revera fuisse postea videbimus: sed ipse quid intellexerit alibi ostendit, & dicit: כל הר הבית והעזרות תחתיהן היה חלול מפני קבר התהום *Totus Mons Domus* (hoc est, spatium exterius) *est fornicibus sustentatus, propter abyssum, vel profunda sepulcra*. *Thalmudici* autem solent vocare profunditatem, inconspicuum seu non suspectum sepulcrum, קבר התהום, *Sepulcrum abyssi*, τὸ μνημεῖον τὸ ἄδηλον, prout loquuntur Evangelistæ, *Luc.* 11. 44. Ita etiam inconspicuam vel ignotam immunditiem טומאת התהום, *Abyssum immunditiæ*, cui opponunt טומאה ידוע, *Immunditiem notam*. Itaque ut certo ipsis constaret nulla sepulcra clam fieri posse alicubi in Atriis Templi, quibus possent pollui, tota Atria fornicibus sustentarunt, ita nt esset כיפין על גבי כיפין, *Fornices fornicibus impositi*, (ut loquitur Autor noster, quod in alia quapiam simili historia interpretatur) כיפין על שני כיפין, *& arcus duobus aliis impositi. ut basis unius arcus insisteret duobus inferioribus arcubus*. Itaque impossibile erat sepelire super fornicibus, quia terra deerat; vel si cadaver infra fornices humo mandaretur, remotius & profundius erat quam ut pollueret.

Maymon. Parah, Per. 2.

Thalm. Babyl. Parah, Per. 3. Gloss. ibid. Nazir, Per. 1. & Maymon. in Biath Mikdash, Per. 4.

Id. in Parah, Per. 3.

CAPUT II.

Mensura soli Montis Templi.

Ἀνωτάτω χθαμαλόν.

Ambitus Montis *Moriah* aliquanto amplior evasit tempore & industria hominum, quam fuerat *Salomonis* temporibus, cum primum in eo Templum construeretur. Nam cum *David* divina directione Altare construxisset, & Deus igne cœlitus immisso designasset ipsum locum in quo Altare Templi esse oportebat, Mons alicunde in extremitatibus propter flexuras aut declivitates hiare potuit, adeo ut spatium destinatum omnibus Atriis quæ extruenda erant, & quod debebat ab Altari tanquam a fixa quapiam nota mensurari, non posset undique æquale esse, sed hiatibus quibusdam interrumperetur propter inæqualitatem & declivitatem Montis quibusdam in locis. Hinc *Salomon* & sequentia sæcula semper auxerunt ejus amplitudinem, impleta valle & præcipitibus locis in quibus aliquis erat hiatus, adeo ut tandem ambitus areæ supremæ Montis esset sub secundo Templo חמש מאות אמה על חמש מאות אמה, *quingentos cubitos supra quingentos cubitos*, hoc est, tetragonum perfectum quingentorum cubitorum, seu cujus ambitus erat bis mille cubitorum: atque hæc quadrata area muro inclusa erat. Quod non ita capiendum est, quasi solum Montis nullatenus hanc mensuram excederet: nam ההר היה גדול הרבה מתק על תק אלא לא היה קדוש, *Mons excedebat amplitudinem quingentorum cubitorum quadratorum; sed non amplius spatium sanctum habebatur*.

Joseph. de Bello, lib. 5. cap. 14.

1. Paral. 21. 18. & 22. 1.

Midd Per. 2.

Maymon. in Beth Habbech. Per. 5.

Pisk Thosapht. ad Midd.

Hic numerus quingentorum cubitorum undiquaque tam bene convenit cum numero quem habet *Ezechiel*, ut conducat ad confirmandam hanc proportionem & rationem; & quamvis latior ejus mensura multum differat ab hac nostra, tamen mensura ejus cubiti tam bene convenit cum cubito de quo loquimur, ut difficillimum sit, si non prorsus impossibile, inter tam varias cubitorum quas reperimus mensuras, quicquam certi statuere. Invenimus enim mentionem fieri communis cubiti quinque palmorum, dimidiæ partis sex cubitorum, cubiti dimidio digito longioris quam *Mosaicum*, & rur-

Ezech. 42. 20. & 45. 2.

Kimch. in Ezech. 45. & 43. 13. & Rab.

Solom. ib. Kelim. Per. 17. Ezech. 40. 5.

rursus alterius dimidio digito longioris. Sed *Ezechiel* definit magnitudinem cubiti sui, cum dicit esse *cubitum & palmum*, hoc est, communem cubitum quinque palmorum, & præterea palmum. Ita Judæi in eandem mensuram conveniunt in hoc recepto Axiomate: הבנין ו׳ טפחים ושל כלים ה׳, *Cubitus ædificii Templi erat sex palmorum; sed cubitus juxta quem mensurata erant vasa sacra, quinque tantum palmorum erat.*

Kelim, ubi supr. Kimchi in 2. Paral. 3. 3.

Kimchi in Michlol in voce טפח

Cum autem palmus esset mensura *quatuor digitorum manus uti sunt conjuncti*, qui efficiunt tantum tres pollices; cubitus sex palmorum, quo jam hic utimur, æquabat octodecim pollices, aut *Semivirgam* Anglicanam; adeoque juxta hanc supputationem quingenti cubiti quadrati efficiunt ducentas & quinquaginta *virgas*, totus vero circuitus muri circiter mille *virgas*.

Josephus definivit justam longitudinem uniuscujusque lateris spatii illius quadrati: Ἑκάςης γωνίας ςαδίυ μῆκος ἀπολαμβανέσης, *Unoquoque angulo stadii longitudinem complectente*. Itaque totum ambitum semimilliaris *Anglicani* circiter constituit, adhibita vulgari mensura, & quæ *Græcis* & *Romanis*, quibus scribebat, notissima erat.

Antiquit. lib. 15. cap. 14.

Jam si quis integri ambitus muri qui circumdabat sanctum solum, mensuram inire velit juxta *Anglicanam* nostram mensuram, inveniet eam æquare semimilliare, & circiter centum & sexaginta sex virgas. Quicunque etiam mensurabit Tetragonum *Ezechielis*, 42. 20. comperiet illud sex partibus amplius quam hoc, *Cap.* 40. 5. cum æquet tria milliaria & quingentos passus; qui ambitus multis vicibus amplior est quam unquam fuit Mons *Moriah*. Atque hoc ipsum ostendit debere *Ezechielem* spiritualiter & mystice intelligi.

Descriptio Templi & Urbis quam in fine Libri sui tradidit, quatenus est prædictio boni alicujus futuri, verissima est, sed remotissima a sensu literali, nempe eodem modo Templum & Urbem ædificatum iri. Erat itaque promissio ad consolandum populum qui tum erat in captivitate, qua certior fiebat affore aliquando tempus quo in patriam rediturus esset, & fruiturus ut antea *Hierosolyma* & Templo. Sed quod attinet ad literalem convenientiam instauratæ *Hierosolymæ* & Templi secundi, cum omnibus partibus hujus descriptionis, adeo distat, ut Templum *Ezechielis* amplius sit tota *Hierosolyma* terrestri, ejusque *Hierosolyma* amplior quam ipsa terra *Canaan*. Hinc manifesto apparet scopum Spiritus Sancti in illa Ichnographia, fuisse æque significare maximum incrementum spiritualis *Hierosolymæ* & Templi, hoc est, Ecclesiam sub Evangelio, ejusque spiritualem pulchritudinem & gloriam; ac præbere captivo *Israeli* spem terrestris civitatis & Templi instaurandi, quod contigit cum soluta est a *Cyro* captivitas. Habet tamen apud *Ezechielem* sacrum hoc solum suos terminos, quamvis sint amplissimi: sed cum *Joannes* in *Apocalypsi* tradit mensuram Templi, exterior pars seu Atrium caret terminis, nec mensuratur aut ullo muro includitur: cujus rei ratio hæc affertur: *Quod Atrium concessum esset Gentilibus, & futurum esset ut Sanctam Urbem calcarent* (ut calcabatur Dei Atrium cum eo deveniebatur ad eum colendum) *per duos & quadraginta menses*, Apocal. 11. 1. 2. 3. Unde etiam apparet quare Propheta auxerit sacrum solum, ad denotandum nempe magnum numerum eorum qui sub Evangelio Deum erant culturi.

Murus qui ambibat Tetragonum sacri soli, erat ex pulcherrimo lapide, & altus erat viginti quinque cubitos, seu duodecim virgas & dimidium, stantibus scilicet intra solum sacrum: nam extrinsecus erat profundissimum præcipitium, & immensa erat altitudo e fundo vallis subjectæ ad summos muros; sed introrsum altitudo major non erat viginti quinque cubitis, eaque totum Tetragonum sacrum ambibat.

Joseph. de Bello. lib. 5. cap. 14.

Jam cum sit communis opinio inter *Thalmudistas*, כותל המזרחי גובהו ו׳ אמות *Murum Orientalem altum fuisse sex cubitis*; id non debet intelligi de toto Orientali muro, qui viginti quinque cubitos non minus in ea parte quam in aliis altus erat; sed debet tantum intelligi de ea parte muri quæ erat supra Orientalem Portam; atque ita a quibusdam ex iis exponitur: כמוה ראה למעלה לתוך פתח היכל צריך שהא הכותל של מעלה של שער שושן נמוך: Nam cum Sacerdos qui sanguinem Vaccæ rufæ adspergebat in Monte *Oliveti*, deberet prospicere per hanc Orientalem Portam, ipsas Templi valvas; & cum solum Porticus Templi esset viginti duobus cubitis altius quam solum hujus Orientalis Portæ, & ita Sacerdos ex Monte *Oliveti* prospiciens per hanc Portam non posset videre supra octavum gradum qui erat ante Porticum: *ideo necesse erat murum qui erat supra Orientalem Portam, humilem esse*, ut videret supra Portam quod per Portam ipsam videre non poterat.

Midd. Perek. 2. & Kimch. ubi supra.

Midd. Perek. 2. Sect. 4.

Maymon. in Beth Habbechir. Perek. 6.

R. Shem. in Midd.

Pisk. Thosapht.

CAPUT III.

Orientalis Porta Montis Domus, שושן *Shuſhan Porta. Proſpectus Montis Oliveti & partis Urbis e regione ejus ſitæ.*

IN perluſtrandis Portis & ædificiis quæ erant in exteriori muro & ſpatio ſacri ſoli, incipiemus ab Orientali Porta quæ oppoſita erat Monti *Oliveti*, & in qua erat tantum una Porta. Hæc & omnes aliæ Portæ, tum in hoc muro, tum in alio qui ambiebat Atria, erant altæ viginti cubitos, latæ decem, juxta conſtantem Hebræorum Scriptorum ſupputationem.

Midd. Perek. 2.

Ab iis non diſſentit popularis eorum *Joſephus*, qui alia lingua ſcripſit, quamvis conſtans menſura quam tradit omnium Portarum, ſit altitudo triginta cubitorum, latitudo vero quindecim. Sed in hac varietate accuratius rem explanant. Altitudo totius Πυλώματος, ſeu totius Architecturæ quæ Portam exornabat una cum Porta, erat triginta cubitorum, adeoque quinque cubitis ſupra murum aſſurgebat; ſed ipſum Oſtium ſeu Introitus erat viginti cubitorum tantum. Ita latitudo Introitus uniuſcujuſque Portæ erat tantum decem cubitorum, ſed latera Portæ hinc inde erant duo cubitorum & dimidii, adeoque totius ſtructuræ latitudo erat quindecim cubitorum. Altitudo vero hujus Orientalis Portæ humilior erat reliquis quatuor cubitis, nam exſurgebat tantum ſex cubitis ſupra oſtium, cum in reliquis Portis ſuperiora ornamenta ad decem cubitorum altitudinem extollerentur; itaque uno tantum cubito excedebat totum murum, dum reliquarum Portarum altitudo quinque cubitis ſuperaret totum murum. Atque hujus rei ratio ſupra allata eſt, nempe ut Sacerdos qui comburebat Vaccam rufam in Monte *Oliveti* poſſet Templum ſupra Portam videre: ad id enim in aſperſione ſanguinis Vaccæ iſtius exiſtimabant ſe Lege divina teneri: *Adſperget ſanguinem ejus directe ante Tabernaculum Congregationis ſeptem vicibus*, Numer. 19. 4. Obſervare poſſumus *Chriſtum* & Diſcipulos ejus e Templo per hanc Portam egreſſos, ſediſſe in Monte *Oliveti* e regione hujus Portæ, & proſpexiſſe magnificam Templi ſtructionem, *Chriſtumque* ex ea occaſione de ejus ruina diſſeruiſſe, *Matth.* 24. 1. 2. 3. &c.

Joſeph. de Bello. lib. 5. cap. 24.

Maymon. in Berh Habbechirah, Perek. 6. Gloſſ. in Midd.

Hæc Porta exacte non erat ſita in media parte hujus Orientalis muri, quaſi hinc inde habuiſſet murus ducentos quadraginta quinque cubitos; ſed nonnihil declinabat ad Septentrionem, quia oportebat eam ex adverſo directe reſpondere Porticui Templi. Jam cum Altare ita fixum & conſtitutum eſſet divina directione, ut Mons undique æquale ſpatium hinc inde præbere non poſſet, coacti fuerunt ita Templum ædificare, ut conveniret Altari, atque eodem etiam modo Atria diſponere, ut רובו לו מן הדרום ב׳ לו מן המזרח שלישי לו מן הצפון מיעוטו מן המערב, *Maximum ſpatium montis erat ad Auſtrum, ſecundum ad Orientem, tertium ad Septentrionem, minimum ad Occidentem.*

Midd: ubi ſupra.

Supra hanc Orientalem Portam picta erat Urbs *Shuſhan*, regia ſedes Monarchiæ *Perſicæ;* unde Porta ipſa, vel ſaltem aliqua ejus pars vocabatur שתי אמות היו בשושן הבירה. *Thalmud* dicit *fuiſſe duo genera cubitorum in Shuſhan Palatio: unum qui ſuperabat cubitum Moſaicum dimidia parte digiti; atque hunc fuiſſe in Euro-aquilonari angulo: alterum vero qui altera dimidia parte digiti hunc ſuperabat; atque illum fuiſſe in angulo qui Euro-notum reſpiciebat.* Ad quem locum hoc habet *Gloſſa* interpretamentum: *Shuſhan Palatium erat Conclave in Orientali Porta, ubi Urbs Shuſhan picta erat.* Et ratio hujus picturæ a quibuſdam hæc affertur: *Ut Iſrael poſſet eam videre, & meminiſſe ſuæ captivitatis in Shuſhan.* Ab aliis hæc: *Quia cum exierunt ex captivitate, Rex Perſarum juſſit pingi Shuſhan ſupra Portas Domus, ut timor regni eſſet ſuper ipſos.* Sed hic *Abraham Zaccuth* juſtam difficultatem movet. *Regnum Perſidis*, inquit, *& Shuſhan non diu duravere poſtquam ſecundum Templum exſtructum fuit, nempe circiter* 34. *annos. Quod cum ita ſit, quomodo fieri potuit ut hæc Tabula perduraverit per totum tempus ſecundi Templi? Sed ſunt quidam qui ita difficultatem ſolvunt: filios nempe captivitatis feciſſe hanc Tabulam, ut recordarentur miraculi Purim, quod contigerat in Shuſhan,* Eſth. 9. 26. *& hæc optima eſt reſponſio.* Hæc ille.

Ibid. Perek. 1.

Kelim, Perek. 17.

Aruch in Shushan. Rambam in Midd. Perek. 1. Gloſſ. in Mishn. in 8. ibid. Juchaſin, fol. 65. col. 2.

Hæc Porta vocatur *Porta Regis*, 1. *Paral.* 9. 18. non quod illac præſertim aut ordinarie ingrederetur Rex; ſolebat enim per oppoſitam partem Occidentalem intrare: ſed ita vocata eſt, quia Rex *Solomon* eam ædificaverat, ut & murum qui in eo latere erat, immenſo labore & ſumptu, conſtructo fundamento immanibus lapidibus ex ima parte profundiſſimæ vallis quæ Monti ſubjacebat: qua de re ſtatim agemus.

Sed priuſquam ab hac Porta abeamus, videamus quinam inde verſus Orientem eſſet proſpectus, ut quædam Scripturæ loca,

loca, in quibus agitur de locis vicinis, melius intelligamus.

Mons *Oliveti* e regione oppositus erat *Hierosolymæ*, Templo, *Sionis* parti Orientali, aliquatenus ad Septentrionem vergens, adeo ut *Sioni* oppositus etiam partim ad Septentrionem esset. Inter *Hierosolymam* & Montem hunc *Oliveti* erat vallis *Hinnom* seu *Tophet*, ubi horrendus ille irreligiosæ Religionis mos, comburendorum in honorem *Molechi* puerorum, observabatur. Nam *Solomon ædificavit sublimem locum Abominationi Moab in hoc colle qui erat e regione Hierosolymæ, & Molecho Abominationi filiorum Ammon*, 1. Reg. 11. 7. scilicet ad dextram collis respectu eorum qui eum *Hierosolyma* prospiciebant, 2. Reg. 23. 13. In hoc loco *Regum* vocatur, הר המשחית, *Har Hammashchith*, pro הר המשחה, *Har Hammishcha*, *Mons Corruptionis*, pro *Monte Unctionis*, vel *Olivarum*, Spiritu Sancto notante factum, vel locum propter factum, charactere quo eum summe sibi displicere ostendit. *Solomonis* uxores Idololatriæ deditæ tantopere eum fascinaverant, ut sibimet ipsi plane contrarius factus esset; quippe qui cum ædificasset magnificentissimum Templum vero Deo in Monte *Moriah*, passus est sibi persuaderi idololatricum Templum Abominationibus uxorum suarum in Monte *Oliveti* exstruere, e regione Templi Dei, quo ei veluti illuderet. Vallis quæ subjacebat exsecrando huic Idolio vocabatur *Vallis Thophet*, & *Vallis filii*, vel *filiorum Hinnom* Jerem. 7. 31. 32. & 19. 6. &c. *Vallis Thophet* & *Vallis Tympani*, ex strepitu qui edebatur ejuscemodi instrumentis, ne audirentur clamores puerorum qui comburebantur: *Vallis filiorum Hinnom*, est *Vallis filiorum ejulationis* & clamoris; ex clamoribus & ejulatu miserorum illorum puerorum qui comburebantur. Hæc eadem videtur esse quæ vocatur *Vallis* ossium, vel *Cadaverum*, Jerem. 31. 40. cujus denominationis *Chaldæus Paraphrastes* in eo loco hanc profert rationem: *Quia cadavera Assyriorum illic ceciderunt*: quod confirmat etiam *Josephus*, cum refert locum quondam vocatum fuisse *Castra Assyriorum*. Atque hic possumus castigare temerarium judicium *R. Solomonis Jarchi* in hunc *Jeremiæ locum*, in quem hoc habet interpretamentum: *Vallis Cadaverum est vallis in qua cadavera castrorum Sennacherib ciciderunt; & Vallis Cinerum est locus in quem deferebant cineres, qui erat extra Hierosolymam. Hæc loca intra Urbem, imo intra muros collocabunt. Atque hæc Prophetia implebitur in ultima Redemptione invitis Hæreticis: neque enim impleta fuit sub secundo Templo*. Per *Hæreticos* virulenter intelligit Christianos, qui negant ullum alium *Messiam* venturum, & ullam fore terrestrem *Hierosolymam*. Vellet enim interpretari hæc verba Prophetæ ad literam, quasi hæ Valles reipsa futuræ essent intra *Hierosolymam*, cum Propheta dicens hæc loca polluta fore intra Urbem, nihil aliud significet, nisi Ethnicos qui omni genere Idololatriæ & abominationum polluti fuerant, adductum iri in spiritualem *Hierosolymam*, quæ est ἄνωθεν, seu in Ecclesiam. Imo etiam si literalem ejus interpretationem admitteremus, possemus ostendere ex ipsis ejus Auctoribus Thalmudicis, *Bethpage* oppidum quod erat in iis partibus quarum meminit Propheta, quamvis esset extra mœnia *Hierosolymæ*, attamen ex ipsorum confessione habitum fuisse ex partibus *Hierosolymæ*: atque ita impleta fuit hæc Prophetia per eorum Chorographiam, adveniente *Messia* nostro. Sed hic non est hujuscemodi disceptationum locus.

Vide Buxt. Lex. Hebr. in voce ניא.

Joseph. de Bello, lib. 6. cap. 26. & 31.

R. Solom. in Jerem. 31. 40.

Hic erat prospectus quem ad dextram habebant prospicientes ex Orientali Porta Montis Templi, nempe pars Montis *Oliveti* divisa ab *Hierosolyma* per Vallem *Thophoth*, & Vallem Cinerum. Ad latus Vallis, prope *Hierosolymam* erat oppidum *Betphage*; & in colle in ulteriori latere Vallis e regione *Bethania*, celebris resurrectione *Lazari*, & commoratione atque ascensione Servatoris.

Directe è regione Portæ Orientalis erat locus in Monte *Oliveti*, in quo solebant comburere Vaccam rufam, ex qua fiebant lustrales cineres, qui parabantur ad purificationem pollutorum, si qua occasio id requireret. Atque eo tendebat via strata, duplici fornice substructa, quemadmodum Atria Templi, ut antea diximus, propter eandem cautionem, nempe ad cavenda sepulcra, quibus Sacerdos qui propterea exibat potuisset pollui, & opus irritum fieri.

Maymon. in Parah, Per. 3. & in Shekalim, Per. 4.

Ad manum sinistram e Monte Templi prospicienti apparet Mons *Oliveti*; & Vallis quæ interjacet secundum totum Orientale latus usque ad Septentrionem *Sionis*, vocabatur *Vallis Kedron*, celeberrima & crebro occurrens in Scriptura, 2. *Sam.* 15. 23. 2. *Reg.* 23. 6. *Joann.* 18. 1. Ad radices collis ultra hanc Vallem cerni poterat *Gethsemane*, seu *locus Torcularium olei*, quo oleas ex Monte *Oliveti* collectas exprimendas deferebant. Atque eo venit Servator noster post ultimam cœnam, ubi, postquam ea vespera cœnasset, ut verisimillimum est, in Monte *Sionis* vel *Civitate Davidis*, apprehensus est.

CAPUT IV.

De duabus Meridionalibus Portis : שערי חולדה, *Portis Huldah.*

UT pars Orientalis muri reſpicit Montem *Oliveti*, ita Meridionalis ipſam *Hieroſolymam* proſpectat. Nam ſeu ſtatuamus totam Urbem inædificatam fuiſſe ſeptem collibus, ut aſſerit *Tanchuma*; vel tribus, *Acra*, *Moriah*, & *Sion*, ut vulgo deſcribitur; vel addamus *Bezetha* & *Ophla*, ſitum hunc reperiemus: הר הבית לצפון ירושלים, *Mons Templi ad Septentrionem Hieroſolymæ* erit, & *Sion* ad Septentrionem Montis Templi. Hunc ſitum omnia Judæorum antiquiora monumenta non ſine ſuffragio Scripturæ obſervant: nam quomodo poſſunt hæc verba Pſaltæ, *Pulcher eſt ſitu, gaudium totius terræ Mons Sion ad latera Aquilonis*, Pſalm. 48. 2. magis proprie & ſimplicius intelligi, quam ut ea interpretatur *Aben Ezra*, *Sion ad Septentrionale latus Hieroſolymæ*? Atque hæc verba *Ezechielis*, *Poſuit me in Monte, prope quem erat figura Urbis ad Auſtrum*, Cap. 40: 2. an poſſunt fundere ſenſum magis genuinum quam hunc quem iis tribuit *Kimchi*, qui ea ſic interpretatur: *Mons eſt Mons Templi: hæc vero Civitas eſt Hieroſolyma, quæ eſt ad Auſtrum.*

Jelam. med.fol. 52.

Thoſapht. ad Kelim.

Aben Ezr. in Pſal.48.

Kimch. in Ezech. 40. 2.

In hoc ergo latere quod reſpiciebat *Hieroſolymam* ſive Auſtrum, erant binæ Portæ quæ vocabantur *Portæ Huldah*, atque ita ſitæ erant, ut a ſe invicem & utrinque a duobus angulis muri ex æquo diſtarent, Orientali nempe & Occidentali. Atque ita intelligenda ſunt verba *Joſephi*, cum dicit, Τὸ δὲ τέταρτον μετώπυ τὸ πρὸς μεσημβρίαν, εἶχε δὲ καὶ αὐτὸ πύλας κατὰ μέσον. *Quarta pars muri vergebat ad Meridiem, & habebat Portas circa medium*: hoc eſt, Portæ ita erant ſitæ, ut eſſet æquale ſpatium inter Portam & Portam, & inter utramque & angulum muri.

Thalm. in Midd. Perek. 1.

Joſeph. Antiquit. lib. 15. cap. 14.

Quare vocatæ fuerint *Portæ Huldah*, non eſt facile dictu; utrum ab חולדה, quod ſignificat *muſtelam*, de quo animale *Hebræi* multas ſcribunt Hiſtorias; vel ex voce *Syriaca* חלר, quæ Græce ſignificat, ἐνδύνειν, *irrepere*, 2. *Tim.* 3. 6. vel ex חול דא, id eſt, *hic*, vel *hoc eſt commune ſolum*; vel ex Prophetide *Huldah*, quæ in tanta fuit exiſtimatione apud Judæos, ut dicant neminem unquam ſeu virum, ſeu fœminam ſepultum fuiſſe intra mœnia *Hieroſolymæ*, [ſi excipias Domum *Davidis*] præter hanc ſolam; denique ſcire unde hæ Portæ denominatæ fuerint, non æquivalet labori qui in eo quærendo inſumendus eſſet, & forte etiam fruſtra.

Vid. Aruch in חלר. Conſt. Lemper. in Midd. pag. 1. 2. Vid. R. Solom. in 2.Reg. 22. Avoth R. Nathan. Perek. 34.

Non opus eſt nos immorari deſcriptioni formæ & dimenſionum harum Portarum, quandoquidem hæ & reliquæ Portæ erant omnes ſimiles ei quæ erat in Orientali latere quem jam deſcripſimus; niſi quod ornamenta Architecturæ ſuperius poſita altiora erant, nec habebant Tabulam Urbis *Suſan*, ut Porta Orientalis. Itaque deſcribamus proſpectum qui ſeſe nobis obtuliſſet, ſi ſtetiſſemus in alterutra harum Portarum apertarum verſus Auſtrum, quemadmodum deſcripſimus proſpectum Portæ Orientalis.

Quæ plateæ, domus, turres, horti, & ſplendida ædificia poſſent a ſe cerni in Urbe *Hieroſolyma*, ſi ſubjecta oculis ſuis foret, in tam ſplendida Urbe melius concipi poteſt quam deſcribi. Si duntaxat ejus ſitum obſervare velis, rem ſic habeto. Erat inædificata colli *Acra*, qui in medio aſſurgens, utrinque ad Orientem & Occidentem leniter declivis erat, cum deſcenſu etiam ad Septentrionem & verſus Templum. Ex ſummo collis jugo utrinque delabebatur dulcis & limpidus fons *Siloam*, & extra Urbem hinc inde ad Orientem & ad Occidentem per contrarium canalem decurrebat. Ad Orientem defluens relinquebat agrum Fullonis ad dextram, atque ad ſiniſtram præterfluebat Portam Gregium, & ita converſus ad Orientem decidebat in *Piſcinam Solomonis*, quam poſſumus optime credere fuiſſe *Betheſda*. In Occidentali canale fluebat juxta mœnia, Turrim Fornacium, Portam Vallis, & Portam Stercoris, ac paulo poſt decidebat in *Piſcinam Siloam*.

CAPUT V.

De Occidentalibus Portis Shallecheth vel Coponii, Parbar, Aſuppim.

IN Thalmudica deſcriptione Templi fit tantum mentio unius Portæ ad Occidentem: ſed *Joſephus* quaternarum meminit; quod convenit etiam cum Scriptura. Norant quidem optime *Thalmudici* tot in eo latere eſſe Portas: ſed eas tantum nomine recenſent quæ habebant excubias; cum *Joſephus* omnes enumeret, cujus hæc ſunt verba: Ἐν δὲ τοῖς ἑσπερίοις μέρεσι τοῦ περιβόλου πύλαι δ' ἐφέστασαν, ἡ μὲν εἰς τὰ βασίλεια τείνουσα, τῆς ἐν μέσῳ φάραγγος εἰς δίοδον ἀπειλημμένης. Αἱ β' δὲ εἰς τὸ προάστειον, ἡ λοιπὴ δὲ εἰς τὴν ἄλλην πόλιν. Βαθμῖσι πολλαῖς

Midd. Per. 1. & Tham. Per. 1. Joſeph. Antiq. lib. 15. cap. 14.

λαῖς κάτω τὲ εἰς τὴν φάραγγα διειλημμένη, καὶ ἀπὸ ταύτης ἄνω πάλιν ἐπὶ τὴν πρόσβασιν. *In Occidentalibus partibus externi muri posuerant quatuor Portas : una tendebat ad Regiam , valle quæ interjacet propter transitum completa : duæ aliæ in suburbium tendunt, alia in aliam Urbem, multos habens ad vallem usque gradus, unde rursus plures erant ad ascendendum.* Hasce Portas sigillatim lustrabimus, & eodem quidem procedemus ordine quo hic sunt positæ, initio facto a Porta quæ ad Regiam deducebat.

SECTIO I. *Porta Shallecheth vel Coponii.*

Porta quæ tendebat ad Regiam ad Septentrionem maxime vergebat ex iis omnibus quæ in hoc Occidentali latere erant, & e diametro opposita erat Orientali Portæ *Shushan*. Sub primo Templo hæc Porta vocabatur *Shallecheth*, 1. *Paral.* 26. 16. sed *Herodis* tempore vocabatur *Porta Coponii*. Judæi scribunt, קיפנוס, *Kiponus*, de cujus vocis origine variæ sunt conjecturæ. Quidam eam deducunt a voce קופה *Introitus* : quidam a voce κηπαία *Janua postica* : quidam a קפנדר *Arctus transitus*. At eam potius derivaverim a *Coponio* Præside *Romano*. *Josephus* narrat, cum *Cyrenius* ab *Augusto* ad regendam *Syriam* missus fuit, *Coponium etiam Magistrum Equitum missum fuisse cum eo ut præesset Judææ* Κωπώνιος τε αὐτῷ συγκαταπέμπεται τάγματος τῶν ἱππέων ἡγησάμενος Ἰουδαίων τῇ ἐπὶ πᾶσιν ἐξουσίᾳ. Hoc autem contigit tam brevi tempore antequam *Herodes* perficeret ædificium Templi, ut inde conjectura non absimilis vero fieri possit, ipsum hoc nomen huic Portæ imposuisse in honorem Præsidis *Coponii*, uti ædificium huic vicinum vocavit *Antoniam* in memoriam & honorem *Antonii*, qui ipsi amicissimus fuerat.

Midd. Perek. 1. Maymon. in Beth Habbechirah, Perek. 5. Aruch in voce. Lamper. in Midd. Perek. 12.

Joseph. Antiquit. lib. 18. c. 1.

Vox *Shallecheth*, quo nomine vocabatur hæc Porta tempore *Solomonis*, significat *aggestionem*, & ita, ut observat *Kimchi*, vertitur a *Paraphraste Chaldæo* השלכה. Hæc autem Porta dicitur 1. *Paral.* 26. 16. fuisse prope *Viam ascendentem*; quæ ascensio est celebris illa *Solomonis* ad Templum venientis, 1. *Reg.* 10. 5. 2. *Paral.* 9. 4. Atque hæc Via aggesta ea est quam significat *Josephus* cum dicit : *Una Porta tendebat e Templo ad Regiam, valle quæ interjacet propter transitum completa*; quod magnum opus fuit: vallis enim lata & profunda erat. Itaque optime possumus inde colligere eam vocatam fuisse *Portam Shallecheth*, seu *Egestionis*, propter viam quæ aggesta fuerat ad Regis Palatium : erat enim hæc ordinaria ejus ad Templum via.

Michlol in שלך.

Hæc via existimatur a quibusdam Quercubus & Tiliis utrinque consita fuisse, quorum arborum duplex usus erat : nam & sustentabant aggestum humum viæ ne deflueret; & umbram atque amœnum Regi præstabant ambulacrum, cum iret aut rediret. Atque ita vertunt versum *Isai.* 6. 13. ubi tantum ea vox hoc sensu occurrit : *Erit decimatio, & redibit & comedetur, ut Tilia vel ut Quercus prope Shallecheth*, id est, ut ordines arborum ad latera hujus aggestæ Viæ.

Vide R. Solom. in Isaj. 6.

SECTIO II. *Porta Parbar*, 1. Paral. 26. 18.

A Porta *Shallecheth* vel *Coponii*, quæ in hoc Occidentali latere omnium maxime ad Septentrionem vergebat, eamus jam ad Austrum. Prima quæ nobis occurrit Porta vocabatur *Parbar*, cujus mentio fit loco *Paralipomenon* laudato, ubi Spiritus Sanctus referens ordinem institutum inter Janitores ad varias Montis Templi Portas, dicit, *Ad Parbar Occidentalem, duæ ad Aggestionem, duæ ad Parbar*. Quibus satis apparet hanc Portam fuisse ad Occidentem, & vicinam quidem fuisse Aggestionis Portæ, vel *Shallecheth*, quandoquidem cum ea conjungitur. Atque hæc de situ Portæ illius eo tempore, quæ satis plana videntur. Vox *Parbar* duplicem admittit significationem : nam vel significat כלפי בר, *Exteriorem Plateam*, juxta multos ex Judæis; vel ejusdem est significationis ac vox *Parvar*, quæ differt tantum unica litera, eaque simili & quæ facile cum altera mutari potest, & quæ significat *Suburbium*, tum in Hebraico Textu, 2. *Reg.* 23. 11. tum in lingua Chaldaica, ut observat ad hunc locum *R. David Kimchi*.

Gloss. in Tamid, Perek. 1. Kimch. in 1. Paral. 26. Aruch in voce, &c.

Kimch. in 2 Reg. 23.

Verba etiam *Josephi* quæ modo attulimus, possunt resumi hic, & ex omnibus simul Portæ hujus situm colligere. Dicit *ex quatuor Portis quæ erant in latere Occidentali, unam duxisse ad Regis Palatium* (hoc est Portam *Shallecheth*, de qua jam egimus) *& duæ sequentes* εἰς τὸ προάστειον. Hæc Suburbia quæ designat erant certe ea pars Urbis quæ in Scriptura vocatur *Millo*, quæ erat Vallis ad Occidentem Montis *Moriah*, in qua *Jerusalem* & *Sion* concurrebant, & quæ completa fuit ædificiis a *Davide* & *Solomone*, 2. *Sam.* 5. 9. 1. *Reg.* 11. 27. & pars habita Suburbiorum *Sionis*, ac ita semper sequentibus temporibus *Sioni* adjuncta.

Atque huc faciunt verba *Josephi* modo

do citata, ubi obſervandum cum dicit, duas Occidentales Portas in Suburbia tendiſſe τὴν λοιπὴν εἰς τὴν ἄλλην πόλιν, *reliquam in aliam urbem*, hoc eſt, *Hieroſolymam*, quam facit aliam urbem a Suburbiis de quibus loquitur. In alterutra ergo ſignificatione ſumamus vocem *Parbar*, ſeu pro *exteriori Platea*, ſeu pro *Suburbiis*, hæc Porta optime potuit hoc nomine vocari, quia erat tranſitus a Templo ad *Millo*, quod erat locus exterior, & Suburbium *Sionis* diſtinctum a *Sione* per murum, quamvis pars *Sionis* & ad *Sionem* pertinens.

Quamvis autem proxima huic Porta, verſus Auſtrum, tenderet etiam in Suburbia, ut apparet ex *Joſepho*; attamen non vocatur eodem nomine *Parbar*: cujus rei ratio hæc eſſe potuit, quod nomen gereret conveniens uſui cui deſtinata erat, vel loco in quo poſita, potius quam reſpiciens eum locum ad quem tendebat.

Et quandoquidem hic agimus de Suburbiis, non prætermittenda eſt occaſio paulo attentius conſiderandi hujus Textus, ubi mentio fit *Suburbiorum*, & unde hauſimus ſignificationem vocis *Parbar*; 2. *Reg*. 23. 11. Ibi dicitur *Joſias abſtuliſſe equos quos Reges Judæ dederant Soli ad ingreſſum Domus Domini, juxta exedram Nathanmelech Eunuchi, quæ erat in Suburbiis*. Utrum hi equi dati eſſent Soli, ut ipſi immolarentur, vel ut iis inſidentes ſalutarent Solem Orientem, ut exiſtimant Judæi, non immorabimur diſquirendo jam potius de loco quam de re ipſa agendum nobis eſt.

Stabula ejuſmodi equorum (videntur autem ordinaria Stabula Regia in eodem loco fuiſſe) dicuntur fuiſſe in Suburbiis *ad introitum Ædis Domini*; nec ullum locum convenientiorem poſſumus iis tribuere, quam eum de quo nunc nobis eſt ſermo: conjicimus nempe ea fuiſſe hic in *Millo*, ante vel circa hanc Portam *Parbar*, unde via erat ad deducendos equos ad Regiam, quotieſcunque Rex iis uti vellet, ſeu equis quos conſecraverant Soli ad uſum irreligioſum, ſeu iis quibus uti ſolebant. Cum ex *Millo* tendebant *Sionem*, tranſibant per portam quæ erat in muro qui dividebat *Millo* & *Sionem*: murus autem ille & Porta erant paulo infra aggerem per quem adſcendebant ad Portam *Shallecheth*. Atque inde lucem aliquam mutuatur locus in quo agitur de morte *Athaliæ*, 2. *Reg*. 11. 16. *Impoſueruntque ei manus, & impegerunt eam per viam Introitus Equorum juxta Palatium, & interfecta eſt ibi.* Hoc eſt, eam abduxerunt ex Monte Templi per Portam *Shallecheth* & aggerem; & cum vicina fuit Portæ Equorum, per quam ex *Milluntinis* Stabulis ad Regiam ibant, ibi eam interfecerunt. Erat quidem etiam *Porta Equorum* in præcipuo Urbis muro ad Orientem, ſed diverſa ab hac quæ erat præſertim propter equos regios; ideoque additur nota diſtinctionis, *Porta Equorum verſus Regiam*, 2. Paral. 23. 15. Sic vertendum eſt potius quam *prope Regiam*: nam neutra harum Portarum, ſeu Origntalis illa Urbis, ſeu hæc Occidentalis qua exibant in *Millo*, erat vicina Regiæ, ſed ſatis remota. Vide in loco laudato Septuaginta Interpretes.

SECTIO III. *Duæ Portæ, & Domus Aſuppim.*

In Hiſtoria conſtitutionis Janitorum Templi in variis ſuis locis & functionibus, occurrunt hæc verba, 1. *Paral*. 26. 15. 17. *Obed-Edom Auſtralis cuſtodia, & filiis ejus Conclave Aſuppim. Ad Orientem vero Levitæ ſex, ad Aquilonem quatuor per diem. Atque ad Meridiem ſimiliter in die quatuor, & verſus Aſuppim bini & bini.*

Duo porro merito compulerunt varios eruditos ut crederent *Aſuppim* ſignificare Theſauros Templi, vel locum in quo res ſacræ ac dicatæ Deo aſſervabantur. Alterum eſt ipſa vocis ſignificatio, nam ſignificat *Collectiones*; alterum, quia *Obed-Edom*, cujus filii dicuntur *fuiſſe* ad *Aſuppim* ut munere ſuo fungerentur, dicitur 2. *Paral*. 25. 24. habuiſſe cuſtodiam Theſauri. Ibi enim narratur *Joas* Rex *Iſraelis* ſumpſiſſe omne aurum & argentum, & univerſa vaſa quæ repererat in Domo Dei, & apud *Obed-Edom*.

Jam ſi hoc concedatur, *Aſuppim* ſignificare Theſauros, ſupereſt ut quæramus ubi eſſet Conclave illud *Aſuppim*, nec certe alia eſt difficilior inveſtigatio in tota luſtratione Templi, ejuſque ædificiorum, aliorumque ad id pertinentium, quam accurata & perſpicua Janitorum, Theſaurorum ac Theſaurariorum, eorumque omnium functionum deſcriptio; tanta eſt de hiſce expreſſionum varietas in Scriptura, & adeo exigua harum difficultatum explanatio in aliis Scriptoribus! Ad iſtorum indagationem, quicquid erit in nobis ingenii afferemus in luſtratione uniuſcujuſque loci, cujus erit aliqua cum ejuſcemodi rebus relatio.

Vox *Aſuppim* iterum uſurpatur ubi ſermo eſt de Janitoribus, *Nehem*. 12. 25. ubi ſex viri ibi nominati dicuntur fuiſſe Janitores cuſtodiam agentes, באסופי השערים, *ad Aſuppim Portarum*. *Aben Ezra* &

Kimchi

Kimchi dicunt idem esse ac *Sippini*, *Limina*; & ita in *Anglica* nostra Translatione vertitur. Sed si hoc sensu sumamus in loco *Paralipomenon* de quo agimus, nullum erit discrimen inter filios *Obed-Edom* hoc respectu, & reliquos Janitores: omnes enim poterant æque ac ipse dici Janitores ad *Asuppim*, quandoquidem omnes ex æquo limina servabant.

In recensione Janitorum, eorumque in stationibus suis collocatione, mentio fit Orientis, Occidentis, Septentrionis & Austri, quorum jam meminimus; additur vero *Asuppim*, quasi ad nullum pertineret latus. Ad Orientalem Portam erant sex juniores filii *Selemiah*; natu maximus *Zacharias* ejusque filii ad Septentrionem. Ad Occidentem erant sex filii *Hosa* & *Shuppim*, quatuor ad *Shallecheth*, & duo ad *Parbar*; & quatuor ex octonis *Obed-Edom* filiis ad Austrum, reliqui quatuor ad *Domum Asuppim*, qui videntur fuisse extra Tetragonum; quis autem dixerit ubi?

Ad elucidationem hujus loci qui videtur adeo obscurus, non erit ἀπροσδιόνυσον hæc quatuor expendere.

I. Fuerunt quatuor Portæ in Occidentali latere, ut observavimus, nempe Porta *Coponii*, duæ quæ tendebant in Suburbia, una vero in Civitatem.

II. Spiritus Sanctus recensens Janitores prout erant dispositi post reditum ex Captivitate, collocat tantum eos in quatuor lateribus extimi muri, 1. *Paral.* 9 23. 24. nam murus qui ambibat Atria nullam prorsus Portam habebat ad Occidentem, ideoque hi versus de eo non possunt intelligi, sed de extimo hoc circumambiente muro. Quomodo autem intelligemus, quod hic, nempe *Cap.* 26. mutato stylo dicitur.

III. Hi Janitores habitabant circa Domum Dei, & unoquoque tempore matutino aperiebant Januas, 1. *Paral.* 9. 27. Jam autem nec Sacerdotes, nec Levitæ ulla domicilia habebant ad Portas Atrii, nec Levitæ has Portas aperiebant, sed Sacerdotes.

IV. Quamvis essent viginti quatuor excubiæ, tres nempe Sacerdotum, & viginti & una Levitarum, unaquaque nocte circa Templum, attamen tales non erant interdiu ad Portas Atrii, aut ad ea loca muri Atrii ad quæ erant collocatæ noctu. At hic locus diserte testatur diurnam fuisse horum Janitorum functionem.

His itaque expensis, I. non possumus *Domum Asuppim* alibi collocare, quam alicubi in exteriori muro qui circumdabat Montem Domus, imo & reliquas Portas & stationes Janitorum. II. Phrasis Textus ostendit hos filios *Obed-Edom* qui Janitores erant ad *Asuppim*, functos fuisse eo munere ad duo loca, seu ad duas Portas; dicuntur enim *ad Asuppim fuisse bini & bini*. III. Quandoquidem nominantur tantum Janitores ad duas Portas ex quaternis quæ erant in Occidentali latere, nempe *Shallecheth* & *Parbar*, non possumus aliter rem concipere, nisi quod duæ reliquæ Portæ veniunt hic sub nomine *Asuppim*, & habebant unaquæque binos Janitores. Nam primo, cum essent ibi quatuor Portæ, quomodo geminæ ex illis fuissent sine Janitoribus, dum reliquæ omnes tam sedulo custodirentur? Deinde, quomodo collocaremus quatuor hosce filios *Obed-Edom* tanquam Janitores, nescio ubi, aut in loco in quo Janitores fuisse nullibi legimus, & hasce duas Portas omni custodia destitutas relinqueremus?

Non dubitarim itaque concludere, *Asuppim* fuisse duas Portas in hoc Occidentali muro, quæ vergebant ad Austrum seu proximæ erant *Hierosolymæ*; & *Domum Asuppim* fuisse amplum ædificium inter eas situm, in quo erat Thesaurus, seu varia Conclavia ad recondenda quædam quæ erant ad usum Templi. Thesauri Templi varii erant & in variis locis, ac variis hominibus commissi; sed in genere distinguuntur *in Thesauros Domus Dei*, & *Thesauros rerum dedicatarum*, 1. *Paral.* 26. 20.

Per *Thesauros Domus Dei* ea significantur quæ erant ordinarii usus, ut vasa, vestes, Decimæ, vinum, oleum, & alia quæ quotidie adhibebantur: quibus possumus adjungere quicquid Thesauro offerebatur, seu deberetur, ut Semi-siclus, seu sponte offerretur ad instaurandum Templum, seu Ministerio serviendum, ut vasa & pecunia. Sed per *Thesauros rerum dedicatarum* intelliguntur quæcunque Reges, Duces aut Magnates consecraverant ac dicaverant, quæ asservabantur tanquam Divitiæ Templi, & monumenta ipsorum pietatis. Quibusdam ex prioribus Thesauris præfecti erant Janitores, 1. *Paral.* 9. 26. 27. &c. reliqui vero, & posteriores etiam commissi erant curæ aliorum Levitarum, 1. *Paral.* 26. 20. 22. 26. &c. Janitores habebant Thesauros suos ad unamquamque Portarum suarum. Itaque verterim אסופי שערים, *Thesauros Portarum*, Nehem. 12. 25. Cum alii custodirent vestimenta, alii istrumenta, alii aliud, filii *Obed-Edom* servabant argentea & aurea vasa, quæ erant pretiosissima Templi Utensilia, ideoque eorum Portæ, & ædificia inter eas sita,

vocan-

vocantur *Asuppim*, vel *Thesauri*, κατ' ἐξοχὴν, potius quam reliqui.

Priusquam abeamus ab hoc Occidentali latere, extrorsum prospiciamus, quemadmodum antea prospeximus ex duobus aliis lateribus. Stanti in medio hujus muri sese oculis offert *Millo*, ubi præter Regia Stabula, & alia ædificia, cernitur *Piscina Siloam* cum Hortis Regiis. Ad sinistram est clivus *Acræ* & ædificiorum *Hierosolymæ* ibi sitorum. Ad dexteram ascensus *Sionis*, & gradus quibus ascenditur in Civitatem *Davidis*, & per quos Rex descendit ad *Shallecheth* & venit ad Templum. Si altius ascendas, videbis sepulcra Domus *Davidicæ*, & aliam Piscinam, *Nehem.* 3. 15. 16.

CAPUT VI.

Porta Septentrionalis טדי *Thedi* vel *Tadde*.

IN latere Septentrionali ad quod jam pervenimus, erat tantum una Porta, non secus ac in Orientali, quæ sita erat in medio muro æque distans ab Orientali & ab Occidentali angulo. Sed de vero ejus nomine non plene consentiunt Scriptores. Quidam scribunt טרי per *r*, *Teri*, quod significat *humilitatem* seu *purulentiam*, quia ii ex Sacerdotibus qui seminis effluvium noctu passi fuerant, exibant per hanc Portam, ut se immunditiei causa abluerent. Sed jam olim ita definitum est scribendum illud per *d*, טדי *Thedi*, vel prout alii legunt, *Tadde*, ut in *Piske Thosaphoth*, *ad Middoth*, quæratur ejus vocis etymologia. Mentio fit duplicis significationis; nempe significat הצנע *obscuritatem* & *pudorem*, quia raro illac transibatur, & Sacerdotes qui Gonorrhœam noctu passi fuerant, illuc exibant ad Balneum non sine pudore & dejectione vultus: vel refertur ad Actores & Poetas, & affertur sententia in qua conjunctione sua cum alia voce videtur id significare; neque enim alium, qui ipsi possit tribui, sensum video. Hæc est illa sententia: טיידי ופיוטי רגילי בהו קמי ריש גלותא, *Tragædi & Poetæ utebantur ea ante initium Captivitatis*. Quis autem sensus ex hac etymologia peti possit, non intelligo. Sed quæcunque tandem sit vocis significatio, *Thalmud* duas affert notas quibus ipsa Porta ab omnibus memoratis distingui poterat. Prima est, quod superiora Portæ ornamenta, & superiora Conclavia non æque pulchra ac reliquæ haberet, sed tantum supra illam esset murus & pinnæ muri. Altera, quod non esset ordinarius & communis omnibus transitus, לא משמש כדרם, ut reliquæ Portæ; sed tantum quibusdam in casibus transitum præberet. De raro ejus usu loquendi occasionem iterum habebimus.

Misnajoth in 8. in Middoth Lemper. ibid. pag. 13. Thalm. Babyl. & Aruch. Buxtorf. Lexicon Talmud.

Thalm. in Midd. Perek. 2.

Erat ex hac parte in Monte *Moriah* aliquantulum spatii extra murum & ambitum sacri soli, quale nullum supererat ex aliis partibus: hic enim ædificata fuerat ampla & munita Turris *Antonia*, quam non lustrabimus, cum ex aliis partibus murus qui sacrum solum circundabat immineret ipsi Montis præcipitio. Itaque prospicienti tibi ex hac Porta ad lævam apparuisset Turris *Antonia*, quæ prospectum intercipiebat ab ea parte, & se solam conspiciendam præbebat. E regione erat Mons *Sion*, & splendidum Regiæ ædificium, aliæque ædes. Versus angulum Orientalem erat locus dictus *Ophel*, vel *Ophla*, ubi degebant *Nethinæi*, Nehem. 3. 26. Et ad Orientem *Ophlæ* erant Porta Equorum & Porta Aquæ e regiogione Templi.

Ita situs erat *Mons Domus Domini*, ab Urbe undiquaque inclusus, & valido atque alto muro munitus & separatus a communi solo. Hinc erat *Sion* Sedes Regia, inde *Hierosolyma* habitatio populi, interjacente Templo ejusque Ministerio, quemadmodum Ministerium erat Mediatio inter Deum & populum. Murus qui hoc circumibat, habebat octo Portas splendidæ & ejusdem structuræ, exceptis Septentrionali & Orientali, quibus culmen impositum non erat aut æque altum, aut ejusdem rationis ac cæterarum culmina. Ad omnes hasce Portas erant interdiu Janitores; ad quinas vero nocturnæ excubiæ, ut postea videbimus. Ad eas ab Oriente & Occidente erat præfractus ascensus, sed facilior factus gradibus aut aggeribus ad commoditatem populi, utque facilius adduci possent victimæ, quarum quædam quotidie adduci debebant. Ad Austrum adeo præfractus non erat ascensus, nec minus tamen ac reliqui arte facilior & acclivior factus fuerat. Ascensus qui erat ad Septentrionem erat potius in gratiam Præfecti *Antoniæ*, quam ad ingrediendum in Templum, cum Septentrionalis Porta *Tedi*, ut dictum est, adeo exigui usus esset.

Unuscujusque Portæ ostium sive transitus habuit latitudinem decem cubitorum, altitudinem viginti, crassitiem duodecim cubitorum, quorum sex extra sacrum solum prominebant, sex alii intra illud erant. Si ingressus fuisses per Orientalem Portam, & oculos conjecisses in solum ipsum priusquam extructa essent ædificia, aut alia quæ in eo erant considerasses, potuis-

ſes videre collem ab Oriente in Occidentem aſcendentem, adeo ut Occidentalis ejus pars pluribus cubitis apparuiſſet altior eo loco in quo fuiſſes, ut poſtea occaſione data obſervabimus.

Hic tumulus olim ſpinis & dumis obſitus fuerat, *Geneſ.* 22. 13. & poſtea pejoribus etiam ſentibus, nempe *Jebuſæis*, qui eum poſſederunt, donec *David* eos inde expuliſſet ad ædificandum in eo Templum, de quo jam agimus. Hic erat etiam areola *Ornanis Jebuſæi*, ubi poſtea fuit ſedes Dei *Jacobi*. Hic erat ſplendidiſſimum & ſumptuoſiſſimum ædificium, quod humana arte ac opibus fieri poſſet, decus Gentis cujus erat, & admiratio finitimorum omnium populorum: ſed poſtremo ſtupendum æque deſolationis & exciſionis monumentum, ac antea ſplendoris & magnificentiæ. Priuſquam ulterius progrediamur in eo luſtrando quale erat dum floreret, aliquandiu adhuc circa murum, qui nos hactenus detinuit, hærendum nobis eſt, & præter Portas, quas omnes jam perluſtravimus, obſervanda etiam ædificia & ornamenta ei conjuncta atque ad eum pertinentia.

CAPUT VII.

Turris ANTONIA, Βᾶρις.

IN latere Septentrionali ad Occidentalem angulum, extra hunc murum quem luſtravimus, erat Turris *Antonia*, quæ aliquando fuit locus in quo Summi Sacerdotes ſolebant deponere veſtes ſacras; ſed poſtea ſedes Præſidii militum *Romanorum*, quo Templum in officio continebatur. Dum priori uſui inſerviit, vocabatur *Baris*; (fortaſſe a vocula בר *extra*, quia erat extra ædificium Templi) ſed poſtremis temporibus vocata fuit *Antonia*. *Herodes* enim, qui eam magnifice, ut & Templum, inſtauravit, id nominis ei impoſuit a *Marco Antonio*. Erat in eo angulo *Moriæ*, qui Caurum reſpiciebat, eratque validiſſimæ & ampliſſimæ ſtructuræ, adeo ut cum omnibus partibus ac membris circuitum haberet duorum ſtadiorum. Rupes cui inædificata erat, erat alta quinquaginta cubitos; ædificium vero ipſum eam ſuperabat quadraginta cubitis. Tetragonum erat cinctum muro tres cubitos alto, qui includebat ejus Atria; & in unoquoque angulo turriculam habebat, quales videmus *Londini* in *Turri Alba* (*VVhite Tower*) ſed ædificium *Antoniæ* amplius erat, & turriculæ non erant omnes paris altitudinis: nam quæ erant ad Euro-aquilonem & Caurum erant quinquaginta cubitos altæ; ſed quæ Euro-notum & Noto-zephyrum reſpiciebant erant altæ ſeptuaginta cubitos, ut ex alto totum Templum deſpicere poſſent. Habebat circa ſe periſtylia, ſeu ambulacra, balneas, conclavia, cubicula ampliſſima, adeo ut Palatium videretur. Erat tranſitus ab hac Turri in Septentrionalia & Occidentalia Clauſtra Montis Domus, (de quo agemus poſtea) per quem *Romani* præſidiarii deſcendebant unoquoque feſto, ut tumultus & ſeditiones concurrentis populi impedirent. Itaque Præfectus huic Turri vocatur *Præfectus Templi*, *Actor.* 4. 1. *Luc.* 22. 52.

Joſeph. Antiquit. lib.15.cap. 14. & de Bello, lib. 5. cap. 25.

Hyrcanus Summus Sacerdos hujus nominis primus, hunc domicilii ſui locum, & reponendis ſacris veſtibus elegit; quod & imitati ſunt ejus ſucceſſores. Imo etiam *Herodes* cum eam Turrim inſtauravit & vocavit *Antoniam*, permiſit Summum Sacerdotem eo in loco veſtes exuere, & Veſtiarium habere: quod etiam poſt eum conceſſit *Archelaus* filius ejus. Sed cum *Romani* ſolio *Archelaum* deturbaſſent, cuſtodiam earum veſtium ſibi aſſumpſerunt, ſed eas in eodem reliquerunt loco, donec *Vitellius*, *Tiberii* tempore *Syriæ* Proconſul, *Hieroſolymam* adveniret, & bene a Judæis exceptus, petentibus earum veſtium cuſtodiam, reſtitueret. Nec tamen ea conceſſione diu uſi ſunt: etenim a ſequentibus Imperatoribus ac Præſidibus iterum ipſis erepta eſt.

Joſeph. Antiq. lib. 18. cap. 6.

Jam cum *Antoniam* ab exteriori parte Septentrionalis muri contemplati fuerimus, redeamus iterum ad Septentrionalem Portam *Tedi*, faciemque ejus qualis ingreſſuris apparebat paulo amplius conſideremus. Obſervavimus antea, nomen hujus Portæ ſignificare *Abſconſionem* vel *Obſcuritatem*, nec eam commeantibus frequentem fuiſſe. Duo autem conjecturæ ſeſe offerunt, ob quæ ita vocata & ita infrequens fuerit. Primo, *Romani* præſidii petulantia obſtare potuit quominus illac tranſiret populus, & plebi ea Porta fieret *Porta tædii:* liceat enim hic ex Latina deducere etymologia nomen Portæ Latino præſidio adeo vicinæ. Secundo, rationem quare *abſconſionem* nomen hoc innuat, videtur nos hoc in loco docere *Joſephus*: Βεζεθὰ λόφος μόνος τῷ ἱερῷ κατ' ἄρκτον ἐπεσκότει, *Quia Bezetha collis ſolus Templum obumbrabat a Septentrionali parte*, & proſpectum ei præripiebat, cum reliqua ſacri ſoli latera nullo tali clauderentur colle.

Id. de Bell. lib.5. c.15.

CAPUT VIII.

Septa quæ in interiore hujus muri parte erant. סטיו.

ITa peragratis extimis ſpatiis & limitibus Montis Templi, aliud eſt jam quod luſtratione & obſervatione noſtra indignum non eſt, nempe Ambulacra & Septa quæ intra murum erant in Portarum interſtitiis circa Templum.

Shabbath, fol. 6.

Joſeph. de Bell. lib. 5. cap. 14.

Shabbath, fol. 13.

Maymon. in Beth Habbechir Per. 5.

Thalmud hæc alicubi vocat סטיו כפול, *Porticum duplicatam*, atque ita *Joſephus*, Διπλαῖ αἱ ςοαὶ πᾶσαι: quod tum *Thalmud* alio loco, tum etiam *Maymonides* pluribus verbis exprimunt: כלו היה מקורה וסטיו לפנים מסטיו, *Omnia erant contignata deſuper, & una Porticus erat ante aliam*. Vox סטיו ita convenit cum Græca ςοὰ, ut non dubitaverim Hebraicam vocem Græca illa vertere, & Latina *Porticus*: ſed quomodo Anglice verti queant, haud ſatis liquet, quia vox noſtra *Porch*, qua conſtanter vertitur, non eodem ſenſu uſurpatur, ſed plerumque alio. Dicit enim *Kimchi* de voce אולם, *Eam ſignificare quod lingua Thalmudica vocatur* בית השער, *Domus Portæ*, quæ eſt propria ſignificatio Anglicæ vocis *Porch*: vulgo enim ſumitur apud nos pro ædificio quod eſt ſupra vel ante januam ædium. Verum hæc de quibus agimus verba ſignificant Clauſtra vel Ambulacra, ubi ſolebant ambulare impunes a pluvia atque æſtu; quæ ex altera parte aperta erant, ſuperius vero tignis obtecta, quæ columnis ſuſtentabantur.

In 1.Reg. 6.4.

Itaque latum hoc undique intra murum erat ſpatium duplici ſepto circumquaque diſtinctum, cujus ſuperior contignatio fere æquabat ſummum murum, ſupereminente tantum ea muri parte quæ loricæ tributa erat. Contignationem ſuſtinebat triplex ordo columnarum marmorearum, quorum unus muro proximus erat, & medius ita reliquas disjungebat, ut duplex conſtitueret Ambulacrum. Simile quippiam non longe quæremus: exemplar ejuſmodi Porticus poterit optime eſſe ſeu Septum, ſeu Ambulacrum, ſeu quovis alio appellare libeat nomine, quod ſplendide extructum eſt ad latus Occidentale Templi *Sancti Pauli*. Erat enim circiter hujus altitudinis, duodecim nempe virgarum & dimidiæ: hinc conjuncta erat muro, quemadmodum *Londinenſis* Porticus conjuncta eſt Templo, & ſuſtentabatur expolitis marmoreis columnis. Erat triginta cubita ſeu quindecim virgas Anglicas lata, & utrumque Ambulacrum, columnæ & reliqua dimidiam ſpatii partem occupabant, & in ſupremo margine habebant loricam, tum ex ea parte qua ſubjacebat murus, tum etiam ex altera; quemadmodum vidimus exterius loricatam eſſe Porticum *Sancti Pauli*. Ubi ædificia, quod antea obſervavimus, intra ſolum Montis Domus porrigebantur, hanc proportionem ſervabant Septa illa, nempe plane abſorbebantur ab ædificio, ſi ad triginta cubita ædificium illud intra ſolum ſacrum extenderetur, vel dimidia aut amplior etiam pars Septi abſcondebatur, ſi ædificium arctius eſſet, eique quod ex Porticu ſupererat addebatur.

Antiq. lib. 15.cap.4.

Ad Meridionale duntaxat latus ſpatii illius quadrati Septa vel Ambulacra differebant ab iis quæ aliis lateribus erant adjecta. Hic enim erat Στοὰ Βασιλικὴ, *Porticus Regia*, ut *Joſephus* eam vocat, & cujus amplam atque eximiam habet deſcriptionem, quæ huc redit.

I. Erat triplex per totam faciem quæ ab Oriente ad Occidentem porrigitur, cum reliquæ Porticus eſſent tantum duplices.

II. Tota hæc ſtructura ſuſtinebatur quatuor columnarum ordinibus recto ordine diſpoſitis, quorum interior conjunctus erat muro, quemadmodum in aliis Porticibus.

III. Interius & exterius Ambulacrum ex hiſce tribus (hoc eſt, quod erat proximum muro, & extimum quod vicinum erat ei parti Montis Domus quæ aperto cœlo ſubjecta erat) erant æqualia latitudine & altitudine reliquorum laterum Ambulacris, nimirum quindecim cubitos lata atque alta; ſed medium Ambulacrum latitudine unum & quadraginta, altitudine quinquaginta cubitos æquabat, adeo ut duo columnarum ordines, quibus hoc Ambulacrum utrinque cingebatur, alti eſſent quinquaginta cubitos, & culmen hujus Ambulacri duplo altius eſſet culmine Ambulacrorum quæ utrinque hoc cingebant, atque hæc ſimul eſſent inſtar ſuperioris & inferioris tecti Templi, & unumquodque haberet pinnas ſeu loricam qua circumdabatur. Denique adeo ſplendida ac magnifica erat tota hæc Architectura, ὡς ἀπιςότατα τοῖς ὐκ εἰδόσι, καὶ σὺν ἐκπλήξει θεατὰ τοῖς ἐντυγχάνουσιν εἶναι, *ut incredibilia eſſent*, ait Auctor noſter, *iis qui nunquam viderant, & admirationi iis qui ea conſpexerant*.

IV. Si quis ſtetiſſet in culmine ſuperioris tecti, & hinc aut inde deſpexiſſet, tam profunda videbatur foſſa aut vallis ſubjecta, ὡς σκοτοδινιᾶν, ὐκ ἐξικνυμένης τῆς ὄψεως εἰς ἀμέτρητον βυθὸν, *ut vertiginem pareret aſpicientibus immenſa profunditas*: & *Joſephus* dicat fuiſſe ἔργον ἀξιαφηγητότα-

τούτων τ῀ ὑφ' ἡλίῳ, *ex præstantissimis quæ sunt sub sole operibus*.

Jam autem quamvis hæc Australis Porticus vocaretur, & quidem merito, Στοὰ Βασιλικὴ, attamen eadem non fuit cum ea quæ in Scriptura *Solomonis Porticus* vocatur, cujus mentio occurrit *Joann.* 10. 23. *Actor.* 3. 11. Hæc enim, ut docet *Josephus*, fuit ad Orientem hujus spatii quadrati, non ad Austrum. Sic habet ille. Ἔπειθον τὸν βασιλέα τὴν ἀνατολικὴν στοὰν ἀνεγεῖραι· ἦν δὲ ἡ στοὰ τοῦ μὲν ἔξωθεν ἱεροῦ· κειμένη δὲ ἐν φάραγγι βαθείᾳ, τετρακοσίων πηχῶν τοὺς τοίχους ἔχουσα· ἐκ λίθων δὲ τετραγώνων κατεσκεύαστο καὶ λευκῶν πάνυ· τὸ μὲν μῆκος ἑκάστου λίθου πήχεις εἴκοσι, τὸ δὲ ὕψος ἕξ· ἔργον Σολομῶντος τοῦ βασιλέως πρώτου δειμαμένου τὸ σύμπαν ἱερὸν *Populus persuasit Regi Agrippæ* (secundo) *instaurare Orientalem Porticum. Erat autem hæc Porticus in parte exteriore Templi supra profundam vallem, & murum habens* 400. *cubitorum constructum lapidibus triangularibus & candidissimis: latitudo autem uniuscujusque lapidis erat viginti cubitorum, altitudo sex: atque opus erat Regis Solomonis, qui totum Templum extruxerat*.

Joseph. Antiq. lib. 20. cap. 8.

Sententiam suam de hoc Orientali muro & Porticu alibi effert in hunc sensum: *Solomonem*, ut sibi ex hac parte suppeteret spatium, implevisse partem profundæ istius vallis, & molem extulisse magnis hisce lapidibus, Καὶ ἐπιτεθῆναι στοὰν τῷ χώματι, & validis hisce fundamentis ad tantam altitudinem elatis imposuisse Porticum, de qua jam agimus.

Idem de Bell. lib. 5. cap. 14.

Cum porro Templum dirutum fuit a *Babyloniis*, & totum & ædificium eversum; attamen hæc mira & ingens fundatio quam *Solomon* ad tantam altitudinem exstruxerat, ut solum Montis æquaret, integra remansit, & posterioribus temporibus Porticus istius Orientalis partis hisce *Solomonis* fundamentis imposita fuit, & inde *Solomonis Porticus* appellata: atque eandem etiam ob rationem Orientalis Porta, ut antea, *Regia Porta* dicta est.

Jam ut prospectus hujus loci, muri & ædificiorum, ac Porticuum, de quibus unius tantum lateris respectu egimus, se se nobis offerat, per multos gradus, aut saltem per elatum ascensum via erat ad aliquam ex Portis supra memoratis, exempli gratia, ad Portam Orientalem seu Portam *Sushan*, qua te fuisse ingressurum fingito. Limen superius erat duodecim cubitorum, quorum sex erant intra januam, sex vero extra prominebant: quam cum semel subiisses, vidisses interiora magni illius spatii quadrati, quod circumquaque magnifice erat Porticibus circumdatum duplicibus, nisi ad Austrum, ubi Porticus erat triplex. Ad Occidentale latus erant quatuor Portæ, ad Australe duæ, ad Septentrionale una, atque in Orientali, unde venisses, una; & ad omnes majora aut minora ædificia. Ad quinque ex hisce Portis, nempe Orientalem *Sushan*, duas Australes *Huldah*, Septentrionalem *Tedi*, Occidentalem *Shallecheth*, erant noctu excubiæ Levitarum ad tutelam & honorem Templi, ut etiam introrsum in unoquoque magni hujus Tetragoni angulo.

Ezech. 40. 6.

Midd. Per 1. 1.

Magnificæ istæ Porticus, quæ id circumdabant, exstructæ fuerant in gratiam populi, ut posset sub iis ambulare aut sedere per æstum aut pluviam, prout liberet vel occasio ferret. Ita narratur Servator noster ibi ambulasse, *Joann.* 10. 23. & dicuntur Apostoli *Jacobus* & *Joannes* ibi stetisse in media populi corona, *Actor.* 3. 11. Ibi etiam erant scamna circumposita in usum populi, ut quotiescunque ita videretur, posset sedere. Ideo *D. Kimchi* interpretatur סטין hisce verbis, ספסל שיו שבים בו *Scamnum in quo sedent*: & *R. Nathan* dicit esse idem ac אצטווה, *quæ*, inquit, *sunt scamna in quibus deponunt onera sua, vel quibus ipsi insident*.

Kimch. in 2. Reg. 11. 14. Aruch in אצטווה.

CAPUT IX.

Tabernæ. Magni Sinhedrii sedes haud remota.

Crebra mentio fit in *Thalmude* & Thalmudicis Scriptoribus loci in Monte Domus qui vocabatur חניות, *Hhanoth* vel *Hhaniioth*: quam vocem harum Antiquitatum periti vertunt Latina voce *Tabernæ*, quæ quamvis in ea lingua proprie exprimat Hebraicam vocem, attamen Anglice non posset verti *Taverns*, quia hanc vocem sumimus tantum pro Oenopoliis; cum in Tabernis illis venderentur vinum, sal, farina & simila in usum sacrificantium & offerentium. Refert *R. Nathan*, fuisse in eo Mercatu veluti Ædiles, qui pondera & mensuras istarum Tabernarum visitabant, & impediebant ne Mercatores æquo carius venderent.

Aruch in אגרדמין.

Verum hoc maxime in hisce Tabernis observandum venit, quod Judæi dicant *Magnum Synhedrium* hic sedisse, cum locum ordinarium consessus ex Conclavi *Gazith* eo transtulisset. Ejus rei historia sparsim occurrit in *Thalmude*, & præsertim in *Gemara* Tractatus *Rosh hashanah*, Perek. 4.

R. Jochanan dicit, Divina gloria habuit decem stationes recedendo I. Ex Propitiatorio

Thalm. in Rosh hashan. fol. 31.

torio insedit uni Cherubinorum II. Ex isto Cherubino ad alterum. III. Ex isto Cherubino ad limen. IV. Ex limine ad Atrium. V. Ex Atrio ad latus Altaris. VI. Inde ad fastigium Altaris. VII. Inde ad exteriorem murum. VIII. Ex eo muro in Civitatem. IX. Ex Civitate in Montem Oliveti. X. Ex Monte Oliveti in desertum, unde in sublime abiit. Ita etiam Magnum Synhedrium habuit decem stationes. Ex Conclavi Gazith ad Hhanoth; (hoc est, *Tabernas* vel locum *Tabernarum*) *ex Hhanoth Hierosolymam; Hierosolyma Jabneam; Jabnea Osham* אושא; *Osha Sepharaam* שפרהם; *ex Sepharaam ad Beth Shaaraim; ex Beth Shaaraim Tsipperim Galilææ, Tsipperi Tiberiadem.*

Jam autem quamvis hoc in loco octo tantum stationes memorentur, tamen decem fuisse ajunt; quod ita intelligendum est ut docent Scholia: nempe isse ac rediisse ex uno horum locorum ad alterum, nempe *Jabnea Osham*, *Osha* iterum *Jabneam*, & secundo *Jabnea Osham*.

Gloss. ibid. R. Simeon.

Primus *Synhedrii* adventus *Jabneam* contigit diebus *Rabban Jochanan ben Zaccai*; commeatus vero *Jabnea Osham* diebus *Rabban Gamalielis* posterioris; reditus autem *Jabneam* diebus *Rabban Simeonis*. Ivit porro ad *Shaaraim* & *Tsipperim* diebus *Rabbi Judæ*, & *Tiberiadem* diebus *Antonii*.

Hæ sedis mutationes, ipsis fatentibus Judæis, cœpere quadraginta annis ante destructionem Templi. מ' שנה עד שלא חרב הבית גלתה סנהדרי וישבה לה בחנות *Quadraginta annis*, inquiunt, *ante destructionem Templi, Synhedrium loco cessit, & sedit in Hhanoth*, seu *Tabernis*. Atque ejus rei hæc affertur ratio: *Quia cum essent plures fures & sicarii, ipsi non judicabant de causis capitalibus.* Quorum verborum hæc est sententia: Existimabant dum sederent in Conclavi *Gazith*, ipsos teneri judicare de omnibus causis quæ ad ipsos deferrentur, & omnia ipsorum judicia Judæos obligasse: sed jam cum præter jugum *Romanæ* dominationis, quo eorum potestas intra arctiores limites coacta erat, scelus atque insolentiæ nimium creverant, quam ut possent ab ipsis coerceri; existimarunt, ut mentem eorum exprimit *Gemara* in *Avodah Zarah*, *expedire sibi surgere & cedere loco, de quo scriptum est, Et facies juxta id quod homines ejus loci ostenderint tibi.*

Shabbath, fol. 51.

Ibid. & Aruch in חנות.

Avodah Zarah, fol. 8.

Porro qua in parte Montis Domus hæ Tabernæ sitæ essent, optime possumus intelligere, si observemus loca in quibus sedit *Magnum Synhedrium*, priusquam sederet in Conclavi *Gazith*: atque huic rei lucem fœneratur locus *Jeremiæ* 35. 4. ubi occurrunt hæc verba: *Deduxi Rechabitas ad Domum Domini in Conclave filiorum Hanan, filii Jedeliæ Viri Dei, quod erat prope Conclave Principum, quod erat supra Conclave Maaseiæ filii Shallum Custodis Vestibuli.* Per *Principes* hic non possumus eos intelligere qui ad regiam stirpem pertinebant: quid enim hic egissent filii *Jejojakimi*? Degebant in Regia *Sionis*, & via qua ad Templum veniebant tendebat ad Occidentalem Portam quæ vocabatur *Shallecheth* & *Coponii*, cum hæc Porta, cujus filius *Shallum* Custos erat, esset Orientalis, ut apparet ex 1. *Paral.* 9. 17. 18.

Per *Principes* ergo intelligendi sunt magni in *Synhedrio* Viri, Ἄρχοντες τοῦ λαοῦ, *Actor.* 4. 8. quorum judicialis sedes erat vicina Portæ Orientali seu *Susban*, & quidem supra Conclave Janitorum. Hic sedebant tempore primi Templi; sed sub secundo, præsertim ab ævo *Simeonis Ben Shetah*, sedem suam interius retraxerunt, & sederunt ad latus Atrii *Israelis*, in Conclavi dicto *Gazith*, quod suo loco lustrabimus.

Jam vero postquam deseruissent Conclave *Gazith*, ut non amplius ibi sederent, quo se contulissent nisi iterum ad Orientalem Portam, ubi olim fuerat *Synhedrii* sedes? Observari potest ex *Jeremia*, ejus tempore olim sedisse in duabus Orientalibus Portis, modo in una, modo in altera, nempe ad hanc Orientalem Portam Montis Domus, ut liquet ex loco allato, & Orientalem Portam Atrii quæ *Nova* etiam vocabatur, *Jerem.* 36. 10. de qua postea.

Sequentibus temporibus cum sederent in Conclavi *Gazith*, *Synhedrii* 23. Virorum sedes erat ad alterutram harum Portarum, ut satis liquet ex Judæorum monumentis. Hinc ergo possumus optime colligere *Tabernas* sitas fuisse prope Orientalem Portam Montis Domus: erant scilicet in inferioribus Conclavibus ædificiorum quæ ad utrumque latus Portæ *Susban* sita erant; superiora vero Conclavia alii cuipiam usui inserviebant, & unum quidem eorum dicatum erat consessibus *Magni Synhedrii*, cum remotum fuit a Conclavi *Gazith*, & dum hoc sederet in *Gazith*, consessui *Synhedrii* 23. Virorum.

Et cum *Maymonides* loquatur de מדרש *Theologica Schola* in Monte Domus, ubi *Synhedrium* sedebat diebus festis; non possumus eam in alio loco collocare, quam circa eum in quo primis ac ultimis Templi temporibus sedes erat *Synhedrii*. Omnes quas jam lustravimus

Maymon. in Sanhedr. Perek. 3.

mus Portæ ornatæ erant magnificis hinc inde ædificiis; sed maxime omnium Orientalis, propterea quod is maximus & frequentissimus esset in Templum ingressus. Et cum meminerit Scriptura mulierum in Templo degentium, ut 2. *Paral.* 22. 11. 12. ubi *Jeboschabbath* & *Joasb*, ejusque Nutrix per multos annos vixerunt; & *Luc.* 2. 37. ubi *Anna* negatur per multos annos recessisse a Templo: earum domicilia erant in ædificiis vicinis Portis hujus exterioris muri, quamvis accurate designari nequeat locus: quicquid enim hoc muro claudebatur, in Scriptura & sermone quotidiano vocatur Templum: quod ita manifestum est, ut probatione non egeat.

CAPUT X.

Dimensiones & forma Templi Solomonis, ejusque quod a reducibus ex Captivitate extructum est.

ITa lustratis & undiquaque consideratis Montis Templi ambitu, muro qui amplissimum illud Tetragonum complectebatur, Porticibus & ædificiis quæ erant intra murum aut ei annexa; priusquam veniamus ad Atria, divisiones ac ædificia quæ intra erant, & tum de eorum situ, tum de usu verba faciamus, operæ pretium erit perlustrare primum magnitudinem & situm Templi ipsius, ut ex eo & exteriori muro tanquam fixis ac immotis terminis metiri possimus omnes proportiones, ædificia atque intervalla quæ describenda suscepimus.

Maymon. in Beth Habbech. Per. 6.

Solum Montis Templi non erat planum, sed ex Oriente ad Austrum assurgebat, & quidem in eam altitudinem, ut solum Porticus Templi esset viginti duobus cubitis altius solo Portæ *Sushan*, seu Orientalis in extimo muro, quod in varia plana per plures gradus distinctum erat, atque ita ipse murus pro ratione soli dispositus erat.

Mensuræ Templi a *Solomone* ædificati dicuntur fuisse *juxta mensuram primam*, 2. *Paral.* 3. 3. hoc est, eundem cubitum qui dimensus est primum Tabernaculum, qui idem est quo constanter utimur; atque ea mensura longum fuisse dicitur Templum septuaginta cubitos, Porticus vero decem. Atque horum omnium latitudo erat viginti cubitorum.

Circa altitudinem est aliqua obscuritas: Liber enim *Regum* ait eam fuisse triginta cubitorum; sed Liber *Paralipomenon* numerum plane omisit: dicit tantum Porticum altam fuisse 121. cubitos. Disputat porro *D. Kimchi*, utrum hæc altitudo esset solius Porticus, vel totius Domus; & ostendit quomodo id possit intelligi de tota Æde: nempe vult altitudinem ejus ad primum solum fuisse triginta cubitorum, (juxta supputationem Libri *Regum*) deinde Conclavia cum omnibus στέγαις ad nonaginta cubitos præterea assurrexisse. Attamen tum ipse, tum *R. Levi Gersbom*, haud illibenter crederent Templi ipsius altitudinem non superasse triginta cubitos: sed aliquatenus abripiuntur opinione quorundam Rabbinorum quæ diversa est: *Nam ex eorum verbis apparet*, inquiunt, *fuisse Conclavia supra Templum & supra Porticum*; atque hoc deducunt ex 1. *Paral.* 28. 11.

Kimch. in loc. alleg.

Ralbag in 1. Reg. 6. Aben Ezra in Ezr. 6.

Verba hujus loci sic sonant: *David dedit Solomoni filio suo exemplar Porticus ejusque Domuum, & Gazophylaciorum, & Cœnaculorum, & Cubiculorum, & Propitiatoriis* ubi omnia hæc, excepto postremo, ita conjunguntur, ut videantur omnia fuisse intra Porticum. Sed Spiritus Sanctus loquitur de Porticu, ut de prima parte quæ se oculis ingerebat ascendentium, cum esset in omnium fronte sita; reliquæ vero partes memoratæ intelligi debent, non quasi omnes in hac comprehensæ, sed quasi distributæ & varie dispositæ in variis Ædis Sacræ locis, quemadmodum alibi refert Spiritus Sanctus. Atque ad Cœnacula, seu superiora Conclavia, quorum hic fit mentio, quod attinet, non necesse est eorum situm ita circumscribere, ut omnia collocentur supra Porticum, (licet quædam ibi essent) nullum autem supra ipsius Templi ædificium: sed cum Scriptura alibi sunt etiam collocanda in variis στέγαις circum Ædem in exterioribus ædificiis.

Accurata consideratio mensurarum Templi exstructi a filiis Captivitatis videtur omnia nostra dubia circa hoc negotium discussura. Mensuræ quas attulerunt secum ex *Babylonia*, & quæ exprimuntur in edicto *Cyri*, hæ erant: *Fundamenta firmiter esse jacienda altitudinem cubitorum sexaginta; & latitudinem cubitorum sexaginta, cum ordinibus tribus de magnis lapidibus, & ordine novorum lignorum, in quæ sumptus de Domo Regis dandi erant.*

Ezr. 6. 3. 4.

Ubi observare possumus, I. Longitudinis mentionem non fieri, quia eadem erat ac prioris mensuræ. II. Latitudinem duplo majorem esse latitudine Templi *Solomonis*, Conclavibus lateralibus scilicet inclusis. III. Altitudinem duplo majorem fuisse altitudine ædificii *Solomonis*, quemadmodum exprimitur in Libro *Regum*, & qualis reipsa erat Templi tum altitudo, licet Porticus esset altior. Nam plane absurdum videtur, *Cyrum* permisisse

Aben Ezr. in loc. cit.

se ædificari Domum æque latam ac antea erat, sed quæ dimidiam prioris Templi altitudinem non æquaret. Dubium non est quin *Cyrus* consilium habuerit cum quibusdam Judæis circa ædificium, atque aut eos auctores fuisse ut ita altitudo minueretur, aut ipsum duplo latiorem Ædem exstrui permittentem, altitudini ejus voluisse detrahere; & ædificium aliunde minuere nullatenus probabile est. Longitudo duplo major fieri non potuit, quia hoc iminuisset spatium Atriorum quæ in anteriore parte erant posita; quod fieri non debebat: sed permisit duplo ampliorem fieri dimensionem ab iis partibus in quibus ampliari poterat ædificium.

Ideoque duo loca *Regum* & *Paralipomenon* debent proprie, uti sonant, sumi: scilicet Porticum fuisse centum & viginti cubitos altam; reliquum vero Templum tantum triginta, adeo ut totius ædificii hæc esset forma. Ab Ortu in Occasum porrigebatur: Sanctissimus Locus erat ad Occidentem; Porticus vero seu ingressus erat ad Orientem: atque universa longitudo ab Ortu in Occasum septuaginta, latitudo viginti cubitorum, præter latitudinem Conclavium quæ ad latera erant. Altitudo Sancti & Sanctissimi Loci erat triginta cubitorum; ad Orientalem terminum stabat Porticus instar altissimæ alicujus Turris apud nos, viginti & centum cubitorum altæ. Ac certe *Solomonis* Templum haud absimile erat nostris Ecclesiis verum hac in re differebat, quod ejus Turris, quæ erat Porticus ad Orientem esset sita.

Porro circa totum ædificium ad Septentrionem, Austrum & Occidentem, *Solomon* exstruxerat Conclavia τέϛεγα & unaquæque stega erat alta quinque cubitos, ut totius structuræ altitudo esset quindecim cubitorum, & muro Domus extrorsum esset annexa. Altissima stega latior erat integro cubito quam media, & media latior cubito quam infima; attamen murus extimus erat rectus ac perpendicularis, nec ullo modo ulla stega præ cæteris prominebat. Ratio hujus rei erat, quod murus Templi a fundamento ad quinque cubitorum altitudinem crassior esset cubito partibus superioribus. Igitur supra quinque cubitos relictum fuerat spatium cubitale in muro circa totam Ædem, cui spatio innitebantur extermitates trabium quibus constabat laquear inferiorum Conclavium, & solum secundæ stegæ. Eodem modo se habebat murus usque ad tertiam stegam, quæ secunda cubito erat latior quia murus post quinque cubitos uno imminuebatur.

Atque hic est sensus hujus versus, 1. *Reg. 6. 6. Tabulatum quod subter erat quinque cubitos habebat latitudinis, & medium tabulatum sex cubitorum latitudinis, & tertium tabulatum septem habens cubitos latitudinis. Trabes autem posuit in Domo per circuitum forinsecus, ut muris Templi non insererentur.*

Itaque hæc Conclavia pertingebant ad dimidiam altitudinem Ædis, erantque instar inferioris tecti Ecclesiarum nostrarum plumbo obducti respectu superioris. Usum porro horum Conclavium postea observabimus.

Leads Anglice.

Supra hæc Conclavia in muro Templi, & in exteriori horum muro, erant fenestræ quibus lumen admittebatur, quas dicit Scriptura fuisse שקופים אטומים, *apertas* & *clausas* seu latas & arctas; quod *Chaldæus Paraphrastes* & *Theodoretus* recte interpretati sunt *introrsum latas atque extrorsum arctas*: nempe arctæ erant extrinsecus ad excipiendum lumen, latæ vero intrinsecus ad illud dispergendum. Non desunt tamen Judæi qui id modo plane contrario intelligant: nempe eas extrorsum latas fuisse, introrsum arctas, differentes proinde ab omnibus aliis fenestris: שאינו צריך לאורה, *nam Deus*, inquiunt, *isto lumine non indigebat*.

In 1. Reg. 6. 4. Vide Nobil. in Sept. in loc.

Vide R. Solomon Kimch. in loc.

Judæi reduces ex Captivitate quadraginta sex annos in ædificatione Templi consumpserunt priusquam absolutum esset; & cum ei colophon impositus fuit, ita magnificentia & pulchritudine *Solomonis* Templo inferius fuit, ut iis qui hoc viderant nihili posterius videretur. Non cedebat priori amplitudine; duplo enim amplius erat quam prius, quemadmodum hoc superabat Tabernaculum *Mosis*: sed posteriori deerant magnificentia & splendor quæ in priori conspiciebantur. Carebat etiam hisce quinque in quibus gloria & ὑπεροχὴ prioris sitæ erant; nempe *Arca*, *Urim & Thummim*, *Igne cœlitus delapso*, *Nube gloriæ supra Propitiatorium*, *& Spiritu Prophetiæ*. Itaque lachrymæ eorum qui viderant priorem Domum cum posterioris fundamenta jacerentur, inde non oriebantur, quod viderent amplitudinem Templi minui, nam latior erat fundamentorum ambitus; sed ex recordatione gloriæ prioris tum splendore ædificii, tum quinque illis prærogativis; ex memoria conflagationis hujus, & comparatione præsentis suæ servilis ac miseræ sortis cum libertate, splendore ac gloria Gentis cum prius Templum staret.

Joan. 2. 20.

Hagg. 2. 3.

R. Solom. in Hag. 1. 18.

Ezr. 3. 12.

Dimensiones præscriptæ fuerant a *Cyro*, non quasi vellet impedire quominus ejus amplitudo augeretur, sed contra ut majus fieret: nam cum *Solomonis* Templum

plum

plum triginta tantum cubitos latum esset, comprehensis etiam lateralibus Conclavibus, permisit latitudinem ad sexaginta cubitos porrigi, & altitudinem etiam duplo majorem esse voluit: nam pro triginta cubitis quæ erat prioris altitudo, sexaginta concessit.

Antiq. lib. 8. cap. 2.

Itaque caute sunt intelligenda verba *Josephi* dicentis, *Eos extulisse fornicem structuræ Salomonis ex albis lapidibus, sexaginta cubitos in altitudinem; totidem addidisse longitudini, viginti vero latitudini.* In qua altitudinis dimensione in diversum abit tum a Scriptura, tum etiam a popularibus suis. Quam in opinionem quibus devenerit supputationibus, difficile est conjicere. Nec facilius intelligas quod sequitur: Κατὰ τῦτο δὲ ἄλλος ἦν ἐγκηγερμένος ἴσος τοῖς μέτροις, ὥςε εἶναι τὸ πᾶν ὕψος τῷ ναῷ πηχῶν ἑκατὸν ϗ̀ εἴκοσι: quod sic verto: *Juxta hanc alia pars erat ejusdem dimensionis, adeo ut universa altitudo Templi esset viginti & centum cubitorum.* Per *partem hanc* existimo eum intelligere Porticum; quod liquido ostendunt ejus verba: sed quomodo posset concipi ejusdem dimensionis cum ea de qua antea locutus fuerat, fateor me non intelligere. Et cum dicit *universam altitudinem Templi fuisse viginti & centum cubitorum*, ipsa ejus ratio ostendit eum non intellexisse Templum ubique ad hanc altitudinem pertigisse, sed verba ista referenda esse ad Porticum de qua loquitur; nec eum aliud sibi voluisse, nisi quibusdam in locis Templi ædificium viginti & centum cubitos altum fuisse.

Atque ita intelligenda sunt verba *Herodis* in Oratione quam habuit ad populum, cum dicit de suo consilio instaurandi Templi. *Patres nostri ædificarunt Templum magno Deo, postquam redierunt ex Babylone.* Ἐνδεῖ δὲ αὐτῷ πρὸς τὸ μέγεθος εἰς ὕψος ἑξήκοντα πήχεις· τοσῦτον γὰρ ὑπερεῖχεν ὁ πρῶτος ἐκεῖνος ὃν Σολομὼν ἀνῳκοδόμησε. *Deerant autem ei ad altitudinem sexaginta cubiti: tanto enim majus erat primum illud quod Solomon ædificaverat.* Quod non debet intelligi de tota Æde, sed de sola Porticu: nam filii Captivitatis vel nullam prorsus exstruxerunt Porticum; quo supposito, Templum eorum perfectum referebat Cubum, ex æquo longum, latum atque altum: vel si extruxerunt aliquam, ea non excedebat, quemadmodum *Solomoniana*, altitudinem reliquæ Domus, sed tantum exæquabat, cum omnes partes ædificii sexaginta cubitos altæ essent juxta præscriptas a *Cyro* dimensiones.

Ibid. lib. 15. cap. 14.

In hujus edicto de instauratione Templi hæc verba occurrunt non exigue difficultatis: נדבכין די אבן גלל תלתא ונדבך אע חדת: quæ sic vertit *Josephus*: Λιθῃ μὲν ξέςυ τρεῖς δόμυς ϗ̀ ἕνα ξύλινον ἐγχώειον. *Tres domos cæsi lapidis, intus vero domum ligneam.* Per *tres* hasce *domos* videtur intellexisse tres partes Templi, Porticum, Sanctum, & Sanctissimum Locum; & per *domum ligneam*, Templi interiorem contabulationem. Hoc etiam sensu *R. Solomon* id intellexisse videtur, cum hanc istorum verborum sententiam esse ait: *Muri erant marmorei, & erant intus paries ligneus, quemadmodum in ædificio Solomonis.* Septuaginta Interpretes verterunt נדבכין δόμυς, eosque sequutus est *Josephus*: sed *Chaldæus Paraphrastes* usus est voce quæ *seriem* seu *ordinem* significat lapidum vel trabium, ut *Hagg.* 2. 15. *Priusquam lapis imponeretur lapidi*, interpretatur נדבך על נדבך: atque ita etiam טור interpretatur voce נדבך, *Ezech.* 46. 23. &c. Hoc sensu etiam vocem intelligit *Aben Ezra*: atque ita *Anglicani* nostri Interpretes: *Three rovvs of great Stones, and a rovv of nevv Timber.*

Verum superest nobis commatis quærendus sensus, licet vocabula singula intelligamus: *tres ordines lapidum, unus ligni.* Debetne hoc intelligi de tribus ordinibus columnarum lapidearum, uno vero lignearum, erectis, an vero de tribus ordinibus lapidum muro impositorum, quibus ordo lignorum superinjectus esset? An intelligitur hæc fuisse in ipsius Templi proprie dicti structura, vel in aliquo circa ipsum muro? Si expendamus 1. *Reg.* 6. 36. opinor aliquam inde orituram lucem, siquidem verba quæ ibi habentur sunt parallela verbis *Ezræ* 6. 4. *Solomon ædificavit Atrium interius tribus ordinibus lapidum excisorum, & uno ordine lignorum Cedri.* Vix credibile est casu hoc contigisse, ut *Cyrus* ediceret fieri hoc quemadmodum a *Solomone* factum fuerat; cum potuerit hoc habere a quopiam ex Judæis qui erant in ejus Aula. Itaque postquam præscripsit dimensiones ipsius Templi, *vers.* 3. designat etiam spatium muro cingendum ad Atrium faciendum, plane juxta Architecturam *Solomonianam*, nempe *tribus ordinibus magnorum lapidum* ad extollendum murum, & *ordine lignorum Cedri*, seu ad pinnam muro faciendam, seu ad interponendum lapidibus in ipso muro. Ita *R. Levi Gershom* & *D. Kimchi* exponunt hæc verba, 1. *Reg.* 6. *Muri constabant tribus ordinibus lapidum politorum, & uno trabium Cedrinarum super eos.*

Reduces ex Captivitate prius instaurarunt Altare, quam ædificium Templi inchoa-

choarent, *Ezr.* 3. 3. necesse enim habebant sacra facere, & ipse locus jus dedit, licet Templum nondum ædificatum esset. Secundo mense anni secundi post eorum reditum, qui erat secundus *Cyri*, fundamenta Domus jecerunt; sed opus interturbatum fuit, atque ita dilatum usque ad annum secundum *Darii*, *Ezr.* 4. 24. Vigesima quarta die mensis hujus anni cœperunt iterum se ædificationi accingere, & vigesima quarta noni mensis operi manus admoverunt. Confer *Hagg.* 1. 15. & 2. 18.

Midd. Per. 2. & 3. Kimch. in Ezech. 40.

Exemplar quod secuti sunt in structura variarum Templi partium desumptum fuit, ut eorum populares affirmant, ex Templo quod describit *Ezechiel*, Cap. 40. 41. &c. *Filii Captivitatis*, inquiunt, *fecerunt ædificium juxta formam quam viderant in ædificio Ezechielis variis in rebus*; quod licet non possent plane imitari, præsertim in dimensionum amplitudine, & structuræ magnificentia, [cum exemplar *Ezechielis* non minus esset figura Templi non terreni & ἀχειροποιήτου, quam firma promissio terreni Templi post reditum e Captivitate excitandi] attamen ante oculos habuerunt, & in multis sequuti sunt, dispositis, quatenus licuit, juxta illud Atriis & ædificiis. Idem etiam fecit *Herodes* consilio Sapientum qui apud ipsum gratia valebant, quales fuere *Hillel*, *Shammai*, & *Menahem*, cum instauravit vel potius denuo ædificavit Templum, licet variis in rebus dimensiones filiorum Captivitatis superaverit, attamen illorum ἰχνογραφίαν & structuram sequutus est, quemadmodum ipsi *Ezechielis* exemplar erant sequuti. Itaque cum ad formam & dispositionem rerum & locorum exigua adeo esset differentia inter ædificium reducum ex Captivitate, & *Herodis*; *Thalmudici* ea instar unius Templi censent, & quasi id Templum quod statim post Captivitatem exstructum est, ad excidium *Hierosolymæ* perduraverit, dicunt hoc fuisse בית שני, *Domum secundam*, quam antecessit prima Domus a *Solomone* condita; atque ita etiam in posterum promiscue secundum Templum & Templum *Herodis* sumemus.

CAPUT XI.

Dimensiones & ἰχνογραφία Templi, quale erat Servatoris nostri tempore.

Josephus Antiq. lib. 14. cap. 17.

HErodes Magnus cum adhuc adolescens esset, antequam regnum adipisceretur, occidit *Ezechiam* quendam & aliquot alios; unde coram *Synhedrio* citatus est, ut homicidii causam diceret: ubi cum quidam eum timerent, alii vero defenderent, nec justas quas meritus erat pœnas solveret *Shammai* in Concilio Vice-Presidis munus sustinens, audacter & plane in faciem Senatorum dixit, *eos qui adeo jam ipsi faverent, aliquando tanta gratia apud ipsum non valituros, sed ab eo interfectum iri*. Atque ita postea se gessit *Herodes*, postquam est regnum consequutus, interfectis omnibus συνέδροις, exceptis duobus, *Hillele* Præside, & *Shammai* qui erat Vice-Præses, qui tam aperte contra illum egerat. Postea quasi tam dirum facinus expiaturus, persuasus fuit a *Baba Ben Buta*, ut Templum instauraret; quod ita plene perfecit, ut illud exstruxerit μείζω τε τὸν περίβολον καὶ πρὸς ὕψος ἀξιοπρεπέστατον, *ambitu amplius, atque altitudine splendidius, antiquis fundamentis eversis nova substituens*. Hoc opus incepit vigesimo anno regni, & intra octennium absolvit, novem circiter annis ante Natales *Christi*: quo toto temporis intervallo, si Judæis credimus, nunquam pluit interdiu ne opus interrumperetur. Splendorem ædificii iidem Scriptores in Tractatu *Succah*, in *Gemara* extollunt hisce verbis: *Qui nunquam vidit Hierosolymam in sua gloria, nunquam vidit pulchram civitatem. Qui nunquam vidit Sanctuarium cum suis ædificiis, nunquam vidit aurea ædificia*. Rab. Hasda *dicit*, *Fuit Herodis ædificium*, & *qua materia struxit illud*? Rabba *dicit*, *Aureo lapide & marmore. Et quidam dicunt*, מאכני שש כחלא, *ex marmore variegato* pluribus venis & coloribus אפק שפה ועייל שפה, *unus margo interior, alter exterior erat*: quod ita interpretatur *Glossa*: מתחאוי ארותא בימא, *Similitudinem referebat fluctuum maris, una series lapidum introrsum immissa erat, altera vero prominebat*.

Juchasin, fol. 19.

Joseph. Antiq. lib. 15. cap. 14.

Juchasin, ubi supra.

Perek. 3.

Dimensiones hujus Templi, quales erant tempore Servatoris nostri, & usque ad tempus excidii *Hierosolymitani*, erant מאה על מאה ורום מאה, *centum cubiti longitudinis, latitudinis & altitudinis*. Nec tamen erat perfectus cubus: etenim, ut postea videbimus, postica pars, auctoribus *Thalmudicis* & *Maymonide*, ita coarctabatur, ut esset eadem inter partes proportio, quæ est in corpore leonis.

Middoth, Per. 4.

Midd. ibid. Maymon. in Beth. Habbech. Per. 4. & 5.

Forma & facies externa, quam solum hic considerabimus, hujus structuræ hæc erat: ædificium constabat, ut dicit *Josephus*, candido marmore, & quidem venis & coloribus variegato, ut antea diximus. Lapides mirum in modum secti & crassi erant, murusque ad centum cubito-

Ubi supra.

bitorum altitudinem hisce veluti gradibus distinctus assurgebat.

Middoth ibid.

I. האוטם שש אמות, *Fundamentum erat sex cubitos altum:* non in solo, licet profunda satis in solum jacta fuissent fundamenta, sed supra solum. Et quemadmodum in magnarum ædium lapidearum structura inferior pars crassior est superioribus, ut melius pondus sustinere possit; ita hic etiam usque ad altitudinem sex cubitorum crassior erat murus.

II. גובהו מ' אמה, *Altitudo muri erat quadraginta cubitorum*: hoc est, ex imis fundamentis murus assurgebat quadraginta cubitos absque ullis projecturis ac protuberantibus figuris, qualis alibi cernuntur. Deinde erat.

III. כיור אמה, *Margo eleganter sculptus & elaboratus, cubitum unum altus*. Verto כיור, *affabre factum marginem*, auctoritate *R. Nathan*, qui partim ex *Thalmude*, partim ex *Chaldæo Paraphraste* interpretatur id ציור, *picturam*; consentiente *Bartenora*. *Qui vocabatur*, inquit, כיור, *quia erat inauratus* & *affabre sculptus*. Poterant lapides esse juxta muri longitudinem ita compositi, ut referrent fluctus marinos, ut loquitur *Talmud*; sed nullus erat transversus margo, seu limbus intra eam muri altitudinem. Supra hunc limbum erat.

Aruch in כיור. In 2. Sam. 7. 2. R. Obad. de Bartenor. in Middoth loc. laud.

IV. אמתים בית דלפה, Canalis ad derivandam inde pluviam, & impediendum ne distillaret in inferiores muri partes. גובה ב' אמות פנוי שיכנה בו הדלף, *Altitudo duorum cubitorum præparata erant ad stillationes, ut illac fluerent*: sic enim necessario vertenda vox est, licet *Baal Aruch* dicat alios rem aliter intelligere. Sed cum duas sequentes observaverimus circumstantias, melius quid hæc sibi velit percipiemus.

Maymon. ubi supra.

V. אמה תקרה, *Locus in quo capita trabium laquearis erant deponenda, cubitus.*

VI. אמה מעזיבה, *Ipsum laquear, cubitus*. Vox מעזיבה est ex iis quæ difficiliores sunt intellectu. Videtur derivari, ut observat *R. Nathan*, ex voce עזב, eo sensu quo occurrit *Nehem.* 3. 8. ויעזבו את ירושלים, quod *Anglica* nostra Versio interpretatur, *They fortified*, *Munierunt*; *R. Solomo* vero, *Propugnaculis terreris munierunt*. Ad hunc ipsum locum loquitur *Aben Ezra*, de voce de qua jam agimus, & dicit עזב & עזיבה convenire sensu, atque verbum עזב eadem significatione occurrere, *Nehem.* 4. 2. Addit etiam esse quosdam qui juxta hunc sensum vertunt hæc verba: עזב תעזוב עמו, *Exod.* 23. 5. Si videris asinum inimici tui jacentem sub onere, *omnino illum attolles una cum illo*.

Aruch in voce.

R. Solom. & Aben Ezra in Nehem. 3. 8.

Verum quod quidem attinet ad vocem מעזיבה, quæ non occurrit in Scriptura, sed tantum in Thalmudicis Scriptoribus, oportet nos confugere ad *Thalmud* ad ejus significationem eruendam. Atque indicante *Aruch* inveniemus de hac agi in *Bava Mezia*, & *Bava Bathra*. In priori Tractatu hæc occurrunt verba: *Estne domus & cubiculum super eam in duorum possessione? Et cubiculum superius ruat: si possessor domus* (inferioris) *eum nolit adjuvare ad id instaurandum, permittat ei inferius habitare, donec illud reparaverit*. R. Jose *dicit*, *Possessor inferioris cubiculi debet ponere laquear, superioris vero* מעזיבה. In altero vero Tractatus hæc legimus: *Nemo ponet furnum intra domum, nisi ad minimum sint quatuor cubiti supra eum*: (nempe ne superius laquear flammam concipiat) & *si ponat furnum in superiori Conclavi, necesse est ibi esse* מעזיבה *tres digitos crassa sub eo*. Ratio ejus rei etiam affertur incendii periculum.

Per. 10.

Bava Bathra, Per. 2.

Jam autem *Gemara* in priorem locum ubi vocem explicat, & *R. Nathan* in interpretatione *Gemaræ*, dicunt fuisse incrustationem quandam ex variis materiis constantem, ut arundine, calce, lapidibus, & simili quopiam gypso, quæ in priori loco allato imponi debebat loco plumbi tecto ædium ad arcendam pluviam; & in posteriori supponi furnis in superiori parte collocatis, ne inferiora combureret. Responsum *R. Josue* (*habitantem in inferiore parte positurum laquear, in superiori vero degentem* τὸ מעזיבה) videtur huc redire, unus trabes laquearis positurum, alterum vero incrustationem gypsi supra laquear & arundinem, iis compositam materiis quæ obstare possint quominus pluvia penetret. Atque ita intelligo vocem hanc hac in parte sacri ædificii quam lustramus, nempe fuisse gypsum valde compactum, quod iis materiis constabat, ut cum semel induruerat esset instar lapidis, atque instar plumbi, quod a laqueari, cui impositum fuerat, humorem arceret, cum aut usus tegularum ac plumbi illis adhuc ignotus esset, vel plumbum rarius quam ut ad ejusmodi usum adhiberi posset. Itaque jam pervenimus veluti ad inferius tectum plumbo obductum; liceat enim mihi phrasi in *Anglia* notiori uti.

Atque hic id ipsum docentem audiamus *Josephum*. Verba faciens de dimensionibus Templi, & lapidibus quibus constructum erat, dicit hos fuisse viginti cubitos longos, altos octo, latos duodecim. Καὶ παντὸς αὐτοῦ, inquit, καθότι καὶ τῆς βασιλικῆς στοᾶς, τὸ μὲν ἔνθεν ταπεινό-

Antiq. lib 15. cap. 14.

τατον, ὑψηλότατον δὲ τὸ μεσαίτατον ὡς περίοπτον ἐκ πολλῶν εἶναι σταδίων. *Et cum esset totum tanquam Regia Porticus, utrinque erat inferior pars, medium vero erat altissimum, ut a pluribus stadiis prospici posset.* Jam autem Porticus Regia, ut antea observatum est, constabat tribus Ambulacris simul in longum protensis, quorum laquearia sustentabantur columnis, & medium quidem laquear multo altius erat, quam quæ hinc atque inde erant.

Templum similiter juxta *Josephum* concipere nos oportet. Erat quidem centum cubitos altum, sed non ita in altum assurgebat, ut a fundamentis ad summum fastigium perfecte quadratum esset, sed quadratum assurgebat ad quinquagesimum primum cubitum, juxta proportiones allatas. Ima fundamenti pars alta erat sex cubitos; murus inde æqualis & planus per quadraginta cubitos erat, ad limbum usque sculptum, qui altitudinem cubiti æquabat; deinde erat locus ad derivandam pluviam duos cubitos altus; supra hunc erat laquear cubitum crassum, & gypsum obtegens cubitum etiam crassum. Exinde arctius assurgebat ædificium: inde enim ita in medio extollebatur, ut relictum esset hinc inde tectum, ut quis loqui posset, ad Septentrionem & Austrum per totam ædificii longitudinem, ab Oriente ad Occidentem. Ad faciliorem rei perceptionem exemplo utamur plurimarum in *Anglia* Ecclesiarum: tota structura æquali latitudine assurgit usque ad inferius plumbum, seu tectum plumbo obductum: deinde media tantum pars attollitur usque ad altitudinem laquearis Ecclesiæ. Ita se habebat etiam Templum: si ad Orientalem aut Occidentalem finem ivisses, & in medio stans Templum suspexisses, vidisses illud centum cubitos altum: sed si nonnihil deflexisses ad dextram vel ad sinistram, dimidiam tantum altitudinis partem vidisses; hinc enim erat inferius plumbum, * seu tectum. Neque enim aliter id vocaverim, quia hoc optime inter nos intelligitur, licet inferiores illæ Porticus plumbo [cujus iste usus tum forte ita notus non erat] obtectæ non essent; sed gypso cubitum unum crasso, & adeo firmo ac compacto ut duritie non multum a lapide differret.

* Angl. lovver Leads.

Nos non oportet omittere בית דלפה, quam jam prætermisimus; sed paululum relegenda sunt vestigia nostra, priusquam plane mittamus tectum illud inferius quod nunc lustramus. Ut derivarentur pluviæ, quæ ex hoc tecto fluebant, ne per murum delaberentur & lapides corrumperent, erat supra limbum illum sculptum ordo lapidum qui ex muro magis prominebant quam reliqui, qui erant arte excavati & simul conjuncti ut imbricem conficerent in extremitate tecti, ex qua defluebat pluvia, ad guttas pluviæ derivandas ad alterutrum finem ejus lateris in quo erant, unde per tubos quosdam decidebant in solum, vel etiam plenis fluctibus ab imbrice cadebant.

Jam autem ut ordine lustremus totum ædificium ad summum usque fastigium, concipiamus jam id dimidia parte latitudinis imminutum esse, & ita assurgere in media structura, ut tecta (*Leads*) hinc inde essent viginti quinque cubitos lata.

I. גובה של עלייה מ' אמה, *Altitudo supra tectum erat quadraginta cubitorum:* vocatur עלייה seu Conclave superius, quia directe erat supra Sanctum & Sanctissimum Locum.

II. אמה כיור, *Alter limbus sculptus*, qualis fuit ille cujus jam meminimus, cubitum altus.

III. בית דלפה, *Imbrex duorum cubitorum*, ut superior, ad derivandas pluvias, non quod hic imbrex esset duos cubitos profundus, sed quia ab extremitate imbricis ad tectum erant duo cubiti.

IV. אמה מקרה, *Laquear, cubitus.*

V. אמה מעזיבה, *Gypsum quo tectum obductum erat, cubitus.*

VI. ג' אמות מעקה, *Pinnæ seu lorica, tres cubiti.* Hæc vox occurrit *Deuter.* 22. 8. & nullibi alias. *Attamen*, inquit *Aben Ezra*, *significatio ejus ex contextu satis clara est.* Quod certe verum est: nam Dominus ibi præcipit structuro novas ædes, ut faciat מעקה, *loricam*, seu *pinnas*, ne quis inde cadat, & sanguine suo Domum polluat. Tecta ædium in illis regionibus plana erant, *Jos.* 2. 6. 2. *Sam.* 16. 22. *Actor.* 10. 9. atque ibi solebant ambulare, 1. *Sam.* 9. 25. ideoque ne quia inde caderet, solebant ea pinnis circumdare altis *decem palmos*, vel *duos cubitos ordinarios, ad minimum.* Similiter licet non ambularent supra tectum Templi æque ordinarie, ac supra tecta privatarum suarum ædium, nec tectum Templi ita planum esset; attamen erat etiam circa hoc Πτερύγιον, partim ne destitueretur illo privatorum ædificiorum ornamento, partim etiam quia occasiones erant ascendendi supra tectum hoc.

Aben Ezra in Deuter. 22.

D. Kimch. in Middoth.

VII. כולה עורב, *Terriculamentum avium, cubitus.* Quid hoc fuerit nos docebit *R. Nathan. Propter*, inquit, *sanctitatem primi Templi, & divinam gloriam ibi commorantem, aves supra ipsum non volabant. Sed ad secundum quod attinet*, timue-

Aruch in כל.

timuerunt ne sanctitas ejus non esset ut sanctitas prioris; & ne aves supra ipsum volarent, & aliquam supra Templum pollutionem relinquerent, ideo sustulerunt ibi picturam, ut aves arcerentur a tecto Templi, & eam vocarunt כולה עורב, *Terriculamentum Corvorum, ut impediret ne corvi volarent supra tectum Templi. Et pictura hæc seu imago similis erat ei quam solent tritico imponere.* Verum ab alio Judæo sic definitur: טס של ברזל כמו סייף גובהו אמה על גבי המעקה סביב כדי שלא נוחו עלי הנפורח, *Hasta ferrea, instar gladii oblongi & arcti, cubitum alta, supra tectum pinnarum quæ circumquaque erant, impediens ne aves ei insiderent.* Alii rursus negant id fuisse quod duo hi Doctores dixerunt; *sed tantum id* Πτερύγιον *fuisse quatuor cubitos altum.* Sed licet forte sit merum somnium, quicquam fuisse quod arceret aves a Templi tecto, (vide *Psalm.* 84. 4.) attamen consentientibus omnibus Hebræorum Scriptoribus, cui accedit quod hoc ædificium Templi ornaret, optime inde colligere possumus fuisse pinnas circa tectum, quemadmodum *Cappella Collegii Regii Cantabrigensis* est ornata hujuscemodi pinnis, quæ ad splendorem ejus conducunt. Πτερύγιον ἱερȣ̃ explanatur in hunc sensum a variis Interpretibus, *Matth.* 4. 5. Tectum non erat prorsus planum, ut aliarum ædium tecta, sed in medio assurgebat, משפע ועולה עד לשורה גובהו של מעקה, *quo usque crista media æquaret altitudinem pinnarum*, adeo ut etiam hac in re *Cappella Collegii Regii* cum Templo conferri possit. Similia etiam πτερύγια vel pinnæ tribui debent tecto inferiori Porticuum lateralium.

Maym. in Beth Habbech. Per. 4.

R. Juda in Middoth Per. 4.

Semajah in Midd.

CAPUT XII.

Latitudo, Conclavia, & Gradus Templi.

MEmoratis sigillatim partibus Templi ab ima ad summam, æque necesse est considerari a nobis longitudinem ejus & latitudinem, & observare in quas minores mensuras hæ dividerentur dimensiones.

Longitudo ejus erat ab Oriente ad Occidentem, & quidem centum cubitorum, quam æquabat etiam latitudo, licet non ubique: sola enim Porticus per centum cubitos porrigebatur; nam in postica parte ædificium totum erat tantum septuaginta cubitos latum. In fronte stabat Porticus in crucis speciem: extendebatur enim per quindecim cubitos in Austrum, & totidem in Septentrionem præter latitudinem Templi; quæ hinc inde prominentiæ sic supputantur: *Crassities muri Porticus utrinque erat quinque cubitorum, & ab eo muro ad murum Templi in utroque latere erant decem cubiti.*

Middoth Per. 4.

Maym. in Beth Habbechir Per. 4.

Itaque pulcherrimum apparebat ingressuris Frontispicium, centum cubitos latum, triginta vero & centum altum: sic enim intelligendus est *Josephus*, cum loquens de Templo *Herodis*, dicit id fuisse μήκει μὲν ρ' πηχῶν, τὸ δὲ ὕψος κ' περιττόν, *longitudinis centum cubitorum, altitudinis viginti præterea*: non quod tota Domus ubique esset hujus altitudinis; hoc enim negant *Thalmudici*, qui diserte centum tantum cubitos habent, & peculiarem omnium dimensionem tradunt: sed Porticus reliquam Domum viginti cubitis superabat.

Joseph. Antiq. lib. 15. cap. 4.

In medio hoc splendido Frontispicio erat janua Porticus alta quadraginta cubitos viginti vero lata. Nullæ prorsus in ea erant valvæ; sed erat aperta tantum Porta, adeo ut quicunque erat in Atrio posset introspicere spatium quod intra Porticum erat. Κεχρύσωτο δὲ τὰ μέτωπα πάντα, &c. *Totum hoc Frontispicium deauratum erat, & per ipsum tota prima Domus* (hoc est, interiores Porticus partes) *posset cerni, eaque erat etiam deaurata.* Per *totum* autem *hoc Frontispicium Josephus*, cujus sunt hæc verba, non significat universum Frontispicium Porticus, seu illam centum cubitorum longitudinem, ac viginti & centum altitudinem; sed tantum Portæ circuitum, quem dicit septuaginta cubitos altum fuisse, latum vero viginti quinque. Atque hac in re optime convenit cum *Thalmude*, quamvis *Thalmud* dicat altitudinem fuisse tantum quadraginta cubitorum, latitudinem vero tantum viginti: loquitur enim *Thalmud* de ipso ingressus ostio; sed *Josephus* intelligit etiam limina & omnia ornamenta Architecturæ quæ circa Portam conspiciebantur.

Middoth Per. 3. Naym. ubi supr.

Joseph. de Bello, lib. 5. cap. 14.

Thalmud meminit similiter quinque מלתראות, trabium cujuspiam ligni rarioris (eruditus *Buxtorfius* vertit *quercinas*) quæ erant supra hanc Portam affabre elaboratæ, insculptis floribus aliisque figuris, atque interposito ordine lapidum inter unamquamque trabem. Infima harum trabium quæ immediate supra Portam erat, utrinque latitudinem Portæ cubito uno excedebat. Supra hanc erat positus ordo lapidum. Supra hosce lapides alia erat trabs ejusdem operis, utrinque etiam prioris longitudinem cubito uno superans; atque hanc sequebatur ordo lapidum. Eodem modo dispositæ erant reliquæ trabes, quarum superior duobus cubitis inferiore longior erat. His trabes erant

Middoth ubi supr.

erant ſupra Portam poſitis ad ſuſtentandum pondus, quod ſuperius erat; ad magnam pertingebant altitudinem affabre ſculptæ, ac deauratæ; & ab altiſſima deſcendebat limbus quod omnium trabium hinc inde extremitates complectebatur, ad breviſſimam uſque, unde ad latera Portæ decurrebat duos cubitos & dimidium latus. Atque hoc eſt Frontiſpicium quod intelligit *Joſephus*.

Jam poſt utramvis Porticus extremitatem ſtans, undecunque voluiſſes proſpiceres facie ad Occidentem obverſa, ædificium ipſum Templi videres quod directe reſponderet mediæ Porticui, & ad latera hujus introitus, de quo jam agimus æqualibus ſe panderet ſpatiis; ſed ita ut muri & Conclavia utrinque extructa non excederent latitudinem ſeptuaginta cubitorum: atque ita *Ariel*, ſeu *Leo Dei*, juxta Judæorum interpretationem, referret proportionem leonis, in anterioribus partibus lati, ut latum Porticus frontiſpicium centum cubitorum; arctioris vero in poſterioribus; ut Templi ipſius ædificium quod in ſeptuaginta cubitorum latitudinem coarctabatur; quam ſigillatim perluſtrantes, initio a Septentrionali latere facto, has peculiares reperiemus dimenſiones.

Ibid. Per. 4.

I. כותל המסיבה ו' אמות, *Murus Porticus ſex cubitos craſſus*. Hic erat extimus omnium murus, & aſſurgebat uſque ad inferius tectum, ſeu πτερύγιον, de quo antea egimus, ubi infima muri pars dicitur fuiſſe ſex cubitos craſſa: qua in dimenſione non numeratur cubitus ille qui inæqualem murum faciebat, quia ſupputatio non fit ab imis fundamentis, ſed a ſuperioribus muri partibus, ut ſolet fieri in hujuſcemodi ædificiis.

II. מסיבה שלש, *Podium tres cubitos latum*.

III. כותל התא חמש, *Murus Conclavium quinque cubitos craſſus*.

IV. התא שש, *Conclavia ipſa ſex cubitos lata*.

V. כותל ההיכל שש, *Murus Templi ſex cubitos craſſus*.

VI. תוכו עשירים, *Latitudo interior Templi ab uno muro ad alterum viginti cubitorum*.

VII. כותל ההיכל שש, *Alter ejus murus ſex cubitos craſſus*.

VIII. התא שש, *Latitudo Conclavium ſex cubitorum*.

IX. כותל התא חמש, *Murus Conclavium quinque cubitos craſſus*.

X. בית הורדת המים שלש, *Domus deſcenſionis aquæ tres cubitos lata*.

XI. כותל חמש, *Extimus murus quinque cubitos craſſus*. Qui ſimul ſumpti efficiunt ſeptuaginta.

Ibid. Sect. 3.

Conclavia porro erant triginta octo numero, quindecim in Septentrionali, quindecim in Auſtrali latere, octo vero in Occidentali. In prioribus duobus lateribus memoratis erant in tres ſtegas diſpoſita, adeo ut in unaquaque quinque eſſent: in Occidentali autem tria ſolo proxima, tria ut ſuperius quibus duo erant ſuperimpoſita. Unumquodque Conclave erat latum ſex cubitos, longum duodecim, exceptis duobus illis ſuperioribus Occidentalis lateris quæ longiora erant. Erat intervallum inter Conclavia in eodem ſolo, introitus cauſa, ſeptem cubitos & dimidium latum, ut pateret inter Conclavia tranſitus ad uniuſcujuſque Conclavis januam quæ in latere ſita erat.

Vide Ezech. 40. 21.

Ante hæc Conclavia erat Podium quod ab Oriente ad Occidentem porrigebatur [quale tamen in Occidentali latere nullum erat] tres cubitos latum, qua via dabatur ad illos introitus qui intra Conclavia erant, adeoque ad ipſas Conclavium januas. In extimo muro ad Septentrionale & Meridionale latus, erant quatuor Portæ ad quatuor intervalla: (totidem enim erant inter quinque Conclavia) ſed ſtatim ac quis eas ſubierat, ad dextram & ſiniſtram porrectam videbat Porticum, per quam contendere poterat ad oppoſitum Introitum: vel ſi non veniſſet ad eam Portam quæ directe oppoſita erat Introitui in quem volebat ire, poterat ad quamcunque Portam vellet ire, & Porticus iſta eum ad ejus deduxiſſet Introitum.

Ita ſe habebat ædificium in infimorum Conclavium ſtega, & ſimiliter in reliquis duobus. Ad ſuperiores aſcenſus erat per duplices ſcalas cochlides in Turricula in angulo Euro-aquilonari ſita; per quos gradus aſcendebatur ad ſecundam ſtegam, atque inde via patebat ad Porticum, & ad quemlibet Introitum, & ad quodlibet Conclave, ut etiam in tertia ſtega, ſi quis eo uſque aſcenderet. Imo, ſi liberet, aſcendere quis poterat ad tectum inferius, & ſupra Conclavia ambulare circa totam ſtructuram.

Sed præter hanc Turrim, in qua erant gradus qui ita deducebant ad tectum ædificii, erat alia ejuſmodi in extrema parte Intervallorum de quibus diximus quæ deducebat ad ſecundam & tertiam ſtegam, ſed ad tectum non pertingebat. Itaque ingreſſus unam ex quatuor Portis quæ deducebant ad infima Conclavia, ſeu in Septentrionali ſeu in Auſtrali latere Domus, aſcendendo in Porticum, in Intervallum ſeu introitum duorum Conclavium, quæ ſibi invicem oppoſita erant, alte-

alterum ad dextram, alterum ad sinistram venisset, & per januas sibi in illo Intervallo ex adverso respondentes intrare potuisset; sed ante ipsum, versus murum Templi erat ædificium rotundum & latum, simile Turri in qua erant gradus, in quod ex unoquoque Conclavi licebat exire, & illac ascendere in superiora Conclavia. Atque ita intelligendus est locus ille *Thalmudis*, in quo prima fronte haud exigua est difficultas. *Erant tres januæ unicuique Conclavi*: אחד לתא הימין ואחד לתא משמול ואחד לתא שעל גגיו *Una Conclavi quod erat a dextra, alia vero Conclavi quod erat a sinistra*, (hoc est, janua in Introitum ex uno latere, altera in oppositum Introitum ex altero) & *una conclavi quod erat supra caput*, hoc est, in hunc scalarum locum qui deducebat ad superiora Conclavia. Atque ita *una scala ex infima stega ascendebat ad supremam per mediam*: nam *per cochlides scalas ascendebant in mediam stegam, atque ex media in tertiam*.

Midd. ubi supra.

Ezech. 41. 7. 1.Reg. 6. 8.

Occidentalia Conclavia nullam habebant Porticum, sed in ea immediate per januas quæ erant in extimo muro poterant adiri Introitus, atque in extremo hujuscemodi Intervallo erat locus attributus scalis per quas ad superiores stegas ascendere licebat. In Meridionali latere erant τρίστεγοι Porticus, quemadmodum in Septentrionali, & istiusmodi loci scalis attributi in extremis Intervallis, juxta Templi murum; sed id spatium in quo erant Porticus aliter appellabatur, non מסיבה *Mesibah*, ut in Septentrionali latere, sed בית תורדת המים, *Domus descensus aquæ*. Quod quidem nomen non ideo ei impositum erat, quasi esset eo in loco aliquis imbrex ad derivandas ex toto Templo pluvias; sed quia hoc in loco erant tubi per quos devolvebatur aqua ex fonte *Etham* ad cisternam vel puteum, in Conclave fontium, qui ad aquas excipiendas destinatus fuerat. Ita collocati fuerant, ne aditum vel transitum per Porticus prohiberent ad aliquod Conclave, & forte cerni non poterant, sed latebant sub pavimento in Porticibus. Juvabat ea ratione per varia nomina distinguere Septentrionale latus ab Australi, & facilius intelligebantur loquentes de Conclavi quopiam *in Mesibah*, aut *in Descensu aquæ*.

Hæc Conclavia, quorum hic erat numerus, hæ dimensiones, hic situs, & dispositio a nobis descripta, & quorum laquearis trabes innitebantur protuberanti muro Templi, inserviebant recodendis Thesauris quibuspiam & supellectilibus, imo etiam tritico, vino, oleo, uti etiam omnibus Decimis ac Primitiis ad sustentandos Sacerdotes qui inserviebant Altari. Hæc erant veluti cellæ & penus in hunc usum, *Nehem.* 12. 44. *Mal.* 3. 10.

Jam ascendamus per gradus majoris Turriculæ in Euro-Aquilonari angulo ad Septentrionale latus. (nam ad Australe nulla ejusmodi Turris erat) qui gradus nos deducent ad tectum hujus ædificii. Postquam quis ad scalarum fastigium pervenerat, *exibat in tectum per ostiolum* obversum Occidenti. *Ambulabat super tectum in Septentrionali latere, donec veniret ad angulum Occidentalem, quo cum venerat, obvertebat faciem suam ad Australem angulum; cum ad Austrum venerat, ad Orientem se convertebat, & per longitudinem Australis lateris ambulabat*, donec eam magna ex parte peragrasset; deinde occurrebat in ostium quod erat in muro Templi, & deducebat ad Conclavia quæ erant supra Sanctum & Sanctissimum Locum. In Conclavi quod ingrediebatur, & quod a solo Templi distabat quinquaginta cubitis, (adeoque tectum Templi inferius altitudine æquabat) hæc tria erant consideratu digna.

Midd. ubi supra.

I. Statim ac quis ostium ingressus erat, erant duæ trabes Cedrinæ una conjunctæ, quæ transversim in superiorem partem erant positæ & muro adhærebant, per quas (erant enim inclinatæ, & gradus in iis vel erant incisi, vel clavis annexi) poterat ad summum Templi fastigium pervenire: atque hac via erat ad supremum, ut ita loquar, * plumbum, seu tectum.

* Leads Anglice.

II. Perpendiculariter supra locum in quo divisus erat Sanctissimus Locus a Sancto, erant aliquot columellæ quæ hanc divisionem indicabant.

III. In laqueari supra Sanctissimum Locum erant varia ostia, janubus subductilibus similia, per quæ cum necesse erat funibus demittebant artifices ad reficiendos Sanctissimi Loci muros. Atque eos quidem demittebant in Arca vel Capsa, aut simili machina, quæ obstabat quominus quicquam videre possent præter opus quod ipsis faciendum erat: cujus cautionis hanc reddunt rationem Judæi: שלא יזונו עיניהם מבית קדשי הקדשים, *Ne pascerent oculos suos aspectu Loci Sanctissimi*. Semel in anno inter Pascha & Pascha dealbabant muros Templi intrinsecus; & huic operi aliisque Sacræ Ædi necessariis admovebant, quantum fieri poterat, Sacerdotes & Levitas: sed si nulli ad id faciendum ex Tribu Levitica ad manum essent, alii admittebantur *Israelitæ*, & permittebatur ipsis per januam ingredi in Sanctissimum Locum, si non inveniretur arca in qua demitti possent.

Maymon. in Beth Habbech. Per. 4.

CA-

CAPUT XIII.

PORTICUS.

SECTIO I. *Gradus ad Porticum.*

IN ſigillatim luſtranda longitudine Templi ab Oriente, ad Occidentem, quæ erat centum cubitorum, primum incipiemus a Porticu quæ ſplendiſſimum ad Orientem conſtituebat Frontiſpicium, & ſingulas ejus partes conſiderabimus, donec ad Occidentale latus devenerimus.

Vide Cap. 11.

Porticus porrecta in longum erat centum cubitos, & altitudine ad viginti & centum aſſurgebat, & viginti quidem cubitos reliquum Templum ſuperabat. Atque hæc Porticus quæ Templum veluti decuſſatum ædificium reddebat, tantoque eo altior erat, non inepte credi poteſt locus in quem *Satanas* Dominum noſtrum tentaturus eum tranſtulit, cum dicitur eum tuliſſe ἐς πτερύγιον ἱερȣ̃, *in pinnas Templi*.

Fuerunt varia in hoc Frontiſpicio notatu digniſſima, quæ, priuſquam ab eo abeamus, prætermittere ſine obſervatione non poſſumus. Primum, quod ſeſe oculis ingerebant gradus per quos ab Atrio ad hunc Introitum aſcendebant, & qui erant duodecim numero ſemicubitum alti: adeo ut in univerſum eſſent ſex cubiti, quibus ſolum Porticus altius erat ſolo Atrii. Atque hic occurrit nobis locus ex Tractatu *Middoth* in margine notatus, intellectu difficillimus, cui ſimilem habet *Maymonides*, atque etiam difficiliorem. Hæc ſunt illius verba, poſtquam loquutus eſt de gradibus per quos aſcendebatur ad Porticum, dixitque eos fuiſſe duodecim, altoſque ſemicubitum, latos vero ſuperins cubitum integrum, addit: אמה אמה ורובד שלש ואמה אמה רובד שלש והעליונה אמה רובד ארבע: quod ſi intelligatur de gradibus, eorumque altitudine, ſic vertam: *Ad uniuſcujuſque cubiti altitudinem erat ſpatium tres cubitos latum, & ad ſupremi cubiti altitudinem erat ſpatium quatuor cubitos latum.* Hæc eſt horum verborum ſententia: Poſtquam aſcendiſti duos gradus, (qui cum eſſent uniquique ſemicubitum alti, efficiebant cubitum) ſpatium ad tertium gradum dilatatum erat, & tres cubitos latum erat, cum gradus quos aſcendiſti ſint tantum cubitum unum lati. Ita ab hoc latiori ſpatio poſt duos gradus aſcendendo ſemper latius fiebat ſpatium, donec in ſummo gradu conſtitiſſes, qui erat quatuot cubitos latus; adeo ut tertius quiſque gradus ex duodecim illis

Midd. Perek. 3.

latior eſſet, quod aſcenſus illius pulchritudinem multum augebat. Atque hoc nos juvabit ad intelligendum locum Codicis *Joma*, quem prima lectione vix intelligere poſſemus; ubi dum narratur quomodo Pontifex Maximus die Expiationis mactato proprio juvenco, daret ſanguinem alteri agitandum ne concreſceret, dicitur alter ille, ממרס בו על הרובד הרביעי שבהיכל, *agitaſſe ſanguinem in quarto ſemipaſſu Templi*: quod *Maymonides* ita exprimit: מנדנדו על הרובד הרביעי של היכל מבחוץ, *Agitabat eum ne concreſceret in quarto ſpatio Templi extrinſecus*, hoc eſt, in ſummo horum duodecim graduum per quos ad Porticum aſcendebatur. Vocem רובד allatis variis exemplis *Baal Aruch* interpretatur voce מצבות, *ſtationes*, *columnas*, vel *ſcamna*. Non potui invenire vocem aptiorem ad id exprimendum voce * *ſpatium*.

Jom. Perek. 4.

Maymon. in Jom. Habbechir Perek. 5.

Arnch in רבד.

* Anglice Half-ſpace. Per. 4. verſus finem.

Maymonides vero in *Beth Habbechirah*, ſeu Tractatu de Templo, agens de verbis *Thalmudis* modo a nobis allatis, ita ea interpretatur. סביב לכותלי האולם מלמטה עד למעלה כך היו אמה אחת חלק ורובד שלש אמות ואמה חלק ורובד שלש אמות עד למעלה ונמצאו הרובדים מוקפים לכותלים: *Circa muros Porticus ex inferiore parte ad ſuperiorem ſic erant: Unius cubitus planus, deinde ſpatium trium cubitorum, cubitus planus,* (vel ordinarius gradus) *deinde alterum ſpatium trium cubitorum; & ita procedendo ſuperius, ita ut ſpatia ambirent muros Porticus.* Mens ejus eadem eſt cum ſententia allatorum verborum: ſed aliquid præterea addit, nempe pulchros hoſce gradus, quorum tertius quiſque in *ſpatium* porrigebatur, non modo ad introitum Porticus deduxiſſe, ſed extenſos fuiſſe juxta totam longitudinem Frontiſpicii Orientalis Porticus, & ſimiles quoque in utraque ejus extremitate, Septentrionali ſcilicet, & Auſtrali: cujus rei cauſa hæc erat, quia nempe tanto ſolum Porticus altius erat ſolo Atrii, & erant præterea variæ in ædificio hoc Januæ præter majorem qua ingrediebantur in Templum, ad quas ſine gradibus accedere non potuiſſent.

SECTIO II. *Duæ Columnæ JACHIN & BOAZ.*

Cum antea egerimus de Porta ſeu Introitu in Porticum, atque ita in Templum, deque ejus dimenſionibus & pulchritudine, nec neceſſe ſit quicquam, ad iſta quod attinet, hic a nobis addi, omiſimus tamen haud contemnendam ejus ornamentorum partem, de qua ad hunc locum agere decrevimus; duas nempe illas cele-

celebres in *Solomonis* Templo Columnas in lateribus ejus collocatas prope ingressum, *Jachin* & *Boaz*. Nullam quidem in Judæorum monumentis invenio mentionem hujuscemodi Columnarum ad ingressum Templi positarum *Herodis* temporibus, seu in Templo quod Servatoris nostri ævo stabat, licet *Ezechiel* loquatur de Columnis ad Januam Templi sui positis, *Cap.* 40. 49. attamen quia animus est præcipue rationem reddere eorum quæ invenimus in Scriptura de Templo in genere, non possumus prætermittere geminas illas memorandas Columnas, quas adeo fuse & diserte describit Scriptura.

I. Hæ columnæ æneæ duabus constabant partibus, ipsa Columna, ejusque Capitello quod supra impositum erat. Ipsa Columna erat concava, æs vero quod concavitatem complectebatur quatuor digitos crassum; ambitus totius Columnæ duodecim cubitorum, *Jerem.* 52. 21. 1. *Reg.* 7. 15. diameter quatuor cubitorum seu trium cubitorum & quatuor quintarum cubiti partium juxta supputationem *R. Levi Gershom.* Capitellum similiter utriusque Columnæ concavum erat, atque æneum & ovale cum magno foramine in quod summa Columnæ pars inserebatur, ita ut Capitellum ei insederit.

R.Solom. in 1.Reg. 7. R.Lev. Gers. ibid.

II. Utraque Columna erat octodecim cubitos alta, præter Capitellum: Scriptura enim diserte supputat altitudinem Columnæ distincte ab altitudine Capitelli. Liber vero *Paralipomenon* conjungit longitudinem utriusque Columnæ, & dicit fuisse eos *triginta quinque cubitos* altas, 2. *Paral.* 3. 15. in qua supputatione deest cubitus unus ex summa quæ habetur in Libris *Regum* & *Jeremiæ*, ubi dicitur *utraque Columna fuisse octodecim cubitorum*, adeo ut ambæ efficerent triginta sex. Sed dimidium cubitum subtrahit Liber *Paralipomenon*, qui inserebatur in foramen Capitelli super impositi. Itaque metitur Columnas una cum Capitellis: quæ simul sumptæ viginti duos cubitos & dimidium altæ erant.

III. Capitellum hoc ovale utrique Columnæ impositum Hebraice vocatur כותרת, quod in vernaculam Gallicam *R. Solmo* vertit פומילס, *Poumels*, *Kimchi Coronam*, cum quo convenit *Chaldæus Paraphrastes*, qui expressit voce קרונתא; *Corona*: sed *Levi Gershom* accuratius dicit, *Simile erat duabus coronis simul junctis*. Erat ingens figura ovalis alta quinque cubitos, non modo exæquans latitudinem Columnæ, sed etiam undecunque excedens, cum multo esset latior quam ipsæ Columnæ.

IV. Cum dicatur 1. *Reg.* 7. 16. & *Jerem.* 52. 22. altitudo utriusque Capitelli fuisse *quinque cubitorum*; attamen 2. *Reg.* 25. 17. *trium cubitorum* fuisse asseritur. Quem nodum plerique Judæi, & quidem bene, hac ratione solvunt: respondent nempe, duos inferiores Capitelli cubitos sine ulla fuisse sculptura, sed superiores tres ea fuisse ornatos. Cui responsioni addi potest, duos inferiores cubitos fuisse tantum tanquam gradus ad majorem Capitelli circumferentiam, ideoque hic non numerari, sed tantum a majore circumferentiæ parte mensuram supputari versus superiora: quod quidam etiam Judæi respondent.

V. Sculptura duorum istorum Capitellorum sic describitur a Spiritu Sancto in variis peculiaribus partibus.

I. שבכים מעשה שבכה, 1. *Reg.* 7. 17. quod *Anglica* nostra Versio interpretatur, *Nets of Cherckerwork*, retia operis tessellati. Septuaginta etiam Interpretes utuntur voce quæ *retia* significat. Vocabulum Hebraicum significat proprie implicationem ramorum arborum, ut *Nehem.* 1. 10. *Genes.* 22. 13. *Jerem.* 4. 7. *Isai.* 10. 34. *Ut palmites*, inquit *Kimchi*, *irretiti & implicati simul*. Alii hæc verba sic interpretantur: כמין לולבין של דקל: nempe hanc sculpturam existimant fuisse *tanquam Palmarum ramos*, aut tanquam ramorum quempiam fasciculum quem manibus gerere solebant festo Tabernaculorum. Hanc ergo esse genuinam verborum significationem existimo, Capitella fuisse affabre ornata septem largioribus ramis a majore convexitate Capitelli assurgentibus, ac ramusculos suos & frondes pulcherrime immiscentibus atque implicantibus. Verba ipsa possunt non improprie sic transferri ad clariorem eorum intelligentiam, & operis rationem designandam: *With thickets of branch-work and wreaths of chain-work*: *Cum arbustis opere ramoso, & cum sertis opere catenato.*

Michlol in סבר.

II. גדילים מעשה שרשרות, *Serta operis catenati*. Vocabulum גדילים, *Deut.* 22. 12. significat *fimbrias* quas in vestibus suis gestare debebant Judæi ut Legis recordarentur; כרספדין κράσπεδον, in *Chaldaica Paraphrasi*. Juxta hunc sensum hic debet sumi pro fimbria affabre facta, seu limbo operis retiarii, supra quem erant radices *operis ramos referentis*, de quo diximus, circa maximam Capitelli convexitatem, unde protuberabant circa eam usque ad summum apicem ovalis illius figuræ, ubi ramusculos contractos circa fastigium inflectebat.

III. שני טורים סביב, *Duo ordines malorum Punicorum* affabre erant sculpti sub horum ramorum ramusculis, quasi fuissent fructus istorum ramusculorum, nisi

quod

quod non eſſent mala hinc inde poſita ut ſunt in arboribus, ſed ſub iis in duobus ordinibus erant collocata, ſeu duos limbos infra conſtituebant.

Verum hic neceſſe eſt nos Textum Scripturæ ſerio admodum expendere: nam duo occurrunt circa hoc ipſum negotium obſcuriſſima & difficillima. Primo, loquens de hiſce ordinibus, dicit Scriptura *Capitella fuiſſe ſupra mala Punica*, 1. *Reg.* 7. 18. Jam autem adeo durum eſt dicere Capitella fuiſſe ſupra mala Punica, cum ſine dubio hæc eſſent in ipſis Capitellis, ut *Kimchi* teſtatur adeo audaces fuiſſe Librarios quoſdam, ut vocem immutaverint, & pro על ראש הרמונים, *ſupra caput malorum Punicorum*, legiſſe העמודים, *ſupra caput Columnarum*; ſed ut ille obſervat, *Maſorethæ* ſupra appoſito לית כותיה, ſeu nota qua ſignificatur ſic in nullo alio loco legi, oſtendunt hanc eſſe debere hujus loci lectionem, *ſupra caput malorum Punicorum*. Hujus autem phraſis ſenſus peti poteſt ex 2. *Paral.* 3. 16. ubi dicitur *Solomon poſuiſſe mala Punica ſuper catenas*: hoc eſt, duos hoſce ordines malorum Punicorum fuiſſe immediate ſupra fimbriam, vel limbum operis catenati, quod ſculpturæ hujus erat veluti baſis; adeoque ipſam maſſam ſeu ipſum corpus Capitelli in quo ſculptura erat, ſuperius fuiſſe hiſce malorum Punicorum ordinibus: & quamvis extremitates ramorum pertingerent ad fimbriam, ſeu opus catenatum, attamen nondum protuberabant in folia & ramuſculos, antequam major ramorum caudex eos porrexiſſet ultra mala Punica. Itaque ſenſus 1. *Reg.* 7. 18. hic eſt: Ita fecit Columnas: *Et erant duo ordines malorum Punicorum inter ipſum opus ramos referens, quod obtegebat Capitellum, & quidem eam ejus partem quæ erat ſupra mala Punica.* Secundo, non exigua eſt difficultas circa numerum malorum Punicorum, quia Scriptura varie eorum rationem init: nam 2. *Paral.* 3. 16. mentio fit tantum centenorum: at 1. *Reg.* 7. 20. ducentorum; verſu vero 42. ejuſdem Capitis; quadringentorum. Verum in hac varietate præcipua difficultas eſt in ſupputatione *Jeremiæ*; nam erant centum mala Punica in unoquoque ordine, juxta ſupputationem Libri *Paralipomenon*, adeoque in unoquoque Capitello erant ducenta, prout numerat Liber *Regum* loco primum allato, hoc eſt, quadringenta in ambobus, juxta poſtremum locum. Verum quomodo nos poſſimus expedire ſupputatione *Jeremiæ*, qui nonaginta ſex numerat, primo adſpectu haud facile dictu eſt. Hæc ejus ſunt verba: ויהיו הרמונים תשעים וששה רוחה, ubi poſtrema vox difficilis eſt interpretatu, & omnem creat difficultatem. *Chaldæus* & *Septuaginta* Interpretes vertunt, *Mala Punica erant nonaginta ſex in uno latere*; quos ſequuntur *Italica* & *Anglica* Verſiones. Verum hæc duriſſima eſt interpretatio, quandoquidem circa rotundum Capitellum in orbem erant mala Punica; & cum centum eſſent in unoquoque ordine, quomodo in uno latere fuiſſent nonaginta ſex? Verbum illud poteſt melius Periphraſi exprimi, quam uno verbo verti. Senſus ergo loci hujus *Jeremiæ* hic eſt: quod cum eſſent centum mala Punica in unoquoque ordine, cum Columnæ juxta murum poſitæ fuerint, quatuor ex unoquoque ordine cerni non potuerunt, ſed tantum nonaginta ſex, reliquis quatuor latentibus e regione muri cui proxime poſita erat Columna. Itaque vox רוחה in hac periodo optime poteſt verti hac ratione: Et mala Punica erant nonaginta ſex *in latere conſpicuo*, ſeu *ſub dio exſtantia*: hunc enim eſſe ſenſum vocis רוחה hoc in loco exiſtimo.

IV. Præterea dicitur 1. *Reg.* 7. 19. וכותרות מעשה שושן באולם ארבע אמות באולם *Et Capitella impoſita Columnis habebant Lilii opus in Porticu quatuor cubitos*: ſic enim potius tranſtulerim quam *erant ex Lilii opere*, hiſce de cauſis. I. Quia opus Capitellorum tam accurate antea ſcriptum eſt conſtitiſſe opere ramis & malis Punicis mixto, quod circiter tres cubitos obtegeret, ut nequeam intelligere quomodo præterea dici poſſint Capitella *operis Lilii quatuor cubitorum*. II. Scriptura diſerte poſtea dicit *opus Lilii fuiſſe in faſtigio columnarum*, verſ. 22. non in apice, aut lateribus Capitellorum III. Vox באולם *in Porticu*, vel *per Porticum*, habet emphaſin peculiarem, & alio animo additur: neque enim ullatenus dicuntur aut mala Punica, aut Capitella fuiſſe *in Porticu*, ſed res refertur tantum ad opus Liliis ſimile.

Videtur ergo iſtius verſus hic eſſe ſenſus: in extrema ora Columnæ ubi Capitellum imponebatur, fuiſſe latum ac affabre elaboratum limbum ſeu circulum operis Lilii, quod ad quatuor cubitos ſub Capitello porrigebatur, unoquoque Lilio poſtea deorſum pendente, adeo ut videretur ſertea corona Columnæ impoſita. Hæc autem peculiaris loquutio, qua dicitur fuiſſe *in* vel *per Porticum*, oſtendit longas haſce æneas linguas quæ Liliorum formam referebant, non ſtatim in lateribus columnarum verſus inferiorem partem protenſas, nec etiam in ſuperiorem duntaxat verſus Capitellum fuiſſe porrectas,

ctas, sed circulum quatuor cubitorum in Porticu, seu per Porticum descripsisse, quasi protuberantia Lilia; & postea, ut Lilia solent, versus solum inclinatas fuisse.

Atque hæc hujus versus interpretatio nos juvat ad explanationem proxime sequentis, qui alioquin haud facile in aliam linguam ex *Hebraica* posset transferri. Juxta vero connexionem quæ ei est cum priore sic exposito, potest hac ratione verti & παραφράζεσθαι: *Et Capitella duabus Columnis imposita erant etiam supra hoc opus Lilii, nam collocata erant supra eam partem in qua incipiebat prominere ex ære, cum esset e regione maximæ protuberantiæ, quæ proxime erat operi ramos referenti*: nam opus istud quod Liliorum formam referebat, æque protuberabat ac maxima convexitas Capitellorum, & apparebat e regione istius convexitatis, in qua erant extremitates ramorum & ordines malorum Punicorum, prominens extra æs Columnæ, instar Liliorum eleganter protuberabat priusquam extrema ejus versus basin Columnæ inflectebatur pars.

V. Locus in quo hæ Columnæ erant aliquatenus dubius est: nam Scriptura quidem certe dicit, eas fuisse *ante Domum*, 2. *Paral.* 3. 15. & *ante Templum*, *vers.* 17. sed superest quærendum, num essent intra Porticum prope ingressum, an vero extra; vel denique intra Porticum ad valvas Templi: quæ postrema sententia est *R. Solomonis* in Commentario ad locum citatum. Existimo ego eas fuisse intra Porticum ad ejus ingressum, seu ad ipsa Portæ latera, hisce de rationibus. I. Quia *Ezechiel* ita collocavit ambas suas Columnas in Porticu Templi sui, nempe in summis gradibus ad ipsius Introitus latera, *Cap.* 40 49. II. Quia, ut antea observavimus, istud opus Lilii dicitur fuisse sub Capitellis quatuor cubitis in Porticu. III. Quia Liber *Regum* dicit *Solomonem* statuisse Columnas לאולם *ad Porticum*, quæ est propria vocis significatio; quamvis *David Kimchi*, & *Anglicus* noster Interpres vertant *in*. Hæc duo videtur phrasis significare: primo, Columnas collocatas fuisse prope Porticus Portam, non vero Templi, ut existimat supra laudatus *Solomon Jarchi*; secundo, eas stetisse ad ipsum Porticus ingressum, quasi postes, vel latera Portæ, κατὰ τῦ προπυλαίυ παραςάδα, ait *Josephus*, *ad latera ingressus Porticus*. IV. Obscurus ille locus *Ezechielis* 40. 48. *Latitudo Portæ erat trium cubitorum ex uno latere, & trium cubitorum ex altero*, non potest ita intelligi, quasi ingressus in Porticum esset tantum sex cubitos latus; (& quomodo etiam posset loqui de duobus lateribus, si de una latitudine ageretur?) sed optime intelligitur a *Kimchio*, qui existimat significari ad utrumque latus aliquid fuisse quod latitudinis Introitus tres occuparet cubitos, unde ad quatuordecim cubitos redigeretur: quæ mensura trium cubitorum, licet uno cubito minor sit crassitie Columnarum *Solomonis*, cum tamen conveniat cum dimensione *Ezechielis* Columnarum, hac in re nos juvat, quod ostendat ubi hæ Columnæ, de quibus agimus, essent collocatæ, dum nos docet ubi in Templo *Ezechielis* statuantur, nempe ad dextram & sinistram Porticum emensis gradibus intrantium.

Jos. Antiq. lib. 8. cap. 2.

Cæterum (ne somnia quorundam Judæorum memoremus) vocabantur *Jachin* & *Boaz*, 1. *Reg.* 7. 21. quæ verba denotant *Constitutionem* & *Robur*. *Jachin* significat *Constituet*, & alludit ad promissum Dei de stabiliendo throno *Davidis* & populo *Israelis*. *Boaz* significat *Robur est in ea*, quod respicit seu Dei promissum, in quo omne robur & stabilimentum *Israelitarum* sita erant; seu Arcam, quæ intus erat & vocatur *Robur Domini*, *Psalm.* 80. 2. & 105. 4.

Sectio III. *Conclavia in quæ recondebantur mactationis instrumenta*, בית החילפות.

Attamen priusquam Porticum, adeoque Templm ipsum ingrediamur, aliquid præterea observatione dignum nos ad sui contemplationem vocat. Erant nempe in hoc Porticus ædificio quædam Conclavia seu loca in quæ recondebantur Cultri aliaque instrumenta quibus utebantur Sacerdotes in mactandis, excoriandis, & secandis victimis. Tractatus *Middoth* hæc loca indicat & describit hisce verbis: האולם עורף עליו טו״ אמה מן הצפון וטו׳ אמה מן הדרום והוא היה נקרא בית חחילפות, *Porticus latior erat Templo quindecim cubitis ad Septentrionem, & quindecim ad Austrum, & quod excidebat vocabatur* Beth Hachillaphot, *ubi Cultros suos recondebant*.

Middoth Per. 4. Sect. 7.

Vox מחלפים significat Cultros mactationis Templi *Ezr.* 1. 9. a radice חלף, ait *Aben Ezra*, quatenus significat *exscindere*, ut *Isai.* 11. 18. *Proverb.* 31. 8. Ita etiam *Kimchi* in eundem locum: מחלפים *sunt Cultri: atque ex hac significatione deductum est Beth Hachillaphoth*; *nam quia ibi reponebant Cultros suos, ideo locus appellatus fuit Conclave recondendis Cultris*, לשכת בית החילפות. Erant igitur in utraque illa parte Porticus, qua

Vid. Ab. Ezr. in Ezr. 1. Kimch. ibid.

hinc inde porrigebatur ultra ædificium Templi, Conclavia, quorum alterum ad Septentrionem erat, alterum ad Austrum, in quibus majoribus Conclavibus erant viginti quatuor Armaria in quibus Cultri erant repositi in usum viginti quatuor Classium Sacerdotum. Atque hæc & similia Armaria Judæi vocant חלונות, *Fenestras*, quia erant juxta murum posita. Porro præter hæc in quibus reponebantur instrumenta mactationis, *Maymonides* nonaginta sex alia recenset aliis rebus recondendis destinata, quatuor nempe erant unicuique Classi: *Erant*, inquit, *nonaginta sex Armaria* חלונות *in Templo, in quæ recondebantur Vestes: quatuor nempe unicuique Classi. Inscripta illis erant Classium nomina, & omnia erant clausa. Cum cujuspiam Classis Sacerdotes sub diem Sabbati ministerium suum incohabant, aperiebant Armaria, atque inde utensilia depromebant: cum vero ministerium absolverant, iterum Vestes suas in Armaria recondebant, quæ postea claudebant. Quare autem facerent quatuor Armaria in usum uniuscujusque Classis? Nempe ne Vestes confunderentur una: sed omnia femoralia erant in uno Armario, cui inscriptum erat* FEMORALIA; *Cingula in alio, cui inscriptum erat* CINGULA; *omnes Cidares & omnes Tunicæ in alio.*

Maymon. in Kele Mikd. Per.

Verum nec dicit ubi essent illa Armaria, nec inter omnia illa hæc enumerat de quibus egimus, in quæ recondebantur Cultri: quod quare omiserit, facile est dictu ad posterius quod attinet, nempe quia loquitur tantum de Vestimentis Sacerdotum. At ubi erant illa nonaginta sex Armaria? Erantne in reliquis Porticus partibus? Non videtur, quia Sacerdotes solebant vestibus suis induti ingredi Atrium, præsertim cum ad Porticum accedebant, nec unquam eo veniebant ut sumerent Vestes suas. Erant satis ampla ædificia circa Atria, in quibus poterant illa esse Armaria: sed quo in loco sint collocanda, nondum satis liquet.

Sed quid fiet aliis Conclavibus Porticus inter Introitum, & duo illa quæ in extremis ædificii partibus sita erant? erant enim viginti quinque cubiti in eo intervallo ex utroque Portæ latere, & proinde varia Conclavia & plures stegæ in superioribus locis, cum ædificium tantæ longitudinis atque altitudinis esset. Nec Scripturæ nec Judæorum monumenta docent, quod equidem noverim, quomodo hæ variæ partes dispositæ essent; ideoque nihil affirmare ausim, sed rem lectori dijudicandam permitto.

Memorabile est præterea monumentum de quo Judæi loquuntur: nempe erant *Coronæ* impositæ בחלונות, Armariis, ἐς μνημόσυνον. Nam literaliter accipiunt quod dicitur: *Zachar. 6. 14. Et coronæ erunt Helem & Tobiæ & Jedajæ & Hen filii Zephaniæ, memoriale in Templo Domini.* Ac dicunt etiam juniores, seu Candidatos Sacerdotii solitos fuisse ascendere per aureas catenas quæ pendebant ex laqueari Introitus Porticus, ut possint videre Armaria, ad inspiciendas hasce Coronas.

Midd. Per. 3. Sect. 8. Kimch. & Jarch. in Zachar. 6.

SECTIO IV. *Aurea Vitis in Porticu: Aureum Candelabrum: Marmorea atque Aurea Mensa.*

Jam ingrediamur Porticum, ubi *Josephi* perspicillum spectaculum exhibet his coloribus depictum. Θύρας οὐκ εἶχε, τοῦ γὰρ οὐρανοῦ τὸ διαφανὲς καὶ ἀδιάκλειστον ἐνέφαινε· κεχρύσωτο δὲ τὰ μέτωπα πάντα, καὶ δι' αὐτῆς ὅ τε πρῶτος οἶκος ἔσωθεν ἅπας κατεφαίνετο, μέγιστος ὤν, καὶ τὰ περὶ τὴν εἴσω πύλην πάντα λαμπρόμενα χρυσῷ &c. *Nullas habebat valvas: repræsentabat enim cœlum pellucidum & apertum. Totum Frontispicium deauratum erat, & per Portam intus poterat cerni tota prima Domus, eaque maxima, atque omnia circa Portam interiorem fulgebant auro.*

Joseph. de Bello, lib. 1. cap. 14.

Supra hanc interiorem Portam (quæ erat Porta Templi) erat magna Vitis Aurea tantæ amplitudinis, ut idem refert *Josephus*, ut haberet βότρυας ἀνδρομήκεις, *racemos qui hominis magnitudinem æquabant*. Atque uti nativa Vitis major & major fit, donec ad certam magnitudinem paulatim ac tempore creverit, ita hic factum est: nam מי שהוא מתנרב עלה או נרגיר או אשכול מביא ותולה בה, *Quidam oblationibus suis voluerunt fieri folium, quidam racemum, quidam palmitem; atque hæc ei appendebantur, & sic continuo crescebat.*

Ibid.

Supra Templi Portam erat etiam Candelabrum Aureum, quod donatum erat ab *Helena Adiabenorum Regina*, celeberrima fœmina, atque in Judæos beneficentissima, de qua ejusque filiis *Izate* & *Monobaze* multa habet *Josephus*, *Antiq.* lib. 20. cap. 2. ad quæ lectorem amando. Hujus *Helenæ* muneris mentio fit in *Thalmudico* Tractatu *Joma* hisce verbis. *Filius Catini fecit duodecim epistomia labro, cum antea duo tantum habuisset; fecit insuper machinam labro, ne aquæ ejus nocte pollurentur. Monobazus Rex fecit ex auro omnes vasorum ansas, quibus in die Expiationis ministrabatur. Helena mater ejus fecit Candelabrum aureum juxta ostium Sanctuarii; fecit etiam ex auro Tabulam, cui*

Jom. Per. 3.

cui sectio suspectæ fœminæ iscripta erat.

Maymon. in Beth Habbech.

In Porticu ad utrumque latus Januæ Templi erant Mensæ: ad dextrum Mensa Marmorea, cui imponebant Panem Propositionis cum recentem eum Templo inferebant: ad sinistrum erat Mensa Aurea, cui aliquantisper imponebant panem quem removebant. Ratio quare inciperent a Marmorea Mensa, & in Aurea desinerent, hæc fuit: שמועלין בקודש ולא מורידין. *Quia in rebus sacris altius ascendebant, non vero descendebant.*

CAPUT XIV.

Sanctuarium seu Sanctus Locus.

Sectio I. *Janua Templi.*

INgrediebantur e Porticu in Templum per duas Januas, quarum utraque valvas duplices habebat. Quod ut melius intelligatur, primum consideremus dimensiones hujus meatus, quemadmodum cæterorum lustravimus dimensiones.

Midd, Per. 4. Sect. 1.

Thalmudici & *Josephus* prima fronte videntur immane quantum dissentire circa dimensionem hujus Januæ. *Thalmudici* enim ei tribuunt altitudinem viginti cubitorum, latitudinem verum decem; *Josephus* autem quinquaginta quinque altitudinis, latitudinis vero sexdecim cubitos ei adscribit. Sed in hac veritate si quid utrique proprie velint recte intelligamus, comperiemus differentiam tantam non esse, quanta primo intuitu apparet. Solent *Thalmudici* in dimensione Portarum loqui tantum de ostio, seu meatu; *Josephus* vero, ut antea observatum est, metitur etiam παραςάδας καὶ ὑπέρθυρα, totam Portam cum postibus & liminibus utrinque prominentibus. Atque juxta hanc consuetudinem *Thalmudici* & *Josephus* hanc metiuntur Portam de qua agimus. Spatium apertum seu ostium erat tantum viginti cubitos altum, decem latum; atque eadem hæc erat utriusque Portæ dimensio: sed Portæ Frontispicium erat hinc inde per tres cubitos affabre ornatum & deauratum; desuper vero ad Primum Porticus tabulatum per triginta quinque cubitos. Hanc esse mentem *Josephi* ex duobus locis apparet: dicit enim de illis circa Portam ornamentis: Ἡ δὲ τȣ̃ οἴκȣ πύλη κεχρύσωτο μὲν πᾶσα, καὶ ὅλον περὶ αὐτῆς τεῖχος. *Porta vero Domus* [hanc designat de qua loquimur] *tota deaurata erat, & totus etiam circa eam murus.* Ad alterum vero quod attinet, nempe de Portæ dimensionibus, hoc habet quod subdifficile est, sed recte intellectum litem dirimit juxta ea quæ modo observata

Joseph. de Bello, lib. 5. cap. 14.

sunt: Οὗτος δὲ ἤδη τȣ̃ ναȣ̃ διςέγȣ ταπεινοτέρα τῆς ἔξωθεν ἦν καὶ θύρας εἶχε χρυσᾶς πεντηκοντάπεντε πηχέων τὸ ὕψος, εὖρος δὲ ἑκκαίδεκα. *Cum Templum esset duarum stegarum, interior erat infra exteriorem, & habebat Portas deauratas quinquaginta quinque cubitorum altitudinis; latitudinis verò sexdecim.*

Jam autem cum dicit Templum fuisse δίςεγον, hoc vult: si quis in Templo esset, supra ejus caput fuisse primum tabulatum, & supra illud Conclave quod vocabatur עליה, de quo antea verba fecimus, & supra quod erat supremum tabulatum. Si usque ad supremum tabulatum tota Domus aperta fuisset, ut Ecclesiæ nostræ esse solent; tum nullum fuisset discrimen inter altitudinem Sancti, & Sanctissimi Loci: sed cum uterque locus laqueari esset obtectus, & superiora haberet Conclavia; discrimen erat in altitudine primi laquearis: nam in Sancto Loco laquear a pavimento distabat quinquaginta quinque cubitis; sed in Loco Sanctissimo distabat tantum viginti, ut ostendetur. Porticus autem laquear æque altum erat ad minimum, si non & altius, quam laquear Sancti Loci; adeoque spatium quod erat supra Portam ad primum laquear, cum deauratum esset, splendidissimum reddebat ædificii Frontispicium. Videtur Auctor noster primum Porticus laquear ad nonaginta cubitos extulisse, nec tamen altitudinem Portæ supra quinquaginta quinque attollit, quia dimetitur tantum altitudinem laquearis Sanctuarii, atque altitudinem Frontispicii Januæ Adyti: similiter enim de utroque loquitur.

Hisce necessario observatis de altitudine & latitudine hujus Januæ, ad memoriam revocandum est murum Templi fuisse sex cubitos crassum, ut observavimus cum dimensi sumus latitudinem ædificii. Ambæ ergo Januæ valvæ, quarum unaquæque quinque cubitos lata erat, pendebant intra crassitiem muri prope Porticus introitum, ita ut cum erant versus Porticum apertæ, tegerent totam crassitiem muri ad lævam atque ad sinistram, adeo ut intrantes illam videre non possent.

Midd. ubi supra. Ezech. 4. 14.

Jam vero in extrema parte crassitiei muri versus Locum Sanctum erant secundæ valvæ, iis similes quas jam lustravimus, quæ cum erant apertæ incidebant in murum qui erat inferior Domus extremitas, & obtegebant spatium quod deauratum non erat: totus enim murus erat deauratus, exceptis iis partibus in quas apertæ valvæ incidebant. Erant itaque duæ Januæ cum geminis valvis inter

Porticum & Templum, quarum una a Porticus introitu cubitum unum erat remota, altera vero in ipsa interna muri ora locabatur, adeo ut inter eas clausas superessent quinque cubiti in ipsa crassitie muri Templi.

Exterior Janua a Judæis vocari solet *Magna Janua Templi*: non quod interior Janua non æque crassa esset, sed quia prioris ingens apparebat Frontispicium, posterioris non item. Atque de hac exteriori Janua hæc sunt memoratu digna quæ ab ipsis referuntur. Primo, quod matutina victima nunquam mactaretur, priusquam hæc Janua aperta esset. Hoc refertur in Tractatu *Thamid*, seu de quotidiano sacrificio: לא היה השוחט שוחט עד ששומע קול שער הגדול שנפתח, *Qui victimam mactaturus erat, eam non mactabat donec audivisset strepitum apertionis Magnæ Januæ*. Deinde addunt strepitum hujus Januæ potuisse ad *Hierichuntem* usque exaudiri: & ita loquuntur de strepitu variarum aliarum rerum, in quibus ad Templum magnificandum ingentibus utuntur hyperbolis. Secundo, hæc Janua apud ipsos celebris est, quia habebat duo ostiola in ambabus valvis, unum in Septentrionali valva, alterum in Meridionali. Et per Australe quidem nemo transibat: id enim erat de quo *Ezechiel* dixerat: *Hæc Janua claudetur, non aperietur, nec quisquam per eam intrabit*.

Thamid. Per. 3. Maym. in Tham. Per. 6.

Ezech. 44. 2.

Porro matutino tempore hæ Januæ sic solebant aperiri. Unus clavem sumebat, & aperiebat Septentrionale ostiolum, & ingrediebatur in quinque-cubitale spatium, quod inter duas Januas interjacebat, atque ibi per Januam quandam intrabat in ipsum murum, ubi erat excavatus ingressus in Sanctum Locum, cujus exitus erat ea in parte muri in quam una ex valvis interioris Januæ aperta incidebat.

Ingressus aperiebat eam inferiorem Januam, deinde exteriorem, qua strepente, qui victimam matutinam erat mactaturus ministerium suum inchoabat. In hoc spatio quinque-cubitali inter ambas Januas post valvam Januæ ad dextram erat Tabula marmorea quadrata in cubiti magnitudinem, soluta in pavimento locabatur, & in qua erat annulus affixus quo posset tolli. Cum Sacerdotes uxorem suspectam ad examen vocabant, eum tollebant lapidem, & subjectum pulverem sumebant, ad miscendum aquæ quam ei bibendam propinabant, ut jubetur *Numer.* 5. 17.

Sotah, Perek. 2.

SECTIO II. *Velum*.

Inter duas hasce Januas in eodem illo quinque-cubitali spatio pendebat Velum, quod id referebat quod erat ad Januam Tabernaculi, *Exod.* 26. 36. Hoc testatur *Josephus*, qui loquitur de duobus Velis, quorum alterum erat ad ingressum Sancti Loci, alterum eum distinguebat a Loco Sanctissimo. Dicit Velum fuisse ejus mensuræ quam antea memoravit, nempe altum quinquaginta quinque cubitos, latum vero sexdecim, (quamquam ostium in quo pendebat erat tantum decem cubitos latum) & fuisse Πέπλον Βαβυλώνιον, (אדרת שנער, *Jos.* 7. 21.) *Aulæum Babylonicum*, ex hyacintho, purpura, cocco, & subtilissimo lino duplicato, quod referebat quatuor elementa.

Joseph. de Bello, lib. 5. cap. 11.

Alii etiam Judæi nos docent tale Velum pependisse ad ingressum in Sanctum Locum. *Thalmudicus* enim Tractatus *Thamid*, paulo antea citatus, agens de ingressu Maximi Pontificis in Sanctuarium ad sacra facienda, hæc habet: *Tres eum tenebant, unus dextra manu, alter sinistra, tertius per gemmas Pectoralis. Et cum Præses audiebat strepitum Summi Sacerdotis exituri, Velum ipsi attollebat, tum ipse ingrediebatur & adorabat, ac post eum fratres ejus Sacerdotes ingrediebantur & adorabant*.

Tham. Perek. 7.

Erant omnino tredecim Vela in Monte Templi, septem scilicet inserviebant septem Portis Atrii, unum Portæ Porticus, unum Portæ Templi, & duo inter Sanctuarium & Adytum, duo denique perpendiculariter supra hæc in superiori Conclavi. Erat Præfectus Velis, qui curabat nova suppeditari cum priora corrupta erant, atque omnia locavit uti par erat. Si communi aliqua pollutione polluerentur, detracta abluebantur, & suspendebantur ἐν τῷ חיל *spatio intermurali*, ut exsiccarentur. Cum nova fiebant, primum appendebantur cuipiam loco in Podio Atrii Mulierum, ut possent cerni a toto populo, qui num rite facta essent judicaret.

Maym. in Kele Mikdash. Per. 7.

Shekalim, Per. 5.

SECTIO III. *Sanctuarium ipsum*.

Hic locus erat quadraginta cubitos longus, latus vero viginti. In *Solomonis* Templo erat triginta cubitos altus sine ullo laqueari; sed in *Herodis* Templo ad sexaginta cubitorum altitudinem perductus fuerat: nam filii Captivitatis qui Templo suo altitudinem sexaginta cubitorum dederant, eum locum laqueari nullo obtexerant, sed patentem reliquerant

1. Reg. 6. 2. 17.

Joseph. ubi supra.

rant uſque ad tectum, uti patuerat tempore *Solomonis;* atque ad eam altitudinem remotum eſt laquear, cum tempore *Herodis* laqueatum fuit Templum.

Atque hic duo occurrunt nequaquam omittenda. I. Cum tectum inferius ædificii, quod Conclavia quæ ad latera erant tegebat, eſſet tantum, ut obſervatum eſt, quinquaginta cubitis a ſolo remotum, atque ex hoc tecto tranſitus eſſet in Conclave ſupra Sanctuarium collocatum, fuiſſe ſcalam decem cubitos altam, quæ partim extra murum erat, partim in ipſa muri craſſitie. II. Laquear inæquale fuiſſe in tribus locis Ædis, in Porticu, Sanctuario, & Adyto. Primum laquear in Porticu a ſolo remotum erat nonaginta cubitos, in Sanctuario ſexaginta, in Adyto viginti. Itaque quamvis eſſet laquear ſupra Adytum æquale laqueari Sanctuarii, quod nempe a ſolo diſtabat ſexaginta cubitis; non erat hoc infimum Adyti laquear, ſed alterum erat quadraginta cubitis inferius.

Locus hic pulcherrimus & ſplendidiſſimus erat. Stratus erat tabulis abiegnis, iiſque deauratis: muri etiam erant Cedro introrſum obtecti, quæ pariter deauratæ erat. Hæc deuratio a ſolo ad laquear extendebatur per totam muri ſexaginta cubitorum altitudinem. Atque hoc ſignificant verba Scripturæ, עד קירות הספן, Veſtivit muros Domus introrſum tabulis cedrinis a ſolo Domus *ad murum tecti*, hoc eſt, ad murum uſque laquearis ſuperioris, ut optime interpretantur Rabbini ad eum locum.

Nam poſt quinquageſimum altitudinis cubitum in muro erat limbus ramis & floribus apertis affabre ſculptus, &c. Decem ſuperiores cubiti feneſtris erant tributi: nam cum Conclavia extra Ædem ad latera collocata tribus ſtegis ad quinquageſimum cubitum aſſurgerent, eo uſque non potuerant fieri feneſtræ in Domo, ſed ſpatium decem cubitorum ſupra eam altitudinem occupabant, & ita diſpoſitæ erant, ut introrſum latæ eſſent, extrorſum arctiores.

Sculptura quæ erat in ligno quo inintrorſum veſtiti erant muri, dicitur מקלעת פקעים ופטורי צצים, *Sculptura florum clauſorum & apertorum*, ut vertunt *Angli*, qui vernacule habent, *The carving of knops and open flovvers*. Verum Hebræi Doctores ſubtiliores ſunt in interpretatione horum verborum. *Paraphraſtes Chaldæus* exponit: *Cælaturam ſimilitudinum ovorum, & ſertorum Liliorum*, quaſi velit murum cælatum fuiſſe opere quod Liliorum ſerta referebat, cum ovali figura in medio ſerto. *R. Levi Gershom* exponit פקעים, *ovalia*, quemadmodum *Chaldæus*: ſed exiſtimat talia fuiſſe ovalia qualia ſunt florum ſolliculi, & ex iis prodiiſſe פטורי צצים, *flores maturi atque aperti*. *David Kimchi* putat פקעים eſſe aureas Cucurbitas: atque ita margini appoſuerunt Interpretes noſtri *Angli*. Hanc puto genuinam eſſe vocis ſignificationem, & hanc fuiſſe muri cælaturam, cælatos nempe fuiſſe *Cherubinos*, & Palmas, Cucurbitaſque ac flores apertos ſic intermiſtos. Primo erat limbus Cucurbitarum, Peponum, aut ejuſmodi pomorum, intermiſtis calthis, caryophyllis, aliiſque ſimilibus floribus apertis; atque hic ſerteus limbus totam Ædem circum ambibat. Huic tanquam baſi innitebantur pedes Cherubinorum, & radices Palmarum, quibus conſtabat hic limbus, alternis ſibi invicem ſuccedentibus. Supra Cherubinos & Palmas erat rurſus alius limbus ſerteus, quem ſequebantur iterum Cherubini & Palmæ; atque ita ad faſtigium uſque alternis occurrebant ſimiles cælaturæ. Quibus omnibus denotabatur ſedulitas Miniſtrorum, *Hebr.* 1. 14. & florens ſtatus eorum qui inſerviebant Domino, *Pſalm.* 92. 13. 14. Iſti *Cherubim* duas facies habebant, alteram hominis, quæ Palmas hinc reſpiciebant; alteram leonis, quæ inde etiam ad Palmas erat obverſa.

Levi Gerſ. in 1. Reg. 6.

Kimch. ibid.

1. Reg. 6. 29. Ezech. 41. 18. 19.

Cum dicatur, *Ædificavit viginti cubitos ad latera Ædis tabulis cedrinis a pavimento uſque ad muros*, 1. *Reg.* 6. 16. Judæi exiſtimant viginti iſtos cubitos non in altitudine, ſed in latitudine fuiſſe; quaſi velit Scriptura præter latera Ædis hinc atque inde, quæ quadraginta cubitos longa erant, idem *Solomonem* feciſſe in utraque extremitate Conclavis, quæ erat tantum viginti cubitos lata: ſed Scriptura diſertius hoc teſtatur de Loco Sanctiſſimo, & oſtendit quæ eſſet illius altitudo, quæ differebat ab altitudine exterioris Conclavis, Loci nempe Sancti, ut poſtea videbimus.

SECTIO IV. *Candelabrum*.

Tria erant celebria ac obſervatu digna in Conclavi Sanctuarii, quæ jam ordine ſuo nobis veniunt luſtranda: nempe Candelabrum, Menſa Panis Propoſitionis, & Altare Thymiamatis. Primum erat aureum, reliqua vero duo auro obtecta, adeo ut in hoc Conclavi nihil cerni poſſet præter aurum. *Joſephus* tria hæc magnis laudibus effert hiſce verbis: Εἶχεν ἐν αὐτῷ τρία θαυμασιώτατα καὶ περιβόητα πᾶσιν ἀνθρώποις ἔργα, λυχνίαν, τράπεζαν, θυμιατήριον. *Habebat in ſe tria ſumma admiratione digna opera, & apud omnes*

Joſeph. ubi ſupra.

omnes mortales celeberrima, *Candelabrum*, *Mensam*, *Altare Thymiamatis*. Addit, *Septem Lucernas in Candelabro retulisse septem Planetas; duodecim Panes Mensæ impositos duodecim signa Zodiaci; Altare in quo offerebatur thymiama quod partim ex mari, partim ex terra proveniebat, designasse omnia esse a Deo, & in Deum.*

Maymon. in Beth. Habbech. Pereck. 3.

Candelabrum erat octodecim palmos altum; quæ altitudo, supponendo cubitum sex palmis constitisse, erat unius virgæ Anglicanæ & dimidiæ. Habebat tres pedes, quibus fere insistebat Pavimento. Supra trium palmorum altitudinem erat veluti corona sertea prominens atque affabre elaborata. Sequebatur scapus qui per duos palmos assurgebat planus; supra quod spatium erat discus, bulla & flos, quæ intra palmum prominebant ac cælata erant. Inde iterum planus per duos palmos attollebatur scapus; & supra id intervallum erat palmaris bulla, unde exibant duo rami qui utrinque inflexi erant, donec assurgerent recta ad æqualem altitudinem ad fastigium hujus medii scapi ex quo exibant. Deinde erat in scapo palmus planus, supra quem erat bulla palmaris, ubi duo rursus rami utrinque exibant. Superius scapus per duos palmos solus assurgebat, & in superioribus tribus palmis erant tres calices, tres bullæ, & tres flores, atque ita Lucerna erat in flore.

In unoquoque ramo exeunte ex medio hoc scapo erant tres Calices qui modico inter se distabant spatio. Supra supremum erat bulla, supra bullam flos, atque in eo flore Lucerna. Ante Candelabrum Lapis erat cui incisi erant tres gradus, in quibus stabat qui curabat Lucernas, & quibus imponebat suas patinas dum in eo opere occupabatur.

Hoc Candelabrum septem ramorum [ad quod alluditur *Apocal.* 1. *Zachar.* 4. 2. *Apocal.* 11. 4.] positum erat ad Australe latus Domus, sed ita ut rami ejus protenderentur in Septentrionem & Austrum. Omnes Lucernæ quæ sex ramis impositæ erant, obversæ erant ad Lucernam, quæ in scapo ipso medio erat, quæ Lucerna obversa erat Adyto, unde vocabatur נר המערבי, *Occidentalis Lucerna*. Hæ septem Lucernæ (quæ designabant *septem Spiritus Dei*, Apocal. 4. 5. & 5. 6. quos Judæi vocabant *septem Spiritus Messiæ*, ex *Isai.* 11. 1. 2. 3.) jugiter ardebant; vel si qua extingueretur, unoquoque matutino & vespertino tempore iterum accendebatur: ac perpetua illa lux referebat Verbum & Doctrinam Salutis, lumen Domini in quo videmus lumen.

Hæ Lucernæ vocabantur *Candela Domini*, 1. *Sam.* 3. 3. ubi dicitur, *Antequam Candela Domini esset extincta*, Dominus vocavit *Samuelem*, &c. In quæ verba *David Kimchi* hanc habet interpretationem: *Si hoc dicatur de Lucernis in Candelabro, erat paulo ante diem, nam Lucernæ ardebant a vespertino tempore ad matutinum, nisi quod aliquando quædam ex iis nocte extinguebantur. In illis ponebant oleum ea mensura, ut posset eas ardentes conservare a vespera ad mane sequens; & sæpe ad matutinum tempus ardebant, ac semper quidem ardentem reperiebant Occidentalem Lucernam. Jam hæc dicitur Prophetia venisse ad Samuelem antequam Lucernæ extinguerentur, dum nox adhuc erat circa tempus gallicinii: nam dicitur postea Samuel jacuisse usque ad matutinum tempus. Vel allegorice dictum est de Candela Prophetiæ; ut dicunt, Sol oritur & Sol occidit. Priusquam Spiritus Sanctus Solem hominis justi occidere faciat, facit ut Sol alius hominis justi oriatur. Priusquam Sol Mosis occideret, Josuæ Sol ortus est. Priusquam Eli Sol occideret, Samuelis Sol est ortus. Atque hoc est quod dicitur, Priusquam Candela Dei extingueretur.*

Kimch. in Sam. 3. Vid. Lev. Gers. ibid.

Dominus non egebat candelis, (non magis quam pane qui Mensæ imponebatur) nec Sacerdotibus hoc in loco candelis opus erat; nam licet altæ essent fenestræ, attamen sufficientem Conclavi suppeditabant lucem: sed Deus hisce Lucernis quasi prælucebat populo, ut eum per corporea hæc doceret spiritualia, utque eum commonefaceret necessitatis Verbi sui, & Panis salutis qui descendit e cœlo. Ideoque cum *Solomon* fecit decem Candelabra & decem Mensas, eaque ad duo latera Domus quina alternis disposuit, nihil Deo addidit, sed Ministerio duntaxat splendorem majorem creavit, & clarius significavit necessitatem luminis Verbi, & Panis vitæ. *Sapientes nostri*, ait *Baal Hatturim*, *dicunt Occidentalem Lucernam* (quæ nunquam extinguebatur) *fuisse testimonium quod Gloria Dei habitaret in Israele.*

2. Paral. 4.

Baal Hatturim in Levit. 24.

SECTIO V. *Mensam Panum Propositionis.*

In Septentrionali latere Ædis quod ad dextram erat, collocata erat Mensa duos cubitos longa, & sesquicubitum lata, in Tabernaculo Mosis: sed in secundo Templo, ad latitudinem quod attinet, deerat ei semicubitum; cujus imminutionis illi ipsi qui rem narrant nullam rationem afferunt. In illo loco juxta longitu-

Exod. 25. 23. Maymon. ubi supra.

gitudinem, hoc est, ab Oriente in Occasum posita, & corona aurea circumquaque ornata erat versus superiorem partem; quam Coronam Judaei assimilant Coronae Regni.

Vide Baal Hatturim in Exod. 25. Matth. 12. 4.

Super hac Mensa perpetuo erant duodecim Panes, qui quia erant coram Domino, vocabantur לחם הפנים, Ἄρτοι προθέσεως *Panes Propositionis*: quam in rem *Angli* nostri Interpretes vocem aptissimam invenerunt, nempe *Shew-bread*. Sic autem Panes illi fiebant & collocabantur.

Maymon. in Tham. Perek 5. Levit. 24. 5. Exod. 16. 37.

Ex viginti quatuor סאה, (tria conficiebant *Epha* unum) hoc est, ex octo modiis *Anglicis* farinae molitae, cribrabant viginti quatuor decimas partes vel *Omeros* pollinis; atque inde conficiebant duodecim liba, quorum unumquodque constabat duobus *Omeris*, seu quinta parte *Ephae*. Liba haec quadrata faciebant, decem palmos longa, quinque lata, septem digitos crassa. Fiebant & coquebantur in Conclavi majoris aedificii, quod *Beth Mokadh* dictum ad Septentrionale latus Atrii erat, ut postea ostendemus, quod fiebant die Sabbatum antecedente.

Sabbato vero eos Mensae hac ratione imponebant. Quatuor Sacerdotes primum ingrediebantur, & auferebant Panes qui per totam hebdomadem ibi fuerant collocati; quatuor alii eos sequebantur ad imponendos recentes eorum loco. Duo ex hisce posterioribus Sacerdotibus geminas liborum strues, in quarum unaquaque sex erant, gerebant; reliqui duo ferebant aureas lances, in quibus erat thus imponendum Panibus. Qui modo ex quatuor illis qui praeteritae hebdomadis panem accepturi veniebant, duo portabant liba duo vero discos. Hi stabant ante Mensam, facie ad Septentrionem obversa; priores vero quaterni stabant inter Mensam & murum, facie ad Austrum obversa. Illi praeteritae hebdomadis liba auferebant; hi vero eodem temporis momento alia recentia imponebant, ita ut Mensa nunquam esset sine pane, quia dictum est, coram Domino perpetuo fore panes.

Duas strues liborum faciebant, sepis simul exstructis, eaque ita Mensae imponebant, ut liborum longitudo Mensae latitudinem decussaret, [unde apparet Coronam auream quae circa Mensam erat, supra ejus superficiem elatam non fuisse, sed limbum fuisse qui crassitiem Mensae non excedebat, ut bene existimat *R. Solomon*] adeoque liba duobus palmis hinc inde Mensae latitudinem excedebant: Mensa enim erat tantum sex palmos lata, liba vero decem palmos longitudine aequabant. Jam vero ad impediendum ne

R. Solom. in Exod. 25.

eae partes liborum quae hinc inde eminebant frangerentur, licet nullam aliam habuissent rationem, [quam habebant quidem, sed fateor me ejus descriptionem apud eorum Auctores intelligere non potuisse] attamen ita liba libis imponebant, ut pondus Mensae inniteretur, non vero in eas incumberet partes quae pendebant extra Mensam.

Infimum omnium libum planae Mensae superficiei imponebant; supra vero ipsum tria bacilla aurea aequalibus intervallis distantia, quibus injiciebatur sequens libum; atque ita de caeteris, nisi quod quinto libo duo tantum ejuscemodi bacilla imponebant, quia unicum tantum addendum supererat libum. Quae porro post Hebraeorum Doctores voco aurea bacilla, non erant similia arundinibus perfecte cylindricis & concavis, sed cannis seu cicutis per mediam partem dissectis. Causa quare interponerentur libis haec fuit, ut nempe aer permeare posset inter concavitatem earum, libaque a mucore & corruptione immunia conservaret melius. Ita inter liba erat aliqua concavitas, nec unum ab altero tangebatur & omnia bacilla aurea ita erant disposita, ut Mensae latitudinem non excederent, adeoque extremitates liborum prominentes nullo pondere, praeter suum, gravarentur.

Geminae huic strui impositi erant duo disci aurei, in quibus erat manipulus thuris, qui cum auferebatur Panis, in Thymiamate in honorem Domini comburebatur, *Levit.* 24. 7. Panis postea erat *Aaronis* & filiorum ejus, seu a Sacerdotibus juxta portiones comedendus.

De significatione mystica hujus Panis variae sunt conjecturae. Numerus duodecim Panum in gemina strue referebatur ad duodecim Tribus, quarum nomina in duos numeros senorum nominum erant divisa in Epomidibus Sacerdotis, in quibus erant duae gemmae, quarum unaquaeque sex nomina continebat. Atque ut panis est praecipuum hujusce mortalis vitae fulcimentum, ita horum oblatio potuit significare Populum hoc ritu agnoscere se a Domino accipere quaecunque ad vitam sustentandam necessaria sunt, cui hos Panes tanquam tributum offerebant. Hi aeque ac Lucernae, quae erant coram Domino, ostendere poterant, spirituale & corporeum auxilium *Israelis* in Deo situm esse. Sed res ipsas persequi nobis est animus, aliis relicta Allegoriarum expiscatione: in hisce enim ubi res torqueri atque accommodari ad varia possunt, unusquisque sua sibi magis satisfacit meditatione, quam aliena.

SE-

SECTIO VI. *Altare Thymiamatis*.

Candelabrum erat ad latus unum Ædis, Mensa ad alterum, Altare in medio, non exacte quidem inter Mensam & Candelabrum, sed paulo propius Adyto quam illa. Hæc tria ornamenta ac supellectilia Sanctuarii היו מונחין משליש ההיכל, *erant posita in tertia parte Domus*: hoc est, cum Domus (significatur Sanctuarium) esset quadraginta cubitos longa, ei qui perambulaverat viginti sex cubitos & duas tertias cubiti partes intra Ædem, occurrebat Mensa & Candelabrum, & paulo ulterius versus Velum stabat hoc Altare.

Maymon. in Beth. Habbech. Perck. 3.

Ejus Perimetrum fuit quadratum unius cubiti, altitudo vero duorum. Habebat in quatuor angulis cornua quatuor, & coronam circa superiorem oram, qua Judæi ajebant designari *Coronam Sacerdotii*. Non adeo erat vicinum Velo, ut non posset circumiri; quod faciebat Pontifex Maximus die Expiationis, dum ejus cornua sanguine adspergeret, ut alibi observamus.

Exod. 30. 1. 2. Maymon. ubi supra.

Super hoc Altari, quod Aureum vulgo vocabatur, Thymiama quotidianum offerebatur mane & vesperi; quod referebat, si *Christo* accommodaveris, ejus intercessionem; si homini, quotidianæ precis officium. Duodecim liba quæ mystice significabant conservationem & sustentationem duodecim Tribuum, & quæ erant perpetuo coram Domino, unaquaque hebdomade semel tantum renovabantur; sed Lucernæ & Thymiama quotidie bis instaurabantur, quia magis egemus luce Verbi Dei & prece, quam quotidiano pastu. Si hæc tria *Christo* accommodare velimus, *Christus* Regio suo munere panem suppeditat populo suo; Prophetico Verbi sui lucem; Sacerdotali vero Thymiama pro eo offert, hoc est, intercedit.

CAPUT XV.

Adytum seu Sanctissimus Locus.

SECTIO I. *Spatium quo Sanctuarium ab Adyto separatum erat.* Τάραξις טרקסין.

Sanctus & Sanctissimus Locus divisi erant triplici separatione, nempe spatio cubitali, & duobus Velis quæ hinc inde spatium illud ambibant: spatium illud cubitale a Judæis vocatur טרקסין, quam vocem *R. Nathan* Græcam esse fatetur, & significare ait *intus* vel *extra*; quasi voluissent significare בספקא להו או בלפנים או בלחוץ, *dubium sibi fuisse utrum esset intus vel extra*: atque ita exponitur in *Thalmude Hierosolymitano*. *Maymonides* ad eorum sensum assequendum hisce verbis non instat: *In Templo erat murus qui separabat Locum Sanctum a Sanctissimo, cubitum crassus. Sed cum ædificaverunt secundum Templum, dubitarunt crassities hujus muri pertineret ad dimensionem Sancti Loci, vel ad dimensionem Sanctissimi. Quapropter fecerunt Sanctissimum viginti cubitos integros. Et reliquerunt spatium cubitale inter Sanctum & Sanctissimum Locum; atque in secundo Templo non ædificarunt ibi murum, sed fecerunt duo Vela, alterum ad extremitatem Sanctissimi Loci* [Orientem versus] *alterum ad extremitatem Sancti Loci*, (Occidentem versus) *& inter ea cubitale interstitium erat, secundum crassitiem muri qui fuerat in primo Templo, in quo unicum fuerat Velum*.

Middoth Pereck. 4 Aruch in voce.

Thalmud Hierosol. Pereck. 5. Beth Habbech. Perck. 4.

Propterea vox טרקסין bene creditur ab eruditissimo *Lempereur* esse Græca Τάραξις, quæ significat morbum oculi quo turbatur & impeditur visus: morbo autem simili [ad oculos intellectus quod attinet] laborabant qui secundum Templum construxerunt, cum ad hunc locum devenerunt, quem cum nescirent an ad Sanctuarium, an vero ad Adytum pertineret, appellarunt propterea Τάραξιν.

Middoth pag. 164.

Murus quem *Salomon* ad separationem horum locorum construxerat, cubitalis crassitiei, & cujus loco spatium hoc erat relictum, habebat hæc considerata digna, nec intellectu facilia.

Primo, *ad ingressum Adyti Januas fecerat ex Olea*, האיל מזוזות חמישית, 1. *Reg.* 6. 31. Hæc postrema verba explicatu difficillima sunt: ad quorum intelligentiam si adeamus Glossaria, varios exhibebunt quidem sensus, sed haud multum juvabunt. *Chaldæus Interpres* habet tantum: *Eorum postes cum superliminari ordine erant positi*, sumens vocem חמישית, eodem sensu ac חמישים hoc est, *ordine dispositi*; quod non magnam lucem huic obscuro loco fœneratur. *David Kimchi* & *R. Solomon* videntur hoc ita intelligere, quasi postes Januæ non fuissent tetragoni, sed pentagoni. Sed *Levi Gersbom* e longinquo interpretationem petit, existimatque voce חמישית significari quintam Januam quæ Templum subeuntibus occurrebat: Templi Janua erat quarta, Porticus tertia, interioris Atrii secunda, exterioris prima.

Mihi videtur hæc esse verborum sententia: *Postis qui erat ad latus Januæ erat in quinto cubito*. Nempe a muro

Ædis

Ædis ad latus Januæ erant quinque cubiti, adeo ut cum Domus viginti cubitos lata eſſet, Januæ attribuendi ſint decem. Atque hæc interpretatio potior eſt, quia immediate antea egit Scriptura de latitudine Ædis; ut cum dicitur de Cherubinorum alis, alam unius tetigiſſe murum unum, alam vero alterius alterum; & cum agitur de ornatu Domus, dicuntur omnes muri Cedro introrſum veſtiti fuiſſe, ac pavimentum deauratum. poſtea loquitur Scriptura de ſeparatione quæ erat inter unam Domum & alteram, ac dicit Adytum habuiſſe valvas oleaginas, ac quintum utrinque a muro cubitum pertigiſſe ad latera ſeu poſtes valvarum. Ita dicitur *verſ.* 33. Fecit pro valvis Templi poſtes oleaginos *a quarto cubito* : hoc eſt, in locis quatuor cubitis ab utroque muro diſtantibus poſuit trabes oleaginas, qui poſtes eſſent utrinque cubitalis craſsitiei; atque ita Oſtium decem cubitos latum erat.

Secundum quod difficile eſt intellectu in hac ſeparatione muri in Templo *Solomonis*, id eſt quod occurrit *verſ.* 22. ejuſdem Capitis : ויעבר ברתוקות זהב לפני הדביר, *Et fecit tranſire in catenis aureis coram Adyto atque hoc auro obtexit*. Tota difficultas ſita eſt in prima voce : convenit enim inter linguæ peritiſsimos, *Chaldæum Paraphraſtem* & *Rabbinos*, רתוקות ſignificare *catenas*, ſed quæritur quid ſibi velit יעבר. Vox proprie ſignificat *fecit tranſire*; ſed hoc in loco *R. Salomon* & *D. Kimchi* Chaldaica ſignificatione id ſumunt, & interpretantur *fecit vectes*, quia vox Hebraica ברוחים *vectes*, *a Chaldæo Interprete* transfertur עבירין. Verſus decimus ſextus 2. *Paral.* 3. aliquam lucem huic obſcuro loco fœneratur : dicitur enim, *Fecit catenas ut in Adyto, & eas impoſuit ſummis Columnis*: quibus verbis deſignatur corona ſertea quæ circa Capitellum erat, cui ſimilis hic intelligenda eſt : nempe ſupra hunc murum qui erat ante Adytum, & Sanctum Locum a Sanctiſsimo ſeparabat, fecit limbum, ſeu ſerteam catenam, cum protuberantia inſtar vectis, quæ ab uno muro Domus ad alterum pertingebat.

SECTIO II. *Velum*.

Duo erant Vela, ut antea obſervatum eſt, ubi etiam diximus quo modo eſsent diſpoſita. Hæc quotannis renovabantur, veteribuſque ſublatis ſuccedebant recentia. Texta erant quatuor coloribus, cæruleo, purpureo, coccineo, & puriſsimo lineo, ac ſingula fila filamentis ſexies complicatis conſtabat, & ſubtemen erant crines, quorum ſeptuaginta duo unum conſtituebant filum. Hæc Vela, moriente Servatore noſtro, a ſumma parte ad imam dirupta ſunt, *Matth.* 27. 51. quod ſignificabat jam aperiri ac publicas fieri eas Cæremonias quæ hactenus tam arcanæ atque ab oculis hominum ſemotæ fuerant. Evangeliſta quidem meminit *unius Veli*, & ita etiam loquitur *Joſephus*, cum dicit, Διέργετο δ' ὁμοίως καταπετάσματι, *Separatum erat ſimiliter Velo*; quia I. quamvis eſsent duo Vela, pendebant in eadem ſeparatione. II. Si notum fuiſset quo in loco debuiſset eſse velum, plura in hoc ſecundo Templo non fuiſsent.

Maymon. in Kele Mikd. Perek. 7.

De Bello, lib. 5. cap. 14.

Jam cogita quis debuerit eſse ſtupor duorum Sacerdotum qui ea veſpera, qua Servator noſter paſsus eſt, debebant Lucernas accendere & Thymiama offerre, cum viderunt, & populi, cum audivit hæc Vela ſponte a ſumma parte ad imam lacerata fuiſſe. Niſi velum fuiſſet oculis hujus Gentis impoſitum, plus vidiſſent in hoc negotio, quam viderunt, & tanto miraculo plus profeciſſent quam profecerunt. Utrum hæc hiſtoria eadem ſit cum illa quæ eſt tum in *Joſepho*, tum apud *Thalmudicos* de Porta ſponte ſeſe aperiente, quam poſtea referemus, lectoris eſto judicium. Apoſtolus ipſe typicam ſignificationem hujus partis Sanctuarii nobis ſuppeditat. *Hebr.* 10. 19. 20. *Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu Sanctorum in ſanguine Chriſti : quam initiavit nobis viam novam & viventem per Velamen, hoc eſt, carnem ſuam.*

SECTIO III. *Adytum ipſum ſive Locus Sanctiſſimus*.

Adytum in Tabernaculo *Moſis* erat perfectus Cubus decem cubitos longus, latus & altus. Idem etiam obſervatum fuerat in Templo *Solomonis*, in quo etiam erat cubicum, ſed undequaque viginti cubitos patens, 2. *Paral.* 3. 8. Nam quamvis Templum ipſum eſſet triginta cubitos altum, attamen Adyto poſt vigeſimum altitudinis cubitum impoſitum fuerat laquear. Atque in hunc ſenſum intelligi debet verſus ille, 1. *Reg.* 6. 16. *Ædificavit viginti cubitorum ad poſteriorem partem Templi tabulata cedrina, a pavimento uſque ad ſuperiora, & fecit interiorem domum oraculi in Sanctum Sanctorum.*

Hujus loci murus haud aliter ornatus erat ac murus Templi; tectum nempe cælatura in qua erant Cherubim & Palmæ, intermixtis aliquot gemmis. Pavimentum, parietes, laquear, omnia erant deaurata. Dicitur 2. *Paral.* 3. 9. והעליות חפה זהב. *Obtexiſſe Solomon ſuperiora Con-*

clavia auro; quod justæ quæstionis est argumentum: nullum enim erat in *Solomonis* Templo, de quo jam nobis sermo est, Conclave supra Locum Sanctum, sed patebat ad supremum usque Templi laquear, quod a solo triginta tantum cubitis remotum erat. Supra quidem Adytum erat Conclave decem cubitos altum, sed quomodo πληθυντικῶς *Conclavia* dicantur, & quomodo esset deauratum prorsus, cum eo nullus daretur aditus, non facile est conceptu. Ad Conclavia enim quæ ad latera erant, in extima Templi parte, quod attinet, an est credibile ea deaurata fuisse, cum inservirent recondendis tritico, vino, aliisque ejusćemodi Decimis ac Primitiis? Itaque voce עליות non possunt, juxta ordinariam ejus significationem, intelligi *superiora Conclavia*, quandoquidem nullum erat supra Sanctuarium; sed supremum laquear Sanctuarii & Adyti: ac certe Scriptura docet omnia in iis fuisse deaurata, pavimentum, parietes, & laquear.

Verum alius locus, 1. *Paral.* 29. 3. ad hoc dubium solvendum nos juvat: *Et super hæc quæ obtuli in Domum Dei mei, de facultatibus meis aurum & argentum do in Templum Dei mei, exceptis his quæ præparavi in Ædem Sanctam, tria millia talenta auri de auro Ophir, & septem millia talentorum argenti probatissimi, ad deaurandos parietes Templi*. Quibus in verbis hæc duo observanda veniunt. Primo, quod dicit *David*, hos apparatus majores fuisse eo quod præparaverat ad Sanctam Domum; addens tamen paratos fuisse ad Domum Dei. Secundo, quod dicitur argentum fuisse ad obducendos introrsum parietes; cum planum sit in ipso Templo omnia fuisse deaurata. Est ergo hoc ita intelligendum, quod præter aurum quod *David* paraverat ad deaurandam introrsum Domum, in Sanctuario & Adyto, habebat etiam laminas aureas & argenteas paratas ad obducenda Conclavia quæ erant supra Porticum, (multa enim in eo erant superiora Conclavia, cum ad centum & viginti cubitorum altitudinem assurgeret) & ad ornanda lateralia Conclavia, aliaque quæ circum Atria erant. Porro in Templo post Captivitatem extructo non comperimus eos ad cubicam formam Adytum condidisse; nam altitudo ejus latitudinem superabat, erat quippe longum & latum viginti cubitos, quemadmodum *Solomonis* Adytum: sed contra altitudo, quantum comperio apud Judæos Scriptores, multo major erat.

SECTIO IV. *Cherubim & Arca.*

Quemadmodum duo erant Cherubini supra ipsam Arcam positi, ita *Solomo* duos præterea alios fecit qui totam Arcam inter ipsos collocatam obtegerent. Tam diserte autem & clare describuntur 1. *Reg.* 6. 23. ut eo lectorem sim amandaturus, nec quicquam de iis dicturus, nisi quemadmodum Cherubini qui erant supra Propitiatorium poterant optime adumbrare duas *Christi* naturas, ita hosce duos majores qui superimminebant duo Testamenta, quæ initio suo & fine pertingunt ad duo mundi extrema, Creationem & Ultimum Judicium, utque in intermedio spatio amice conjunguntur.

Arca [*gloria & præsentia Domini*, *Ps.* 105. 4. & *gloria Israelis*, 1. *Sam.* 4. 22. prægnans ac vivida Servatoris nostri, in quo Deus inter homines habitavit, figura] descripta *Exod.* 25. 10. &c. & 37. 1. &c. imposita erat lapidi versus Occidentalem partem Adyti directe sub mediis alis procerorum duorum Cherubinorum qui erant juxta ipsam: *nam Cherubim expandebant alas suas super locum Arcæ, & protegebant Arcam & vectes ejus desuper. Et traxerunt vectes, ut apparerent summitates eorum foris Sanctuarium ante Oraculum, non apparebant ultro extrinsecus*, 1. *Reg.* 8. 7. 8. 2. *Paral.* 5. 9. Nam antequam exstructum esset Templum, dum Arca desultoria erat, vectes quorum ope gestabatur, æqualis utrinque erant longitudinis, parati humeris Sacerdotum, cum Arcam locum mutare necesse erat. Sed cum in Templum *Solomonis*, nunquam inde removenda, recondita fuit, retraxerunt postes in interiora Sanctissimi Loci. *Levi Gershom* existimat hos vectes eosdem non esse cum iis quos fecerat *Moses*, sed longiores, atque ad ipsam Januam fuisse porrectos; & quamvis essent valvæ inter Sanctuarium & Sanctissimum Locum, attamen has valvas non potuisse claudi propter hosce vectes. Ad hanc sententiam proxime accedunt *Kimchi* & *Jarchi*, qui existimant Arcam non fuisse ad Occidentalem Ædis murum positam, sed viciniorem Januæ fuisse, versus quam vectes extensi erant; & die Expiationis cum Summus Sacerdos Adytum ingrederetur, ad Arcam eum venisse inter duos istos vectes, nec potuisse hinc aut inde digredi.

Maymon. in Beth Habbech. Per. 4.

Lev. Gers. in 1. Reg. 8.

Kimch. & R. Solom. ibid.

Verum hæc eos in eam injecerunt sententiam. I. Quia proprie in Libro *Regum* sumpserunt vocem קדש pro Sanctuario quod extra Velum erat, cum Liber

Para-

Paralipomenon pro eo diserte habeat vocem ארון *Arcam* : nam cum sit in priori loco , *& apparerent summitates* מן הקדש , *extra Sanctuarium* , est in posteriori , מן הארון, *extra Arcam*. Itaque vox הקדש non significat hic totum Conclave, Sanctum puta vel Sanctissimum Locum, sed eam tantum partem Sanctissimi Loci quæ erat inter alas Cherubinorum, de qua verba immediate præcedentia : *Sacerdotes intulerunt Arcam in Sanctissimum Locum, sub alas Cherubim ; nam Cherubim expandebant alas supra locum Arcæ*, &c. Postea sequitur : *Et traxerunt vectes, adeo ut apparerent summitates eorum extra Sanctum illum Locum*, nempe qui erat inter alas Cherubinorum. II. Auctores citati stricte sumpserunt על פני, quasi designetur quis stans ad januam inter Sanctum & Sanctissimum Locum, atque hunc respiciens ; cum hic significet idem ac in phrasi illa *Genes.* 1. 20. *Aves volant super terram*, על פני רקיע, quod *Anglica* Versio transtulit, *in aperto firmamento cœli*. Ita etiam hic sumi debet, & versus de quo agitur hac est ratione intelligendus : *Et traxerunt vectes in longitudinem, ita ut eorum extremitates cernerentur e Loco Sancto in aperta facie Oraculi : sed deforis non cernebantur*. Iidem erant vectes quos fecerat *Moses*, iique non admodum longi, sed tantum ut possent imponi cujuspiam humero ex utroque Arcæ latere. Postquam collocarunt Arcam inter duos Cherubim in pavimento stantes, interiores Cherubim alæ Arcam obtegebant, & vectes etiam qui ad latera Arcæ erant qua parte murum Occidentalem respiciebant ; reliquæ vero partes quæ erant ad januam Adyti porrectæ, extra alas Cherubim eminebant, atque in aperta Sanctissimi Loci facie conspiciebantur. Cum Summus Sacerdos ad Arcam die Expiationis Thymiama oblaturus accedebat, stabat coram Arca inter duos vectes.

Maymon. ubi supra.

Fingunt Judæi, *Solomonem* cum ædificavit Templum, prævidentem Templum destructum iri, fecisse obscuros & intricatos fornices sub solo Templi, in quibus abscondi posset Arca cum ejusmodi immineret periculum, ut quicquid Templo eveniret, Arca, quæ ipsa vita erat Templi, incolumis esse posset. Intelligunt locum 2. *Paral.* 35. 3. *Josias dixit Levitis, Ponite Sanctam Arcam in loco quem Solomon filius Davidis ædificavit*, quasi *Josias* intelligens ex lectione MS. Codicis *Mosis*, & Prophetia *Huldæ*, periculum quod imminebat *Hierosolymæ*, jusserit Arcam recondi in hunc fornicem, ut in tuto esset ; & cum ea, inquiunt, reposuit Virgam *Aaronis*, Urnam Mannæ, ac Oleum unctionis. Nam dum Arca fuit in memorato loco, super lapide de quo diximus, existimant Virgam *Aaronis* & Urnam Mannæ ante eam fuisse collocatas, sed jam esse in obscurum locum reconditas, & lapidem cui imposita erat Arca esse supra ostium fornicis. Sed *R. Solomon*, qui non solet ejusmodi Traditiones omittere, seriam magis interpretationem in hunc locum affert : nempe cum *Manasseh* & *Amon* Arcæ e loco suo remotæ substituissent Imagines & Abominationes suas, *Josiam* Sacerdotes jussisse ut illam in pristino loco reponerent. Quid factum fuerit Arca, cum *Nebuccadnezzar* Templum incendit, non legimus ; admodum verisimile est eam simul conflagrasse. Quicquid ea factum sit, non fuit in secundo Templo, & numeratur inter quinque res illas eximias quas Judæi ibi defuisse agnoscunt. Attamen habebant etiam ipsi Arcam eo in loco quam fabricaverant, quemadmodum habebant & Pectorale judicii ; quæ licet carerent gloria priorum ex quibus edebantur Oracula, attamen in reliquis Religionis ritibus vice priorum erant.

Kimch. in 2. Paral. 35.

Ita lustratis variis Templi partibus, jam rationem ineamus ipsarum dimensionum, qua Templum centum cubitos longum constituebant, atque ita oculos convertemus ad Atria.

Midd. Perek. 4.

I. Murus Porticus erat 5. cubitos crassus.
II. Porticus ipsa per 11. cubitos porrigebatur.
III. Murus Templi 6. cubitos crassus.
IV. Sanctuarium 40. cubitos longum.
V. Spatium cubitale inter Sanctuarium & Adytum.
VI. Adytum 20. cubitos longum.
VII. Templi murus 6. cubitos crassus.
VIII. Latitudo Conclavium Occidentalium 6. cubitorum.
IX. Murus Conclavium 6. cubitos crassus.

CAPUT XVI.

Atria Templi.

Dimensionibus & ἰχνογραφίᾳ Templi ipsius ita expositis, jam rectius observare poterimus formam & situm Atriorum quæ ante vel circa illud erant. Ubi primo loco ad memoriam necesse est revocare quod antea dictum est : nempe, Templum & omnia circa ipsum Atria non ita exacte fuisse sita in medio

Middoth. Per. 2.

Montis Domus, ut æqualiter distarent a quatuor lateribus ambientis muri, sed magis ad Septentrionem & Occidentem appropinquasse, ita ut minus esset spatium inter illa & Occidentalem Montis murum; quam inter ea & Septentrionalem; ac minus iterum inter ea & Septentrionalem, quam inter ea & Orientalem; atque e regione Orientalis minus etiam quam inter ea & Meridionalem.

Tria erant quæ possumus Atria vocare, ad templum pertinentia, præter id spatium in Monte Domus quod Christiani Scriptores vocant *Atrium Gentilium*; nempe, *Atrium Israelis & Sacerdotum*, *Atrium Mulierum*, & τὸ *Chel*: sed duo priora tantum proprie vocari solent Atria. Vox Hebraica quæ huic respondet est עזרה, quæ occurrit in Scriptura, 2. *Paral.* 4. 9. & apud *Chaldæum Paraphrastem*, *Isai.* 1. 12. 1. *Sam.* 3. 3. *Ezech.* 43. 8. & constanter apud Rabbinos, cum de hisce locis loquuntur. *David Kimchi* hanc tradit ejus etymologiam: שהיו נעזרים בה בהתפללים שם, vocatum fuisse עזרה, (hoc est, *auxilium*) *quia quicunque eo oratum sincero corde veniebat, adjuvabatur a Domino Deo suo.* In eandem sententiam *R. Nathan* dicit ideo dictum fuisse *Atrium, quod precarentur ibi Dominum ut se adjuvaret*, &c. ultimum enim erat ipsorum in omnibus occasionibus perfugium, 1. *Reg.* 8. 31. &c. Vox hæc aliter usurpatur *Ezech.* 43. 14. nempe pro spatio quod erat ad Altaris basin, in quo Sacerdos sacra facturus stabat, ut exponit *Kimchi*, atque postea videbimus.

Kimchi in 2. Paral. 4. & in Michlol.

Aruch in עזר.

Kimchi in Ezech. 43.

De hisce Atriis ita aliquando loquitur Scriptura, quasi fuissent tria: mentio enim fit Atrii Sacerdotum, magni Atrii, 2. *Paral.* 4. 9. & Atrii Mulierum, ut mox observabimus. Attamen re ipsa plura non erant duobus: nam quamvis Atrium Sacerdotum atque Atrium *Israelis* distinguerentur, non erant divisa, sed tantum Atrium Mulierum ab iis separatum erat.

Midd. Per. 5. Sect. 1.

Dimensio Atrii *Israelis* & Sacerdotum (quod aliquando κατ' ἐξοχὴν vocatur *Atrium*, aliquando *Atrium Israelis*) erat, ad longitudinem quod attinet, ab Oriente ad Occidentem CLXXXVII. cubitorum, latitudine a Septentrione ad Austrum CXXXV. In ipsa media latitudine hujus stabat Templum, ita ut cum Frontispicium Templi & Porticus per centum cubitos extenderetur, hoc Atrium utrinque eam latitudinem excederet septemdecim cubitis & dimidio; cum vero ædificium ipsum Templi esset septuaginta cubitos latum, hoc Atrium ab utroque latere per triginta tres & dimidium pateret. Pone autem Septentrionalem Templi murum, undecim tantum cubitos latum erat. Demetire itaque ab ultimo Occidentali termino ad Templum usque undecim cubitos habebis in longitudine Templi centum cubitos, denique in spatio Orientali quod erat ante Templum septuaginta sex cubitos.

Ibid. Per. 2. Sect. 5.

Atrium Mulierum erat situm ante hoc, cui conjunctum & latitudine æquale erat, quippe CXXXV. cubitos a Septentrione ad Austrum porrectum; verum ab Oriente ad Occidentem æque longum non erat; juxta enim hoc latus consideratum erat etiam CXXXV. cubitos longum, adeoque exacte tetragonum.

CAPUT XVII.

Spatium intermurale חל *Chel.*

Circa hæc Atria ita, uti diximus, situm erat aliud spatium inter ea & murum, quod a *Judæis* vocabatur חל *Chel.* Hac voce utitur *Jeremias*, *Lam.* 2. 8. in hoc ipso sensu, ut quidam existimant Judæi, quo hic intelligimus. *Et* חל *Chel & murus lugent*. Per murum nempe intelligunt murum Atrii; per חל *Chel* vero, spatium quod eum undique ambibat: atque ita interpretatus est *Chaldæus* מקפנא, *Spatium ambiens*. Scriptura sæpe usurpat vocem חל *Chel* pro *muro*, *vallo*, & *propugnaculo*, ut 2. *Sam.* 20. 12. 1. *Reg.* 21. 23. *Obad. vers.* 20. *Nah.* 3. 8. & varie in iis locis ab Interpretibus Hebræis exponitur: sed ubi agitur de nomine, & loco Templi de quo jam nobis sermo est, unanimi consensu hunc locum ita describunt, *Fuisse spatium decem cubitos latum, muro circumdatum, inter Montem Domus & Atria*. Nullum invenio nomen commodius quam *septum*, aut *spatium intermurale*.

Maym. in Beth. Habbech. Per 5.

Maym. ubi supra. Midd. Per. 2. §. 3.

Verba R. *Nathanis* in *Aruch* duobus in locis duo circa hoc Septum nobis injicere dubia possunt. Etenim in uno loco dicit חל תו fuisse מקום מוקף חומה בין הר הבית לעזרת הנשים, *Locus circumdatus muro inter Montem Templi & Atrium Mulierum*: alio in loco dicit, חיל תו fuisse כותל גבוה יותר מן הסורג, *Murum altiorem vallo vocato* סורג *Soreg*. Ex quibus verbis videtur duo hæc existimasse: primo, חל תו non ambivisse omnia Atria, sed tantum Atrium Mulierum: secundo, חל תו non fuisse spatium soli, sed murum. Verum hæc duo dubia in sequentibus inter progrediendum discutiemus.

Aruch in חל. Idem in סורג.

Et primo quidem ad demonstrandum

תו

τὸ חל fuiſſe ſpatium ſoli, non vero murum, non modo habemus teſtimonium *Thalmudis* & variorum aliorum Judæorum, qui ejus dimenſionem ajunt fuiſſe decem cubitorum ad latitudinem quod ſpectat; ſed iidem ſæpe meminerunt populi in illud venientis, in eo ſtantis ac ſedentis, cujus rei exemplum ipſe ſuppeditat *R. Nathan*, ubi loquitur de magna Schola Theologica ſeu מדרש ἐν τῷ חל. *R. Abraham Zaccuth* loquitur de *R. Johanan Ben Zaccai*, qui ibi habebat *Synhedrium*. *Rambam* etiam fuſe refert quomodo ii qui ferebant agnos ſuos Paſchales in Atrium, cum erant expediti, ſtarent ἐν τῷ חיל *Chel*. Similia multa alia exempla addi poſſent, quibus ſatis evidenter quodnam rei genus eſſet iſtud *Chel*, nempe non murus, ſed ſpatium ſoli apparet. Imo hoc etiam ſignificat *R. Nathan*, cum dicit, *Erat murus altior quam murus* סורג: nam vox חיל latiori ſenſu ſumpta pro aliis locis præter hunc Templi, & conjuncta cum voce בומה, definitur a Judæis שורא ובר שורא *Murus & filius muri*, ſeu interior & exterior murus, hoc eſt, *inferior murus ante alium altiorem*, ut exponit *R. Solomo*, non conjunctus ei, ſed interjecto aliquo ſpatio: atque hoc vult Auctor noſter, licet tam paucis verbis mentem ſuam exprimat.

Ibid. Juchaſ. fol. 21.

Peſach. Per. 2.

R. Solom. in Lam. 2. 8.

Murus qui includebat τὸ חיל vocatur סורג in *Thalmudica* & *Rabbinica* lingua; quam vocem *Nathan* ſimpliciter vertit *murum*: ſed quidam alii exponunt *parietem affabre cancellatum & ligno conſtantem*. Sed *Joſephus* ulterius procedit, licet ab utraque interpretatione non ſit prorſus alienus: dicit enim fuiſſe lapideum murum, ſed affabre ornatum. Expendamus breviter quid de hoc loco dicat: Διὰ τούτου προϊόντων ἐπὶ τὸ δεύτερον ἱερὸν δρύφακτος περιβέβλητο λίθινος τριπήχης μὲν ὕψος πάνυ δὲ χαριέντως διειργασμένος. Ἐν αὐτῷ δὲ εἱστήκεσαν ἐξ ἴσου διαστήματος στῆλαι τὸν τῆς ἁγνείας προσημαίνουσαι νόμον· αἱ δὲ μὲν Ἑλληνικοῖς, αἱ δὲ Ῥωμαϊκοῖς γράμμασι, μὴ δεῖν Ἀλλόφυλον ἐντὸς τοῦ ἁγίου παριέναι· τὸ γὰρ δεύτερον ἱερὸν ἅγιον ἐκαλεῖτο· καὶ τεσσαρεσκαίδεκα μὲν βαθμοῖς ἦν ἀνάβατον ἀπὸ τοῦ πρώτου. *Advenientibus per hunc* (Montem Domus) *in Templum ſecundum, erat lapideus murus circumambiens, tres cubitos altus, atque affabre elaboratus. In eo erant in æquali diſtantia poſitæ Columnæ, quæ legem puritatis declarabant; aliæ quidem Græcis, aliæ vero Romanis literis, Allophylum non oportere Sanctum Locum ingredi: ſecundum enim Templum Sanctum vocabatur; & ad hoc quidem aſcendebant per 14. gradus ex primo.* Et paulo poſt: Μετὰ δὲ τοὺς δεκατέσσαρας βαθμοὺς τὸ μέχρι τοῦ τείχους διάστημα πηχῶν ἦν δέκα πᾶν ἰσόπεδον. *Et poſt quatuordecim gradus, uſque ad murum* (Atrii) *erat diſtantia decem cubitorum, & totum ſolum æquale erat.* Ex qua relatione poſſumus hæc digna notatu obſervare.

R. Semajah in Midd.

Joſeph. de Bell. lib. 5. cap. 14.

I. Extimum omnium ſpatium, quod erat intra magnum ambientem murum, (quod Judæi diſtinctionis cauſa vocabant *Montem Domus*) vulgo etiam vocabatur *primum Templum*. Hoc ipſo ſenſu Evangelium ſæpe de eo loquitur, utens voce *Templum*, cum ſignificatur tantum extimum hoc ſpatium, ut *Joann.* 2. 14. *Jeſus* invenit in *Templo* vendentes, &c. *Joann.* 8. 2. 20. *Matth.* 21. 14. 15.

II. Intra τὸ חיל exteri intrare non poterant, ſed ſoli Judæi, ideoque erant Columnæ, in quibus Græcis & Latinis literis hoc ſcriptum erat. Ajunt Judæi τὸ חיל *ſanctius fuiſſe Monte Domus, quia peregrino nulli, aut per mortuum polluto, eo venire licebat*. Hinc, quamvis nihil aliud eſſet, colligere poſſemus τὸ חיל ambiviſſe circuitu ſuo non modo Atrium Mulierum, ſed omnia etiam Atria: nam ſi ſolum circa hoc Atrium per decem cubitos porrectum, ita ſanctum fuiſſet, ut peregrino in id venire non licuiſſet, certe oporteret nos exiſtimare ſolum circa ſuperius Atrium æque ſanctum, & æque inacceſſum peregrinis. Ideoque cum *R. Nathan* in loco antea citato dicit, τὸ חיל circumiviſſe Atrium Mulierum, alterum non excludit; ſed ita loquitur περὶ τοῦ *Chel*, quale apparebat venientibus per Portam Orientalem.

Thalmud in Kelim Per. 1.

III. Primos gradus fuiſſe πρὸς τὸ חיל *Chel*, cum ab Orientali Porta eo uſque omnia fuiſſent explanata, & gradus quidem πρὸς τὸ חיל *Chel* erant 14. ſeu ſeptem cubiti, vel, ut verius ſupputant *Thalmudici*, 12. gradus, vel 6. cubiti; (nam unuſquiſque gradus erat ſemicubiti) & cum τὸ חיל decem cubitos latum eſſet, id ſpatium uſque ad Atrium Mulierum explanatum erat.

Middoth. Per 2.

Murus qui ambibat τὸ חיל *Chel* non æquabat altitudinem aliorum murorum qui erant circa Templum, ſed erat tantum trium cubitorum, quaſi repagulum quoddam ante altiorem Atrii murum. Erat affabre elaboratus, & ita perforatus, ut per ipſum murum non minus ac ſupra pateret conſpectus.

Per hunc murum multi erant ingreſſus εἰς τὸ חיל, nempe ante unamquamque Portam Atriorum, & ad utrumque latus Introitus erant ſupra memoratæ Colu-

lumnæ cum inſcriptionibus, quibus monebantur peregrini ne in ſanctum ſolum ingrederentur.

Ceterum tempore Regum *Syro-Græcorum*, cum Judæi & *Hieroſolyma* eorum imperio ſubjacerent, יג״ פרוצות היו בו שפרצום מלכי יון, hic murus qui erat repagulum adverſus peregrinos ne ulterius procederent, a Regibus illis in tredecim locis dirutus fuerat, irruptione in ſanctum ſolum impie facta: חזרו וגדרום וגזרו כנגדן יג׳ השתחויות, ſed eas Judæi obſepſerant ſive reſtaurarant, atque decreverant iis reſpondentes tredecim adorationes, ſeu preces fundendas adverſus Ethnica regna a quovis accedente ad unumquemque locum ex iis quæ antea diruta fuerant.

Id. ibid.

CAPUT XVIII.

Atrium Mulierum.

Atria Templi, quæ jam perluſtraturi ſumus, proprie duo erant, *Atrium Iſraelis*, & *Atrium Mulierum*. Nam quamvis revera eſſet diſtinctio inter Atrium *Iſraelis*, & Atrium Sacerdotum, ita ut iis quibus in unum ingredi licebat, continuo in alterum ire non liceret; attamen unum erat intra alterum, & ſeparatio inter utrumque adeo exigua erat, cum præterea uno ambirentur termino, ut proprie loquendo non tam eſſent duo diverſa Atria, quam duo loca *Iſraelitarum* & Sacerdotum in eodem Atrio ſtantium. Sed Atrium *Iſraelis* & Atrium Mulierum tam manifeſto diſtincta erant, ut unum eſſet ante alterum, & altiſſimo muro dividerentur.

Atrii Mulierum nominatim mentio non fit in Scriptura, ſed ejus meminit ſub duobus vel tribus aliis epithetis ſeu appellationibus. I. Vocatur *Novum Atrium*, 2. *Paral.* 20. 5. ubi dicitur *Jehoshaphat ſtetiſſe in Congregatione Judæ & Hieroſolymæ in Æde Domini ante Novum Atrium*: nempe ipſe & tota Congregatio ſtabat in Monte Templi verſus Orientem ante *Atrium Mulierum*. *D. Kimchi* in hunc locum, licet non multa habeat, exiſtimat certe Novo hoc Atrio ſignificari *Atrium Mulierum*, duaſque affert rationes ob quas vocabatur *Novum*: vel quia denuo inſtauratum fuerat, vel quia quædam novæ leges de eo latæ fuerant: ואמרו טבול יום לא יכנס במחנה לויה: *Decreverunt pollutum qui ea ipſa die veſtes abluere teneretur, non intraturum in Caſtra Levitarum*: quæ eſt peculiaris prohibitio in *Thalmude* de hoc Mulierum Atrio. Sed potius vocabatur *Novum*, quia conſtructum non fuerat a *Solomone* una cum altero, ſed ſubſequenti tempore additum.

Kimch. in 2.Paral.20

Kelim, Per. 1. C. Lemper. in Middoth. fol. 62.

Fit quidem certe mentio *interioris Atrii* exſtructi a *Solomone*, 1. *Reg.* 36. 6. quod videtur inferre fuiſſe aliquod *exterius*: ſed *interius* dicitur κατ' ἀντίθεσιν ad totum Montem Templi qui erat extra Atrium *Iſraelis*, ut bene obſervatum eſt a quibuſdam Hebræorum Doctoribus; atque etiam vocabatur *Magnum Atrium*, contra diſtincte ad Atrium Sacerdotum, 2. *Paral.* 4. 9. Et cum dicat tantum Scriptura *Solomonem* interius Atrium exſtruxiſſe, inde apparet alterum ab eo non fuiſſe exſtructum, atque hoc de quo agimus ejus tempore non exſtitiſſe, ſed additum & conſtructnm poſtea fuiſſe vel ab *Aſa*, vel a *Jehoſaphat*, ante id tempus eamque occaſionem de qua in loco allato *Paralipomenon*. Exinde fuerunt duo *Atria in Domo Domini*, 2. *Reg.* 21. 5.

II. Vocatur *exterius Atrium*, *Ezech.* 46. 21. quemadmodum ab omnibus Judæis Scriptoribus vere intelligitur, quod paulo poſt expendemus. Ratio nominis facile apparet; nempe quia ſitum erat extra Atrium *Iſraelis*, & remotiſſimum a Templo.

Middoth. Per. 2. & Kimch. in loc.

III. Vocatur etiam *Gazophylacium*, *Joann.* 8. 20. cujus nominis rationem notabimus priuſquam hujus Atrii delineationem finiamus.

Verum a Judæis Scriptoribus plerumque vocatur עזרת נשים, *Atrium Mulierum*, quia nempe ulterius quam fuit hoc Atrium mulieribus accedere non licebat. Ταῖς γυναιξὶν ἰδίᾳ πρὸς θρησκείαν χώρᾳ, *Hoc loco mulieribus proprie attributo ad adorationem*: ἐσωτέρω δὲ κἀκείνης γυναιξὶν ἄβατον ἦν τὸ ἱερόν. *Ad interiora vero eo Atrio mulieribus inacceſſum erat Templum*. Tum duntaxat cum Mulier adducebat victimam, poterat ingredi Atrium *Iſraelis*, ut alibi obſervavimus.

Joſeph. de Bello, lib. 5. cap. 14. & Antiq. lib. 15. cap. 14.

Hoc Atrium ſitum erat ad Orientalem terminum Atrii *Iſraelis*, & ab hoc ſeparabatur alto muro, ita ut qui, eo adorationis cauſa veniebant, non poſſent quidquam videre Miniſterii Sacri quod in altero Atrio peragebatur, nec multum etiam audirent, niſi conſcenſis gradibus ad Portam accederent, atque inde introſpicerent. Nam ad medium uſque introitum hujus Portæ, qua ex exteriori Atrio in interius ingrediebantur, ſolum non erat ſanctius Atrio Mulierum, ſed ultra medium habebatur ſanctius.

Atrii hujus ſolum erat ubique planum, & erat quidem perfectum Tetragonum, CXXXV. cubitos longum & latum, ſtra-

Middoth. ubi ſupra.

ſtratum marmore, ut etiam Atria, *Chel*, & omnia ſpatia quæ intra murum erant quo ſacrum ſolum circumdabatur. Atque habent hanc Traditionem de pavimento Atrii ubi erat Altare, *Quod totum pavimentum Atrii conſtaret pulchris lapidibus; & ſi quis eorum ſolveretur, licet non moveretur loco, attamen nefas eſſet ſupra eum ſtare ad fungendum aliquo cultus officio, donec iterum adſtrictus fuiſſet.*

Marm. in Beth.Hab. bech. Per. 1.

Ingrediebantur in Atrium Mulierum per tres Portas, quarum una erat ad Orientem, altera ad Septentrionem, tertia ad Meridiem. Erat etiam quarta ad Occidentem, qua aſcenſus patebat ad Atrium ſuperius, ſeu *Iſraelis*. Omnes hæ Portæ, ut omnes etiam quibus in ſuperius Atrium ingrediebantur, (de quibus poſtea agemus) erant χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ κατειλημμέναι πανταχόθεν, ὁμοίως τε παραστάδες καὶ ὑπέρθυρα. *Auro & argento undique obtectæ, ut & limina & poſtes*, una excepta de qua mox dicemus.

Nunc per Orientalem Portam egrediemur ἐκ τοῦ חיל, extra quod erant quinque gradus per quos ad Portam aſcendebatur. Porta ipſa erat magnificentiſſima & pulcherrima, unde vocabatur *Pulchra*, *Actor.* 3. 2. ad quam jacebat Claudus a viris & mulieribus Templum ingredientibus eleemoſynam petens. Ad hanc Portam incipiebat τὸ ἔνδον ἱερὸν, *interius Templum*, ut ſæpe vocatur a *Joſepho*, qui diſtinguit ſpatium quod erat incluſum ab extimo muro qui totum ſacrum ſolum circumdabat, & ſpatium illud quod incluſum erat intra murum qui Atria ambibat. Prius vocabatur *exterius Templum*, poſterius vero *interius*; atque utrique nomen Templi tribuebatur, unde in Scriptura quicunque intra ambitum ſacri ſoli venit, dicitur in Templum venire.

Cum autem hæc Porta eſſet frontiſpicium & introitus interioris Templi, vel ejus ſpatii in quo præcipua ſanctitas & magnificentia Templi erat, conſtructa erat & ornata convenienter ſplendori & magnificentiæ tanti ædificii. Atque hinc factum ut *pulchra* vocaretur, & quidem merito, præſertim ſi conferatur cum Porta *Shushan*; ſeu extima Orientali Porta qua ingreſſus erat in Montem Domus: hæc enim humilior erat, & minus ornata, propter rationem a nobis allatam cum de ea ageremus.

Joſeph. ubi ſupra.

Hæc Porta a *Joſepho* vocatur *Corinthia Porta* quia erat ex ære *Corinthio*, cum reliquæ Portæ eſſent deauratæ. Atque hic eſt aliqua diſcrepantia inter ipſum & Thalmudicos Scriptores; hi enim unanimi conſenſu affirmant Portam Æneam fuiſſe *Nicanoris* Portam, (quam modo luſtrabimus) quæ erat Porta qua ex Atrio Mulierum in Atrium *Iſraelis* ingrediebantur: & *Joſephus* æque confidenter affirmat, eam fuiſſe qua ἀπὸ τοῦ *Chel* ingrediebantur in Atrium Mulierum. Hæc ejus verba ſunt: Μία δ' ἡ ἔξωθεν τοῦ νεὼ Κορινθίου χαλκοῦ, *Erat Porta extra Templum ex ære Corinthio, quæ pulchritudine aureas & argenteas ſuperabat.* Hanc autem eandem fuiſſe cum ea de qua agimus, apparet ex hiſce ejus verbis quæ paulo poſt ſequuntur: *Porta ſupra Corinthiam Portam quæ Orientem verſus aperiebatur, e regione valvarum Templi*, &c.

Non multum ad rem facit definire quænam harum Orientalium Portarum eſſet ænea; quærendum tantum eſt, quænam vocaretur *Porta Nicanoris*, quia ex ejus cognitione varia pendent: oſtendemus autem in ſequenti Capite, eam fuiſſe Portam qua ex Atrio Mulierum ingrediebantur in Atrium *Iſraelis*. Verum ſi inter diſſentientes arbiter ſedeam, dicam eorum hoc in negotio diſſenſum nullum re ipſa eſſe, licet prima fronte videatur. *Joſephus* Portam qua egrediebantur in Atrium Mulierum *Æneam Portam* vocat, quia tota erat ænea, & poſtes ac limina obtecta erant ære, quod plus quam aurum fulgebat: ſed *Thalmudiſtæ* dicunt valvas tantum *Portæ Nicanoris* fuiſſe ex ære, totum vero Portæ frontiſpicium auro ſplenduiſſe; adeoque hæc Porta non fuit ex ære, ſed tantum valvæ; ſed altera proprie vocabatur *Ænea Porta*.

Cum *Petrus* & *Joannes* ſanaſſent Claudum ad hanc Portam jacentem, Scriptura dicit *eum cum iis ingreſſum eſſe Templum*, hoc eſt, in Atrium Mulierum, quod ordinarius erat locus adorationis iis qui non afferebant ſacrificium; adeoque retrogreſſus eſt cum iis per hanc Januam in *Solomonis* Porticum ſeu Orientale Periſtylium Montis Domus, atque ibi prædicarunt Evangelium, & quinque hominum millia converterunt. Jam per hanc Portam ingrediamur in Atrium, atque ipſum luſtremus.

ארבע לשכות היו בארבע מקצועותיה של ממ׳ אמה ולא היו מקורות, *In quatuor angulis Atrii Mulierum erant quatuor Conclavia quadraginta cubitorum, nec erant deſuper laqueata; atque ita in poſterum erunt*, ajunt *Thalmudici* ex *Ezechiel.* 46. 21. 22. Unumquodque autem quatuor horum Conclavium erat quadraginta cubitos longum ab Oriente in Occidentem, triginta vero latum a Septentrione in Auſtrum: ſic enim optime poſſumus interpretari juxta locum citatum in Prophetia *Ezechielis*. Hujus hæc ſunt verba:

Midd. ubi ſupra.

Tum

Tum eduxit me in Atrium exterius, & circumduxit me per quatuor angulos Atrii, & ecce in unoquoque angulo Atrii erat Atriolum. In quatuor angulis Atrii erant Atriola קטורות *quadraginta cubitos longa, triginta lata*. Vox קטורות dubiæ eſt ſignificationis, & varie exponitur. Septuaginta Interpretes legerunt קטורות *parva*; vertunt enim *αὐλὴ μικρά*, nec difficile eſt conceptu eos pro ר legiſſe נ errore proclivi. Quidam exponunt ex lingua Chaldæa, in qua ש ſolet mutari in ט, & putant ſignificari קשורות *juncta*; atque ita vertit *Anglica* Translatio, & *R. Nathan* affert aliquot exempla vocis in hac ſignificatione; ſed concludit *vocem* קשורות *nihil aliud ſignificare præter ædificia quæ deſuper non erant laqueata* : אין קטורות אלא שאינן מקורות. In eadem ſententia ſunt *Thalmudici*, quibus adſtipulantur *R. Solomon* & *D. Kimchi*, iiſdem utentes verbis. Verum aliqua eſt hac in re difficultas. Si concipiamus ea Conclavia fuiſſe abſque ullo prorſus laqueari & tecto, opera quæ in iis conſtanter fiebant, & res quæ ibi repoſitæ erant contrarium innuunt. Si vero dicamus illa fuiſſe laqueata, quomodo reſpondebimus conſtanti teſtimonio Hebræorum Doctorum qui aliter ſentiunt? Igitur diſquiremus prius cui uſui hæc Conclavia conſtanter attribuantur, quo peracto rectius de hoc negotio judicium ferre poterimus.

Aruch in קטר.

Middoth. ubi ſupra. R. Solom. in Ezech. 46.

I. In angulo Euro-notum reſpiciente erat Conclave in uſum *Nazareorum* : דרמית מזרחית היה לשכת ששם הנזרים מבשלין את שלמיהם ומגלחין את שעריהם ומשלחין תחת הרוד. *Ibi enim elixabant oblationes ſuas pacificas, tondebant capillos ſuos, eoſque ſub lebetem conjiciebant*, juxta legem *Numer. 6. 18.* Ordinarie vovebatur *Nazireatus* in triginta dies; quamvis aliquando in annos integros & in totum vitæ ſpatium voveretur. Is cujus votum expletum erat, debebat adducere tres victimas, unam in holocauſtum, alteram in oblationem pro peccato, tertiam in pacificum ſacrificium. Si totondiſſet caput extra *Hieroſolymam*, ut *Paulus* fecerat *Cenchreæ*, tenebatur afferre capillos ſuos, eoſque comburere ſub lebete, in quo elixabatur ejus pacifica oblatio, qui erat hoc in loco de quo agimus. Si vero hic capillos totondiſſet, res paratior erat.

Midd. ubi ſupra.

Nazar. Per. 1.

Ibid. Per. 6.

Judæi in Tractatu ſupra in margine laudato loquuntur περὶ τοῦ נזיר שמשון, & περὶ τοῦ נזיר עולם, *de Samſone Nazaræo & perpetuo Nazareo* : non quod fuerint *Nazaræi* perpetui alio modo ac *Samſon*; ſed utuntur ea diſtinctione reſpectu voti. Qui aggrediebatur eſſe *Nazaræus* quemadmodum *Samſon*, dicebat, *Ecce volo eſſe Nazaræus tanquam Samſon*, vel *tanquam filius Manoah*, vel *tanquam Vir Dalilæ*, vel *tanquam is qui abſtulit Portas Gazæ*, vel *tanquam is cujus Philiſtæi eruerunt oculos*. Huic nunquam licebat deponere capillos; ac talis quidem eſſe voluit *Abſalom* : ſed cogebatur ſemel quotannis tondere capillos propter nimiam gravitatem. Sed qui erat *Nazaræus perpetuus*, hoc eſt, qui *Nazaræatui* hac formula ſe obligabat: *Volo eſſe Nazaræus juxta numerum capillorum capitis mei*, vel *pulveris terræ*, vel *arenæ littoris*, hic ſemel intra triginta dies capillos deponere poterat, ſed non comburebantur, quia tempus voti nondum erat exactum. Verum is cujus expletum erat tempus, ubicunque caput tonderet, tenebatur huc venire, atque hic elixare pacificam ſuam victimam, ac comburere capillos. Sacerdos vero ſumebat humerum elixatum & placentam, ac libum panis azymi, atque omnia *Nazaræi* manibus impoſita commovebat; quo ritu peracto, licebat *Nazaræo* vinum bibere, & mortuo pollui. Sed *R. Solomon* affirmat ſtatim ac guttula aliqua ſanguinis agnorum adſperſus fuerat, voto liberatum fuiſſe. Idem Tractatus loquitur etiam *de fœminis Nazaræis*, ut *Regina Helena*, *quæ ſpontaneo voto per ſeptem annos Nazaræa fuit, & veniens in terram Iſraelis per ſeptem præterea annos, & per pollutionem per ſeptem alios, nempe uno & viginti annis. Et Maria Tarmudi, ad quam, dum ſanguine adſpergeretur oblationis ſuæ, allatum fuit nuntium filiam in periculo mortis eſſe : quo audito, exiit adſperſione imperfecta, & invenit filiam mortuam; ac rediit, & adſperſa fuit*. Hujus loci atque inſtituti non eſt inquirere utrum hæ mulieres tonderent comam tempore voti exacto; ideoque ab ea inveſtigatione ſuperſedebimus. Sed fortaſſe huc faciet hiſtoria *Simeonis Juſti*, qui toto vitæ tempore oblationem pro peccato ab uno tantum *Nazaræo* accipere voluit : cujus rei hanc rationem afferebat, *Quod crederet pleroſque Nazaræos vota concepiſſe in affectu quopiam immodico, & poſtea pœnitentia ductos fuiſſe*.

Ibid. Pereck. 3.

Ibid. Pereck. 6.

Juchaſin, fol. 15. Tract. 1.

II. Euro-aquilonaris anguli Conclave מזרחית צפונית היא היתה לשכת דיר העצים ששם הכהנום בעלי מומין מתלעים את העצים, *erat locus ligni, ubi Sacerdotes qui vitio aliquo laborabant, vermes lignorum quærebant; nam quodcunque lignum vermiculoſum impurum erat ad comburendum ſuper Altari. Magnum Synhedrium ſedebat in ædificio Gazith, & præcipuum opus quo perpetuo occupabatur, erant judicia de Sacerdotio, & examina Sacerdotum circa ipſorum genealogiam*, utrum

Midd. ubi ſupra.

Maymon. in Biath. hammikdash. Pereck. 6. Middoth. Perek. 5.

(utrum nempe essent ex sobole Sacerdotali necne) *& circa eorum vitia*, (an scilicet apti essent Ministerio necne) *Qui deprehendebatur recta genealogia deficere, induebatur atris vestibus, & nigro velo obtectus sese ex Atrio proripiebat. Sed quicunque rectus & perfectus deprehendebatur, induebatur candida veste, ingrediebatur, & ministrabat cum fratribus Sacerdotibus.* [Confer *Apocal.* 3. 4. & 7. 9.] *Quicunque deprehendebatur esse ex vera Sacerdotum prosapia, sed vitio aliquo laborare, abibat & sedebat in Conclavi ligni, atque ligna in usum Altaris a vermiculosis distinguebat; portionem suam ex rebus sacris habebat cum viris Domus patris sui, & una cum illis comedebat. Et cum Sacerdos deprehendebatur sine vitio, festum agebant & lætabantur, ac Deo propterea solemni prece benedicebant.*

Midd. ubi supra.

III. Conclave quod erat in angulo Caurum respiciente, צפונית מערבית היא היתה לשכת מצורעים, *erat Conclave Leprosorum*. Post varios ritus ad mundationem Leprosi in propria ejus æde, ruri, ut mactationem passeris, & adspersionem sanguinis ejus aqua mixti in Leprosum, dimissionem alterius passeris, abrasionem totius cutis Leprosi ope novaculæ, &c. septima die semet iterum abradebat, aqua abluebat, & tum mundatus poterat *Hierosolymam* ingredi. Octava die adducebat tres agnos, oblationem pro peccato, pro delicto, & in holocaustum, טבל בלשכת המצרעי בא ועמד בשער, *se abluebat in Conclavi Leprosorum, & veniebat & stabat ad Portam Nicanoris, atque ibi Sacerdotes eum adspergebant*, &c. cujus adspersionis rationem supra explicavimus.

Maymon. in Tumeach Tsoforech, Perek. 11.

Thalm. in Negain, Perek. 11.

IV. In angulo obverso Noto-zephyro Conclave erat quod vocabatur לשכת בית שמנים, *Conclave Domus Olei. Ibi enim reposita erant vinum & oleum*, quorum tam frequens usus juxta præscriptum Legis, in siccis & liquidis oblationibus. Vide *Numer.* 15.

Middoth. ubi supra. Ibid. & Maymon. in Beth Habbechir. Perek. 5.

Jam postquam vidimus usum horum Conclavium, tempus est considerandi id cujus antea meminimus, nempe an ista quatuor Conclavia in quatuor angulis Atrii Mulierum sita plane essent desuper operta, vel laqueata, & in qua significatione sumatur vox קטורות.

Duo hic nobis occurrunt consideratu digna. I. Quod hæc loca in *Ezechiele* vocantur *Atria*. II. Quod dicit in unoquoque eorum fuisse culinas ad elixanda sacrificia populi, *Ezech.* 46. 21. 22. Attamen *Thalmudici* memoratos usus peculiares ipsis tribuunt. Quæ omnia, & quod præterea dicitur, *ea desuper non fuisse laqueata*, non sunt ἀτύςατα. Nam potuerunt in unoquoque horum ædificiorum esse exstructa circumquaque Conclavia satis ampla, atque in medio remanere spatium non exiguum sub dio. Potuerunt esse utrinque in extrema longitudinis parte Conclavia decem cubitos lata, & tamen superesse inter ea spatium viginti cubitorum. Ad latera potuerunt esse Conclavia septem vel octo cubitos lata, & remanere in interstitio spatium quatuordecim vel sexdecim cubitorum. Hoc igitur modo in hisce locis disposita fuisse videntur ædificia, ut in orbem ampla Conclavia laqueata desuper essent constructa, in medio vero esset Atrium sub dio, circa quod essent culinæ, quarum camini ascenderent per muros Conclavium versus Atrium. Ita vox קטורות verti debebit *caminata*, ut verterunt quidam, seu ut est in margine Bibliorum nostrorum Anglicorum, *Made vvith chimneys*, facta cum caminis. Erant ergo hæc loca laqueata, sed non ut reliqua circa Templum ædificia continuo laqueari: supererat enim in medio spatium tetragonum sub dio expositum & planum, quod culinis erat refertum, licet Conclavia circum posita aliis essent usibus destinata.

Talis erat ἰχνογραφία Atrii Mulierum: perfectum erat Tetragonum; in mediis quatuor muris ambientibus erat Porta; in unoquoque angulo erat unum ex ædificiis supra memoratis. Quid porro erat inter hæc ædificia juxta muri longitudinem ad Portam usque? Erantne Conclavia ab uno angulo ad alterum porrecta? *Thalmudici* negant: עזרה הנשים לא היתה מקורה, *Atrium Mulierum non erat circumquaque septis refertum:* sed חלקה בראשונה, *planum initio*, nihil in eo erat præter pavimentum & nudos muros. Sed quædam inde experti incommoda, Porticus in tribus lateribus fecerunt circumquaque, nempe in Orientali, Septentrionali atque Australi. Incommodum hoc fuisse dicit *R. Nathan*: היו באין לידי קלורת ראש שהיו ונכסין בין הנשים, *Cum nempe mulieres & viri promiscue mixti essent, occasionem id fuisse lasciviæ & irreverentiæ. Ideoque fecerunt Porticum* [גזוזטרא in *Nathane* & *Maymonide*, sed בציצרה in *Thalmude*] *circa Atrium, quod introrsum a muro porrigebatur; eratque desuper laqueatum. Ita mulieres erant in istis Porticibus, viri vero infra in Atrio. Atque est Traditio, cum primum spectarent festum effusionis aquæ, viros fuisse intus, mulieres vero extra, quod aliquam creavit irreverentiam; eapropter fecerunt tres Porticus in Atrio, ad tria* ejus

Piske Thosapht. ad Midd. Midd. ubi supra.

Aruch in גזוזטרא. Thalm. in Succah. Perek. 5.

ejus latera, ut possent desuper spectare.

Itaque primum nec Septa ulla erant, nec Podia in hoc Atrio, donec hoc incommodum ad ea exstruenda eos adigeret. Postea fuerunt Podia columnis sustentata, & aperta, non secus ac in altero Atrio. Verum in splendido *Herodis* ædificio hoc Atrium ornatum erat æque magnifice, ac alterum, seu æque ac Mons Domus quem jam lustravimus, nisi quod cum in hoc esset circumquaque duplex Porticus, & ad Austrum etiam triplex, utriusque Atrii Porticus essent tantum simplices. Accipe hac de re *Josephi* testimonium. Αἱ στοαὶ δὲ μεταξὺ τῶν πυλῶν ἀπὸ τοῦ τείχους ἔνδον ἐστραμμέναι πρὸ τῶν γαζοφυλακίων σφόδρα μὲν καλοῖς καὶ μεγάλοις ἀνείχοντο κίοσιν. Ἦσαν δὲ ἁπλαῖ, καὶ ἀπλέτου μεγέθους τῶν κάτω οὐδὲν ἀπελείποντο. Statim antea loquutus fuerat de Portis, seu introitibus in duo Atria; & ut melius allatum locum intelligamus, ejus verba paulo hic prolixius exscribenda nobis sunt. Ἔνθεν ἄλλοι πάλιν πεντέβαθμοι κλίμακες ἀνῆγον ἐπὶ τὰς πύλας, &c. *Hinc* (hoc est, ἀπὸ τοῦ חיל) *quinque gradus ascendentem ad Portas deducebant, quæ ad Septentrionem & Austrum octo erant numero, nempe in unoquoque latere quatuor, & duæ necessario ad Orientem: nam cum Atrium attributum mulieribus ad colendum Deum, esset ex eo latere muro cinctum, necesse erat esse secundam Januam, quæ e regione prioris aperta esset. Ad alia latera quod attinet,* [Atrii nempe Mulierum] *erat Porta ad Austrum, alia vero ad Septentrionem, per quas intrabant in Atrium Mulierum: nam per alias Portas* (Atrii *Israelis*) *mulieres non poterant intrare, nec Septum proprii sui Atrii transilire. Atque in hoc loco licebat Judæis in regione degentibus, & exteras regiones colentibus, adorare. Occidentale autem latus nullam prorsus habebat Portam, sed continuo occlusum erat muro;* absque ulla scilicet Porta. Postea addit *Josephus*: Αἱ στοαὶ δὲ μεταξὺ, &c. *Porticus quæ erant inter Portas juxta longitudinem muri, introrsum conversæ ad Gazophylacia, sustinebantur pulcherrimis & maximis columnis. Verum erant simplices, & inferiores magnitudine æquabant.*

Joseph. de Bello, lib. 5. cap. 14.

Cum dicit hasce Porticus fuisse ἀπὸ τείχους ἔνδον ἐστραμμένας, *juxta longitudinem muri introrsum conversas*, vult eas fuisse juxta murum, & quidem intra Atria, atque ab una Porta ad alteram fuisse porrectas; nec minores fuisse Columnas & Porticus iis quæ erant juxta murum Montis Domus, nisi quod hæ duplices essent, illæ simplices. Atque Porticus quidem quæ erat in Atrio Mulierum differebat tum a Porticibus Montis Domus, tum ab iis quæ erant in Atrio *Israelis*, quod haberet Podium in usum mulierum, in quo starent & deorsum aspicerent in Atrium, cum in aliis nihil inter laquear & solum interpositum esset, sed ad laquear usque paterent.

Hoc Atrium Mulierum ordinarius erat locus adorationis tum virorum, tum mulierum, seu venirent ad orandum aliis horis ab iis quibus publicæ fiebant preces, seu venirent horis publicarum precum, nec secum victimam adducerent. In hoc loco *Paulus* violasse sanctitatem Templi existimatus est, quasi huc adduxisset Gentiles, *Act.* 21. 26. 27. quibus nequidem licebat εἰς τὸ *Chel* ingredi. In hoc Atrio Pontifex Maximus semel in anno, nempe *festo Expiationis*, legebat Sectionem aliquam Legis; Rex vero semel intra septennium, *festo Tabernaculorum* anni Sabbatici. Hic quotannis *festo Tabernaculorum* erat magna festivitas, saltatio ac cantus, propter haustionem & effusionem aquæ: qua de re aliisque circumstantiis memoratis fuse egimus in Tractatu *de Ministerio Templi.*

Cap. 16. Sect. 4.

CAPUT XIX.

De Gazophylaciis vel Thesauris.

Antequam ex hoc Mulierum Atrio exeamus, verba *Josephi* modo laudata, *Porticus Atrii erant* ἔνδον ἐστραμμέναι πρὸ τῶν γαζοφυλακίων, *introrsum conversæ ante Thesauros*, merito nos hic possunt morari, ut circumspiciamus num ullum hic possimus deprehendere Gazophylacium, vel quid diceretur *Gazophylacium* Templi; cujus nomen quidem & mentio sæpe occurrunt in Scriptura & apud alios Auctores, sed situs in Templo inventu difficilior est. Jam in verbis hisce *Josephi*, πρὸ τῶν Γαζοφυλακίων, duo sunt observatu digna, & quæ in præsenti nostro negotio inquirenda veniunt: unum est numerus pluralis quo *Josephus* ostendit plus quam unicum fuisse Gazophylacium: alterum est Gazophylaciorum istorum situs respectu memoratarum Porticuum, *quæ ante eos erant.*

Gazophylacia Templi duplicis erant naturæ & capacitatis: erant nempe *Cistulæ* quæ Γαζοφυλάκια dicebantur præter *Conclavia* quibus id nominis tribuebatur. Priora vocabantur Hebraice *Shopheroth*, posteriora *Lesachoth*, & utraque simul designabantur communi nomine *Corban*.

Erant tredecim Cistulæ in Templo, quæ a Judæis vocantur שופרות, quod proprie significat *Tubas*, *quia instar tubarum*

Thalm. in Shekalim. Perek. 6. Maym. in

rum

Shekal. Perek. 2.

rum latæ erant in fundo, in summa vero parte arctiores, ita ut pecunia facile in eas immitti posset, difficilius vero educi.

Id. ibid.

Duæ ex hujuscemodi Cistulæ destinatæ erant *Semi-siclo*, quem unusquisque *Israelita* tenebatur solvere in redemptionem capitis sui vel vitæ: (quam in rem lex extat *Exod.* 30. 13.) una ex duabus erat excipiendo Semi-siclo anni prioris, si forte debito tempore solutus non fuisset, altera vero Semi-siclo anni decurrentis. Prima die mensis *Adar*, qui ex parte *Februario* nostro respondet, per totam regionem promulgabatur tempus esse parandi Semi-sicli; quindecima vero die Collectores ad eum colligendum unamquamque Civitatem circumibant, & præferebant duas Cistulas iis similes quæ in Templo erant, ac petebant leniter id tributum, nec ullum asperius alloquebantur, aut cogebant. Vigesima vero quinta die mensis Collectores sedebant in Templo, ac cogebant homines solvere; ac si cui deesset pecunia ad solvendum, pignus ab eo accipiebant, & aliquando etiam vi vestem ejus auferebant. Ante se habebant Mensam ad numerandas ac permutandas pecunias, unde vocabantur שולחניים, *Trapezitæ* vel *Mensarii*, & duas Cistulas in quas eas immittebant.

Thalm. ubi supr. Perek. 1.

Si quis afferret Siclum ad permutandum, eique Semici-clum reddi oporteret, *Mensario* vel Collectori erat ex ea permutatione aliquod lucrum: התוספהו אותה נקראת קולבון *Atque hæc additio vocatur Kolban*, [κόλλυβος] *& quantum lucri pro ea permutatione requirebat? Duodecimam partem Denarii, nec unquam minus.* Imo si duo simul venirent, & solverent pro utroque Siclum, adeo ut permutatione non opus esset, attamen oportebat inde aliquod lucrum ad Collectorem redire. *Thalmudici* & Scriptores in margine laudati fuse admodum agunt de isto קלבון *Kolbon*, ac disquirunt quis solvere teneretur, quis vero immunis esset, & quantum solvi deberet, ac similia. Sed omnes concludunt lucrum aliquod inde ad Collectores redire debuisse: quæ exactio effecit ut Dominus everteret τραπέζας κολλυβιστῶν, *Mensas Collybistarum*, Joann. 2. 15. primo Paschate quo post Baptismum suum *Hierosolymam* venit, & *Matt.* 21. 12. ultimo. Hi enim Collectores hanc in rem incipiebant sedere in Templo octodecim vel viginti diebus ante Pascha, & pergebant ibi sedere dum maximus erat populi concursus, postea discedebant.

Maymon. ubi supr. Perek. 3. & Aruch in קולבון.

Itaque ovium & boum mercatus qui erat in Templo, non videtur perpetuo ibi fuisse, sed tantum eo tempore concursus populi quo longe plurima erant sacrificia, quamvis certe alias merces venderent per totum annum in iis *Tabernis* de quibus antea diximus. Mercatus autem ovium & boum erat in magno illo spatio Montis Domus, quod ad Meridionale latus Atrii erat; nam ad Occidentem & Septentrionem spatium nimis arctum erat eam in rem, atque ad Orientem frequentissimus erat populi ingressus, qui animalibus istis præclusus fuisset. Verum ad Austrum locus erat amplissimus, quo iis temporibus tanqum mercatu utebantur; qua ratione Domum Dei in Domum mercatoriam commutabant.

Inter eos Auctores qui loquuntur de duabus hisce Cistulis, nullum invenio qui nos doceat ubi essent, vel ubi Collectores pecuniæ istius quæ per capita solvebatur in Templo, sederent ad eam excipiendam; nec certe magni momenti est hoc disquirere, cum ibi non diu sederent, sed tantum per mensem, aut circiter; quo elapso spatio discedebant. Admodum probabile est eos sedisse circa Portam Orientalem *Shushan*, qua erat præcipuus & celeberrimus ingressus.

Præter hasce duas Cistulas quibus certo tantum anni tempore utebantur, erant undecim constantis ac perpetui usus quæ per totum annum suis in locis remanebant, atque unicuique inscriptus erat usus cui inserviebat.

Maimon. ibid.

I. Prima erat in usum eorum qui offerre debebant duos turtures vel duos columbos, unum in holocautoma, alterum in oblationem pro peccato. Eorum pretium illuc conjiciebant.

II. Secunda erat in usum eorum qui tantum holocautoma avium erant oblaturi.

III. Tertia in usum eorum qui pecuniam offerebant ad emendum Altari lignum. Suam pecuniam in hanc Cistulam conjiciebant.

IV. Quarta in usum eorum qui volebant offerre pecuniam ad emendum thus.

V. Quinta in usum eorum qui aurum offerebant ad Propitiatorium.

VI. Sexta ad excipiendam ex oblationibus pro peccato reliquam pecuniam. Nempe si quis seposuisset summam pecuniæ in oblationem pro peccato, & empta victima aliquid ex ea superesset, quod supererat in hanc Cistulam conjiciebat.

VII. Septima ad excipiendam pecuniam reliquam ex oblationibus pro delicto.

VIII. Octava ad excipiendam reliquam pecuniam ex oblationibus volucrum viro-

rum aut mulierum profluvio laborantium, & mulierum quæ pepererant,

IX. Nona ad excipiendam pecuniam reliquam ex *Nazaræorum* oblationibus.

X. Decima ad excipiendam pecuniam reliquam ex Leprosorum oblationibus pro delicto.

XI. Undecima ad excipiendam eorum pecuniam qui sponte sacrificium aliquod ex armento offerri volebant.

Hæ variæ Cistulæ perpetuo erant in Templo, inscriptæ titulis suis, quibus earum usus denotabatur, ut quicunque talia offerre vellet, sciret illis indiciis quo deferendum esset oblationis pretium. Atque hæc erant *Gazophylacia* vel *Thesauri*, ante quos *Josephus* ait *fuisse Porticus*: hoc est, cum Porticus undique septæ essent, & ea quidem parte qua Atrio viciniores erant columnis fulcirentur, has Cistulas fuisse in Atrio ante columnas istas positas; non secus ac si *Londini in Regio Excambio* in medio quadrangulari spatio ponerentur Cistulæ ante columnas quæ fulciunt Porticus.

Verum quo in Atrio erant hæ Cistulæ, in Atrio *Israelis*, vel in Atrio Mulierum, vel in utroque, adeo ut pars in uno, pars in altero esset?

Resp. Hæ rationes ostendunt eas fuisse in Atrio mulierum collocatas. I. Quia huc liberior aditus erat quam in Atrium *Israelis*; nec dubium est quin hæ Cistulæ positæ essent in locis ad quæ unusquisque commode accedere posset. Mulieribus prorsus interdictum erat ingredi alterum Atrium, nec viri etiam æque frequenter intrabant: consentaneum autem rationi erat, ut hæc Gazophylacia in eo loco posita essent ad quem viri & mulieres ex æquo accedere possent. II. In superiore Atrio si hæ Cistulæ positæ fuissent ante Porticum, seu exteriores ejus columnas, fuissent in Atrio Sacerdotum; eo autem *Israelitæ* superius Atrium ingresso venire non licebat, nisi ex tribus occasionibus peculiaribus, cum sacrificium oblaturus erat, ut alibi ostendimus, inter quas non numeratur conjectio pecuniæ in Gazophylacium. III. Dicitur *Marc*. 12. 41. *Jesu sedisse e regione Gazophylacii, & spectasse populum injicientem pecuniam, & vidisse Viduam quæ in illud duo Minuta conjecit*. Jam autem huic Viduæ non licebat ingredi Atrium *Israelis*, nec in eo Atrio *Christus* sedere poterat: habebant enim Traditionem, *qua nemini licebat sedere in eo Atrio, exceptis solis Regibus ex familia Davidis*. Verum vult Evangelista *Jesum* sedisse in Porticu Atrii Mulierum; vidisse populum variis ex occasionibus, juxta ea quæ offerre volebant, pecuniam in istas conjicientem Cistulas; atque inter alios *Viduam quandam pauperem misisse duo Minuta, quod est Quadrans*. Hæc est ordinaria phrasis qua utuntur Scriptores Hebræi ad significandam populi in Thesaurum largitionem, משליכין לתוכה, *Immittebant in medium ejus pecuniam*; qua etiam utuntur in hac historia Evangelistæ.

Et quandoquidem agimus de oblatione pauperis hujus Viduæ, liceat nobis afferre huc Judæorum æstimationem, ut intelligatur cujus pretii essent duo Minuta; quod etiam aliis in locis utile esse poterit. *Shekel, vel nummi argentei*, *cujus Lex meminit, pondus erat 320. granorum tritici: sed Sapientes addiderunt ejus ponderi, & ejusdem ponderis eum fecerunt ac est nummus qui vocatur* סלע *Selaa. Quidnam est autem pondus* τοῦ סלע *Selaa? Trecentorum octoginta quatuor granorum prægrandium tritici*. Τὸ *Selaa est quatuor Denariorum. Denarius est sex* מיעה *Meah. Meah autem id est quod Mosis tempore vocabatur Gerab. Meab erat duorum Pondion. Pondion erat duorum* אסרין *Issarin*, Ἀσσαρίων. *Et* פרוטה *Minutum erat octava Issarii* (duo Minuta proinde faciunt quartam partem.) *Et pondus* τοῦ *Meab, quod idem est ac* τὸ *Gerab, erat tantum sexaginta granorum. Et pondus unius* אוסר *Issar* (Assarii) *erat quatuor granorum. Pondus* τοῦ פרוטה *Minuti erat dimidia pars grani*, &c.

Id ibid. Perek. 1.

Locus ergo harum Cistularum erat in Atrio Mulierum ante Porticum, erantque hinc inde ad varia Atrii latera dispositæ; ideoque hic locus vocatur *Thesaurus*, *Joann*. 8. 20. ubi dicitur *ista dixisse Jesus in Gazophylacio cum in Templo doceret*. Itaque populus, mulieres æque ac viri eo accedere libere poterant; & offerentibus, prout animus ferebat, seu res ipsorum requirebant, indicabant inscriptiones harum Cistularum quo pecunia esset deferenda.

Præter hasce Cistulas erant etiam Conclavia in quæ pecunia recondebatur distincta ab iis quæ supra memoravimus, ad Portas Montis Domus adjacentia, præter ea quæ structuræ Templi conjuncta erant. Præter etiam Conclavia in quæ Primitiæ, Vasa & Vestimenta recondita erant, erant tria Gazophylacia notatu digna, sed locus in quo sita erant inventu difficilior est.

I. Primo, erat Ærarium Semi-sicli qui capitatim solvebatur, in quod duæ Cistulæ, de quibus egimus, cum plenæ erant, effundi solebant. Hoc clausum erat, & sera sigillo munita. Tribus autem statutis anni temporibus iterum ex

eo

eo Conclavi pecuniam auferebant. *Thalmudici* & *Maymonides* in Tractatu *Shekalim* historiam & rationem hujus rei sic tradunt: *Tribus anni temporibus evacuabant hoc Conclave, scilicet quindecim diebus ante Pascha, quindecim diebus ante Pentecosten, & quindecim diebus ante festum Tabernaculorum: vel ut Rabba Akiba filius Azai dicit, vigesima nona mensis Adar, prima Sivan, & vigesima nona Ab. Qui ingrediebatur id Conclave ad educendam pecuniam, eum oportebat nulla veste indutum esse, in qua posset occultari pecunia, nec calceatum, nec Phylacteriis ornatum, quia sub hisce & calceis poterat abscondi pecunia. Cum ingressus erat, Custos stabat ad januam extrinsecus, & dum intus erat perpetuo cum eo colloquebatur, eique respondendum erat, ut ne posset pecuniam aliquam in ore occultare. Non incipiebat exhaurire, quin hoc iis qui extra erant significaret, dicendo, Exhaurio: illi vero ter reponebant, Exhauri, Exhauri, Exhauri. Pecunia quæ erat in eo Conclavi, cum primum in id inferretur, erat in tribus magnis Cistis, quarum unaquæque continebat novem Seah*, seu tres Anglicanos modios. *Si vero major copia pecuniæ illata fuisset, quam ut posset tribus istis Cistis contineri, alicubi deponebatur in Conclavi. Qui ingrediebatur capiebat tres Cistulas capaces trium Seah*, seu unius Anglicani modii, *& eas ex majoribus Cistis implebat. Tres Cistulæ quas inferebat, inscriptæ erant distinctionis causa tribus hisce literis*. א. ב. ג. *una enim implebatur nomine Judæorum terræ Israelis, altera nomine eorum qui erant in urbibus & regionibus vicinis, tertia denique nomine eorum qui Babyloniam, Mediam, & remotiores regiones incolebant*. Impletæ simul hæ tres Cistulæ auferebantur, & pecunia suppeditabatur ad emenda quotidiana sacrificia, alia addititia, Panem Propositionis, salem in sacrificia, lignum Altari, & alia divino cultui necessaria. Utebantur pecunia illa quamdiu tres isti modii sufficiebant, ac proximo tempore statuto Conclave iterum ingressi inde pecuniam auferebant, ut antea.

Shekal, Perek. 3.

II. Erant duo alia Conclavia ad pecuniam recondendam, in quorum altero reponebatur quod consecratum erat ad instaurationem atque sumptus Templi, in altero vero quæ erant in eleemosynas erogandas. Ita de iis loquuntur *Thalmudici*: שתי לשכות היו במקדש אחת לשכת חשאים ואחת לשכת הכלים, *Erant duo Conclavia in Templo, unum Conclave Silentum, alterum Conclave Vasorum. Conclave Silentum erat in quo Religiosi viri clam & silenter ponebant oblationes suas, & honestorum parentum pauperes liberi clam ab iis educabantur. Conclave Vasorum id erat in quo quicunque sponte vas aliquod consecrabant, in id conjiciebant. Ac semel intra triginta dies Præfecti Ærario Conclave aperiebant, & inde desumebant quod Templi Ministerio necessarium erat & idoneum: at si quid idoneum non esset, id vendebant, & permutabant re quapiam idonea* &c.

Ibid. Perek. 5. & Aruch in חשא.

Porro quonam in loco sita fuerint hæc Conclavia, subdifficile est inventu. Conjecturam nostram hac de re proponemus, cum veniemus ad lustrationem superioris Atrii. Mentio *Gazophylaciorum* quæ nobis occurrerunt in hoc Atrio Mulierum nos deduxit in hanc digressionem de Conclavibus hisce, licet non essent in hoc Atrio, sed in superiore. Verum cum ad eorum locum devenerimus, eo pauciora de iis dicenda habebimus, quo plura hic diximus.

Jam hoc Atrium, quod tamdiu perambulavimus, uno lustremus aspectu. Ingresso in eum per Orientalem Portam, in unoquoque angulo apparebat ædificium, tetragonum spatium in medio habens: ad Septentrionale & Australe latus Porta erat in medio spatio quod inter ædificia illa interjectum erat: ab ædificiis illis utrinque ad Portas usque porrigebatur *Porticus* marmoreis columnis sustentata, cui similis in Orientali latere quæ primo intrabatur. Hæ *Porticus* habebant scamna in quibus quando vellet sederet populus, qualia etiam erant in Porticibus quæ erant juxta longitudinem extimi muri qui Montem Templi circumdabat: ante hasce *Porticus* ad Orientem, Septentrionem & Austrum, erant Cistulæ ad excipiendam pecuniam, deinde Atrii pars quæ sub dio erat. Venienti ad Atrium *Israelis*, objecti erant pulcherrimi gradus quibus ad Portam ascendebatur, quæ vocabatur *Porta Nicanoris*, quam jam juxta instituti nostri ordinem lustrandam habemus. Atque hoc in latere nulla erat Porticus.

CAPUT XX.

De Porta Nicanoris, vel de Orientali Porta Atrii.

ATrium Mulierum, cujus descripta est ἰχνογραφία, separatum erat ab Atrio *Israelis* altissimo muro, alto nempe triginta duos cubitos & dimidium a solo Atrii Mulierum, sed tantum viginti cubitos ipsius Atrii *Israelis* solo; tot enim cubitis soli hujus altitudo superabat pavimentum Atrii Mulierum.

In

In medio hoc muro erat Porta, qua ab uno Atrio ad alterum transitus patebat: ad eam ascendebatur quindecim gradibus, quorum unusquisque semicubitum altus erat, adeo ut omnes simul septem cubitos & dimidium alti essent; qua altitudine Atrium Mulierum superabatur ab Atrio *Israelis*.

Middoth. Per. 2. Joseph. de Bell. lib. 8. cap. 14.

Hi quindecim gradus [ut habetur in Tractatu *Succah*] *respondebant quindecim Psalmis graduum in Libro Psalmorum*, שעלהן הלוייה עומדים בשיר, *quia super hos Levitæ stabant & canebant;* non in quotidiano quidem Ministerio, seu ordinaria Templi symphonia, tum enim stabant in Atrio, (ut ostendetur) sed tantum in solenni illa festivitate festi Tabernaculorum quæ vocabatur שמחת בית השואבה, *Gaudium haustionis & effusionis aquæ*, quod suo loco describemus.

Succah, Perek. 5.

Hi gradus quibus ad Portam ascendebatur, non erant quadrati vel recti, ut gradus esse solent, sed semicirculum describebant circuitu suo. Cujus dispositionis ratio hæc esse potuit, ut Conclavia nempe utrinque posita latiora essent; erant enim ad utrumque latus Portæ & graduum Conclavia in muro sub ipso Atrii *Israelis* solo, quorum Januæ erant in Atrio Mulierum. In hisce solebant Levitæ instrumenta sua musica deponere, postquam quotidiano canendi ministerio functi erant in Atrio *Israelis*. Descendebant per quindecim illos gradus Atrii, atque ad dextram vel ad sinistram infimi gradus erant Januæ in muro per quas ingrediebantur in Conclavia in quibus instrumenta sua deponebant.

Midd. ubi supra.

Porta hæc per quam ingressuri sumus, vel Porta quæ erat inter Atrium Mulierum & Atrium *Israelis*, existimatur a quibusdam Judæis appellata fuisse septem diversis *nominibus*, præter nomen *Portæ Nicanoris*, quod in *Herodis* Templo communissimum & notissimum fuit. Quædam certe sunt indubitata; de aliis vero non omnis prorsus dubitationi locus sublatus est.

Vide Kimch. in Jerem. 19. 2. 2. Reg. 11. & R. Solom. in 2. Paral. 23.

I. Vocabatur *Superior Porta Domus Domini*, 2. *Reg.* 15. 35. 2. *Paral.* 27. 3. atque ita Tractatus *Succah* supra laudatus diserte eam vocat, *Superior Porta quæ descendebat ex Atrio Israelis in Atrium Mulierum*. Orientalis vero Porta qua ex Atrio Mulierum descendebant εἰς τὸ Chel, vocabatur *Inferior*. Cum porro dicatur *Jotham* ædificasse *Superiorem Portam*, inde non sequitur antea nullam fuisse; sed tantum eam ab eo instauratam, vel novo quodam ædificio ornatam.

Succah. ubi supra.

Maymon. in Kel. Mikdash. Perek. 7.

II. Vocatur *Nova Porta*, *Jerem.* 26. 10. & 36. 10. in quibus locis *Paraphrastes Chaldæus* diserte eam vocat *Orientalem Portam Sanctuarii Domini*. Apparet ex posteriori hoc *Jeremiæ* loco, hanc fuisse Portam qua in superius Atrium, seu Atrium *Israelis* ascendebant, eamque eandem esse cum ea de qua nunc agimus. Ratio etiam hujusce appellationis, *Nova Porta*, peti potest ex eo quod paulo antea dictum est, eam nempe a *Jothamo* instauratam fuisse. Quidam ejus hanc rationem reddunt; nempe לפי שהסופרים חרשו הלכה, *Novam vocatam fuisse, quia Scribæ ibi novas docuerunt Traditiones:* ibi enim sedebat *Synhedrium*. Verum hæc etymologia longe petita est.

Kimch. in loc.

III. *Porta Harsith*, *Jerem.* 19. 2. existimatur a quibusdam hæc eadem esse, licet ipse Textus *Jeremiæ*, *Chaldæus Paraphrastes*, aliique Judæi eam interpretationem manifesto improbent, & *Portam Harsith* in alio loco collocent.

I. Textus *Jeremiæ* collocat *Topheth* ad ingressum istius *Portæ Harsith*, quod de Orientali Porta Atrii *Israelis* non posse dici omnes facile vident, quo modo norunt duas Portas fuisse inter hanc Portam Atrii, & Vallem quæ jacebat ante Templum, licet ea in loco fuisset Vallis *Topheth*. Verum II. observandum, *Topheth* seu *Vallem filiorum Hinnom* satis remotam fuisse ad dextram stantibus in Orientali Porta Templi, ut antea observavimus, & e regione *Hierosolymæ*, non Templi, sitam; adeoque *Portam Harsith* oportet fuisse Portam qua ex Urbe, non ex Templo, ad eam Vallem exibant. III. *Chaldæus Paraphrastes* eam vocat תרע קלקלתא, quod *David Kimchi* interpretatur *Portam Stercoris*, & putat eandem esse *Portam Stercoris*, cujus mentio fit *Nehem.* 2. 13. quamvis credam *Nehemiæ Portam Stercoris* in alia parte fuisse. Vox *Harsith* dubiæ est significationis: vel enim derivatur ab חרס *Heres*, quod significat *Solem*, unde *Anglica* nostra Translatio in margine habet *Portam Solis*, cum in ipso Textu posuerit *Portam Orientalem:* vel ab *Heres* חרס, quod significat *testam;* eo enim, ut ait *R. Solomon*, *projiciebant testas suas fractas*. Non opus erit nos inquirere etymologiam hujus nominis, utrum nempe ita diceretur, quod Sol inde oriretur, vel quod Idololatricum quippiam erga Solem circa eam commissum esset, vel quod figuli in vicinia habitarent, vel quod comminutæ testæ eo projicerentur; quandoquidem non est ea Templi Porta de qua nobis sermo est, sed Porta Urbis *Hierosolymæ*, de qua hic non agitur.

IV. Quidam ex Hebræorum Scriptoribus existimant, שער איתון, *Portam Introi-*

Kimch. in Jerem. 19. R. Solom.

troitus, de qua *Ezech*. 40. 15. significare Portam de qua nunc agimus, nempe Orientalem Portam Atrii *Israelis*: propter quam rationem fieri potuit ut *Chaldæus Paraphrastes* verterit תרעא שציעארה, *Portam Mediam*, quippe quæ erat inter Portam qua intrabatur in Atrium Mulierum, & Portam Porticus Templi ipsius.

in Ezech. 40.

V. Inter septem nomina quæ a *Rabbinis* huic Portæ tribuuntur, erat nomen *Mediæ Portæ*, ut liquet ex laudatis Scriptoribus; atque ejus nominis allata ratio fuit, quam longe quærere ideo necesse non est.

VI. Existimant etiam eam vocatam fuisse *Portam Sur*, 2.*Reg*. 11. 6. vel *Portam Secessus*, quia ibi qui fuerant immundi separabantur, ac secedebant, cum ulterius progredi non liceret, donec expiati fuissent.

Id. in 2. Paral. 23. ex Hierof. Thalmud

VII. Dicebatur etiam *Porta Fundationis*, 2.*Paral*. 23. 5. At de hisce duabus postremis occasio erit postea loquendi, & ibi expendemus num essent nomina hujus Portæ necne.

Verum nomen ejus notissimum & frequentissimum postremis Templi temporibus, & quod usque ad utriusque, viz. Portæ & Templi exitium mansit, fuit *Porta Nicanoris*. *Superior Porta*, ait *Maymonides*, *fuit Porta Nicanoris: & quare vocabatur Superior Porta? Quia est supra Atrium Mulierum*. In eundem sensum, & æque diserte loquitur Scholiastes Thalmudicus in Tractatum *Sotah*: *Porta Nicanoris erat superior Porta quæ erat inter Atrium Israelis & Atrium Mulierum*. Ita Tractatus *Middoth*, quotiescunque recenset Portas Atrii *Israelis*, semper *Portam Nicanoris* ad Orientem collocat. Hoc confirmatur Axiomate *Hierosolymitani*: כול מקום שנאמר לפני יי' זה שער ניקנור, *Omnis locus in quo dicitur, Ante faciem Domini, significat Portam Nicanoris*, uti apparet ex purgatione Leprosi, atque examine suspectæ Uxoris, quæ facta dicuntur in hac Porta; quod exprimitur phrasi *Coram facie Domini*, *Levit*. 14. 11. *Numer*. 5. 18.

Maymon. in Kele. Mikd. Perek. 7. Sotah. Pereck. 1. Gloff.ibid. Middhot Perek. 1. & 6.

Thalmud. Hierof. in Sotah. Perek. 1.

Verum ut labori nostro parcamus, quod fuse a *Thalmudicis* dicitur de hac Porta, & de ratione propter quam ita vocabatur, ab unius hominis ore audiamus, nempe ab Auctore Libri *Juchasin*, qui multis hac de re agit. *Nicanor vixit tempore secundi Templi, ac miror quidem Rabb nullam ejus mentionem facere in catalogo eorum virorum qui pietate memorabiles fuere, qualis erat memoratus Hananiah filius Ezechiæ, filius Garon, initio Tractatus Shabbath, in cujus Conclave Discipuli Shammai & Hillelis ventitabant: talis enim fuit Aba Saul Ben Batuith, de quo sub finem Tractatus Shabbath. Jam autem hic Nicanor cujus sæpe mentio fit in Mishnah, fuit unus* ἐκ τῶν *Chasidim* (ex religiosis) *a quibus vulgus multum distat. Occurrit ejus nomen primo & secundo Capite Tractatus Middoth, ubi dicitur fuisse Porta in Atrio ad Orientem, quæ est Porta Nicanoris, & in ea fuisse duo ostiola, unum ad dextram, alterum ad sinistram. Idem etiam dicitur sexto Capite Tractatus Shekalim, eamque fuisse e regione Sanctissimi Loci, qui erat Occidentem versus, ubi Divina Gloria habitabat. Ideoque in fine Tractatus Beracoth dicitur*: Ne quis irreverenter se gerat ante hanc Portam *Nicanoris*, seu Portam Orientalem. *Ita in primo Capite Tractatus Sotah:* In Porta *Nicanoris* Uxori suspectæ aquam amaram propinabant, & purificabant mulieres post partum, ac Leprosos. *Et in fine Capitis* כיצר צולין (hoc est, septimo Tractatus *Pesachin*) *dicitur Porta Nicanoris non fuisse sancta*, (ut Atrium) *quia ibi stabant Leprosi, & pollices atque halluces ponebant intra Atrium. Ita in tertio Capite Tractatus Joma, & secundo Tosaphta, dicuntur miracula facta fuisse a valvis Nicanoris, estque apud eos celebris eorum mentio. Quod cum ita sit, operæ pretium fuerat ejus historiam literis mandasse. Ita habet historia. Hic Nicanor erat unus* ἐκ τῶν *Chasidim, atque ivit Alexandriam in Ægyptum, & fecit ibi duas æneas valvas affabre elaboratas, eo animo ut eas poneret in Atrio Templi, & per mare eas avexit. Cum autem magna orta esset tempestas, nautæ in mare projecerunt unam ex valvis istis ad exonerandam navim, & alteram etiam projicere statuerant: quod cum vidit Nicanor, alligavit se ei funibus, & dixit si trahere eam in mare vellent, se quoque cum ea trahendum esse. Ita maris furor cessavit; & cum appulisset Ptolemaidem, & defleret jacturam alterius ex valvis, Deumque oraret, mare ejecit eam illum ipsum in locum in quo vir Sanctus appulerat. Quidam dicunt eam ejectam fuisse a magno pisce. Atque hoc miraculum fuit quod ex hisce valvis contigit, & posuerunt eas ad Orientale latus Atrii ante Templum. Sed Joseph filius Gorion in suis Libris dicit, Portam Nicanoris ita vocatam fuisse, quia ibi factum erat miraculum: ibi enim interfectum fuisse Nicanorem Principem Græcum Asmonæorum temporibus; atque hoc extat sub finem secundi Capitis Tractatus Taanith*. Hactenus *Juchasin*.

Juchaf. fol. 65. Vide & Thalm. Hierof. in Ioma. Perek. 3. Tosapht. ibid.Per.2. & Midd. Perek. 2.

Aruch in voce Nicanor.

Non immorabor inquirendo, num rationes allatæ sint veræ causæ appellationis hujus Portæ, necne. Possent etiam

aliæ

Joseph. Antiquit. lib. 12. cap. 12.

aliæ addi conjecturæ, nempe an *Nicanor* qui valvas Alexandria misit, is esset qui Regius ibi Præfectus fuit, cujus *Josephus* meminit, & quem dicit victus & cellulas Septuaginta Interpretibus parasse: vel an hæc Porta ita vocata fuerit in honorem *Seleuci Nicanoris* primi *Syriæ* Regis, qui ut auctor est *Josephus*, impense Judæorum Genti favit. Verum iis etymologiæ nominum inquisitionem relinquam, quibus & ingenium & otium abunde suppetit. Sufficit scire quæ Porta eo nomine apud Judæorum Scriptores celebris fuerit; Ad Historiam tantum *Nicanoris Principis Græci* ibi interfecti quod attinet, confer 1. *Macc.* 7. 33. 34. &c. & *Joseph. Antiquit.* lib. 12. cap. 17. Priusquam ab hac Porta abeamus, nobis aliquid dicendum est de *Porta Sur*, & *Porta Fundationis*, quarum mentio occurrit 2. *Reg.* 21. 6. & 2. *Paral.* 23. 5. quia, ut antea diximus, quidam existimant hæc tantum varia fuisse nomina hujus Portæ Orientalis Atrii de qua egimus.

Ibid. cap. 3.

Loca in quibus hæc nomina occurrunt, sic habent juxta *Anglicam* nostram Translationem, cujus verba Latine sic vertimus.

2. Reg. 11.

Vers. V. *Tertia pars vestrum qui intrabunt die Sabbati, erunt Custodes Domus Regiæ.*

VI. *Et tertia pars erit ad Portam Sur, & tertia pars ad Portam pone Custodiam,* &c.

VII. *Et duæ partes vestrum, qui exeunt die Sabbati, custodias agent Domus Domini circa Regem*, &c.

2. Paral. 23.

Vers. IV. *Tertia pars vestrum, Sacerdotum & Levitarum qui intrabunt die Sabbati, erunt Janitores.*

V. *Et tertia pars erit ad Regiam, & tertia pars ad Portam Fundationis*, &c.

Duæ Classes Sacerdotum & Levitarum ministrantium, nempe ea Classis quæ die Sabbati Ministerium suum auspicabatur, & quæ præcedenti hebdomade sacris operata, jam munere defuncta erat, divisæ erant a *Jojada* in tres unaquæque partes, quæ sex omnino efficiebant. Eorum qui Sabbato Ministerium suum auspicabantur: I. Tertia pars debebat Altari inservire, & reliqua ad cultum divinum pertinentia obire; Sacerdotes quidem in sacrificiis, Levitæ vero in canendo & Portas custodiendo, quæ perpetua ac constantia eorum erant munera. Tum enim erat Sabbati dies; & quamvis alia fuisset, non est credibile *Jojadam* neglecturum fuisse res sacras, quamvis etiam negotia Regis curaret: sed utraque curavit, adeo ut Sacrum Ministerium æque obiretur in Templo, ac fiebat Regis inauguratio. Ideoque *versus* 5. 2. *Reg.* 11. necessario sic verti debet: *Tertia pars vestrum ii erunt qui ingrediuntur die Sabbati*: hoc est, Tertia pars vestrum eorum munere fungentur qui solent inchoare Ministerium suum die Sabbati, seu pro more, sacra faciet. Ita etiam 2. *Paral.* 23. 4. verti debet: *Tertia pars vestrum ii erunt qui ingrediuntur Sabbato in Sacerdotum, Levitarum & Portitorum munera*, hoc est, ut inserviant Altari & Cantui, atque observent Portas juxta quotidianum Sacri Ministerii morem.

II. *Tertia pars deputabitur custodiæ Domus Regiæ.*

III. Tertia pars ad servandam *Portam Sur*, quæ etiam vocatur *Porta Fundationis*.

Itaque hæc duo loca simul juncta plane distribuunt Classem quæ die Sabbati Ministerium suum inchoatura erat, ut videbis si Originales Textus diligenter conferas.

Classis quæ die Sabbati Ministerio suo defunctura erat, ita erat disposita ut tertia ejus pars ad Portam pone Custodiam esset, & reliquæ duæ tertiæ custodirent Domum Domini ad incolumitatem Regis.

Jam autem ipsa dispositio harum Custodiarum nos juvabit in judicio ferendo de hisce Portis de quibus agimus, ac docebit eas nequaquam fuisse Templi, sed cujuspiam alius loci. Nam Portæ Templi asservabantur consueto more a Janitoribus Classis quæ tum ministrabat: erat præterea extraordinaria Custodia per totum Montem Domus atque in Atrio, quæ constabat ea Classe quæ Ministerio defuncta erat, 2. *Reg.* 11. 7. 8. 11. Ideoque *Porta Sur*, seu *Porta Fundationis*, quæ asservabatur a tertia parte eorum qui Ministerium inchoabant die Sabbati, non potest existimari fuisse Porta Templi, quandoquidem Templum asservabatur a duabus partibus ejus Classis quæ defuncta erat. Itaque si describerem Civitatem, quemadmodum nunc describo Templum, collocarem *Portam Sur* alicubi in Monte *Sion*, ut etiam Portam quæ erat pone Custodiam; nec difficile esset verisimillimas

mas rationes eorum ſitus afferre. Quamvis autem tam validæ eſſent Cuſtodiæ tum in Templo, tum in *Sione*, attamen *Athaliah*, cujus cauſa hæc omnia fiebant, aſcendit in Templum, ita ut videre potuerit novum Regem prope ſuam columnam in Atrio ante Portam Orientalem; nec ullus ei viam interclusit, partim quia erat Regina, partim quia erat ſola, ſed præcipue quia ignorabatur quis eſſet circa eam *Jojadæ* animus. Sed cum juſſit *eam ab ordinibus removeri*, ei manus injecerunt, eique pepercerunt donec eſſet infra aggerem *Shallecheth*, quo in loco eam interſecerunt.

Si per *ordines* non poſſent intelligi ordines virorum qui erant circa Montem Domus, tum crederem ſignificari ordines arborum quæ utrinque in ora aggeris erant conſitæ, vel palos utrinque terræ infixos ad firmandum aggerem, & tutelam eorum qui illac tranſibant. Atque in hunc ſenſum *R. Levi Gershom* non inepte interpretatur hæc verba 1. *Reg.* 10. 12. *Arboribus Almug Rex fecit* מעסד *ad Domum Domini & Regiam*. Vox מעסד proprie ſignificat *fulcrum* At 2. *Paral.* 9. 11. dicitur Rex feciſſe *arboribus Almug* מסלות *ſtratas vias ad Domum Domini*. *Atque opinor*, inquit Rabbinus ille, *in aſcenſu quem fecit ad aſcendendum Domum Domini e Regia, feciſſe eum veluti loricam ex arboribus Almug, adeo ut incedentes per hanc ſtratam viam eo repagulo inniti poſſent. Idem etiam factum fuerat in aſcenſu Domus Domini & Regiæ, ubi non erant gradus, ut ad baſin Altaris*, &c.

Ralbag. in 1. Reg. 10.

SECTIO I. *Miraculum credibile editum in Ænea Porta.*

Ejus miraculi, cujus antea meminimus, circa æneas valvas in naufragio *Nicanoris*, fides ſit penes Auctorem: verum non poſſumus ommittere aliud portentum quod refertur a *Joſepho* de Ænea Porta, quæ utrum fuerit hæc *Nicanoris*, an vero alia, quam veluti proprio nomine vocat Æneam, anxie non inquiremus. Hoc miraculum multo fide dignius eſt, & digniſſimum quod accuratius expendatur. *Joſephus* igitur agens de portentis ac prodigiis quæ præſagivere excidium *Hieroſolimæ*, inter alia hoc refert: Ἡ δὲ Ἀνατολικὴ πύλη τοῦ ἐνδοτέρου χαλκῆ μὲν οὖσα καὶ στιβαρωτάτη, &c. *Porta Orientalis interioris Templi, quæ ænea & graviſſima erat, & quæ vix aperiri poterat a viginti viris, cum validiſſimis & tutiſſimis vectibus clauſa & oppeſſulata fuiſſet, tamen noctu ſponte aperiri conſpecta eſt; quod ſimplicior & vanior plebecula inſtar boni ominis interpretabatur, quaſi hoc ſignificaret Deum velle ipſis aperire januam omnium bonorum. Sed qui intimius res penetrabant, ac ſolidioris erant judicii, ſuſpicati ſunt hoc portendi lapſum & ruinam ſplendoris Templi.*

Joſeph. de Bello, lib. 6. cap. 31.

Cum hac ejus relatione conſentiunt alii ejuſdem Gentis Scriptores, qui referunt, *quadraginta annis ante excidium Urbis valvas Templi ſponte apertas fuiſſe. Quam in rem Rabban Jochanan ben Zaccai exclamavit*, (erat ſecundus a Præſide *Synhedrii*) *Aperi valvas tuas, o Lebanon; ut ignis poſſit vorare. Atque ab eo tempore Magnum Synhedrium fugit ex conclavi Gazith, & ita e loco in locum translatum eſt.* Idem dicit *R. Solomon* in *Zachar.* 11. 1. *Aperi portas tuas, o Lebanon. Prophetat*, inquit, *de deſtructione ſecundi Templi; nam quadraginta annis ante excidium Templi valvæ ſponte apertæ ſunt; Rabban Jochanan eos arguit, & dixit: O Templum, Templum, quamdiu temet ipſum turbabis? Video tibi expedire excidium, nam Zachariah filius Iddo ita prophetavit de te: Aperi portas tuas, o Lebanon, ut ignis poſſit vorare tuas Cedros*, &c.

Juchaſin, fol. 10.

R. Solom. in Zach. 11.

Tria ſunt memoratu digna quæ Judæi contigiſſe ajunt quadraginta annis ante Templi excidium: nempe, hanc apertionem ſpontaneam valvarum, *Synhedrii* translationem ex conclavi *Gazith*, & purpuream lanam impoſitam capiti Hirci emiſſitii non evadentem albam: quæ ſunt veluti Teſtimonia quæ adverſus ſemet ipſos ferunt circa mortem *Chriſti*, quæ contigit exacte quadraginta annis ante Templi everſionem. Tum Dominus oſtendit illis apertione valvarum, Eccleſiaſticam eorum gloriam evaneſcere; translatione *Synhedrii*, Politicæ poteſtati finem inſtare; ac lanam coccineam non dealbando, quod hactenus ſignificaverat remiſſionem peccatorum, enormia ipſorum crimina ac reatum propter mortem *Chriſti*. Confer hanc ſpontaneam apertionem valvarum Templi cum Veli laceratione ſpontanea, atque ea prodigia ſibi invicem lucem fœnerabuntur. Et fortaſſe verba, *Rabban Jochanan* in hanc valvarum apertionem, *O Templum, quamdiu temet ipſum turbabis?* ſignificant ante hoc prodigium fuiſſe aliam aliquam æque miram in Templo perturbationem, quæ potuit eſſe laceratio Veli.

SECTIO II. *Conſeſſus Synhedrii in hac Porta.*

Hæc *Nicanoris* ſeu Orientalis Porta Atrii erat locus conſtitutus ubi ſuſpecta Uxor probabatur potu aquarum amararum, & ubi

& ubi Leprosus mundatus stabat ut ejus expiatio fieri posset; quarum rerum ritus suis locis descripsimus. Ad hanc etiam Portam se sistebant mulieres post partum, ut purificarentur. Hic Virgo *Maria* obtulit Domino infantem *Jesum*, *Luc.* 2. 22.

Thalm. in Sanhed. Per. 11.

In hac Porta *Nicanoris* (non in ipso quidem introitu, sed in aliquo Conclavi supra vel prope eam) sedebat *Synhedrium viginti trium Judicum*. Erant tres inter Judæos Judicum ordines: Consessus trium Judicum, Consessus Viginti trium, & *Magnum Synhedrium* unius & septuaginta. In minoribus oppidis erat Triumviratus seu Consessus trium Judicum: hi judicabant de litibus pecuniariis, mutuis, furtis, damnis, restitutionibus, vi illata vel fraude facta puellæ, detractione calcei, aliisque variis minime capitalibus. In majoribus oppidis erant *Synhedria* viginti trium virorum, quorum erat in quibusdam criminibus capitalia exercere judicia, & non in omnibus. Denique *Hierosolimæ* erat *Magnum Synhedrium* quod de rebus majoris momenti judicabat. *Synhedrium* porro Viginti trium non requirebat necessario magnam Civitatem, sed eam tantum in qua essent 120. viri qui munus gerere possent. כמה יהא בעיר ותהא ראויה לסנהדרי מאה ועשרים, *Quot debent esse viri in urbe, ut possit habere Synhedrium?* Hanc quæstionem cuipiam in *Thalmude* proponenti, alter respondet: *Debent esse* 120. Confer *Actor.* 1. 15. Quæ porro in munera seu officia hi viri distribuendi sint, ostendi posset ex *Gemaristis* & *Maymonide*, si res hujus loci foret. Hos duntaxat recensebimus.

Ibid. Per. 1.

Maym. in Sanhed. Per. 1.

Unumquodque Synhedrium viginti trium virorum habuit tres ordines virorum munus gerentium, qui in unoquoque ordine viginti tres erant. Cum desiderabatur Assessor in Synhedrio, primus in primo ordine in id conscribebatur, & Judex fiebat: primus vero in secundo ordine veniebat, & postremus sedebat in primo: primus pariter in tertio ordine veniebat, & postremus sedebat in secundo, dum alius desoris arcessebatur qui sederet ultimus in tertio; atque ita Synhedrium & ordines semper suo numero constabant.

Porro uti *Magnum Synhedrium* sedebat in Templo, ita etiam duo minora *Synhedria* viginti trium virorum, alterum quidem in Porta *Shushan* vel Porta Montis Templi, alterum vero in hac Porta *Nicanoris* seu Atrii. Ascendebat autem ad supremum unius & septuaginta Senatum per munera horum duorum *Synhedriorum* tanquam per gradus. *Quicunque inveniebatur idoneus, primum fiebat Judex in sua Civitate; inde promovebatur ad munus Judicis in Porta Montis Domus; postea ad munus Judicis in Porta Atrii, ac denique in Magnum Synhedrium.* In quopiam ex hisce Judicum Consessibus in Templo Servator noster ostendit sapientiam suam cum esset duodecim annos natus, *Luc.* 2. 46. Ex hisce Judicibus quidem eum tentarunt, proposita quæstione de muliere in adulterio deprehensa, quæ ad eorum tribunal deducta fuerat, *Joann.* 8. 4. 5.

Id. ibid. Per. 2.

Ante tempora captivitatis *Babylonicæ* ipsum *Magnum Synhedrium* sedebat in hisce duabus Portis, Porta *Shushan*, & Porta *Nicanoris*: aliquando in una, interdum in altera, ut videbatur, *Jerem.* 35. 4. & 26. 10. & 36. 10. sed in posterioribus temporibus, exstructo Conclavi *Gazith*, & *Magno Synhedrio* ibi sedente, hæ duæ Portæ, aut alterutra earum habuit minus *Synhedrium* viginti trium virorum. Consessus eorum fiebat in aliquo Conclavi superiori: neque enim haberi poterat in ipso introitu per quem commeabat populus, nec ipsis licebat sedere in Porta *Nicanoris*, in ea ejus parte quæ erat intra Atrium; nemini enim præter Regem eo in loco sedere licebat. Attamen poterant sedere in superioribus Conclavibus, licet essent intra ambitum Atrii; neque enim ea adeo sancta existimabant ac inferius spatium.

Hæc est Porta de qua loquitur *Ezechiel*, Cap. 46. 1. 2. *Porta interioris Atrii quæ respicit Orientem claudetur in sex profestos dies; sed Sabbato & die Novilunii aperietur. Et intrabit Princeps per viam Vestibuli Portæ deforis, & stabit in limine Portæ*, &c. Ante hanc Portam introrsum *Solomon* collocaverat æneum suum tribunal, in quo genubus flexis oravit in dedicatione Templi, 2. *Paral.* 6. 13. collato cum 1. *Reg.* 8. 22. Sequentibus temporibus Reges per hanc Portam intrabant, & intus habebant suum locum, juxta *Solomonis* exemplum; qua parte erat Regia Columna, ut vocatur 2. *Paral.* 23. 13. Ejus nempe Sella posita erat intra hanc Portam in Atrio ad unam ex Columnis quibus sustentabatur Atrium. Nam ut hæc pars Atrii Orientalis proprius erat populo locus ad adorandum Deum; ita etiam in ea hujus parte quæ e regione opposita erat Portæ Templi, & Altari, ad ipsum Portæ introitum, non procul ab una ex Columnis erat Sella Regia. Aliquatenus cum hoc situ Sellæ Regiæ in Atrio consentientia habet *Ezechiel*, quamvis in ejus descriptione aliquod sit discrimen propter mysterium quodpiam. Potes in hoc Propheta observare exterioris Sanctuarii Portam Orientalem perpetuo clausam esse, interioris vero

vero ſex hebdomadis diebus, quæ certe ordinarie cum Templum inſtauratum fuit non obſervabantur; utraque enim interdiu ſemper patebat; ſed ita eas deſcripſit, ut extolleret Gloriam quam in Templum ingreſſuram dicit. Et cum certe Rex Deum adoraturus Atrium ingrederetur, atque intra Portam Deo cultum exhiberet, eoque in loco ſederet dum publicus perageretur cultus; adducit *Ezechiel* Principem duntaxat ad limem Portæ, ubi dum offertur ſacrificium, ſtat. Juxta hanc deſcriptionem, qui ad hanc Portam veniſſent, eos oportuiſſet intrare per Septentrionalem vel Auſtralem Portam Atrii Mulierum, quia Orientalis clauſa erat, *Cap.* 44. 1. atque hanc in rem eſt hoc mandatum: *Et cum intrabit populus terræ in conſpectu Domini in ſolemnitatibus, qui ingreditur per Portam Aquilonis ut adoret, egrediatur per viam Portæ Meridianæ. Porro qui ingreditur per viam Portæ Meridianæ, egrediatur per viam Portæ Aquilonis; non revertatur per viam Portæ per quam ingreſſus eſt, ſed e regione illius egrediatur*, Cap. 46. 9. Cum vulgo accedentibus ad Templum, ante & poſt Captivitatem, Orientalis Porta Atrii Mulierum perpetuo pateret, & plerumque illac ingrederentur, & ita per Atrium Mulierum recta contenderent ad Portam *Nicanoris*, & ſæpe etiam per eam in Atrium ingrederentur; attamen ſecuti ſunt in hac re mandatum Prophetæ ſub Templo ſecundo, ut per eandem Portam non egrederentur per quam intraverant. *Thalmudiſtæ* hac de re hanc habent Traditionem: כל הנכנסין להר הבית נכנסין דרך ימין ומקיפין ויוצאים דרך שמאל *Omnes qui ingrediuntur Templum juxta conſuetudinem loci, intrant per viam dextram & circumeuntes per ſiniſtram exeunt*: quod non ſignificat, ut interpretantur Scholiaſtæ, oportuiſſe ſemper egredi per Portam e regione oppoſitam & per quam quis ingreſſus erat; ſed nullum potuiſſe per eandem Portam egredi per quam ingreſſus erat, ſed per quamlibet aliam; ut ſi quis ingreſſus fuiſſet per Portam Orientalem, non licuit per eandem Orientalem Portam egredi, ſed per Septentrionalem quidem aut Auſtralem. Excipiunt tantum duum generum homines: חוץ טמי שארעו דבר, *quibus aliquid extraordinarium contigerat; nam ſemper circumibant ad ſiniſtram. Quare hanc viam inſiſtis? Quia lugeo. Qui habitat in hac Domo te conſoletur. Vel, Quia ſum excommunicatus. Is qui habitat in hac Domo ponat in corde tuo ut poſſis auſcultare verbis ſociorum tuorum, & te admittant.*

Midd. Per. 2.

Itaque ordinaria via qua veniebant in Templum ad adorandum, erat per Orientalem Portam Atrii Mulierum ad Portam *Nicanoris*, unde retrogreſſi exibant per Septentrionalem vel Auſtralem ejus Atrii Portam. Phariſæus in Parabola ad hanc Portam *Nicanoris* quam proxime poteſt accedit, quippe qui fucatam pietatem ea in re collocaret, ut nempe eſſet quamproximus Sanctuario: ſed humilis Publicanus procul ſtabat, *Luc.* 18. 13. Imo Rex ipſe, licet ingrederetur per Occidentalem partem Montis Domus, attamen deſcendebat ad Atrium Mulierum, unde ad Orientalem Atrii Portam ad quam ejus Sella poſita erat, aſcendebat. Viri Stationarii, de quibus ſuo loco diximus, ingrediebantur Atrium *Iſraelis*, quod & alii factitabant *Iſraelitæ* feſtis diebus anniverſariis quibus erant multæ victimæ offerendæ, præſertim feſto Paſchatis, quo qui habebat ſingulare ſacrificium offerendum, ingrediebatur Atrium per unam ex ejus Septentrionalibus Portis, de quibus ordine ſuo agemus. Sed qui veniebant in Templum ad orandum & colendum Deum ſine ſacrificio, ſolebant plerumque Deum adorare ante *Nicanoris* Portam, quæ valvis Templi e regione oppoſita erat, atque ita revertebantur.

CAPUT XXI.

De Portis & Ædificiis quæ erant in muro Atrii ad Orientem & Auſtrum.

JAM ingreſſi ſumus Atrium, in quo cum multa nobis luſtranda & cognoſcenda occurrant, incipiamus Portis & Ædificiis quæ erant in muro quo circumdabatur. Ante omnia conſideremus Orientale latus muri in quo erat Porta *Nicanoris*, quam jam luſtravimus, & per quam ingreſſi ſumus. Nulla erat in hoc toto latere Porta præter hanc, nec ulla ædificia præter duo, quæ hinc inde Portæ vicina erant ad lævam & dextram ingreſſorum.

Ad dextram erat quod vocabatur לשכת פנחס המולביש, *Conclave Phineæ Veſtiario præfecti*, cujus mentio occurrit in Tractatu *Sekalim* inter præcipuos Templi Miniſtros. *Hi erant præcipui Miniſtri in Sanctuario*, ajunt ibi *Thalmudici*, *Jochanan præfectus ſigillis*; *Abijah præfectus fluidis oblationibus; Matthias filius Samuelis ſortibus; Pethajah avibus* (ad oblationes neceſſariis) *hic Pethajah erat Mordecai*, &c. *Phinehas Veſtiario*, &c. Scholia in hunc locum affirmant ibi memoratos viros fuiſſe illuſtriſſimos ac nobiliſſimos eorum qui

Midd. Per. 1.

Thalm. in Shekal. Per. 5.

variis hiſce muneribus fungebantur, nec fuiſſe unius generationis, ſed plurium; *Barthenora* exiſtimat hoc munus *Phineæ* ſitum fuiſſe *induendis Sacerdotibus cum miniſtraturi erant, in iis exuendis cum Miniſterio defuncti erant, ac aſſervandis eorum veſtibus*. Quod non debet ita capi, quaſi illos adjuvaret *Phinæas* ad induendas ac exuendas quotidie veſtes, cum Miniſterium inchoabant aut finiebant; nam ipſi eas exuebant & induebant: ſed curabat ipſis parari veſtes cum primum miniſtrare inciperent; & cum erant uſu detritæ, eas accipiebat iterum, & novas parari curabat. Hoc autem fiebat publicis ſumptibus, ſed hoc ille procurabat; & cum veſtes erant detritæ, iterum referebantur ad publicum uſum: alibi enim obſervavimus eas refectas fuiſſe ad facienda ellychnia lucernis & lampadibus feſto Tabernaculorum accendendis, & *cum lætarentur in effuſione aquæ*.

Barthenor.

Midd.

Ad ſiniſtram Portæ erat לשכת עשרי חביתין *Conclave Piſtoris*: ita enim vocabimus eum qui præparabat quotidianas Pontificis Maximi oblationes, quæ Thalmudica lingua vulgo vocantur שתי הלחם חביתי כ״ג, *duæ placentæ Summi Sacerdotis*, de quibus ſuo loco diximus; atque quotidiana oblatione diſtinguebatur Summus Sacerdos ab aliis Sacerdotibus.

Menach. fol. 96. Maym. in Biath. Mikd. Per. 4.

Magna eſt opinionum varietas inter Judæos, etiam ipſos *Thalmudicos*, circa numerum Portarum in hoc Atrio. Quibuſdam in locis numerantur ſeptem, qui certe verus fuit numerus; ſed in quibuſdam aliis locis mentio fit tredecim Portarum. Imo, ait *Gloſſa* in quempiam locum, *quidam numerant ſeptem, quidam quinque, quidam tres, quidam tredecim; ſed plerique ſeptem fuiſſe ajunt*. Ratio autem hujus varietatis hæc eſt, quod quidam ex Judæis numerant tantum Portas frequentiſſimas, & commeantibus celeberrimas, quæ tres præſertim erant, Porta *Nicanoris* ad Orientem, duæ ad Septentrionem & ad Auſtrum, de quibus poſtea agemus. Alii numerant tantum Portas quæ ſervabantur excubiis, quæ quinque duntaxat erant: alii vero etiam Januas ædificiorum Atrio annexorum, per quas ex Atrio adiri ſolebant, æque ac Portas ipſas per quas tranſitus patebat, quæ ad numerum tredecim aſſurgunt. Sed in ſeptenario numero acquieſcemus, quippe qui a pleriſque verus & proprius fuiſſe agnoſcitur *Thalmudicis*, & *Joſepho* in ſecundo Templo. Quot eſſent in priori, paucis docebimus, priuſquam ab hoc Atrio abeamus. In Auſtrali latere erant tres Portæ. I. שער מים, *Porta Aquarum*, quæ una ex tribus maxime ad Orientem vergebat. II. שער בכורות, *Porta Primitiarum*, quæ aliquando etiam vocatur שער הקרבן, *Porta Oblationis*, quæ media erat. III. שער הדלק, *Porta Accenſionis*, quæ maxime ad Occidentem vergebat.

Midd. Per. 1. & Jom. fol. 19. Middoth Per. 2. & Shekalim, Per. 6. Gloſſ. in Thamid. Per. 1.

Midd. Per. 5. & Maymon. in Beth Habbech. Per. 5.

Præter tres haſce Portas erant in eodem Auſtrali latere tria alia ædificia muro annexa quorum hæc fuerunt nomina. I. לשכת גזית, *Conclave Gazith*. II. לשכת גולה, *Conclave Putei*. III. לשכת העץ, *Conclave Ligni*. Hæc nobis luſtranda occurrunt in Auſtrali latere. Jam igitur id operis aggrediamur, atque obſervemus ſitum & uſum variorum horum locorum.

Et primo quidem *Joſephus* ut teſtimonium huic numero quem ſequimur perhibet in hiſce verbis, Ο' ἐντὸς περίβολος κατὰ μὲν τὸ νότιον ϗ βόρειον κλίμα τρισίχους πυλῶνας εἶχε, *Circuitus interior ad Auſtralem & Borealem partem tres habuit Portas*: ita etiam nobis facem præfert ad intelligendum earum ſitum, cum dicit eas fuiſſe ἀλλήλων διεστῶτα, *æqualibus intervallis diſtantes*. Idem dixerat de Portis quæ erant in extimo muro, eo nempe qui Montem Domus circumdabat, *Portas in eo Auſtrum reſpicientes fuiſſe* κατὰ μέσον, hoc eſt, ita ſitas, ut æquale interſtitium eſſet inter Portam & Portam, & inter extremas Portas & angulos muri. Symmetria etiam cogit nos eodem modo intelligere verba ejus de Atrii Portis; ſcilicet æqualem fuiſſe diſtantiam inter omnes Portas, & a duabus extremis uſque ad angulos muri quibus proximæ erant.

Antiq. lib. 15. cap. 15.

Ibid.

Cum autem longitudo Atrii, adeoque ejus muri eſſet CLXXXVII. cubitorum in ſitu Portarum, juxta ſymmetriam debitam, hæ proportiones concipiendæ erunt: ab orientali angulo muri ſi ducta fuiſſet linea cubitos 46: $\frac{1}{4}$ longa ad Occidentem, pertigiſſet ad mediam *Portam Aquæ*: ſi ulterius eadem longitudine producta fuiſſet, pertigiſſet ad mediam *Portam Primitiarum*; atque eadem menſura iterum producta ad mediam *Portam Accenſionis*; unde ſi tertio ducta pertingere potuiſſet Occidentalem angulum muri. Atque ita optime & συμμετρικῶς concipere poſſumus ſitum Portarum. Ideoque cum Hebræi Scriptores de hiſce Portis verba facientes ſoleant dicere eas fuiſſe סמוכים למערב, *Proximas Occidenti*, non ita hoc intelligendum, quaſi velint omnes illas vicinas & Occidentali angulo proximas fuiſſe; ſed ita loquuntur reſpectu utriuſque Atrii, hujus & Mulierum ſimul ſumpti.

Vid. Maymon. ubi ſupra, & ib. Midd.

Ad tria ædificia quæ in hoc latere Portis

tis erant interposita, quod attinet, hæc possunt observari circa eorum situm & dispositionem. I. *Portam Aquæ* & *Conclave Putei* videri ipsis nominibus relationem aliquam habuisse inter se, ideoque non esse separanda. Ac sane quamvis aliqua alia esse potuerit ratio nominis *Portæ Aquæ*, præter vicinam Conclavis Putei, attamen postea observabimus hanc etiam nominis rationem esse potuisse, & utramque conjungendam. II. *Thalmudici* dicunt tecta horum trium ædificiorum æqualia fuisse, *Midd. Per.* 5. unde videtur colligi posse ea non fuisse remota a se invicem, sed vicina, ita ut inter ea sola Porta interjaceret. III. Mox ostendemus ex *Hierosolymitano Thalmude*, *Portam Aquæ* & *Conclave Ligni* conjuncta fuisse. IV. *Thalmudici*, *Maymonides*, aliique Judæorum Scriptores cum nomina trium horum Conclavium recitant, semper *Conclave Gazith* primum vel postremum nominant; quo ostendunt id ab alterutra parte ad Occidentem vel Orientem extremum fuisse non medium inter alia. V. Si id in parte maxime Occidentali collocemus, tum erit in Tribu *Benjamin*, cum *Magnum Synhedrium* quod in eo sedebat, credatur a Judæis, & quidem merito, sedisse in ea parte Atrii quæ erat in Tribu *Judæ*, *Genes.* 49. 10. Hæc igitur cum ita sint, concludere est *Conclave Gazith* fuisse intra *Conclave Putei*, infra *Portam Aquæ*, vel versus Orientalem angulum Atrii: *Portam* vero *Aquæ* intra *Conclave Ligni*: atque hæc omnia contigua fuisse, quod eorum situs cognitio in sequentibus confirmabit. Incipiemus ab Orientali angulo ad quem erat Conclave vel Ædificium *Gazith*.

Thalm. in Sevachim fol. 54.

CAPUT XXII.

Conclave Gazith, Magni Synhedrii sedes.

ÆDificium *Gazith*, ita vocatum, quod constaret lapidibus affabre elaboratis, quo sensu vox occurrit 1. *Reg.* 5. 17. apparet constructum fuisse ex Auctore Libri *Juchasin*, *a Simone Ben Shetah*, qui fuit Vice-Præses *Magni Synhedrii*, cum *Judah Ben Tabbai* esset *Nasi* in sexta Generatione ab *Esdra*, temporibus *Hircani Jannæi Hasmonæi*. Erat חצייה קודש חצייה חול, *dimidia ejus pars sancta erat, dimidia communis*: hoc est, pars ejus intra Atrium erat, & pars erat ἐν τῷ חיל, atque habebat Januam qua in utramque ingrediebantur partem. In ea parte dimidia quæ erat ἐν τῷ חיל *Chel*, sedebat *Synhedrium*, seu Consessus unius & septuaginta Judicum. Jam autem peculiaris ratio quare sederet in ea parte Domus que fuit ἐν τῷ *Chel*, erat quia nemini licebat sedere in ea parte Atrii, excepto Rege: אין ישיבה בעזרה אלא למלכי בית דויד בלבד, *Nemo poterat sedere in Atrio, nisi esset unus e Regibus Domus David*. In alia parte hujus ædificii, quæ erat intra Atrium, Sacerdotes solebant quotidie sortes jacere, ut dividerent inter se ministeria; qua de re alibi diximus.

Aruch in גזית. Juchas. fol. 16. Aboth, Per. 1. Sect. 8. Jucha. ubi supra. Joma, Per. 2. in Gemara, fol. 25. Maymon. in Beth Habbech. Per. 5.

Vide R. Solom. & Kimch. in 1. Reg. 12. & Midr. Tillin. in Psalm. 1. ab initio.

Quoniam autem lustramus Conclave *Magni Synhedrii*, hinc abire piaculum duxerimus, priusquam *Synhedrium* ipsum, ejusque constitutionem, rationem sedendi, potestatem atque historiam breviter consideraverimus. Ægre ferrent tales viri, si eos relinquamus nulla sui consideratione habita.

Thalm. in Sanhedr. Per. 1.

In hoc supremo Senatu Judices erant unus & septuaginta, juxta numerum quem conficiebant *Moses* & Septuaginta Seniores ab eo electi, cum Deus in deserto primum hoc constitueret Tribunal, *Num.* 11. Promiscue eligebantur ex Sacerdotibus, Levitis, & *Israelitis*: (quam distinctionem sæpe N. Testamentum hisce verbis exprimit, *Principes Sacerdotum, Scribæ & Seniores*) אפי׳ היו כלם ישראל הרי זה מותר, sed si Sacerdotes & Levitæ non reperirentur necessariis dotibus ornati, *si totus Senatus constaret viris alius Tribus, bonum hoc & licitum erat*.

Maym. in Sanhedr. Per. 1.

Dotes necessariæ erant, ut essent pii & eruditi in disciplinis & linguis. Oportebat in iis esse aliquam peritiam Physicæ, Arithmeticæ, Astronomiæ, Astrologiæ, imo etiam eos non prorsus ignorarare Magiam, Sortilegia & Idololatriam, ita ut de iis judicare possent. Debebant carere omni corporis vitio, nec ad nimiam senectutem pervenisse, quia ejusmodi senes plerumque nimis severi sunt; eosque oportebat esse Patres, ut misericordiam & tenerum affectum paternum nossent.

Id. ibid. Per. 2.

Hæc erat eorum sedendi ratio. Eminentissimum virtutibus & sapientia constituebant Principem Senatus, eum vocabant *Nasi* vel *Præsidem*, atque eum putabant *Mosem* referre. Proximum ei virtute & eruditione eligebant ut secundum locum occuparet, eumque vocabant *Abb-Beth-Din*, *Patrem Domus Judicii*, vel Vice-Præsidem. Hic sedebat ad dextram τοῦ *Nasi* (confer phrasin *Sedere ad dextram potestatis*, Matth. 26. 64.) Postea totum *Synhedrium* hinc inde in semicircularem lineam sedebat ad lævam & dextram. Ante ipsos ad utramque manum erant duo Scribæ *Synhedrii*, quorum unus scribebat suf-

suffragia absolventia, alter damnantia. Confer *Matth.* 25. 33.

Id. ibid.

Proprium ac perpetuum tempus eorum Sessionis, erat a peracto matutino cultu ad initium vespertini, adeo ut eorum Sessio & tempus divini cultus non coinciderent. Attamen aliquando occasionibus quibusdam fiebat ut ad noctem usque Sessionem suam protraherent, ut possent expedire negotium aliquod, de quo die illa disceptaverant: neque enim licebat noctu quicquam novi inchoare. Violarunt propriam consuetudinem & traditionem cum *Christum* noctu judicarunt.

Eorum erat judicare de omnibus personis & negotiis, (licet non attingerent res minoris momenti, sed eas inferioribus *Synhedriis* judicandas relinquerent) ita ut judicium ferre possent de tota Tribu, Propheta, Summo Sacerdote, imo etiam Rege ipso, si se occasio offerret: *Si Sacerdos Summus quid admitteret quod flagris dignum esset, eum flagellabant*, inquit *Maimonides*, *& iterum eum dignitati suæ restituebant. Et quamvis non admitterent Regem ex Domo Davidis ut esset membrum Synhedrii*, inquit idem Scriptor, *attamen Reges judicabant populum, & Synhedrium judicabat ipsos, si se daret occasio*. Habebant duas hasce Traditiones plane contrarias, quarum tamen utraque variis temporibus valebat: המלך דן ודנין אותו *Rex judicat, & judicant ipsum*: & המלך לא דן ולא דנין אותו, *Rex non judicat, nec judicant ipsum*. Prior valuit usque ad Regem *Janni*, qui coram ipsis citatus fuerat; & quia non potuerunt vitare qui in partes abirent, posteriorem constituerunt.

Id. ibid. — Idem in Sanhedr. Per. 2. — Sanhedr. Per. 2. in Gemara.

Ibid. Perek. 7.

Pœnarum capitalium, de quibus præsertim judicabant, habebant quatuor genera, lapidationem, combustionem, gladium, & suffocationem. Eo respicit *Thargum Ruthæ* quod habet hanc interpretationem ad *Cap.* 1. 16. *Naomi dixit ei, Præceptum est nobis servare Sabbata & festos dies, ita ut non liceat ambulare plus quam ducentos cubitos. Ruth dixit, Quocunque iveris, ego volo ire. Naomi dixit, Præceptum est nobis non habitare cum Ethnico. Ruth dixit, Ubicunque commoraberis ego commorabor. Naomi dixit, Præceptum est nobis servare sexcenta & tredecim mandata. Ruth dixit, Quod populus tuus observat volo observare quasi esset populus meus. Naomi dixit, Præceptum est nobis non colere Deos exteros. Ruth dixit, Tuus Deus erit meus Deus. Naomi dixit, Habemus quatuor pœnas capitales in transgressores, lapidationem lapidibus, combustionem igne, interfectionem gladio, suspensionem ex arbore. Ruth dixit, Quemadmodum morieris ego volo mori.*

Thargum in Ruth 1. 16.

Sanhedr. ubi supra.

I. Qui comburebantur hac ratione supplicium subibant. Collocabantur genubus flexis in sterquilinio; deinde duo viri reste ejus collum trahebant & constringebant donec os aperiret; deinde liquefactum plumbum infundebant, quod in ejus viscera defluebat.

II. Quibus laqueo gula frangebatur, eos etiam collocabant genubus flexis in sterquilinio, ac duo viri eos laqueo suffocabant, uno hinc, altero illinc laqueum trahente donec animam efflassent.

III. Qui gladio percutiebantur, ii capite obtruncabantur.

Ibid. Perek. 6.

IV. Qui lapidibus obruebantur erant nudi. Primum unus e testibus trahebat eum, & impellebat ut lumbos ejus lapidi allideret. Si eum interficeret, nihil addebatur; sin vero non interfecisset, alter testis magnum lapidem impingebat in ejus pectus dorso recumbentis. Si tum interfectus esset, finis erat supplicii; alioqui totus populus in eum lapides conjiciebat. Hoc nos juvat ad intelligendum quod dicitur de testibus qui reliquerunt vestes suas ad pedes *Saulis*, cum lapidibus obrueretur *Stephanus*, *Actor.* 7. 58. nempe quia primi lapides in *Stephanum* projicere debebant, superioresque ideo vestes abjecerant, ne sibi impedimento essent. Hinc etiam illustratur dictum Servatoris, quod ad hanc lapidationis rationem alludit: *Quicunque inciderit in hunc lapidem, comminuetur: sed in quemcunque ceciderit, eum conteret*, Matth. 21. 44. qui enim lapidibus obruebatur, primum in lapidem impellebatur, deinde in ipsum lapis conjiciebatur. Qui lapidabantur etiam suspendebantur; sed est aliqua inter *Thalmudicos* disceptatio, utrum omnes qui lapidati fuerant suspenderentur. Sed quicquid fuerit, consentiunt Blasphemos & Idololatras suspensos fuisse. Atque etiam hoc nos juvat ad intelligendum quid factum fuerit *Stephano*, quem damnarunt & lapidarunt tanquam blasphemum; talem enim eum esse dicebant. Primum allisus fuit lapidi ab uno testium; deinde alter in eum ingentem lapidem immisit; & cum nondum mortuus esset, sed iterum in genua consurrexisset, ita mortuus est dum oraret & lapidibus a populo obrueretur; postea in patibulo suspensus est, & ea ipsa nocte detractus ac sepultus: Lex enim vetabat pendere aliquem e ligno per totam noctem. Ejus porro sepeliendi ratio eadem non fuit cum ea qua solebant sepeliri quos ultimo supplicio Magistratus affecerat, uti nec etiam *Christi*, cujus cadaver

ver petiit *Josephus Arimatheensis* : nam cum *Synhedrium* haberet duo cœmeteria in quibus sepeliebantur supplicio affecti, quorum unum erat in usum lapidatorum & combustorum, alterum vero eorum qui gladio vel laqueo puniti fuerant; apparet, pios aliquot Christianos detraxisse patibulo cadaver *Stephani*, idque solennius in quopiam alio loco sepulcro mandasse.

Quamvis *Synhedrium* sederet in Templo, tamen supplicii locus erat extra Urbem, ut patet ex *Levit.* 24. 14. *Deuter.* 17. 5. *Hebr.* 13. 13. *Actor.* 7. 58. Flagellorum & fustium supplicium sæpe sumebatur in ipso Templo, ut *Deuter.* 25. 2. *Jerem.* 20. 2. Atque hanc in rem habebant suos שוטרים, *Lictores* paratos ad exsequendas hujuscemodi pœnas. שוטרים הם עלי מקל ורצועה, *Shoterim*, ait *Maymonides*, *ii erant qui gestabant fustes & flagella, & adstabant Judicibus. Illi per plateas ambulabant & cauponas, ut expenderent mensuras & pondera, utque transgressores verberarent: & omnes eorum exsecutiones fiebant mandato Judicum: & quemcunque viderent peccantem, eum ad Judices trahebant, hique eum judicabant juxta ejus peccatum.*

Maymon. ubi supr. Per. 1.

Hoc Magnum Synhedrium sedens in Gazith הם עקר תורה שבעל פה ועמודי הוראה *erat fundamentum Legis Oralis, & columna instructionis,* (confer phrasin 1. *Tim.* 3. 15.) *& ab eo decreta & judicia exibant in omnem Israelem. Quicunque credebat Mosi & ejus Legi, tenebatur aquiescere iis in rebus judicialibus.* Hæc *Maymonides* in loco citato in margine. Itaque in omnibus dubiis circa res judiciales, ultimum perfugium eo erat, tanquam ad Tribunal cujus judicia in dubium revocare aut deserere non licebat. Hoc autem sic fiebat: si quis occasionem haberet inquirendi de re quapiam ejusmodi, primum ibat ad Consessum Judicum qui erat in ejus Urbe. Si dubium rite solvere possent, acquiescebat: si non possent, unus eorum ibat ad proximum *Synhedrium*: si non possent solvere, ibat ad *Synhedrium* viginti trium virorum quod erat ad Portam Montis Domus: si hoc etiam non posset, ibat ad alterum *Synhedrium* viginti trium virorum quod erat ad Portam *Nicanoris*: quod si non posset, ibat ad hoc Conclave *Gazith*, atque hic decisionem dubii sui accipiebat; quam si non sequeretur, habebatur זקן ממרא *rebellis Senior*, & periculum vitæ subibat.

Idem in Mamrim. Per. 1.

Thalm. in Sanhedr. Per. 2.

SECTIO I. *Præsides Synhedrii a Captivitate ad ejus dissolutionem.*

Cum huc usque digressi fuerimus ad considerandum Consessum Judicum qui sedebant in Conclavi *Gazith*, liceat nobis aliquantulum adhuc omittere lustrationem Templi ad tradendum catalogum & peculiarem notitiam omnium Præsidum in generationibus quæ fluxere a reditu *Babylonicæ* Captivitatis usque ad excidium Templi, Civitatis & *Synhedrii*; prout eorum nomina traduntur a Judæis Scriptoribus, ut in Thalmudico Tractatu *Aboth* in *Aboth Rabbi Nathan*, in Præfatione *Maymonidis* suæ *Jadh*, in Auctore *Juchasin*, & in variis locis *Thalmudis*.

I. Primus fuit *Esdras*, cujus mentio adeo celebris est in Scriptura. *Synhedrium* ejus temporis ordinarie vocatur a Judæis כנסת גדולה, *Magna Synagoga*, cujus præcipui ab ipso memorantur, *Esdr.* 2. 2. *Zerubbabel*, *Joshuah*, *Nehemiah*, *Serajah*, *Reelajah*, *Mordecai*, &c. Dicitur ascendisse *Hierosolymam* septimo anno *Darii*, *Esdr.* 7. 8. quod contigit viginti quatuor annis post populi reditum ex *Babylone*. Quomodo ante ista tempora se habuerit *Synhedrium*, difficile est dictu. Hujus *Synhedrium*, aut *Magna Synagoga*, ordinarie dicitur constitisse CXX. viris, (confer *Actor.* 1. 15.) qui an omnes una membra ejus fuerint, an vero successive, operæ pretium non est hic disceptare. Vixit juxta supputationem quorumdam Chronologorum Hebræorum, usque ad eum annum quo *Alexander Magnus* venit *Hierosolymam*: tum obiit decima die Mensis *Thebeth*, atque adeo prætergressus est *Babylonicam* & *Persicam* Monarchias. Existimant etiam *Haggæum*, *Zachariam* & *Malachiam* eodem anno cum *Esdra* fato functos esse, & tum Prophetiam cessasse. Confer *Actor.* 19. 2.

II. *Simeon Justus*. Quidam Hebræi Scriptores qui non dubitant quin fuerit Princeps *Synhedrii*, attamen quæstionem movent, num fuerit Summus Sacerdos, vel alius Sacerdos ordinarius. Verum *Josephus*, qui Græce scripsit, affirmat eum fuisse Pontificem maximum. Rursus quidam qui credunt eum fuisse Summum Sacerdotem, possunt sibi persuadere eundem hunc fuisse cum *Jadduah*. Sed *Josephus* manifesto eos distinguit, collocans *Simeonem* post *Jadduam*, interjecto *Onia*. Tempus ejus Præfecturæ potest inde colligi, quod *Eleazar* frater ejus, qui ipsi in Summo Sacerdotio successit, is fuerit ad quem *Ptolomæus Philadelphus* scripsit de Septuaginta Bibliorum Interpretibus.

Mira

Mira de hoc *Simeone* narrant ejus populares, quorum quædam alibi memoravimus, quibus hæc tantum adjiciemus. *Quod ejus tempore lana coccinea alba evaserit in capite Hirci emissitii; quod sors de Hirco emissitio semper ad ejus dexteram ascenderit; quod Occidentalis Lucerna nunquam extincta fuerit, & ignis Altaris semper jucunde flammaverit, sed cum mortuus est, vis ejus imminuta fuerit*. Hoc ipsi attribuitur dictum: *Mundus nititur tribus rebus, Lege, Religione, Misericordia*. Cognomen ei *Justo* inditum fuerat, Διά τε τὸ πρὸς Θεὸν εὐσεβὲς, καὶ πρὸς τοὺς ὁμοφύλους εὔνουν, *Tum propter ejus pietatem in Deum, tum propter benevolentiam in populares*, Joseph. *Antiquit.* lib. 12. cap. 2.

III. *Antigonus Socæus*. Hic fuit Magister *Sadoki* & *Baithi*, qui non bene intelligentes bonam ejus doctrinam, Hæresin adversus resurrectionem primi docuerunt. Hæc erat ejus doctrina: *Ne sitis tanquam servi qui serviunt Domino propter præmium; sed sitis tanquam servi qui serviunt Domino non propter mercedem, sed timor Cœli sit super vobis*: quam maligni ejus Discipuli in hunc impium sensum torquebant, nullum prorsus præmium sperandum esse colentibus Deum; atque ita negabant mundum futurum.

Sed *Josephus Ben Joezer*, & *Josephus Ben Jochanan*, ejusdem Discipuli, orthodoxam defenderunt doctrinam.

IV. *Josi*, vel *Joseph Ben Joezer ex Zeredah* [quæ fuit patria *Jeroboami*, 1. *Reg.* 11. 26.) habuit *Josi* vel *Josephum Ben Jochanan Hierosolymitanum* Vice-Præsidem. Hic Thalmudica monumenta incipiunt eos recensere *binos* זוגות, Præsidem nempe & Vice-Præsidem, non quod antea nulli fuerint Vice-Præsides, sed quia eorum nomina interciderunt, quemadmodum etiam fuerunt post *Hillelem*, licet nunquam postea a Judæis nominentur.

Hic *Joseph Ben Joezer* habuit adeo protervos liberos, ut noluerit eos hæredes agrorum suorum scribere, sed eos donaverit in pios usus.

V. *Joshua* filius *Perehiah* Præses: *Nittai Arbelita* Vice-Præses. Hic *Joshua* dicitur vixisse tempore Regis *Jannai*, qui vocabatur etiam *Alexander* filius *Hyrcani*. Hic *Hyrcanus* vocabatur quoque *Jannai*, atque invaserat Regnum; quo factum ut Sapientes & Optimates ejus ævi consilia agitaverint de eo ejiciendo ex Pontificatu Maximo: sed gladio se tutatus est, & plurimos interfecit Sapientes; quæ causa fuit cur *Joshua* filius *Perahiah Alexandriam* fugeret, sed intercedente *Simeone Ben Shetah* revocatus fuit.

VI. *Judas* filius *Tabbai* Præses: *Simeon Ben Shetah* Vices-Preses. Egregium par integrorum ac sanctorum virorum. Si eorum conscriberetur vita, egregia eorum narrarentur facinora: ut quod una die suspendio punierint octoginta Sagas, judicaverint Regem *Jannai*; alter eorum quotidie fleret propter errorem quempiam judicii quem commiserat; alter vero justitiam executioni mandari, proprii filii incolumitate posthabita, voluit. Hunc *Simeonem Ben Shetah* existimamus Conclavis *Gazith* conditorem fuisse.

VII. *Shemajah* Præses, & *Abtalion* Vice-Præses. Hi erant cognati, atque ex posteritate *Sennacheribi*, sed mater eorum erat *Israelitis*.

VIII. *Hillel* Præses, & *Shammai* Vice-Præses. Primum *Hillel* & *Menahem* eo munere fungebantur; sed *Menahem* sese *Herodi* applicuit. *Hillel* fuit inter eminentissimos Iudæorum quoquot unquam fuere, Doctores, natalibus, eruditione, Præfectura & liberis. Erat ex semine *Davidis* respectu matris, quæ originem ducebat a *Shephatiah* filio *Abigal*, uxoris *Davidis Hillel* abductus fuit *Babylonem*, unde venit *Hierosolymam* quadraginta annos natus: tum per quadraginta annos studio Legis incubuit sub *Shemajah* & *Abtalione*; post quos Præses fuit *Synhedrii* per alios quadraginta annos. Initium muneris hujus a plerisque incidisse scribitur in centesimum annum ante Templi excidium; juxta quam supputationem cœpit viginti octo annis ante Natales *Christi*, & obiit anno ætatis Servatoris Nostri duodecimo. Celebris est ob Discipulos quos habuit octoginta numero, inter quos fuit *Jonathan Ben Uzziel*, *Paraphrastes Chaldaus*, &c.

IX. *Rabban Simeon* filius *Hillelis*. Hic primum ornatus fuit titulo *Rabban*. Creditur esse idem *Simeon* cujus mentio fit *Luc.* 2. qui *Christum* brachiis sustulit; unde existimant ejus non ita frequentem ac honorificam mentionem fieri apud Hebræos, ac aliorum ejusdem ordinis virorum, quia non concoquunt istam confessionem *Christi*, quam ipsi abnegant. Hic cœpit præesse *Synhedrio* circa decimum tertium annum ætatis Domini Nostri, modo præmissa circa *Hillelem* supputatio admittatur. Quamdiu hoc munere functus fuerit, nemo dixit; sed quidam affirmant diuturnam non fuisse ejus Præfecturam. Scriptor Libri *Juchasin* refert nunquam ejus mentionem fieri in *Mishnah*, qui est Traditionum Judaicarum Codex. Fieri potest ut Christianismum amplexus refrixerit erga eorum Traditiones, ita ut nulla ipsi imputetur, quemadmodum aliis Docto-

Doctoribus. Verisimile est eum clam Christianismum professum esse, ut & *Nicodemus* factitabat, & simul munus suum servasse.

X. *Rabban Gamaliel Simeonis* filius. Hic fuit sub cujus disciplina *Paulus* educatus fuit, *Actor.* 22. 3. Vide & *Actor.* 5. 34. Erat Præses *Synhedrii* cum *Christus* accusatus fuit, & viginti duobus annis postea vixit. *Onkelos* Interpres Chaldæus Legis celebri ritu ejus funera curavit. Hic vulgo vocatur *Rabban Gamaliel Senior*, seu quia ejus nominis primus erat, seu quia diu vixit. De hoc extat dictum memorabile ultimo Capite Tractatus *Sotah*: *A tempore quo Rabban Gamaliel Senior obiit, honor Legis defecit, & puritas ac Pharisaismus interciderunt.*

XI. *Rabban Simeon Gamalielis* filius. Periit in excidio Templi, & interfectus etiam fuisset filius ejus, nisi *Rabban Jochanan Ben Zaccai*, qui gratia apud *Cæsarem* valebat, vitam ei impetrasset. Ita successionem Præsidum *Synhedrii* ostendimus usque ad Civitatis & Templi excidium: verum nondum plane destructum est *Synhedrium*, sed satis diu postea languens ac fugiens substitit, & habuit etiam usque ad integram ipsius abolitionem suos Præsides, qui hi fuerunt.

XII. *Rabban Jochanan Ben Zaccai*. Non fuit hic quidem ex posteris *Hillelis*, sed ejus Discipulus. Hic factus fuit Præses post mortem modo memorati *R. Simeonis*. *Synhedrium* ejus sedebat *Jabneæ*.

XIII. *Rabban Gamaliel Jabneensis*. Hic fuit filius *R. Simeonis*, quem *R. Jochanan Ben Zaccai* morti eripuit, donante ei *Gamalieli* vitam *Cæsare*, cum pater ejus *Simeon* interfectus est. Sed cum tunc temporis minorennis esset, non potuit muneri parentis succedere, ideoque ejus locum occupavit *R. Jochanan Ben Zaccai*, cui fato functo successit hic *Rabban Gamaliel*.

XIV. *Rabban Simeon* filius *Gamalielis Jabneensis*.

XV. *Rabbi Judah* filius *R. Simeonis*. Hic κατ' ἐξοχὴν vocatur *Rabbi* & *Rabbenu haccadosh*. Collegit *Misnajoth*.

XVI. *Rabban Gamaliel* filius *R. Judah*. Hic desiit titulus *Rabban*, & exstinctum est *Synhedrium*.

CAPUT XXIII.

Conclave Putei, לשכת הגולה

AD terminum Occidentalem celebris Conclavis *Gazith* erat Conclave quod vocabatur לשכת הגולה, *Conclave Putei*, cujus nominis hæc erat ratio: ששים היה בור קבוע הגלגל נתון עליו ומשם מספיקים מים לכל העזרה. *Quia ibi erat effossus puteus, cum rota supra ipsum, atque hinc petebant aquam in usum totius Atrii.*

Middhot Perek. 5.

Non exigua aquæ copia impendebatur in Templo ad implenda Lavacra, elixandas oblationes, abluendas victimas, & replendas cisternas in quibus corpus lavarent Sacerdotes: attamen semper abundabat aqua Templum. Locus ipse in quo erat situm natura siccus fuit, petricosus, & sine aqua; sed per canales eo aquam derivabant e loco remotiori, ubi fons erat commode eam in rem situs, qui vocatur עין עיטם, *Fons Etham*. Hac de re loco in margine citato ita habet *Thalmud Babylonicum*. *Domus Sanctuarii altior erat Terra Israelis, & Terra Israelis altior erat aliis terris. Similis non est nota ut citant ex Libro Josbua. Est scriptum ubique: Terminus descendebat, terminus ascendebat, terminus perveniebat*, &c. *sed de Tribu Benjamin scriptum est: Terminus ascendebat, non vero terminus descendebat. Hinc disce locum illum aptum existimatum fuisse ad ædificandum in eo Sanctuarium ad fontem Etham, quia altus erat. Sed dicunt illi, Paulo inferius id ducamus, quia scriptum est, Et habitabit inter ejus humeros, Deuter.* 33. 12. Hæc eorum sententia est: quod cum Sanctuarium altius esse deberet reliquo solo regionis, & cum Scriptura ostendat Tribum *Benjamin* altiorem esse reliquis, cum in ejus Chorographia dicantur omnes ejus termini descendere, non ascendere; ideo eos censuisse condendum esse Templum prope fontem *Etham*, quia ibi altissimum erat solum totius Tribus *Benjaminis*: sed cum considerarent Prophetiam Mosis, *Deum habitaturum inter humeros Benjaminis*, non *super ejus capite*, ideo elegisse eos *Moriah* locum inferiorem, & eo aquam derivasse ex *Etham*: *Aquæ ductus veniebat ex Etham*, ait *Hierosolymitanum Thalmud*.

Maymon. in Biath Mikdash, Perek. 5.

Zevachim Per. 5. fol. 54. fac. 2.

Thalmud Hierosl. in Jom. Per. 3. fol. 41.

Non multum ab argumento nostro digrediemur, si hic inquisiverimus ubi *Etham* fuerit. Est locus in Tribu *Simeonis* qui hoc nomine appellatur, 1. *Paral.* 4. 32. Jam quamvis *Simeonis* & *Juda* sedes fuerint intermixtæ, credo tamen eam mixtionem æque vicinam *Hierosolymæ* non fuisse, ac erat hic fons *Etham*. Mentio fit *rupis Etham*, *Judic.* 15. 8. & urbis *Etham*, 2. *Paral.* 11. 6. quarum alterutram hanc fuisse de qua agimus, pro arbitrio definiat lector; vel si neutram admittat, reponam tantum hujus rei determinationem pertinere potius ad Chorographiam regionis, quam ad descriptionem Templi. Scholia in locum Thalmudi-

mudicum supra citatum habent hæc verba: *Videtur fons Etham fuisse puteus aquæ Nephtoab, de qua mentio fit*, Jos. 18. 15. In eundem sensum loquitur *Kimchi* in Commentario suo in locum illum *Josuæ*. *Ajunt*, inquit, *puteum aquæ Nephtoab esse fontem Etham cujus meminere Rabbini nostri*. Videtur hic locus ad Occidentem Templi situs fuisse, unde in eam partem tubi descendebant, & juxta Domus ipsius Australe latus transibant per eum locum qui vocabatur *Descensio Aquarum*, de quo antea diximus, & in varia circa Atrium Conclavia distribuebantur. Tanta porro copia aquam deferebant, ut cum perpetuo flueret, & in usus quotidianos multa consumeretur, posset tamen ex ea aliquid servari in varias occasiones. Hac de re iterum nobis aliquid dicendum erit ubi agemus de Æneo Lacu.

Gloss. in Sevachim, ubi supr.

Kimch. in Jos. 18.

Hisce aquæ ductibus *Aristeas* oculatus testis hoc perhibet testimonium: Ὕδατος καὶ ἀνέκλειπτός ἐστι σύστασις, ὡς ἂν καὶ πηγῆς ἔσωθεν πολυῤῥύτου φυσικῶς ἐπιῤῥεούσης, &c. *Erat juge aquarum subsidium, quasi subjectus fuisset fons abundans naturaliter influens. Erant mira & vix ullis verbis describenda subjecta aquæ receptacula, quæ quinque stadiis circa Templum extendebantur, Unumquodque eorum varios habebat tubos, per quos in omnia latera aqua veniebat; erant plumbei infra solum, supergesta multa humo, erantque multa foramina quæ non cernebantur ab omnibus, sed ab iis tantum qui ministrabant, ita ut brevi & facile totus sanguis sacrificiorum posset ablui, quantacunque ejus esset copia. Narrabo quomodo devenerim ad cognitionem horum subterraneorum receptaculorum. Me deduxerunt plusquam quatuor stadiis extra Urbem, & quidam jussit me inclinare in quodam loco, & auscultare quantum strepitum ederet aquarum concursus.*

Arist. Hist. Sept. Interp. in Biblioth. Patr. To. 2. Græco-Lat. pag. 866.

Porro licet ex hoc testimonio videatur consequi aquam ex variis locis *Hierosolymam* derivatam fuisse, non minus ac ex fonte *Etham*, non multum propterea anxii erimus, quamvis apud *Thalmudicos* nihil ejusmodi invenerimus. Sed quandoquidem nominant *Etham* ut locum eminentissimum, & unde præcipuis in Templo receptaculis aqua suppetebat, satis nobis erit paucis de eo egisse.

Puteus unde aqua hauriebatur, cujus Conclave jam lustramus, dicitur effossus fuisse a filiis Captivitatis, cum redierunt & condiderunt Templum. Verum an hoc factum fuerit propter fontem qui in eo loco esset, an vero ad excavandam duntaxat cisternam quæ exciperet aquam fontis *Etham*, si quæratur, ad posterius comprobandum variæ possunt rationes afferri. I. Facile non est conceptu, fontem fuisse in rupe Montis *Moriæ*, præsertim cum nihil tale ibi conspectum fuerit sub primo Templo. II. Quia *Thalmudici* & *Aristeas* laudati omne aquarum subsidium aliunde accersunt. III. Lavacrum dicitur in testimonio allato ex *Thalmude Hierosolymitano*, aquam habuisse ex fonte *Ethan*, quæ ex hoc Puteo hauriebatur, ut postea videbimus. IV. Quia mentio fit בית הורדת מים, *Domus Descensionis Aquæ* in Australi latere Templi, quod ostendimus suo loco non posse commodius intelligi, quam si tubi ex fonte *Etham* illac descendisse concipiantur.

Gloss. in Mishnaj. in octav. in Middoth. Perek. 5.

Igitur aquæ ex fonte *Etham* collectæ in hunc Puteum vel majorem cisternam, in varia loca distribuebantur in quibus necessariæ erant, (ut novi fluvii aqua domatim *Londini* distribuitur) ope rotæ quæ attollebat aquam, eamque conjiciebat in varios canales & tubos, qui eam in varia receptacula variosque usus deferebant. Nam in quibusdam locis supra ipsas Portas erant Balneæ, ut postea videbimus cum eo devenerimus; utque perpetuo aqua plenæ essent, opus erat aliqua vi quæ aquam attolleret, quod fiebat vi & motu hujus rotæ.

Porro supra hunc Puteum erat splendidum ædificium consentaneum reliquis ædificiis circa Atrium positis, quod habebat Januam in ipsum Atrium, ut Sacerdotes possent statim in id ex Atrio absque circumitione ingredi, si opus aqua esset. Atque ita intelligendus est locus in Tractatu *Thamid*, ubi de illo qui forte acceperat munus purgandi matutino tempore Altaris Thymiamatis, dicitur: *Is cui forte attributa erat purgatio Altaris, illud purgare debet: & dicunt ipsi, Cave ne tangas ullum vas, donec manus & pedes ablueris. (patina autem in qua primum debebat sumere cineres, erat inter gradus Altaris & Altare ad angulum Occidentalem.) Nemo ingrediebatur Atrium cum eo,* (nam reliqui Sacerdotes remanebant in Conclavi Sortitionis) *nec gerebat ullam candelam, sed ibat ad lumen ignis qui in Altari erat: nec eum videbant, aut audiebant ejus vocem, donec audirent strepitum instrumenti conflati arte Ben Kattin, nempe instrumenti Lavacri: tum dicebant, Occupatus est in Lavacro in abluendis manibus & pedibus*. Quodcunque autem esset instrumentum istud a *Ben Kattin* conflatum, quod postea inquiremus, dubium non est quin aqua qua in Lavacro utebatur, educta

Thalm. in Tham. Perek. 1.

cta fuiſset ex Puteo, & inde ad Lavacrum deducta eo modo quem mox videbimus, nam aqua non poterat eſse in Lavacro per totam noctem. Itaque videtur hic Sacerdos qui ita manns & pedes abluebat, ex Atrio iviſſe in Conclave Putei extra Atrium, cum Atrii Portæ nondum eſſent apertæ; ſed intrabat in id per Januam quæ in Atrium aperiebatur.

Hoc lucem afferet verbis *Ezechielis* de aquis viventibus, *Ezech.* 47. quæ ibi dicuntur deſcendiſse per dextrum latus Ædis ad Auſtrale latus Altaris, *verſ.* 1. quod alludit ad aquam in Templum defluentem ex fonte *Etham*, qui propterea clauſus erat. Nam tubi qui inde aquam deferebant deſcendebant in Auſtrale latus Templi, in eum locum qui vocabatur הורדת המים, *Deſcenſio Aquæ*, de quo jam diximus, indeque in ciſternam Conclavis Putei, quod erat directe e regione Altaris ad Auſtrale ejus latus; atque hinc in varia deferebatur Templi Conclavia.

CAPUT XXIV.

Porta Aquæ, שער המים.

Conclave Abtines, עליית בית אבטנס.

AD Occidentalem Conclavis Putei terminum erat Porta quæ e regione Altaris aperta erat, cujus nomen fuit *Porta Aquæ*. Lector ſtatim credet rationem hujus nominis petitam fuiſſe ex vicinia Conclavis Aquæ, atque hæc ratio veriſſima eſse poteſt: ſed *Thalmudici* alias præterea afferunt. Hoc de his habetur in *Miſnah*, in Tract. *Shekalim*: *Quare nomen ejus vocatur Porta Aquæ? Quia per illam afferebatur Cantharus aquæ quæ effundebatur feſto Tabernaculorum. Rabbi Eliezer filius Jacob dicit, Quia illac decurrebant aquæ, quæ veniebant deſub limine*, *Ezech.* 47. Duarum harunce rationum prior magis recepta eſt, ut certe rationi convenientior eſt. Oſtendi in Libro *de Templi Miniſterio*, Cap. 16. Sect. 4. quam mira eſſet ſolennitas apud Judæos effuſionis aquæ in Altare, & hilaritas propterea in feſto Tabernaculorum. Nam cum per totum annum eorum libationes, ניסיכים ſeu effuſiones liquidæ oblationis fierent tantum mero, tum vino aquam miſcebant, & tantam teſtabantur tum temporis hilaritatem, quantam nunquam alias. Modum & rationem ejus fuſe eo in loco deſcripſimus. *Jam autem quomodo hæc libatio erat aquæ?* Ajunt *Thalmudici* in Tract. *Succah*: *Erat Cantharus aureus qui tres Logos continebat. Aliquis eum implebat in Siloam, & inferebat per Portam Aquæ, & Tubæ canebant*, &c. Fons erat ad Auſtrum *Hieroſolymæ*, (licet Piſcina *Siloam* ad Occidentalem eſſet) atque inde breviſſima ad Altare via erat per hanc Portam, quæ ſita erat e regione Altaris; nec mirum videri queat, ſi, cum effuſio aquæ tanti fieret, Porta per quam inferebatur inde nomen ſuum duceret. Non debet ſine obſervatione id prætermitti, quod peterent aquam in hanc ſolennem libatiouem ex fonte *Siloam*, qui non parum remotus erat, cum Puteus adeo eſſet vicinus, unde aqua haberi poterat.

Middoth Per. 5. & Maimon. in Beth Habbechirah, Per. 5. & Shekalim, Per. 5

Shekal. ibid.

Succah, Pereck. 4.

Mentio occurrit *Portæ aquæ*, Nehem. 9. 2. ubi *Eſdras* dicitur legiſſe in Libro Legis *ante plateam quæ eſt ante Portam Aquæ*: ſed hæc fuit Porta Urbis, non Templi, ut apparet ex eodem Libro *Nehem. Cap.* 3. 26. Utrum autem nomen id acceperit ab aquis ex *Solomonis* Piſcina illac decurrentibus, vel ab aqua defluente ex Templo, *Ezech.* 47. 2. diſquirere non eſt hujus loci.

Supra hanc Portam Templi, de qua agimus, quæ etiam *Porta Aquæ* dicebatur, erat Conclave dictum עליית בית אבטנס, *Conclave Familiæ Abtines*. *Abtines* vir fuit eximius, ex iis qui muneri quo defungebantur nomen ſuum dedere apud poſteras generationes, [ut obſervavimus ſupra de *Phinea Præfecto Veſtiarii*] ac recenſetur in Tractatu *Shekalim*, ubi hi præcipui Miniſtri Templi enumerantur; quam enumerationem integram nobis hic liceat apponere. Hi fuerunt præcipui Miniſtri qui fuerunt in Templo: *Jochanan filius Phineæ præfectus Sigillis*; (quid eſſent ea Sigilla oſtendi in Libro *de Miniſterio Templi*. Cap. 2.) *Abijah vini oblationibus*; *Mathia filius Samuelis ſortibus*; (vid. *ibid.* Cap. 9. Sect. 1.) *Pethajah avibus*. (*ibid.* Cap. 8. Sect. 3.) *Hic Pethajah eſt Mordecai. At quomodo nomen ejus vocatur Pethajah? Quia aperiebat & exponebat negotia, ac tenebat Septuaginta linguas. Ben Abijah laborantibus viſceribus*; *Nechonjah excavator ciſternarum*; (*ibid.* Cap. 2.) *Gevini Keroz filius Gebber claudendis Portis*; *Ben Bechi Correctioni*; (ad fuſte cædendos Sacerdotes & Levitas qui in excubiis dormientes deprehendebantur, (*ibid.* Cap. 8. Sect. 1.) *Ben Arza Cymbalis*; (*ibid.* Cap. 7. Sect. 2.) *Hagros Ben Levi Cantui*; *Beth Garmu conficiendis Panibus Propoſitionis*; *Beth Abtines conficiendo Thymiamati*; *Eliezer Velis*; *Et Phinebas Veſtiario*.

Thalmud. Hieroſol. in Jom. Perek. 1.

Shekalim, Perek. 1.

Itaque hic *Abtines* fuit unus ex iis qui

qui conficiendi Thymiamatis curam gesſere: atque omnes qui ei ſucceſſerunt vocati ſunt *Beth Abtines*, ſeu *Familia Abtines*; ac Conclave hoc ſupra Portam Aquæ locus fuit in quo opus ſuum conficiebant.

Traditio ad conficiendum ac componendum Thymiama hæc fuit. Habebant undecim aromata ſimplicia, ex quibus hoc pondus ſumebant: *Stactes*, *Onychis*, *Galbani* & *Thuris*, ana ſeptuaginta libras: *Myrrhæ*, *Caſſiæ*, *Calami*, *Croci*, ana ſexdecim libras: *Coſti* duodecim, *Cinnamomi* novem, *Caryophylli* tres; quæ omnia efficiunt 368. libras. Hæc omnia contudebantur in pulverem impalpabilem in Mortario, (quod vocabatur *Mortarium Sanctuarii*, quod ablatum fuit *Romam* in *Hieroſolymæ* excidio) atque omnibus hiſce addebant aliquantum *Sodomitici ſalis*, & *Succini Jordanis*, (quorum ſæpe in Hebræorum Scriptis mentio occurrit) & herbam quandam odoriferam paucis notam. Quotannis hanc Thymiamatis copiam conficiebant, & quotidie libram unam offerebant, adeoque ex trecentis ſexaginta octo libris trecentæ ſexaginta quinque abſumebantur. Ex tribus libris quæ ſupererant Summus Pontifex plenas manus ſumebat die Expiationis, ac reliquum vocabatur מותר הקטנרת, *reliquum Thymiama*: non quidem quod annna copia eſset conſumpta die Expiationis, neque enim abſumebatur ante initium menſis *Niſan*; ſed quod ita iniretur ratio ejus abſumptionis. Prima die Menſis *Niſan*, ſeu Anni, incipiebant uti nova maſſa. Duæ autem libræ & quod ſupererat ex præteriti anni Thymiamate dabantur fabris qui Templum inſtaurabant in partem mercedis: atque iterum redimebatur ab illis, & conſumebatur tanquam novum. Unumquodque Aroma totum contundebatur, & dum is qui contundebat ea re occupabatnr, perpetuo dicebat, הירק היטב הירק היטב, *Contunde bene*, *contunde bene*, &c. tum omnia miſcebantur.

Aboth R. Nathan, ad fin.

Maymon. in Shekal. Perek. 1.

Cautio erat, כל מעשה בקודש בתוך העזרה, *Omnem compoſitionem & confectionem debere fieri in Sanctuario in medio Atrii*: qua an locus in Atrio ſub dio poſitus, vel ea pars Conclavis *Abtines* quæ erat intra Atrium, ſignificetur, non tanti eſt ut diſquiramus. Hoc Conclave id erat in quo Thymiama confectum aſſervabatur, & fiebat. Hic etiam bis in anno contundebatur, aeri exponebatur, & inſpiciebatur ne corrumperetur.

Idem ubi ſupra.

In hoc Conclave deducebatur Summus Sacerdos certo ante diem Expiationis tempore, ut diſceret quomodo ea die manus impleret Thymiamate, prout requirebatur, *Levit.* 16. 12. *Hic enim erat locus*, ait *Aruch*, *ubi Thymiama præparabatur*: *& eum eo deducebant*, *ut eum docerent quomodo manus eo eſſent implendæ*.

Thalm. in Joma. Perek. 1.

Aruck in אבטנים.

In hoc etiam Conclave Sacerdotes unaquaque nocte excubias agebant, uti narrant *Thalmudici* in Tractatibus *Thamid* & *Middoth* hiſce verbis: *In tribus Sanctuarii locis Sacerdotes excubias agebant*, *nempe in Beth Abtines*, *& in Beth Nitſots*, *& in Beth Mokadh*. *Beth Abtines ac Beth Nitſots erant ſuperiora Conclavia*, *& ibi juniores Sacerdotes excubabant*, &c. quæ nocturna cuſtodia non minus erat honoris cauſa, quam ſecuritatis. Hæc duo excubiarum Conclavia, *Abtines* & *Nitſots*, erant e regione Altaris, & unum quidem in dextro, alterum vero in ſiniſtro Atrii latere; atque hic excubias agebant juniores Sacerdotes, ſeniores vero in *Beth Mokadh* ad Occidentalem Atrii terminum, ut videbimus cum eo devenerimus.

Tham. Perek. 1. & Midd. Per. 1.

Supra hujus *Portæ Aquæ* & Conclavis *Abtines* laquear erat Balneum, in quo Summus Sacerdos ſe abluebat prima vice die Expiationis. Nam licet Balneum quod erat ſupra Conclave *Happarvah* id eſſet in quo ſæpius in iſto die ablui ſolebat, attamen hic primum ſe abluebat, ſiquidem aliquantulum temporis antequam illuceſceret remanebat in Conclavi *Abtines*, atque hic erat omnium commodiſſimus locus ad ſe abluendum cum illuxerat dies. Ante diem Expiationis totam noctem commorabatur, & cum mane illuceſcebat, primum aſcendebat, antequam Miniſterium ſuum inchoaret, ſupra hanc Portam, & hic corpus abluebat. Hoc ſibi volunt verba Tractatus *Joma*, quæ ſic habent: *Quinque ablutionibus corporis ſui*, *decem ablutionibus manuum & pedum utebatur Summus Sacerdos ea die*, *& quidem in ſancto ſolo ſupra Conclave Happarvah*, *ſed tantum primam*, &c. Hic locus erat ad Balneum aptiſſimus, cum adeo eſſet vicinus *Conclavi putei*, atque hoc forte inter alia effecit ut vocaretur *Porta Aquæ*.

Joma, Per. 3.

CAPUT XXV.

Conclave Ligni, לשכת עץ, *& Conclave Parhedrin*, לשכת פרהדרין.

ÆDificium quod jam luſtramus conjunctum erat Portæ Aquæ ad Occidentem, & duplici nomine inſigniebatur: vel enim vocabatur לשכת העץ, *Conclave Ligni*, vel לשכת פרהדרין, *Con-*

clave

clave Parhedrin. Vocabatur *Conclave Ligni*, quia poſtquam Sacerdotes aliquo vitio polluti ſecreverant lignum non vermiculatum, in Conclavi ejuſdem nominis, quod erat in angulo Atrii mulierum, ut obſervavimus, afferebant id quod exiſtimabant aptum Altari in hoc Conclave, ut vicinius eſſet, & paratum ad devehendum ad Altare cum neceſſe erat.

Quod ſpectat ad aliud nomen quod geſtabat hoc ædificium, duobus modis ſcriptum eſt. *Thalmud Babylonicum*, *Maymonides*, aliique legunt cum *r* לשכת פרהדרין *Conclave Parhedrin*: ſed *Hieroſolymitanum Thalmud*, *Mishnajoth* in octavo, &c. legunt cum *l* לשכת פלהדרין, *Conclave Palhedrin*; de qua varietate nequaquam diſceptabimus. Licet porro duo *Thalmud* diſſentiant in hac nominis litera, in alia re conveniunt, & affirmant antiquis temporibus vocatum id Conclave, לשכת בלווטין, Παστοφόριον τῶν βουλευτῶν, *Conclave Conſiliariorum*. Video etiam ex *Maymonide* vocatum id fuiſſe *Conclave Summi Sacerdotis*, quaſi peculiariter ad eum pertinuiſſet: nam verba faciens de ſeceſſione Summi Sacerdotis in ſeptiduum, ante diem Expiationis, in hoc Conclave, (ſic enim habent *Thalmudici* in loco antea in margine citato) rem ſic exprimit: מפרישין כג׳ מביתו ללשכתו שבמקדש, *Secedere faciebant Pontificem Maximum ex ipſius ædibus in ejus Conclave, quod erat in Sanctuario*. Ita etiam vocatur in *Hieroſolymitano Thalmude*, licet nomine proprio non appelletur, cum dicitur Summus Sacerdos ad certum tempus incluſus fuiſſe בעליית בית אבטינס על גבי שער המים היתה סמוך ללשכתו היתה, *in Conclavi Abtines quod erat ſupra Portam Aquæ, & quod erat vicinum ejus Conclavi*. Atque hic ὡς ἐν παρόδῳ obſervare potes hoc *Conclave Ligni* & *Conclave Parhedrin* conjuncta fuiſſe Portæ Aquæ, juxta ſitum quem eis tribuimus, uno alteri ſuper impoſito, cum Conclave Ligni eſſet inferius, & *Parhedrin* ſuperius.

Joma, Per. 1. Beth Habbechir Per. 5. In Joma, ubi ſupra.

InGemar.

Maymon. iu Jom. Hachipp Per. 1.

Thalmud. Jeroſol. ubi ſupr.

Jam autem vocabatur *Conclave Summi Sacerdotis*, non tam quod eo ad paucolos anni dies ſecederet, quam quia Summus Sacerdos ſolebat eo Fratres Sacerdotes convocare ad habenda conſilia de Templi negotiis ac Sacro Miniſterio. Itaque erat veluti in Templis noſtris *Veſtiarium*, vel *Conclave Decani & Capituli*; in quæ de ejuſmodi rebus acturi conveniunt. Alibi obſervavimus, præter Summum Pontificem fuiſſe τὸν *Sagan*, *duos Catholikin*, *ſeptem Immarcalin*, *& tres Gizbarin*, qui erant præcipui Templi Miniſtri ad accipiendam, ſolvendam, & adminiſtrandam ejus pecuniam, ad reparanda ædificia, & totius Miniſterii curam gerendam. Hi erant בולווטין, *Conſiliarii Templi*, qui curabant id ſemper ſartum tectumque eſſe, atque hoc erat Conclave in quo conſtanter ſedebant, unde vocabatur *Conclave Conſiliariorum*. Rationem mutationis hujus nominis in *Conclave Parhedrin*, ſeu *Palhedrin* (legito enim prout libet) afferunt *Thalmudici* in *Gemara* loco ſupra citato hiſce verbis. *Vocabatur Conclave Conſiliariorum donec Summum Sacerdotium cœpit emi & vendi pecunia, & ſæpius immutatum eſt. Hi Conſiliarii ſæpius etiam exinde mutati ſunt, & tum vocatum fuit Conclave Parhedrin.* Senſus hic eſſe videtur: Dum Summum Sacerdotium integrum & illibatum ſtetit, Pontificem Maximum una cum fratribus ibi gravem habuiſſe Conſeſſum ad procurandam Templi utilitatem: ſed poſtquam pecunia & direptiones fecerunt atque exauctorarunt Summum Sacerdotem, pecunia etiam electos hoſce Conſiliarios, qui ſuæ rei potius quam publice notionem habebant. Itaque populus a ſe impetrare non potuit ut eos vocaret Conſiliarios, ſed appellavit tantum *Parhedros*, ſeu *Aſſeſſores*, ut a *Magni Synhedrii* membris eos diſtingueret, *Joſephus Arimatheenſis* unus ex hiſce erat, *Marc.* 15. 43. Vox *Parhedrin* videtur eadem eſſe ac Græca vox Παρέδριον, ut *Sanhedrin* eſt Συνέδριον. Atque optime conjicere poſſumus, cum *Synhedrii* membra eſſent etiam Conſiliarii, hunc Conſeſſum vocatum fuiſſe *Parhedrin*, ut a *Synhedrio* diſtingueretur; præſertim ſi conſideremus quam vicini ſederent hi Conſeſſus, cum inter hoc Conclave & *Gazith* nihil intercederet niſi *Porta Aquæ* & *Conclave Putei*. Ibi ſedebat magnum Gentis Concilium quod *Synhedrium* vocabatur; hic vero Concicilium Templi, quod vocabatur *Parhedrium*, ſeu Concilium quod ſedebat juxta *Synhedrium*. Ita erant quatuor Concilia in Templo, quorum tria judicia etiam exercebant, nempe *Magnum Synhedrium* unius & ſeptuaginta virorum, & duo minora *Synhedria* viginti trium. Hic Conſeſſus vero Sacerdotum non erat proprie judiciorum cauſa, ſed conſiliorum de rebus ad Templum pertinentibus.

De Miniſter. Templi, cap. 4.

Thalmud Hieroſolymitanum exponit vocem פלהדרין (ſic enim legit) voce פריארתין, quæ non minus obſcuritatis habet quam prior. Videtur quidem Græca aut Latina vox *Prioritas* eſſe; ſed quid proprie ſibi velit, facile non eſt conjicere; *Baal Aruch* interpretatur etiam *Palhedrin* voce æque difficili, nempe voce אגרדמין, *Agardemin*; ſed quam hac explicatione cla-

clariorem reddit. Dicit eos fuisse *Præfectos ponderibus & mensuris, qui expendere deberent τὸ Ephah & τὸ Hin, & sigillo notarent quæ justa erant; eos puniisse illos qui Tabernas habebant in Monte Templi, si venderent æquo carius, & jussisse viliori pretio vendere.*

CAPUT XXVI.

Porta Primitiarum, seu Primogenitorum.

Vide C. Lamper. pag. 17. in Midd. Midd. Per. 1. & 2. & Shekalim, Per. 6. Barten. in Midd.

HÆC Porta quæ erat ultra ædificia jam memorata Occidentem versus duobus nominibus indigitabatur: aliquando שער הקרבה, *Porta Oblationis*, ut quidam legunt; sed frequentius שער בכורות, *Porta Primitiarum*: quæ nomina coincidunt in eundem sensum; nam porta hæc nomen trahebat a primitiis quæ illac afferebantur ut offerrentur.

Lex de consecratione eorum quæ uterum aperiebant, *Exod.* 13. per Judaicas Traditiones innumeris difficultatibus involuta fuit; sed ut res definiretur, ex quibus nempe Primitiæ poterant offerri, ex quibus vero non, cusum est decretum a viro qui vocabatur מומחה, quo definiuntur. Hujus nominis hanc rationem atque interpretationem afferunt Scholiastæ: *Mumcheh derivatur a voce Mochah, ut dicitur in hoc versu*, ומחהאלים כנרת, *Et pertingit ad mare Cinnereth*, Numer. 34. 11. *quod intelligendum eundo recta: at vox Mumcheh significat eum peritum fuisse: auctoritatem accepit a Præside Synhedrii, vel a Synhedrio in terra Israelis, ab hominibus eam in rem constitutis.* Princeps *Synhedrii* concessit ei potestatem ut eo officio fungeretur, hisce verbis: התר בכורות מומין, *Solve Primitias vitio pollutorum*: hoc est, accipe potestatem ligandi & solvendi in iis quæ spectant vitia Primitiarum, ut definias quænam vitia obstare possint quominus offerantur, quæ vero non obstent. *Thalmudici* utuntur vocibus *ligandi* & *solvendi* ἀντὶ τοῦ prohibere & permittere, ut, התירו שאלת שלום בשבת מרוחק, *Necessitatis causa solverunt salutationem die Sabbati*, hoc est, permiserunt. *Schola Shammai ligavit opus in præparatione Sabbati*, hoc est, prohibuit: *sed Schola Hillel* התיר *solvit*, hoc est, id permisit, vel censuit ac docuit id esse licitum. *Scribæ ligarunt fermentum*: &c, *Sapientes omnia pinguia solverunt* &c. Facile esset centena proferre exempla ex Scriptoribus Hebræis hanc in rem, in quibus res *ligatæ* vel *solutæ* sumuntur pro prohibitis vel licitis, ut colligebant ex Lege, vel a Doctoribus suis acceperant. Præsertim *ligatio & solutio Primitiarum* ac *Votorum* erant singularis inter eos observationis. *Solutio Primitiarum*, ait *Abraham Zaccuth, res erat majoris difficultatis quam solutio Votorum*: ubi solutione Votorum non significat aliquem potestatem habuisse absolvendi a Votis legitimis semel nuncupatis, sed quosdam constitutos fuisse ut judicarent de Votis, utrum nempe licita vel illicita essent, utrum obligarent necne.

Gloss. in Beracoth Per. 4.

Maymon. in Becor. Per. 3.

Tanch. fol. 1. col. 3.

Thamid. in Pesach. Per. 4.

Maymon. in Hamets Perek. 1. Tanch. fol. 74. col. 3.

Juchasin fol. 50.

Non oportebat Primitias mactari aut offerri priusquam eas vidisset ὁ *Mumcheh, Et qui cum non esset Mumcheh*, (*constitutus a Synhedrio*) *volebat tamen sibi assumere examen Primitiarum, & quo approbante mactabantur, debebat eas legitimas præstare: & qui accipiebat mercedem ad lustrandas victimas, non admittebatur vulgo nisi auctoritatem accepisset a Synhedrio; qualis fuit Ailah Sapiens Jabneæ, cui Sapientes permiserunt accipere quatuor* אסרות, *Assaria ad expendendas macilentas Primitias, sex vero ad expendendas pingues*, &c.

Thalm. in Beracoth Per. 4.

Primogenitus Agnus vel Vitulus, quem probaverat ὁ *Mumcheh* tanquam aptum sacrificio, delatus propterea in Templum, mactabatur ad Australe latus Altaris, vel saltem ad Australe latus Atrii. In Thalmudico Tractatu *Zevachin*, Cap. 1. est disceptatio, in qua quæritur quænam sacrificia debuerint mactari ad Septentrionale latus Altaris, quæ alibi. Atque enumeratis victimis ad Altaris Septentrionem mactandis, adduntur hæc verba: *Sacrificium Gratiarum Actionis, Nazaræi, Ariel, ordinaria Pacifica, Primitiæ, Decimæ, Pascha immolari debebant in quopiam Atrii loco*: ubi per quempiam Atrii locum designatur Australe latus oppositum Septentrionali, de quo antea actum fuerat, & ea quidem latitudine ut intelligatur non tantum ea pars quæ erat exacte e regione Altaris, sed amplius spatium, ut fusius videbimus cum devenerimus ad lustrationem laterum ipsius Atrii.

Id. in Zevachim. Per. 5.

Cum igitur primogenitæ pecudes mactandæ essent ad hoc Atrii Australe latus, cujus Portas & ædificia nunc lustramus, inferendæ erant per eam Portam de qua jam nobis sermo est, & quæ inde dicta est *Porta Primitiarum*. Porta Aquæ certe propior erat Altari, & rectior erat illac ad Altare via; sed si circa ea loca victimæ mactatæ fuissent, impeditus fuisset transitus ad Altare ex *Conclavi Putei, Porta Aquæ, & Conclavi Ligni*, ad quæ loca sæpius ex Altari erat eundum. Ideoque Primitiæ aliæque victimæ, quæ mactari oportebat ad Australe latus Atrii, per Superiorem Portam inferebantur, quip-

quippe quæ a via remotior erat, & circa ea loca mactabantur, in quibus minori impedimento erant. Porro cum memorata Traditio designet Septentrionale latus Atrii tanqnam locum proprium mactandis hujuscemodi victimis enumeratis, attamen laxius loquitur : שחיבתן בכל מקום בעזרה, *Mactari poterant in quapiam Atrii parte*, quia licet in Australi immolarentur utplurimum, si numerosiores forent, nec commode ea in parte mactari possent, ad alterum latus fieri id poterat, quemadmodum Paschales agni propter numerum ubique mactabantur: sacrificia vero quæ debebant mactari ad latus Septentrionale, necessario ibi mactabantur, nec ulla dispensatione alio transferri poterant.

Oblatio Primitiarum per hanc Portam ingressarum, de qua agimus, nobis in memoriam revocat omnium masculorum primogenitorum in *Israele* comparitionem. Omnes debebant ter quotannis se coram Domino sistere, *Exod.* 23. 17. Jam autem hoc præceptum ad pueros non pertinebat, juxta Traditionem Judæorum, donec satis valentes essent ad ascendendum manu a patre deducti ad Templum ex Civitate. Atque eo oblatio Primogenitorum coram Domino loco memorato non urgebatur, sed præcepto quod extat *Exod.* 13. 12. & 22. 29. ubi *Thargumistæ Jonathan* & *Onkelos* verba Scripturæ interpretantur de separatione Primogenitorum ad comparendum *coram Domino*, seu in Templo, ut etiam constat ex disertis Scripturæ verbis. *Num.* 18. 15. *Luc.* 2. 23. Offerebant autem se ad *Portam Nicanoris*, nam hic erat locus peculiariter ejusmodi comparitionibus destinatus; atque in hoc se sistebant Puerperæ ut purificarentur. Hoc in loco Virgo *Maria* obtulit Servatorem nostrum, *Luc.* 2. & solvit quinque siclos ad ejus redemptionem, *Num.* 18. Idem fecit *Anna Silunte*, 1. *Sam.* 1. 24. nisi quod solito diutius filium tenuit, quia cum eum Sanctuario obtulit, animus ei erat ibi illum in perpetuum relinquere; ideoque eum non redemit, sed Domino consecravit.

CAPUT XXVII.

Porta הדלק *Hadlak vel Accensionis Ignis.*

FAcile est ostendere הדלק recte transferri *Accensionem*; sed non æque facile est rationem afferre quare hæc Porta quæ omnium maxime ad Occidentem vergebat in Australi latere, eo nomine insigniretur. Communis opinio Scholiastarum satis est plausibilis, sed in contrarium afferri potest haud levis objectio. Existimant eam vocatam fuisse *Portam Accensionis*, quod per eam lignum deferretur ad Altare, ut perpetuum aleret ignem juxta legem, *Levit.* 6. 12. Sed quomodo hac lignum detulissent ad Altare? Poterant ad hoc multo breviori via ire, seu per Portam Aquæ, seu per Portam Primitiarum, cum Conclave inter eas situm esset, ut demonstratum est. Verisimile etiam est lignum ex Conclavi Ligni ad Altare delatum fuisse, non per ullam Atrii Portam, sed per Januam quæ ex ipso Conclavi in Atrium aperiebatur.

Barthenor. C. Lemper. in Middoth. & Gloss. in Shekalim, Per 6.

Ad inveniendam igitur hujus nominis rationem, non possum non respicere oppositam Atrii partem, in qua erat Porta quæ *Beth Mokadh*, seu *Porta Ignis accensi*, non secus atque hæc, dicebatur *Porta Accensionis*. Ratio prioris nominis inde petitur, quod ibi perpetuus esset ignis in gratiam seniorum Sacerdotum, ut mox ostendemus: unde optime conjicere possumus hic etiam ignem structum fuisse in gratiam Levitarum. Ac licet nullam seu in *Thalmudicis*, seu apud *Josephum* mentionem inveniam ullius ædificii huic Portæ conjuncti, attamen cum Tractatus *Middoth* meminerit Excubiarum Levitarum בלשכת הפרוכת, *in Conclavi Veli*, nullum invenio locum in quo commodius hasce collocem Excubias quam ad hanc Portam. *Thalmudici* enim per *Conclave Veli* non significant ullum Conclave ipsi ædificio Templi conjunctum, nec ullum Conclave in Atrio, [nam Levitæ excubias agebant non intra, sed extra Atrium] sed aliquod Coclave extra Atrium, quod erat e regione loci Veli quod separabat Sanctuarium ab Adyto. Et quemadmodum erat longum ædificium quod porrigebatur ab opposita illa Septentrionali Porta versus Occidentem ad ipsum angulum qui erat in ista parte muri Atrii; ita ab hac Porta Occidentem versus erat longum ædificium ad angulum muri, in quo amplissimo ædificio, quod introrsum varie divisum, erant duæ Excubiæ Levitarum admodum vicinæ. Itaque hic erant tres Custodiæ sibi proximæ, quarum prima vicina erat Portæ Orientali; (nam ad quinque Portas Atrii Levitæ excubias agebant; & hæc erat una ex quinque illis) altera prope Portam Occidentalem e regione Veli; tertia denique ad angulum Atrii. Igitur quemadmodum erat communis ignis structus in gratiam Sacerdotum in opposita Atrii parte, in amplo ædificio huic opposito, ex quo Porta vicina nomen ducebat: ita verisimillimum est

Middoth. Per. 1.

Ibid.

eſt hic Levitis communem ſtructum fuiſſe ignem, qui huic Portæ nomen fecerit *Portam Accenſionis*.

Ita luſtratis Portis & ædificiis quæ erant in Auſtrali latere Atrii, ſic eorum ordinem diſpoſitum fuiſſe concipimus, ab Oriente in Occidentem aſcendendo. Primo erat Conclave *Gazith* in angulo Noto- zephyrum reſpiciente : deinde Conclave *Putei*. Proxime ſequebatur *Porta Aquæ*, ſupra quam erat Conclave *Abtines*: ex altera parte Portæ erant *Conclave Ligni*, ſupra quod erat Conclave *Concilii* : poſtea erat *Porta Primitiarum*, cui ad utrumque latus adjunctæ erant Levitarum Excubiæ; atque hoc ædificium in ea parte quæ ad Occidentem erat, porrigebatur uſque ad Occidentalem angulum Atrii. Cæterum *Aba Joſe* Orator in *Thalmude* alterius adhuc meminit Portæ quæ magis ad Occidentem vergebat, quam memoratæ a nobis, in hoc ipſo latere, quam vocat *Superiorem Portam*; atque e regione in Septentrionali latere recenſet Portam unam præter eas quæ vulgo numerantur, eamque vocat *Portam Jechoniæ*. Verum ſolus eſt in hac ſua de Portarum numero ſententia, licet quidam ex ejus popularibus eatenus cum eo ſentiant, quod dicant præter tres Portas Atrii in latere Septentrionali fuiſſe introitum peramplum ædificium *Beth Mokadh* dictum, ἀπὸ τοῦ *Chel*, in Atrium, quem exiſtimo ab eo vocari *Portam Jechoniæ*. Ratio nominis hæc affertur, quod *Jechoniah* ex hac Porta exierit in Captivitatem. Ita etiam poteſt fieri ut in ampliſſimo hujus lateris ædificio, quod a *Porta Accenſionis* ad angulum Occidentalem extendebatur, fuerit Janua in Atrium aperta, quam vocat *Superiorem Portam*.

Verum quomodocunque res in poſteriori Templo ſe habuerit, ipſum nomen *Portæ Superioris* videtur non immerito nos vocare ad conſiderationem ejus quæ vocabatur *Superior Portæ Benjaminis in Domo Domini*, temporibus Templi prioris. *Jeremiæ* 20. 2. dicitur *Paſhur verberaſſe Jeremiam, & eum conjeciſſe in cippos qui erant in ſuperiori Porta Benjamin in Domo Domini*. Interpretes noſtri *Angli* non auſi ſunt vertere *in Domo Domini*, *in the Houſe of the Lord*, fortaſſe quia in Templo cippos eſſe indecorum exiſtimarunt; ideoque verterunt, *vvhich vvs by the Houſe of the Lord*, *Qui erant prope Domum Domini*, quippe qui non crederent hæc verba ad Portam referri. Sed adeo plana ſunt Textus Hebraici verba, & tantus Interpretum conſenſus, ut ab eo recedere nihil aliud ſit quam torquere planum & facilem locum, & obſcurum facere qui per ſe obſcurus non eſt. Mons Templi erat in ſorte Tribuum *Judæ* & *Benjamin*, ut antea obſervatum eſt; & linea quæ utriuſque agrum dividebat decurrebat juxta angulum Altaris obverſum Euro-noto, ut mox videbimus, ita ut Templum & Altare eſſent in Tribu *Benjaminis*, juxta *Moſis* prædictionem, Deum habitaturum inter humeros *Benjaminis*. Ad hanc eandem Tribum pertinebat Auſtralis murus ad eum uſque locum qui directe reſpondebat angulo Altaris, ex quo loco reliqua erant Tribus *Judæ*. Apparet itaque in hoc Atrii latere temporibus primi Templi fuiſſe tantum duas Portas, quæ vocabantur *ſuperior* & *inferior Porta Benjamin*, quia erant in *Benjaminis* agro. In Septentrionali vero latere erant etiam duæ in Atrio Portæ, quarum hæc erant nomina, *Porta Altaris quæ eſt Septentrionalis*, & *Porta Domus Domini quæ eſt Septentrionalis*, ut poſtea videbimus.

Quod autem ſpectat ad locum hunc, vel inſtrumentum pœnæ, (ſeu fuerit turris, ut videntur crediſſe LXX. Interpretes; vel collare ferreum, ut pater *Davidis Kimchi*; vel cippi, ut habent *Angli* noſtri Interpretes) non abſurdum eſt credere id fuiſſe in Æde Domini, nempe ad hanc Portam, qua ex Atrio in *Chel* porrigebatur; quandoquidem in Templo ipſo judicia, flagra, verbera & lapidatio exercebantur, ut antea innuimus.

Jam, ut procedamus ab Auſtrali latere ad Septentrionale, juxta longitudinem muri Atrii in Occidentali ejus facie nulla erat prorſus Porta, ſed murus tantum planus ac continuus. Hoc manifeſte oſtendit *Joſephus*, cum dicit, Τὸ δὲ πρὸς δύσιν μέρος οὐκ εἶχε πύλην, ἀλλὰ διηνεκὲς ἐδεδόμητο ταύτῃ τὸ τεῖχος. *Ea pars muri quæ ad Occidentem erat nullam prorſus Portam habuit, ſed murus illac continuus extructus fuerat*. Ejus relatio cum omnium aliorum Judæorum conſentit teſtimonio, excepto tantum *Aba Joſe*, cujus jam meminimus, qui loquitur de duabus Portis eo in loco ſitis; ſed earum uſum non indicat, nec earum nomina profert : ac certe cui uſui fuiſſent Portæ in loco adeo remoto a Sacro Miniſterio, & quidem pone Templum? Erat certe in poſtica parte Atrii in medio muro inter Septentrionem atque Auſtrum, ædificium extructum ἐν τῷ *Chel*, ubi erant Excubiæ Levitarum quæ dicebantur eſſe אחרי בית הכפורת, *pone Propitiatorium* : verum non apparet ullam ibi Portam fuiſſe, qua in Atrium ingreſſus daretur; & ſi quis fuerit ingreſſus, fuit tantum per oſtium minus, non per majorem Portam. De Excubiis Sacerdotum

Joſeph. de Bell. lib. 5. cap. 14.

tum & Levitarum ita habent Hebræorum monumenta: *In tribus locis Templi Sacerdotes excubias agebant, in Conclavi Abtines, in Beth Nitsots, & in Beth Mokadh. Levitæ in uno & viginti locis: quinque erant ad quinque Portas Montis Domus: quatuor in quatuor angulis ejus introrsum: quinque ad quinque Portas Atrii, & quatuor ad quatuor angulos ejus intrinsecus. Una erat Custodia in Conclavi Corban, una in Conclavi posito e regione Veli; una denique post locum Propitiatorii.*

Midd. Perek. 1.

CAPUT XXVIII.

Portæ & Ædificia in muro Atrii, in Septentrionali latere.

JAM venimus ad Septentrionale latus Atrii, in quo temporibus posterioris Templi quænam fuerint Portæ & ædificia priusquam videamus, non debemus omittere inquirere quidnam in eo fuerit stante priori Templo. Est locus *Ezechielis* 8. 3. 5. 14. *Transportavit me in visionibus Dei Hierosolymam, ad valvas interioris Portæ Atrii quæ respicit Septentrionem, ubi erat sedes Imaginis Zelotypiæ, qua provocat ad zelotypiam, & dixit mihi, Fili hominis, jam attolle oculos tuos versus Septentrionem. Itaque sustuli oculos meos in eam partem versus Septentrionem; atque ad Septentrionem Portæ Altaris ecce hanc Imaginem Zelotypiæ ad introrsum. Et tulit me ad valvas Portæ Ædis Domini, quæ erat versus Boream, atque ecce ibi sedebant mulieres deflentes Tammuz.* Hic diserte indigitantur duæ Portæ in Septentrionali facie Atrii, *Porta Altaris*, & *Porta Ædis Domini versus Septentrionem*, quia una erat e regione Altaris, altera e regione ædificii Templi. Ad Portam sitam e regione Altaris Propheta primum in visione delatus est, atque ibi vidit Imaginem Zelotypiæ, non in hac quidem Altaris Porta, sed in Monte Domus ad Septentrionem hujus Portæ & Prophetæ in ea stantis: Propheta enim non est delatus intra Atrium ad hanc Portam, sed positus est extra, atque ibi jussus Septentrionem versus respicere, ubi vidit hanc Imaginem. Non erat tabula seu statua quæ zelotypiam referret, sed dicitur *Imago Zelotypiæ*, quia provocabat Deum zelotypum ad zelotypiam, cum esset posita in ipso Sanctuario ejus & e regione Altaris. Quodnam foret hoc Idolum inutile est disquirere. Conjecerim fuisse *Molec*, quia hujus cultus erat summus Idololatriæ apex, & qui maxime Dei iram provocabat, nempe combustione liberorum; & quia maxime reprehensi propterea fuerant & reprehensione dignissimi erant. Utrum esset hoc Idolum in Templo eo ipso tempore quo *Ezechiel* hanc habuit visionem, quod contigit sexto *Sedeciæ* anno; an vero hac visione ei oblata fuerit Idololatria quæ aliquando in Templo commissa fuerat, non facile est dictu. Sed quodcunque fuerit hoc Idolum, & quocunque tempore positum fuerit in Templo, non levis erat abominatio Æediculæ Idololatricæ erectio in Monte Domus Domini e regione Portæ quæ Altari opposita erat Hæc Porta erat *inferior Porta Septentrionalis*, quæ tempore posterioris templi vocabatur *Nitsots*, vel *Cantus*.

Priusquam Propheta deferretur ad superiorem Portam Septentrionalem, dicitur delatus fuisse ad *Januam Atrii*, vers. 7. hoc est, ad Orientalem Portam quæ erat tum temporis frequentissima commeantibus, & in qua tunc sedebat *Magnum Synhedrium;* atque ibi vidisse Conclave *Synhedrii* circumquaque imaginibus pictum, & septuaginta Assessores *Synhedrii* thus Idolis offerentes. Deinde delatus est ad superiorem Portam Septentrionalem quæ ipsi ædificio Templi opposita erat, atque ibi vidit mulieres lamentantes propter *Tammuz*. Quisnam esset *Tammuz*, aut quid sibi vellet earum planctus, non est nostri argumenti disquirere. Lectori tantum exscribam hic Scholium *Davidis Kimchi* hanc in rem, nec amplioribus tædium pariam sermonibus. *Quidam exponunt*, inquit, *quasi Idolo festum celebrarent initio mensis Tammuz. Alii exponunt Tammuz, combustum, ex* Dan. 3. 19. למזא לאתונא, *quo significatur eos luctum edidisse, quia filios suos & filias igne combusserant. Alii eos arte deduxisse aquam in oculos Idoli, quod vocabatur Tammuz, adeo ut videretur flere, & rogare eos ut sibi servirent. Sed noster magnus Sapiens R. Moses filius Majemon scribit se invenisse in Libris prisci Auctoris, fuisse nomen unius ex Idololatricis Prophetis, qui vocabatur Tammuz; atque hic accersitus ad Regem quempiam, eum jussit colere septem Planetas & duodecim signa; ac Rex quidem eum interfecit, & nocte qua mortuus est omnia Idola ex omnibus terræ partibus congregata sunt in Templum Babylonicum ad auream Imaginem quæ erat Imago Solis, quæ Imago inter cœlum & terram pendebat, & cecidit in medium Templum, omnesque una circa eam Imagines. Dictum est ipsis quid contigisset Prophetæ Tammuz, & omnes Imagines flebant ac lugebant per totam eam noctem; & cum rediit matutinum tempus, omnes iterum redierunt domum. Inde orta est consuetudo prima die mensis Tammuz unoquoque an*no

no deflendi ac lugendi Tammuz. Sed quidam exponunt Tammuz nomen bestiæ quam colebant.

Itaque ex hoc loco *Ezechielis* possumus colligere in Templo ante Captivitatem fuisse duas Portas in Septentrionali latere Atrii, vel saltem plurimum mentionem non occurrere. Verum in posteriori Templo erant tres, quarum hæc erant nomina ex Occidente ad Orientem procedendo. I. שער קרבן, *Porta Corban*. II. שער נשים, *Porta Mulierum*. III. שער שור, *Porta Cantus*. Jam unaquæque harum Portarum insignita est duplici nomine. *Porta Corban* vocatur etiam בית מוקד, *Beth Mokadh* : *Porta Mulierum* שער קרבן. *Porta Corban* : *Porta Cantus* שער נצוץ, *Porta Nitsots*. Atque ita sunt intelligenda difficilia illa *Thalmudis* loca, quia videntur sibi invicem contraria, dum in uno sic Septentrionales Portæ numerantur : *Ad Septentrionem erat Porta Corban, Porta Mulierum, & Porta Cantus*; in altero vero ita : *Ad Septentrionem erat Porta Nitsots, Porta Corban, & Beth Mokadh*. In priori recensentur initio facto ab Occidente & procedendo ad Orientem; in posteriori contrario ordine. Rationes duplicium & variorum istorum nominum considebimus cum eo deventum erit.

Middoth Per. 2.
Ibidem & Shekal. Per. 1.
Middoth Per. 2.

Erant etiam in hoc latere Atrii præter hasce Portas, alia ædificia, qualia erant in Australi, quæ jam a nobis lustrata sunt, atque hæc erant, לשכת המלח לשכת הפרוה לשכת המדיחין, *Conclave Salis*, *Conclave Happarvah*, & *Conclave Ablutionis*, præter alia Conclavia quæ inter progrediendum in lucem protrahemus.

Ibid. Per. 6.

CAPUT XXIX.

Beth Mokadh, בית המוקד.

LUstrare hanc faciem incipiemus ab angulo muri Atrii Cauro obverso, ubi occurrit nobis *Beth Mokadh*, locus variis de rationibus observatu dignus.

I. Tam longum erat ædificium, ut ab angulo Caurum respiciente extenderetur usque ad inferiorem Portam ejusdem nominis, adeo ut quartam partem longitudinis hujus muri occuparet. In quatuor ejus angulis erant quatuor diversa Conclavia, in quorum medio tanquam centrum erat id quod proprie vocabatur *Mokadh*. Hoc Tractatus *Middoth* exprimit hisce verbis : *Erant quatuor Conclavia in Beth Mokadh*. בקיטונות פתוחות לטרקלין, *ὡς κοιτῶνες ἀνεῳγμένοι εἰς τρικλίνιον*, *quasi cubicula aperta in triclinium* : ex quibus duo erant intra Atrium, duo vero extra, & notæ erant intus appositæ, quæ ostendebant quo in loco essent utriusque soli fines.

Thamid, Per. 3.
Middoth Per. 1. Maymon. in Beth Habbech. Per. 5. Middoth Per. 1.

II. Quatuor Conclavia in quatuor angulis sita hæc erant.

Midd. ib.

I. Cubiculum Noto-zephyrum respiciens vocabatur לשכת טלאים, *Conclave Agnorum*, quia ea fuit sedes agnorum in quotidianum sacrificium constitutorum. Nec id Conclave unquam fuit sine sex agnis unoquoque die : neque enim ullus offerebatur agnus, qui sex antea diebus eo allatus non fuisset; adeoque si duo ex sex illis sumpti fuissent in matutinum vel vespertinum sacrificium, necesse erat duos alios inferri ante noctem. Hac ratione nunquam erant pauciores sex simul.

R. Solom. in 1-Paral. 23. 25.
Maym. in Thamid, Per. 1.

II. Conclave Euro-noto obversum eorum fuit qui præparabant *Panem Propositionis*, quem Deus jusserat unoquoque Sabbato in Aurea Mensa sibi apponi. בית גרמו, *Familia Garmu* huic operi præfecta erat. Hæc duo Conclavia vel tota, vel ex parte fuerunt intra Atrium.

Midd. ubi supra & Thamid, ubi supra. Shekalim, Per. 6.

III. Conclave Euro-aquilonare erat *locus in quo Asmonæi deposuerant lapides Altaris quos Græci Reges polluerant*, בה בנזו חשמנאי את אבני המזבח. Nam cum *Antiochus Epiphanes Hierosolymam* ita diripuisset, ut Religionem, Leges, Altare, Sacrificia, Privilegia omnia susque deque habuisset, & Altare abominandis polluisset sacrificiis, *Judas Maccabæus* ejusque fratres, expulsis hostibus, cœperunt purgare atque instaurare Templum; & cum agitarent consilia ut scirent quid essent facturi pollutis lapidibus Altaris, quos *Mattathias* eorum pater jam diruerat, 1. *Machab.* 2. 25. eas deposuerunt in hoc Conclavi, donec veniret Propheta qui definiret quid iis faciendum esset, 1. *Maccab.* 4. 44. &c.

Midd. ubi supra. Josephus Antiq. lib. 12. cap.7. 1.Macc. 1. &c.

IV. Cubiculum Cauro obversum id erat per quod ad Balneum ibant, ex medio cubiculo quod proprie vocabatur *Beth Mokadh*, quicunque quampiam inter dormiendum nocturnam passi erant pollutionem. Ubi autem esset hoc Lavacrum, an sub solo, an extra murum extimum, quæritur. De eo sic habet Tractatus *Thamid* : *Nocturna pollutio per Gonorrhœam cuipiam ex illis contigerat? Exibat atque abibat per Porticum quæ erat sub Templo, & utrinque erant accensæ candelæ, donec ad Lavacrum veniret. Erat minus Conclave cum secessu, quod si clausum deprehenderet, inde cognoscebat quempiam in eo esse; sed si esset apertum, nemo in eo erat; itaque descendebat & semet ipsum abluebat, abstergebat, & calefaciebat,* atque

Middoth ubi supra.
Tham. Per. 1.

atque iterum ascendebat & sedebat inter Fratres.

III. Conclave *Mokadh*, quod inter superiora quatuor medium erat, dicitur fuisse בנוי כיפה, *constructum instar fornicis*, non quod exterior ejus pars esset instar fornicis lapidei absque ullo alio laqueari, sed quod cum esset laqueatum ut cætera circa Atrium ædificia, in inferiore Conclavi in fornicis modum ædificatum esset, quia per id transitus erat ἐκ τȣ̃ *Chel* in Atrium. Atque erant quidem duæ Portæ in hoc Conclavi per quod transibant, una versus spatium illud intermurale, altera versus Atrium, quæ ostiolum habebat per quod intrabant atque exibant majoribus valvis occlusis. Simile erat in Porta τȣ̃ *Chel*. Atque hunc introitum eum esse putaverim qui *Porta Jecboniah* vocatur ab *Aba Jose*, de quo antea diximus.

Maymon. in Beth Habbechir. Per. 5.

IV. Hoc Conclave vocabatur *Beth Mokadh*, vel *Locus Ignis accensi*, quia dum frigeret perpetuus ibi alebatur ignis in gratiam Sacerdotum interdiu & noctu: interdiu quidem ad eos calefaciendos cum redibant ex Ministerio, nam erant tum nudis pedibus & tenuibus induti vestibus; noctu vero ut calefierent dum excubias agerent, nam in hoc Conclavi erant Excubiæ Sacerdotum, ut antea observatum est. Atque hæ erant præcipuæ Excubiæ. *Beth Mokadh*, inquiunt *Thalmudici*, *erat magnum Conclave fornicatum, & lapideis scamnis circumquaque munitum, super quibus Seniores Domus Patrum ipsorum dormiebant; atque Atrii claves erant in eorum custodia. Juniores vero Sacerdotes in solo super vestibus suis dormiebant, non induti quidem sacris, quas exuebant, & involutas capiti suo supponebant, sed vestibus quas ordinarie gerebant*. Itaque hoc Conclavi usui simul erat ad transeundum, atque usum præstabat majoris aulæ in qua perpetuus alebatur ignis. Portis vero hinc inde clausis, erat instar clausi Conclavis per quod nullus fuisset transitus.

Thamid ubi supr.

In hoc Conclavi erat Armarium in quo servabantur claves Atrii, & unde sumebantur cum Portæ claudendæ vel reserandæ erant. *Thalmudici* ita describunt: *Erat Tabula marmorea cum annulo ei annexo, & catena ex qua pendebant claves. Ubi tempus obserandi Portas appropinquabat, attollens Tabulam annulo, claves e catena desumebat Æditugs, atque claudebat Portas intus* &c. *Ubi jam absolverat & obseraverat, restituebat claves catenæ, Tabulamque in locum suum reponebat*. Hæc Tabula (est in Hebraico Textu טבלא, *tabla*) in externa superficie habebat annulum cujus ope tolli poterat, in interna vero catenam ita elabotatam, ut claves, cum necesse erat, expedite appendi & detrahi possent. Atque hoc Armarium videtur fuisse in pavimento, partim quia invenimus aliam ejusmodi Tabulam, cui annexus erat annulus, in ipso pavimento positam, sub qua sumebatur pulvis ad examen suspectæ mulieris; & partim quia Traditio dicit, נתן כסותו עליה, Sacerdotem, postquam deposuisset claves & Tabulam, *imposito pulvillo super ea dormiisse*.

Midd. ubi supra.

VI. Si quis inter dormiendum pateretur Gonorrhæam, eum oportebat se abluere, ut antea dictum est: via vero ad Lavacrum hisce verbis exprimitur: הלך לו בהסובה הולכת תחת הבירה, *Descendebat per cochlidas scalas quæ tendebant sub Templum*. Vox בירה in genere significat totum Templi ædificium, quod erat instar splendidissimi Palatii: hoc enim vox significat, & ita sumitur 1. *Paral.* 29. 1. 19. Itaque difficile est dicere quo tenderet ea via ad Lavacrum deducens, quandoquidem ea vox quamlibet Templi partem designat. Apparet fuisse fornicem aliquem sub solo per quem transibant, & in quem descendebant per cochlidas scalas ex eo Conclavi *Beth Mokadh* quod Caurum respiciebat. Quo vero hinc irent, an in locum τῶ *Chel* subjectum, ut putat *R. Eliezer*; vel sub quandam partem Atrii, vel Montis Domus, inutile est disquirere. Videtur Balneum fuisse sub solo, & Conclave vicinum, in quo ignis erat accensus, ad quem se calefacerent postquam se abluerant.

CAPUT XXX.

De Porta Beth Mokadh seu Porta Corban. De alia Porta Corban aliter dicta Porta Mulierum.

NON opus est nos inquirere quare prior harum Portarum vocaretur *Beth Mokadh*. Si cogitemus eam annexam fuisse ad Orientem ædificio ita dicto, & jam a nobis lustrato, quæstio soluta erit. Verum ut inveniamus quare inferior harum Portarum vocaretur *Porta Mulierum*, & quare utrique nomen inditum esset *Portæ Chorban*, majore opus erit labore.

Animus ad hasce duas conjecturas inclinat. I. Quia sub priori Templo ad hanc Portam mulieres deflebant *Tammuz*, ut modo ex *Ezechiele* observavimus. II. Quia per hanc Portam veniebant mulieres sacrificium oblaturæ ut id vide-

viderent. Nam quamvis non liceret mulieribus frequenter, ut viris, hoc Atrium ingredi, sed suo continerentur Atrio; attamen, ut alibi ex *Tosaphta* observavi, cum offerebant sacrificium, eas in Atrium *Israelis* ingredi oportebat æque ac viros. Verum quidem est, נשים יולדות, *mulieres post partum* se stetisse ad Portam *Nicanoris* ut purificarentur, atque ad Portam tantum accessisse, pede in Atrium non illato, quia eo veniebant ut prorsus purificarentur: sed mulieres mundæ, & quæ eo purificationis causa non veniebant, sed afferebant aut holocausta, aut oblationes pro peccato vel pro delicto, ea afferebant secum ad hanc Portam. Erat quidem Porta Altari hac propior, nempe Porta *Nitsots*, quam mox lustrabimus; sed cum locus Annulorum vel Mactationis esset inter eam & Altare, non erat aditus æque expeditus atque hic, ideoque hoc in loco virorum & mulierum victimæ offerebantur. Attamen hæc Porta a mulieribus nomen duxit, potius quam a viris, quia rarius eo veniebant mulieres, cum quotidie solerent viri adesse.

Hoc etiam nos juvabit ad intelligendum quare hæc Porta vocaretur *Porta Corban*, vel *Oblationis*; nempe quia sacrificia offerenda illuc afferri solebant. Atque eandem hanc rationem affert *Bartenora*: שם מכניסים קדשי הקדשים ששחיטתן בצפון, *Huc afferebant sanctissima Sacrificia, quæ debebant mactari ad latus Septentrionale Altaris*. E regione hujus Portæ in opposito latere erat Porta binominis æque ac hæc. Vocabatur שער הקרבה, *Porta Oblationis*, quia victimæ mactandæ ad Austrum Altaris illac inferebantur: vocabatur etiam *Porta Primitiarum*, quia Primitiæ erant præcipuæ ex oblationibus quæ illac afferri solebant. Ita etiam hæc Porta quam nunc lustramus, vocabatur *Porta Corban* vel *Oblationis*, quia victimæ mactandæ ad Septentrionem Altaris illac inferebantur: atque etiam vocabatur *Porta Mulierum*, quia rarius illac cum suis victimis transibant; adeoque magis observabantur quam viri. Hæ autem erant victimæ quæ mactabantur ad Septentrionem Altaris: *Sanctissima sacrificia, juvencus & hircus diei Expiationis, juvenci & hirci qui comburebantur, omnia holocautomata, sacrificia pro peccato & pro delicto*.

Barten. in Midd.

Sevachin Per. 5.

Agni duntaxat quotidiani sacrificii, quamvis ad Septentrionem Altaris mactarentur, non videntur illati in Atrium per hanc Portam, sed per eam quæ annexa erat ædificio *Beth Mokadh*: in hoc enim erat Conclave in quo agni asservabantur, ut observatum est. Itaque unam jam habemus rationem ob quam hæ duæ Portæ vocarentur *Portæ Corban*. Superiori id nominis tributum erat, quia quotidianum sacrificium seu *Corban* illac inferebatur inferiori, quia alia sacrificia per eam intromittebantur.

Sed aliquid præterea in eo nomine erat. Ut erant variæ Cistulæ ad excipiendam pecuniam in Templo, quas memoravimus, & varia Æraria in ædificiis annexis Portis Montis Templi, & Conclavibus quæ ipsi Templo adhærebant, in quæ recondebantur Vasa, Vestimenta, Decimæ, Primitiæ, &c. ita in hoc latere Atrii erant Thesaurus pecuniæ quæ capitatim solvebatur, quæ in pauperes distribuenda dabatur, aut ad Templi instaurationem, quæ speciatim vocabatur *Corban*. Vox quidem primaria & propria significatione denotat *oblationem*; (ita frequenter occurrit in *Levitico*, & sæpius eodem sensu nos modo usurpavimus) sed in communi Hæbræorum dialecto detorta est ad significandum Templi Thesaurum, ut *Matth.* 27. 6. Sacerdotes dicuntur sublatam pecuniam injicere εἰς κορβανᾶν, illicitum judicasse. Ita *Josephus* dicit *Pilatum* excitasse tumultum inter Judæos, ἀναλίσκων τὸν ἱερὸν θησαυρὸν. καλεῖται δὲ κορβωνᾶς εἰς καταγωγὴν ὑδάτων, *consumpto in aquæductum sacro Thesauro qui vocatur Corban*. Ita Tractatus *Middoth* recensens Excubias quæ in Templo agebantur, meminit *Custodiæ quæ erat ad Conclave Corban, unius quæ erat ad Conclave Veli, unius quæ erat pone Propitiatorium*. Ex hoc posteriori loco allato ad id comprobandum de quo jam nobis sermo est, fuisse nempe duas Portas in Septentrionali latere dictas ἀπὸ τοῦ Corban, haud vero absimilis conjectura elici potest ad collocandum *Corban* vel præcipuum Thesaurum eo in loco in quo collocavimus. Apparet ex distributione Excubiarum. Custodias ad Conclave quod erat è regione Veli, & ad Conclave *Corban* fuisse in variis lateribus Atrii; alioqui nulla fuisset conformitas ac proportio in harum Excubiarum dispositione. Septem Portæ Atrii omnes custodiebantur, duæ a Sacerdotibus, quinque a Levitis. Quatuor anguli Atrii servabantur etiam; & præterea erat, ait Traditio, *Custodia ad Conclave Veli, alia ad Conclave τοῦ Corban, alia pone Propitiatorium*: hoc est, una ad alterum latus Atrii è regione ædificii ipsius Templi, secunda ad alterum latus, tertia e regione posticæ partis, quæ vocabatur *Custodia pone Propitiatorium*. Jam autem ubi commodius

Joseph. de Bello, lib. 2. cap. 14.

Midd. Per. 1.

dius τὸ *Corban* collocare possemus, quam inter duas Portas quæ ab eo nomen ducebant? Hoc simile videtur ei rei quam observavimus de Portis & *Domo Asuppim* ad Occidentalem partem Montis Domus: nam quemadmodum ibi erat ædificium quod porrigebatur inter duas Portas, vocatum *Domus Asuppim*, & quod Portis hinc inde connexis nomen fecerat; ita hic erat ædificium inter duas Portas porrectum, quod cum diceretur *Corban*, effecit ut vicinæ utrinque Portæ vocarentur *Porta Corban*.

Ut igitur descendamus a Porta *Beth Mokadh* versus Orientem, primum occurrebat ædificium Portæ contiguum, quod vocabatur *Corban*, & Ærarium erat. Deinde erat Conclave ubi Levitæ custodiam habebant: juxta situm erat aliud Ærarium seu *Corban*, atque ad ejus Orientem Porta vocata eodem nomine *Corban*, & simul *Porta Mulierum*.

Porro in distinctionem horum Gazophylaciorum, utrum alter esset ad recondendum Semi-siclum capitationis, alter pecuniæ ac vasorum oblatorum in usum & instaurationem Templi; an vero alter esset Thesaurus Templi, alter in pauperum gratiam erogatæ pecuniæ, quod observavimus antea, frustra inquireretur, quandoquidem omnibus tentatis non potuimus questionem hanc solvere. Hoc tantum, ut opinor, non inepte potest observari, Æraria in quæ pecuniam recondebant (seu Conclavia, seu Cistæ essent) magis proprie vocata fuisse *Corban*, quam Thesauros, in quibus alia reposita erant. Atque hæc varia loca in quibus hæc Conclavia & Cistæ erant, vocabantur *Gazophylacia vel Domus Thesauri*.

Hoc in loco priusquam manum de tabula tollamus, non erit ἀπροσδιόνυσον expendere Scripturæ locum in quo de Ærario agitur. Extat 2. *Reg*. 12. 10. & 2. *Paral*. 24. 8. de Thesauro vel Cistula facta a *Jehojadah* ad colligendam pecuniam ad instaurationem Templi, quod temporibus *Athaliæ* neglectum fuerat. Et quia primo intuitu videtur esse contradictio inter duos illos Libros in quibus historia narratur, hic sunt utriusque verba collocanda, & postea videndum quomodo conciliari queant.

2. Reg. 12.	2. Paral. 24.
Vers. X. *Et sumpsit Jehojadah Pontifex Cistulam, aperuitque foramen desuper, & posuit illam juxta Altare ad dexteram ingredientium Domum Domini.*	Vers. VIII. *Præcepit ergo Rex, & fecerunt arcam, posueruntque eam forinsecus juxta Portam Domus Domini.*
XIV. *Verumtamen non fiebant ex eadem pecunia hydriæ Templi Domini, & fuscinulæ, & thuribula, & tubæ, & omne vas aureum & argenteum, de pecunia quæ inferebatur in Templum Domini.*	XIV. *Cumque implessent omnia opera, detulerunt coram Rege & Jojadah reliquam partem pecuniæ, de qua facta sunt vasa Templi in ministerium ad holocausta, phialæ quoque, & cætera vasa aurea, argentea*, &c.

Ad tollendam horum locorum ἐναντιοφανίαν, quorum alter habet Cistam fuisse juxta Altare, alter extra Portam; alter ait vasa conflata fuisse ex pecunia oblata, alter vero negat: observandum est, licet forte eadem fuerit Cista, varias tamen esse posse historias tum de ea, tum de pecunia, quæ ad idem tempus referri non debent. Zelus *Joasi* Regis, ac segnities Sacerdotum ad instaurandam Domum Domini hic conferuntur, (licet *Jehojadah* fecerit quicquid in se fuit) *Joas* urserat instaurationem Templi, & jusserat Sacerdotes omnem colligere pecuniam quæ in eum usum consecrata erat, & propterea suppeditabatur, nempe Semi-siclum qui capitatim solvebatur, pecunia quæ cuipiam solvenda erat ut liberaretur ab aliquo peculiari voto, *Levit*. 27. & omnem pecuniam quam unusquisque sponte offerebat. Volebat *Joas* unumqnemque Sacerdotem eam a notis accipere & familiaribus, nec tamen vigesimo regni ejus anno quicquam instauratum fuerat in Templo. Itaque Rex videns aut segnitiem, aut infidelitatem, aut utramque simul in Sacerdotibus, vetuit eos amplius operam dare accipiendæ pecuniæ, quoniam per eorum ministerium nihil agebatur, quippe qui irreligiosos ac superbos se præberent, omissa omni instaurationis Templi cura. Bonus quidem *Jehojadah* non quæsiverat moras, sed posuerat Cistam cum foramine juxta Altare, ut quæcunque pecunia colligi posset, ibi in usum destinatum reponeretur: sed quandoquidem inde nullum rediret subsidium ad opus aggrediendum, nec ad emenda vasa Sacro Ministerio necessaria, quia pecunia, ut deferretur in Cistulam quæ erat in Atrio Sacerdotum, debebat

bat horum manibus deferri, *Joas* vel removit istam Cistam, vel aliam fecit quam posuit extra Atrium ad introitum, quo unusquisque libere poterat accedere, & proclamari jussit per totam regionem, afferendam esse pecuniam a *Mose* constitutam. Tum Principes & populus prompte & hilariter eam contulerunt, ita ut suppeteret pecunia ad instaurandum ædificium, & facienda præterea in usum Templi vasa quibus indigebat.

CAPUT XXXI.

Conclavia Salis, Parvah, & Lavacri.

QUemadmodum erant tria Conclavia inter mediam Portam *Corban*, seu *Mulierum*, & Occidentalem Portam *Corban*, quæ alio nomine dicebatur *Porta Beth Mokadh*, nempe duo Æraria, & Conclave in quo Levitæ excubias agebant inter duo illa priora situm: ita erant etiam tria Conclavia inter eandem mediam Portam *Corban*, & Portam ad Orientem magis vergentem, quæ Porta *Nitsots* dicebatur; Atque hæc tria erant *Conclave Salis*, *Conclave Parvah*, & *Conclave Lavacri*. Conclave Salis trium maxime ad Occidentem vergebat, & connexum erat *Portæ Mulierum*; atque ita vocabatur, quia in eo asservabatur sal in usum Templi. Nam licet sal, vinum & oleum, aliaque ejusmodi in Tabernis venderentur in usum privatorum oblationum; quæ erant absumenda in publicos oblationum & divini cultus usus publicis sumptibus emebantur, & asservabantur in Conclavibus eam in rem destinatis.

Maximus erat salis in Templo usus: nihil enim Altari imponebatur sine sale, excepto ligno, sanguine & vino liquidarum oblationum: & quantam quidem salis copiam consumerent in omnia sua sacrificia, unusquisque satis intelligere potest, cum diserta lex esset, *Cum omnibus tuis oblationibus offeres salem*, *Levit.* 2. 13. Nec tantum ea ratione consumebant salem, sed etiam saliebant pelles cum eas victimis detrahebant. Nam ad Sacerdotes pertinebant pelles tanquam peculiare emolumentum; ideoque Classis Sacerdotum ministrantium saliebat pelles victimarum quas immolaverat, ne corrumperentur, sed possent servari ad finem usque hobdomadis cum Ministerio abibant, atque in præparatione Sabbati sub noctem eas inter se dividebant.

Maymon. in Issure Misbeah. Per. 1.

Locus in quo saliebant & deponebant pelles ad id usque tempus, erat Conclave *Parvah*, quod ad Orientem contiguum erat Conclavi Salis, & nobis lustrandum proxime occurrit. Dubia est aliquatenus ratio nominis ejus. *Gemaristæ* in Tract. *Joma* de ea disceptantes in hanc tandem Traditionem consentiunt: פרוה אמגושא, *Quid significat Parvah? Rab Joseph dicit, Parvah erat Magnus. Significatio vocis* אמגושא *hæc ast*, (ait *R. Nathan*) *Parvah nomen est viri qui Magus erat. Quidam Sapientes dicunt eum subterraneum fornicem excavasse usque ad locum ex quo posset videre quid Summus Sacerdos die Expiationis ageret. Et sapientes viri moniti fuerunt de fornice quem fecerat, invenerunt que eum in hoc, & hoc Conclave ex ejus nomine appellarunt*. Brevia Scholia in *Misnajoth* in 8. ulterius procedunt. *Necromantis*, inquiunt, *cujus nomen erat Parvah, magicis artibus hoc Conclave exstruxit. Et quidam dicunt eum preforasse murum, ut videret Ministerium Summi Sacerdotis, atque ibi interfectum fuisse*. Magia inter Magnates quosdam in Templo majori erat in usu quam quisquam forte credere possit: nam *Hierosolymitanum Thalmud* refert quosdam ex Pontificibus Maximis ea usos ad se invicem perdendos. Verum alii deducunt nomen *Parvah* a voce *Parim*, quæ *juvencos* significat, propter pelles juvencorum quæ ibi deponebantur. Qua in re curiosius rationum pondera non pensitabimus, sed rationem hujus nominis discutiendam iis relinquemus; quibus ingenium ad talia suppetit. Descriptio nostra nihil aliud requirit, nisi ut indicemus locum nomenque ejus atque usum, omissis aliis inutilibus circumstantiis.

Joma. Per. 3. halacah 6. Aruch in Parvah.

Thalmud. Hierof. in Joma, Per. 3. R. Shemaj. in Middoth.

Ad Orientem Conclavis *Happarvah* aliud erat ædificium dictum לשכת המריחין, *Conclave Abluentium:* cujus nominis ratio fuit, quia ששם מריחים את קרבי קדשים, *in hoc Conclavi abluebant viscera victimarum*, juxta Legem, *Levit.* 1. 9. Plerique existimant ablutas fuisse victimas offerendas in Piscina *Bethesda*, cujus mentio occurrit *Joann.* 5. Si intelligant viventes victimas, non capio cui fundamento innitatur ista opinio, seu Scripturam, seu priscorum Judæorum monumenta consulam. Si vero intelligant victimarum viscera, Conclave, de quo jam nobis sermo est, locus erat in quo id fiebat; nec longius ibant, nisi quod postquam ea hic abluissent, iterum ea abluebant ad Marmoream Mensam, de qua mox loquemur.

Extra hoc ablutionis Conclave erant Scalæ cochlides quibus ascendebatur supra Conclave *Parvah*, quo in loco erat Balneum in quo se abluebat Summus Sacerdos die Expiationis variis vicibus quibus se

Ibid. Joma. Per. 3.

ſe abluere tenebatur, excepta prima, qua corpus abluebat in Balneo quod erat ſupra Conclave *Abtines*, ut antehac obſervavimus. In *Conclavi Lavacri* videtur ingens fuiſſe tubus per quem decurrebat aqua ad abluenda tot viſcera quæ quotidie abluere neceſſe erat: & alius etiam ad lacunar vicini Conclavis, ut aqua Balneo ſuppeteret.

CAPUT XXXII.

Porta & Domus Niſots ניצוץ. *Conclave lapideorum Vaſorum.*

JAm pervenimus ad Portam quæ maxime ad Orientem vergebat ex tribus quæ erant in hoc Septentrionali latere, & duplici nomine inſignita erat, *Portæ Nitſots*, & *Portæ Cantus*. Vox ניצוץ proprie ſignificat *ſcintillationem*, ut *Iſaj.* 1. 31. *Ezech.* 1. 7. &c. & denotat radios Solis qui quaſi ſcintillant eo oriente & occidente. Sed aliquando Rabbini ea utuntur ad ſignificandas *guttas*, quæ ſunt inſtar ſcintillarum aquæ; aliquando, auctore *Baal Aruch*, ad deſignandam ſpumam. Jam inquirere quo ſenſu id nominis huic Portæ impoſitum fuerit, & rationem hujus denominationis, majoris eſſet laboris quam utilitatis. Proferam tantum duas conjecturas ex *ſcintillationis* ſenſu petitas. Vocabatur *Porta ſcintillans*, vel quia flamma Altaris eam illuſtrabat, cum eſſet maxime omnium, quæ in hoc latere Septentrionali erant, Portarum Altari oppoſita: vel quia Sol, cum ad mediam diei partem pervenerat, præ fulgido ſplendore deauratam hanc Portam ſpargebat; quod in nulla ex aliis Septentrionalibus Portis fiebat, cum altitudo Templi ſolares iis interciperet radios. Sed hæc Porta directe oppoſita erat & patebat meridionalibus radiis, adeoque cum valvæ deauratæ eſſent, vividiſſime eos reflectebant in Atrium.

Middoth. Perek. 1. Ibid. Perek. 2.

Quare etiam vocaretur *Porta Cantus*, conjecturis quoque tantum aſſequi, & hanc quidem ſolam afferre poſſumus; quia nempe qui ad hanc Portam veniebant, videbant Levitas non procul canentes in ſuis Pulpitis, vel organis ſnis, ſacræ Templi Muſicæ operam navantes. Huic Portæ ad Orientem adnexum erat ædificium quod a Porta dicebatur *Domus Nitſots*, in quo Sacerdotes excubias agebant in ſuperiori in Conclavi, Levitæ in inferiori. Inter hoc ædificium & Portam erat Periſtylium, per quod via erat extra Portam deducens ad Conclave interius in quo erant Levitæ. Ex hoc Periſtylio tranſire licebat ἐις τὸ חיל *Chel*. Atque ita hæc verba intelligi debent in Thalmudica deſcriptione Templi: כמין אכסדרא היה והעליה בנויה על גביו, *Porta hæc erat inſtar Periſtylii, & ſupra eam exſtructum erat Conclave, ubi Sacerdotes ſuperius excubias agebant, Levitæ vero inferius, & habebat Januam ἐις τὸ Chel*. Hæc nimirum eſt hujus loci ſententia: Venienti ex Atrio per Portam *Nitſots* ἐις τὸ *Chel*, ad dextram non erat murus planus, quemadmodum erat in lateribus reliquarum Portarum, ſed ea pars Columnis fulta erat, (qualia erant latera Periſtyliorum de quibus egimus) & intra haſce Columnas erat ſpatium fere æque longum, ac latus erat tranſitus per Portam. Itaque qui erant intra Portæ fornicem, poterant aſcendere inter has Columnas ad memoratum ſpatium, adeoque in Conclave in quo Levitarum erant Excubiæ. Supra autem hoc Periſtylium, Conclave & Portam, locus erat ubi cuſtodiam agebant Sacerdotes, unus ex tribus in quibus eo fungebatur officio. Denique in Levitarum Conclavi Janua erat qua exibant ἐις τὸ *Chel*.

Middoth. Perek. 1.

Ibid.

Hæc ædificia ab hac Porta *Nitſots* Orientem verſus longiuſcule porrigebantur ad aliud ædificium quod pertingebat angulum ipſum Atrii, & vocabatur בית האבן, *Domus Lapidea*; non quaſi lapidibus ſolum ſtructum eſſet, reliqua vero lignis, omnia enim erant lapidea; nec quaſi architectura ejus eadem non eſſet ac reliquorum: ſed quia omnia vaſa quibus in eo utebantur, lapidea ſeu figulina erant. Ita exponit hoc nomen *Gemara* in Tractatum *Joma*: על פני בירה לשכת בית האבן *Ante Templum in Euro-aquilonari angulo erat Conclave Domus Lapideæ, atque ibi ſegregabant Sacerdotem qui Vaccam rufam combuſturus erat, ſeptem ante diebus. Et vocatur Domus Lapidea, quia opera ejus fiebant teſtaceis aut lapideis vaſibus. Thalmudici* in hoc loco non modo rationem nominis reddunt, ſed etiam nos ſitum ejus docent ædificii, cum dicunt id fuiſſe על פני הבירה, *ante Templum in Euro-aquilonari angulo*. Ad ſeparationem Sacerdotis in hoc Conclavi quod attinet, qui Vaccam rufam combuſturus erat, ſimilis eſt locus in Tractatu *Parah*, hiſce verbis: *Septem diebus antequam Vacca combureretur, ſeparabant Sacerdotem qui eam combuſturus erat, & ex ejus ædibus transferebant in Conclave quod erat ante Templum ad Euro-aquilonem, quod vocabatur Domus Lapidea, & eum adſpergebant omnibus ſeptem diebus*, &c.

Joma, Per. 1. in Gemara.

Parah. Per. 3. in Mishnah.

CA-

CAPUT XXXIII.

Atrium Israelis & Sacerdotum. Pulpita in quibus canebant Levitæ

ITa peragrato muro qui Atrium ambibat, & observatis omnibus Portis atque ædificiis quæ in eo occurrebant, jam nobis in ipsum Atrium ingrediendum est, & lustranda varia quæ in eo conspiciebantur.

Middoth Perek. I. Ibidem. Perek. I.

Universa longitudo Atrii ab Oriente ad Occidentem erat CLXXXVII. cubitorum. Partes diversæ quibus hæc longitudo constabat, hæ fuerunt ab Oriente ad Occasum.

- Latitudo Atrii Israelis, XI. cubitorum.
- Latitudo Atrii Sacerdotum, XI.
- Latitudo Altaris, XXXII.
- Inter Altare & Templum, XXII.
- Longitudo Templi ipsius, C.
- Pone Occidentalem faciem Templi ad murum Atrii, XI.

Partes vero latitudinis hæ erant a Septentrione ad Austrum.

- A muro Atrii ad Columnas, VIII. cubiti.
- A Columnis ad Marmoreas Mensas, IV.
- A Mensis ad locum Annulorum, IV.
- Spatium in quo erant Annuli, XXIV.
- Ab Annulis ad Altare, VIII.
- Altare & ejus gradus, LXII.
- A basi graduum ad Australem Atrii murum, XXV.

Omnium istorum sigillatim, prout ad singula ordine veniemus, descriptionem trademus. Primum necesse est exponere terminos ipsos, *Atrium Israelis* & *Atrium Sacerdotum*. Intelliguntur aliquando strictius, aliquando latius. Stricto sensu significant primum solum quod calcabant ascendentes ex Orientali muro Atrii, seu Porta *Nicanoris*, ad Altare, & singula dicuntur lata fuisse XI. cubitos. Verum latiori notione *Atrium Israelis* erat id spatium soli quod *Israelitis* Laicis calcare licebat juxta murum qui Atrium ambibat ad Septentrionem, Austrum & Occidentem æque ac ad Orientem. Atrium intus erat juxta muri longitudinem Peristylio ornatum, quale etiam fuisse circa Montem Domus & Atrium Mulierum jam diximus. Idque non modo ipsa ratio ostendit, quæ, si inferiora loca & minoris venerationis ita erant ornata, sanctissima multo magis iis ornamentis destituta non fuisse docet; sed & *Josephus* & *Thalmudici* idem testimonio suo confirmant. Hæc sunt verba *Josephi*, dudum a nobis citata. Αἱ ϛοαὶ δὲ μεταξὺ τῶν πυλῶν ἀπὸ τȣ̃ τείχȣς ἔνδον ἐϛραμμέναι, &c. *Porticus inter Portas intra murum porrectæ, & pulchris fultæ columnis*, &c. Quamvis in hisce verbis peculiariter loquatur de Peristyliis quæ erant ante Gazophylacia, a nobis in Atrio Mulierum collocata; attamen scopus orationis ostendit id esse de omnibus Atriis intelligendum. Tractatus Thalmudicus *Thamid* similiter verba faciens de primo ingressu matutino Sacerdotum in Atrium, dicit eos ingressos esse per ostiolum ex *Beth Mokadh*, atque in Atrio se in duo agmina divisisse, quorum nunc hinc, alterum illinc ibat באכסדרה, *per exedram*, juxta longitudinem Porticus circa Atrium, ut viderent an omnia salva essent. Præterea loquuntur de columnis quæ a Septentrionali muro Atrii octo cubitis distabant, & quæ, licet suo nomine ostendant se fuisse breviores columnas, quam ut lacunar Porticus sustentare possent, ut observabimus cum ad eas devenerimus; attamen vicinæ erant majoribus columnis quæ fulciebant id lacunar.

Joseph. de Bell. lib. 5. capi14.

Thamid. Per. 1.

Igitur ad Septentrionem, Austrum & Occidentem Atrii erat Peristylium iis simile de quibus jam egimus, laqueari tectum quod columnis sustentabatur, ubi populus esse poterat sine ulla pluviæ aut tempestatis incommoditate. Atque hoc vocabatur *Atrium Israelis*, & totum interius Atrium circumambibat. In hoc licebat Laicis stare, & revera in eo stabant cum magnus erat populi in Templum concursus, ut tribus festis, quibus viris præceptum erat se coram Domino sistere. In Thalmudico Tractatu *Pesachin* dicitur, *Pascha mactatum fuisse in tribus Congregationibus: primaque ingressa Atrium plenum fuisse*, &c. Cum porro dicitur Atrium populo plenum fuisse, non ita id intelligendum, quasi omnes Atrii partes quæ intra murum erant, plebe fuissent refertæ; sed tantum Porticum, in qua Laicis esse licebat, iis fuisse plenam, quæ quidem vocabatur *Atrium Israelis*. Interiora omnia, Peristylio illo circumdata, latiori notione vocabantur *Atrium Sacerdotum*. In omnibus Peristylii partibus non æque latus patebat ambulationi locus; hinc inde enim ædificia aliquam ejus partem occupabant, ut *Beth Mokadh* in angulo Caurum respiciente, & *Conclave Gazith* ad Euro-notum, &c. Attamen ubique satis latum erat spatium, licet modo amplius, modo minus, circa universum Atrium, ut transeuntibus in Atrio Sacerdotum pedem ponere necesse non esset

Pesachin. Per. 5.

Ad Orientalem partem, ascendentibus

ex Porta *Nicanoris* occurebat id quod strictiori notione vocabatur *Atrium Israelis* quod Altare versus undecim cubitos latum erat; deinde sequebatur quod etiam strictiori sensu vocabatur *Atrium Sacerdotum* quod similiter undecim cubitorum erat, Hæc duo spatia circumdata erant duplici Peristylio, ac tecta laqueari duplici columnarum ordine suffulto, quorum alter erat versus apertum Atrii cœlum, alter vero duo illa dividebat spatia. Hæc proprie vocabantur *Atrium Israelis*, & *Atrium Sacerdotum*, propter duas hasce, vel tres rationes

I. Quia locus ille frequentissimus erat *Israelitis* & Sacerdotibus, cum solennius Deum colerent, quod e regione Templo & Altari oppositus esset.

II. Quia in eo loco qui *Atrium Israelis* vocabatur Stationarii constanter aderant, dum populum in cultu publico repræsentarent, quemadmodum alibi ostendimus. In ea vero parte quæ *Atrium Sacerdotum* dicebatur, erant ii Sacerdotes qui diei illius Ministerio non occupabantur, (uti nunquam omnes erant occupati) ac spectabant Fratrum suorum Ministerium.

De Minister. Templi, cap.7. sect. 3.

III. Ea pars Conclavis *Gazith* quæ erat intra Atrium, in utrumque Atrium januam habebat: & quemadmodum in hoc Conclavi sorte inter se ministeria dividebant; ita etiam erat quasi *Cappella* in qua maximam partem quotidianæ Liturgiæ recitabant, quam Sacerdotes & populus ex Atrio audiebant. Atria divisa erant quibusdam repagulis quæ Hebræi vocant ראשי פספסין, quæ erant ab una columna ad alteram, in illo medio ordine columnarum quibus lacunar fulciebatur. In Atrium Sacerdotum, seu latius, seu strictius sumatur, non licebat Laicis *Israelitis* venire nisi triplici de causa; nempe vel ad imponendam manum victimæ quam oblaturi erant, vel ad eam mactandam, vel ad aliquam ejus partem agitandam: & tum quidem ingrediebatur in Atrium *Israelis* vel Sacerdotum per Septentrionalem aliquam, vel Australem Atrii Portam, prout ejus victima mactari debebat ad Septentrionem, vel Austrum Atrii, ut antea observavimus.

Atrium populi æquale erat Atrio Orientalis Portæ seu *Nicanoris*; sed solum Atrii Sacerdotum duobus cubitis & dimidio altius erat. Animo concipito te ascendere ex Porta *Nicanoris*, vel potius effingito tibi ascendentes Levitas, ac gestantes musica instrumenta, (quæ antea observavimus recondita fuisse in Couclavibus subjectis Atrio *Israelis*, sed quorum januæ aperiebantur in Atrium Mulierum) cum gradus ascenderant Portæ *Niconoris*, & per eam transibant, patebat ipsis utrinque aditus in Peristylium seu Atrium populi, (qualem editum habet *Londini* qui ex *Cornhill*, vel *Bartholomæi platea* ad *Regiam Bursam* venit, utrinque enim potest Peristylium ingredi) incedebantque in æquali solo donec transissent latitudinem Atrii populi, seu donec venissent ad columnas illas quibus lacunar sustentabatur & distinguebantur duo Atria; eo enim in loco solum extollebantur duobus cubitis & dimidio, & ascensus in id erat hoc modo dispositus. Primum erat gradus cubitum altus, deinde tres gradus quorum unusquisque semicubitum tantum altus erat. Ita ascendendum erat venientibus ex Porta *Nicanoris*: sed se ad dextram vel sinistram convertentibus occurrebant Levitarum Pulpita ubi canebant, & Symphoniam Templi faciebant. Constabant variis gradibus, quorum summus æquabat medium illud spatium. Primum erat gradus unus cubitum altus, qui per totam Pulpitorum longitudinem porrigebatur ante repagula & columnas quibus Atrium Sacerdotum ab Atrio Populi distinguebatur: deinde erant tres gradus semicubitum singuli alti, & supra summum gradum stabant Levitæ voce & instrumentis canentes. Pedes eorum æquabant solum Atrii Sacerdotum, eratque ante eos Pulpitum.

Maymon. in Biath Habbechir Perek. 6.

Id. ibid. & Midd. Per.2. §. 6.

Elias Levita non videtur observasse hos gradus quibus in Atrium Sacerdotum, & Levitarum stationem ascendendum erat, cum dixit horum דוכן *Ducan* (Eruditi *Suggestum* aut *Pulpitum* interpretantur) nihil fuisse præter scamnum in quo stabant; eorum enim pedes institisse solo Atrii. Hæc sunt ejus verba: *Miror hoc Thargum*, (in *Psalm.* 134.) *Attollite manus vestras, ô Sacerdotes, supra sacrum Pulpitum* דוכן *Nam ecce Ducan erat* אצטבא *scamnum in quo stabant Levitæ cum canebant; & vocatur Ducan in Arabica lingua sed Germanice & vulgari lingua, Banca.* In hac interpretatione vocis per vocem אצטבא, quam Arabicam existimat, sequitur verbatim *Aruch.* Sed fateor me non satis intelligere causam ejus admirationis, cum præsertim verba præcedentia animo reputo: *Vocamus locum ubi Sacerdotes attollebant manus cum populo benedicebant, Dukan; atque ita Thargum: Tollite manus vestras, o Sacerdotes, in sacrum Dukan, quod miror*, &c. Si mirabatur *Thargum* induxisse Sacerdotes populo benedicentes ex Pulpito in hoc Psalmo, potuit etiam similia alibi invenire: nam *Thargum Jonathan* in legem *Numer.* 6. 23. ita interpretatur: *Alloquere Aaronem & ejus filios, dicens, ita benedicetis filiis*

Elias in Tishbi, in דכן.

Aruch in דכן.

Tharg. Jonath. in leg. Numer. 6.

filiis Israelis: expandent manus suas supra דוכנא *Dukana, eosque hoc modo alloquentur.* Hebraica Scholia in margine sic exponunt. *Expandendo manus suas in loco dicto* דוכנא *Dukana:* & paulo post: מקום איצטב נקרא דוכן, *Locus scamnis stratus vocabatur Dukan.* Ita fusior *Paraphasis Chaldaica* in Canticum Canticorum, Cap. 3. 7. sic παραφράζει. *Ita cum Solomon Rex Israelis condidit Domum Sanctuarii Domini Hierosolymæ, Dominus dixit verbo suo, Quam pulchra est Domus Sanctuarii quæ est mihi structa a Rege Solomone filio Davidis! & quam pulchri sunt Sacerdotes, cum extendunt manus suas & stant in suo Dukan, & benedicunt populo per sexaginta miracula quæ tradita sunt Mosi ipsorum Magistro!*

Gl. Marg. ibid.

Tharg. in Cant. 3.

Sed videtur admiratio *Eliæ* hoc potissimum respexisse, quod Hebræi & *Chaldaica Paraphrasis* uno consensu doceant Sacerdotes cum benedicerent populo, stetisse ἐν τῷ Dukan, cum *Dukan* seu *Pulpitum* Levitarum esset, non Sacerdotum. Ac certe si existimarem ibi significari ipsa Pulpita Levitarum, cum ajunt, *Sacerdotes stabant* ἐν τῷ *Dukan*, & *benedicebant populo*, non minus hoc mihi mirum videretur: sed credo alia fuisse Pulpita hanc in rem Sacerdotibus attributa; vel hic notari locum ex quo Sacerdotes benedicebant populo, eumque tanquam notissimo nomine vocatum fuisse *Dukan*.

Verba *Thalmudis*, quibus describuntur Pulpita in quibus Levitæ stabant & canebant, hæc sunt *R. Eliezer filius Jacob dicit, Erat gradus*, (nempe ex Atrio populi in Atrium Sacerdotum) *& erat cubitum altus, & Dukan ei erat impositus, atque in hoc erant tres gradus singuli semicubitum alti: adeo ut Atrium Sacerdotum comperiatur altius fuisse Atrio Israelis duobus cubitis & dimidio.* Uti inde liquet Levitas stetisse in quibusdam gradibus; ita apparet summum gradum non superasse solum Atrii Sacerdotum, atque eum gradum in quo stabant non vocatum fuisse *Dukan*, sed totum locum in quo positi erant tres illis gradus.

Middhot Perek. 2.

Ita erant undecim cubiti Atrii Sacerdotum ad hanc Orientalem Atrii partem distributi: nempe duo cubiti & dimidius occupabantur Cantorum Pulpitis, (nam æquæ lati erant ac alti) octo vero cubiti & dimidius attributi erant stationi Sacerdotum. Atrium *Israelis* separatum erat a Levitarum Pulpito columnis & repagulis. Levitarum statio separata erat a Sacerdotum statione ligneo Pulpito, seu re quapiam simili. Atrium Sacerdotum versus Altare apertum erat, nisi quod ordo columnarum quibus Porticus fulciebatur, interpositus esset. Ita habemus dimensiones & ἰχνογραφίαν Atrii, Ædificiorumque & Peristyliorum quæ circumposita erant. Sed priusquam ad eorum quæ intra ipsum erant considerationem progrediamur, non possum omittere ædificium quodpiam quod sua contignatione aliquatenus referebat quædam ex Peristyliis quæ descripsimus seu in Monte Domus, seu in altero Atriorum, licet credam Peristylium non fuisse, sed id quod vocabatur *Tectum Sabbati*, cujus mentio occurrit 2. *Reg.* 16. 18. ubi dicitur de *Achazo*, *Et tectum Sabbati quod ædificaverat in Domo Domini, & Regum introitum exterius*, &c. Est aliquatenus dubium quomodo construi debeat verbum in hac sententia; an nempe dicendum sit, *Convertit a Domo Domini*, ut habet *Anglica* nostra Versio; vel *Convertit ad Domum Domini*, ut *Chaldæus Paraphrastes* atque alii: nam in Hebraico Textu vox ad utrumque æque potest flecti. Si ea de re hic ageretur, sequerer *Anglicam* nostram Translationem; nam introitus Regum exterior obversus fuit ad Domum Domini cum primum constructus est: sed quæritur quid esset hoc *Tectum Sabbati*. Septuaginta Interpretes id verterunt θεμέλιον καθέδρας, *Fundamentum Sedis*: quod qua æquivocatione contigerit in legendo Exemplari suo non punctato, qui mediocriter linguam Hebraicam callent facile deprehendent, legerunt nempe *Musadh* ἀντὶ τοῦ *Musach*, propter similitudinem τοῦ ד & τοῦ ך finalis, & pro *Shabbath* legerunt *Schebeth*. Receptissima opinio circa hanc rem eorum est qui existimant fuisse aliquod ædificium peculiare, quod exstructum fuerat in gratiam Sacerdotum qui unoquoque Sabbato ministerio suo exibant, ut in eo quiescerent, donec elapsum esse Sabbatum, & domum redire possent. Ratio hujus sententiæ eo nititur, quod existiment vocem *Sabbatum* referri potius ad mutationem Classium Sacerdotalium, quæ Ministerium suum inchoabant & absolvebant unoquoque Sabbato, quam ad Ministerium ipsum, aut populi præsentiam, cujus concursus major erat diebus festis quam diebus Sabbati. Crediderim ego potius significari Atrium quodpiam in quo Præsidium erat in summa parte Aggeri *Shallecheth* versus Portam *Coponii*, ubi Prætoriani milites stabant diebus Sabbati, expectantes donec Rex e Templo rediret, eum inde in Regiam deducturi. Conjungendam quoque existimaverim vocem *Regium* cum duobus locis quæ ibi memorantur, ut non minus significetur Regium Tectum Sabbati,

Vide Kimch, & Lev. Gers. in loc. & Nobil. in LXX. Interpr.

bati, quam Regum introitus exterior. Argumenta ad tuendam hanc meam opinionem petam partim ex mentione Portarum quarum antea meminit Scriptor Sacer, nempe *Portæ Fundationis*, & *Portæ quæ est pone Præsidium*, 2. *Reg.* 11. 6. & partim ex loco *Jerem.* 38. 14. ubi dicitut *Rex Sedecias misisse & sumpsisse Jeremiam Prophetam ad se ad tertium introitum qui erat in Domo Domini;* ubi *Solomon Jarchi* ingenue fatetur, se nescire quinam esset hic *tertius introitus qui erat in Domo Domini* : *sed fortasse*, inquit ille, *significat Atrium Israelis, cum duo alia essent Atrium Mulierum & τὸ Chel. Kimchi* optime intellexit hunc introitum debuisse occurrere iis qui ex Regia veniebant in Templum; sed nihil amplius definivit. Dixerim ego significari Portam *Coponii*, & intellexerim Regem hac via in Templum venisse. Primum in summa parte graduum vel descensus *Sionis*, ut & per Aggerem domum redeunti, ei occurrebat *Porta Fundationis* : deinde cum in Aggerem versus Templum venisset, transibat per *Portam pone Præsidium*, & peragrabat Atrium Præsidii, quod *Regium Tectum Sabbati* vocatum esse opinor; postea ingrediebatur per *Portam Coponii*, quæ erat tertius ejus introitus vel Porta per quam transibat. Hæ Portæ, ut antea diximus, erant Portæ *Sionis* in via hujus collis ad Templum, non ipsius Templi Portæ.

Hisce positis, existimo *Achazum* Religionis transfugam factum deformasse ac polluisse Templum intus, & extra etiam plane intercidisse viam a Regia ad Templum ducentem, quasi ipse & sui nunquam eo venturi fuissent. Ita etiam crediderim *Sedeciam* cum Templum Præsidio munisset, dum *Chaldæi* urbem obsiderent, advocasse *Jeremiam* ex carcere *Sionis*, unde venit ad *Portam Coponii* vel *Shallecheth*, ubi colloquutus est cum Rege. Jam oculos nostros convertamus ad ea quæ erant in ipso Atrio, quæ tamdiu lustrare distulimus : & primum quidem incipiamus ab Altari, quod non modo est præcipua res quæ ibi observanda venit, sed etiam veluti immotum signum unde locum & conspectum reliquarum dimetiamur.

CAPUT XXXIV.

De Altari Holocautomatum.

Altare quod *Moses* fecit in deserto, quia circumferendum erat, constabat materia levi, nec magnarum erat dimensionum : erat enim ex ligno *Shittim;* circumferentia ejus erat quadrata, & unumquodque latus quinque cubitorum; altum vero erat tres cubitos, cum craticula ænea intus collocata, cui victimæ & ignis imponerentur. Ideoque cum vocatur *Altare Æneum*, 2. *Paral.* 1. 5. id dici intelligendum est, quia ære obductum erat, *Exod.* 38. 2. Sed cum *Solomon* ædificare Templum aggrederetur, nec amplius loco dimovendum esset Tabernaculum Congregationis, ut antea, struxit Altare multo latius & gravius quam Altare *Mosis*, æneum nempe, cujus circumferentia viginti cubitorum fuit, altitudo decem.

Exod. 27. 1.

2. Paral. 4. 1.

Non inquiram curiosius, an re ipsa Altare *Solomonis* æneum esset necne; vel utrum dicatur æneum, quamvis lapideum esset, quia successit æneo *Mosis* Altari, ut quidam existimant Hebræi, vel ut alii putant, quia erat obductum ære. Nullam video rationem quæ probare queat rem non esse proprie intelligendam, idque non constitisse solido ære : quare enim non possumus colligere ex eo quod *Moses* Altare suum ære obduxit, factum id fuisse ex ligno tantum propter levitatem; absque hoc fuisset, internas æque ac externas partes solido ære fuisse conflandas; idque monuisse *Solomonem* ut Altare suum ex ære solido conflaret. Verum est quidem esse præceptum construendi Altaris ex luto & lapidibus, *Exod.* 20. sed optimo jure dubitari potest, annon hæc Altaria ea sint quæ peculiari quapiam & extraordinaria occasione erant exstruenda, nempe cum Deus alicui appareret, ut *Gedeoni*, *Manoæ*, & aliis qui post ejusmodi apparitiones struxerunt Altaria, & victimas immolarunt, *Judic.* 6. 26. & 13. 19. 1. *Reg.* 18. 30. 31.

Vid. Kimch. in 1. Reg. 8. 64. Vid. Lev. Gers. ibid.

Vix quicquam inveniri potest de constructione & accurata figura Altaris *Solomonis*, quia Scriptura paucis admodum de eo loquitur : hæc enim duntaxat habet : *Fecit Altare Æneum*, *cujus longitudo viginti cubitorum*, *latitudo viginti cubitorum*, *altitudo vero decem cubitorum fuit*, 2. *Paral.* 4. 1. Itaque erat quadruplo circumferentia majus Altari *Mosis*, ut triplo altius superaddito etiam cubito : sed an exacte referret formam *Mosaici*, an medium ejus spatium concavum fuerit, ut in illo, an constaret lapidibus, an craticula intus ornatum, an vero solidum esset, & quæ esset ratio ad illud ascendendi, conjectura potius assequi possemus, quam Scripturæ descriptione aut demonstratione ostendere.

Sacrificia quæ memorantur aliquando una die oblata tum in Altari *Mosis*, tum in *Solomonis* Altari, nos in admira-

rationem rapiunt, vix intelligentes qui factum fuerit ut tantus victimarum numerus in exiguo adeo spatio deponi & comburi posset, adeo ut licet amplius fuisset, longius tempus necessarium fuisse videatur; ut cum *Solomon* obtulit mille victimas in Altari *Mosis*, 1. *Reg.* 3. 4. & populus septingentos tauros & septem ovium millia in *Solomoniano*, 2. *Paral.* 15. 11. &c. Altaris *Mosis* circumferentia erat tantum quinque cubitorum; jam autem quantum requiritur tempus, ut mille holocautomata, sic enim vocantur, possent in tam exiguo ambitu comburi? *David Kimchi* in eum locum rem ita exponit: *Hac omnia sacrificia non obtulit una die, sed tantum priusquam rediret Gabaone Hierosolymam: attamen videntur Rabbini nostri rem ita cepisse, quasi hoc uno tempore factum fuisset*. Maxima quæ *Hierosolymæ* celebrarentur festa in septimam duntaxat diem proferri solebant, vel ad summum in decimam quartam, cum duplex festum agere volebant, ut in dedicatione Templi, 1. *Reg.* 8. 65. Jam concedamus *Solomonem* quatuordecim diebus, imo bis quatuordecim commoratum esse *Gabaone*; attamen tot sacrificia intra id tempus offerre eum potuisse videbitur. In ipsius autem Altari *Hierosolymitano* quantus numerus oblatus perhibetur? 1. *Reg.* 8. 63. *Mactavitque Solomon hostias pacificas quas immolavit Domino, boum viginti duo millia, & ovium centum viginti millia; & dedicaverunt Templum Domini Rex & filii Israel. In die illa sanctificavit Rex medium Atrii*, &c.

Tribuamus universos quatuordecim dies, de quibus *vers.* 65. huic negotio, videbitur tamen tempus æquo brevius; & quicquid dicatur, admirabimur potius rem, quam rationem qua contigit inveniemus. Sine dubio ignis cœlitus delapsus celerius victimas consumebat, quam ordinarii ignes; alioqui non video quid circa hanc rem dici possit. Judæi enumerant varia miracula quæ quotidie in Templo fiebant; ut quod muscæ locum non infestarent, quamvis tot ibi mactarentur pecudes; & fumus Altaris recta ascenderet, nec unquam a vento hinc inde spargeretur, &c. quæ licet fortasse minus credantur, propter eos qui ea referunt, attamen si diligenter expendantur, ratione non carere deprehendentur. Quis enim potuisset media æstate stare in Atrio prope Altare, cum tanta sanguinis copia effusa erat, & carnis dissectæ, si locus mactationis infestus fuisset fœtore, muscis ac vespis, quemadmodum lanienæ nostræ solent? Quam fumosus & fœtidus locus fuisset Templum & circumjacens solum? Ministrantes certe suffocati fuissent, nec quisquam durare potuisset in Atrio, si ventus hinc inde disjecisset fumum, ut vulgo fieri videmus. Itaque hæc incommoda, quæ locum inaccessum ministrantibus fecissent, ut vitarentur, non possumus non agnoscere perpetuam ac miraculosam providentiam. Similiter in hoc de quo agimus negotio, ingens ille numerus victimarum, præsertim tribus festis solennibus, absumebatur intra constitutum tempus ad talium sacrificiorum oblationem, miraculo potius divino quam ulla alia ratione. Altare vocatur *Ariel*, *Leo Dei*, ut paulo post observabimus; ac certe erat instar leonis summa voracitate omnia absumentis.

Cum postea dicatur, *Solomon dedicasse medium Atrium quod erat ante Domum Domini, & ibi obtulisse holocautomata & sacrificia, & adipem Pacificorum, quoniam Altare Æneum quod erat ante faciem Domini minus erat quam ut ea caperet*; etiamsi hoc supponatur, attamen satis difficile erit captu quomodo in tam brevi tempore expedita sint tot victimarum millia; nisi addatur modo allata observatio. Verum vulgo solet in hæc verba moveri quæstio; nempe quomodo intelligi possit medii Atrii consecratio; num combusserit victimas in ipso pavimento, ut existimat *Rabbi Judah*; vel an suo Altari adjecerit *Mosis* Altare, vel alterum lapideum juxta Æneum, nam sunt etiam qui hæc defendant: sed fortasse difficillima quæstio est circa locum; quid nempe significetur per *medium Atrium*. Hujus quæstionis solutioni duo sunt præmittenda. I. Ignem cœlestem *Davidis* tempore accurate notasse locum in quo sacrificia offerri debebant seu Altare exstrui, 1. *Paral.* 21. 1. utque ea pars cultus divini alio transferretur, requirebatur vel Propheticum monitum, vel dispensatio meræ necessitatis; quæ ambo hic fuerunt, II. Locum quem *Solomon* consecravit in Atrio, ipso cultu divino consecratum fuisse. Altare *Mosis* cum primum erectum est, inunctione consecratum fuerat; nec sine ratione Judæi asserunt *Solomonis* Altare eodem modo consecratum fuisse, verum hic locus quem *Solomon* coactus fuerat eligere ad offerendas victimas non ita dedicatus est, sed ipsa oblatione consecratus, & quidem in præsentem illum usum, non in futurum. Itaque hæc historia potest παραφράζεσθαι hac ratione; *Solomon* consecravit medium Atrium, ibi enim holocautomata obtulit; adeo ut quemadmodum Altare illud inunctum

ctum oblationem sanctificavit, hoc extraordinarium non tam sanctificaverit victimas quam ab iis sanctificatum fuerit. Ita etiam post reditum ex *Babylonica* Captivitate, Templum omniaque ejus vasa sanctificata fuere ipso cultu divino; neque enim divinus ullus ignis, nec ulla nubes gloriæ, nec ullum unctionis oleum ad ea sanctificanda adfuerunt.

Existimaverim igitur, *medium istud Atrium* quod *Solomon* sanctificavit, latiori sensu explicari debere, tum quoad vocem *medium*, tum quoad vocem *Atrium:* medium enim cujuspiam rei apud Scriptores Sacros non semper sumitur pro ipso rei centro, sed pro qualibet parte quæ intra ejus ambitum continetur, ubicunque sit: ita *in medio terræ*, *in medio Congregationis*, nihil aliud significant nisi *intra terram*, *intra Congregationem*. Ita hoc in loco intelligendum est *Solomonem* consecrasse aliquam Atrii partem ad comburenda sacrificia, licet solius Altaris ambitus igne cœlitus delapso fuisset designatus ad oblationem victimarum. Ad vocem vero *Atrii* quod attinet, res ipsa hoc in loco suadere videtur eam extendendam esse ad totum sacrum solum: si enim animo reputemus infinitum illum numerum victimarum quæ tum mactandæ atque offerendæ fuerunt, non minus spatium ei rei tribuere possumus; imo forte æquo minus tribuemus, si totum sanctum solum iis ministeriis occupatum fuisse dicamus. Atrium hic non nominatur *κατ' ἀντίθεσιν* ad Montem Domus; sed & Mons Domus, & Atrium ipsum generali isto appellantur nomine, ut distinguantur a Templi ædificio.

Ezechielis Altare describitur *duodecim cubitos longum & latum*, Ezech. 43. 16. quod ita intelligunt *Thalmudici*, quasi latera ejus fuerint viginti quatuor cubitos longa: putant enim dimensionem hic non fieri ab uno angulo ad alterum, sed a centro Altaris ad latera, quæ ab eo duodecim cubitis distabant. Atque hæc eorum interpretatio nititur hisce verbis, אל ד׳ רבעיו, *ad quatuor ejus latera*. *Videri posset*, inquiunt, *totum Altare duodecim cubitos tantum quadrato ambitu complexum fuisse*: *sed cum dicitur* אל ארבעת רבעיו, *ad quatuor ejus latera*, *inde patet mensuram iniri a centro quaquaversum duodecim cubitorum*. Atque hujus amplitudinis viginti quatuor cubitorum in unoquoque latere, existimant fuisse Altare post Captivitatem, idque ita describunt: *R. Jose dicit*, *Primum Altare erat tantum viginti octo cubitorum ambitus*, *& juxta hanc mensuram cum decresceret ejus amplitudo versus superiora procedendo ad focum*, *summæ partis ambitus erat tantum viginti cubitorum: sed cum filii Captivitatis ascenderunt*, *addiderunt*, *quatuor cubitos ad Septentrionem*, *& quatuor cubitos ad Occidentem*, *juxta figuram literæ* Γ.

Sevachim, Per 5. R. Solom. in Ezech, 43. & Middoth. Per. 3.

Quemadmodum *Solomonis* Altare erat decem cubitos altum, 2. *Paral.* 4. 1. ejusdem quoque altitudinis fuit posterioris Templi Altare, ut testatur *Hierosolymitanum Thalmud* hisce verbis: גובה המזבח י׳ אמות. Eandem quoque altitudinem habuit *Ezechielis* Altare, cujus exemplar utplurimum sequuti sunt filii Captivitatis. Cum autem ad tam alti Altaris stans in pavimento Templi Sacerdos non posset fastigium pertingere, nec proinde ministerio suo fungi; ac simul prohibitum esset ad Altare per gradus ascendere, ne Sacerdotum nuditas sub tunicis solutis retegeretur, *Exod.* 20. 26. ideo ut duo ista conciliari possent, fecerunt ascensum ex solo ad Altare, per quem Sacerdotes ascendere atque in Altari ministrare possent, & qui quidem vocabatur כבש *Chebesh*, quod optime verti potest *Ascensus Altaris*.

Thalmud Hierof. in Erub. Per. 7.

Scholiastes in *Mishnam* in Tractatum *Zabim*, atque inde *R. Nathan* docent nos quomodo contectus fuerit hic ascensus, hac explicatione vocis כבש: *Est magna Tabula qua utuntur nautæ ad descendendum ex navi sua, ut pedes suos aquæ immunes conservent*; *atque hæc Tabula vocatur* כבש. Ita in Tractatu *Shabbath* est casus quispiam circa *Chebesh*, seu hujuscemodi Tabulam. *Fecit Idololatra sibi* כבש *Tabulam ad descendendum? Israelita potest post illum descendere. Sed fecitne in usum Israelitæ? Non licet ei in ea incedere. Exemplum est Rabban Gamalielis & Seniorum: erant exituri ex navi, atque Idololatra fecerat sibi ipsi* כבש *Tabulam ad descendendum*. Ex comparatione horum locorum rationem & modum hujus כבש *ascensus* ad Altare colligere possumus; nimirum fuit ascensus declivis lapideus, per quem Sacerdotes ad Altare ascendere poterant sine nuditatis suæ retectione. Possumus eum vocare *Aggerem ascendentem ad summum Altare*: sic enim *Maymonides* vocat Aggerem fornicibus sustentatum super Valle *Kidron* ad Montem *Oliveti*, per quem Vacca rufa deducebatur ad locum combustionis, hoc ipso nomine כבש *Phebesh*.

Zab.m, Perek. 3. Aruch in כבש.

Maymon. in Shekal. Per. 3.

Porro ad formam Altaris, hujusque ascensus, & totius rei, haudquaquam facilis, intelligentiam quod attinet, varia sunt observanda.

I. Hæ diversæ enumerantur partes Altaris, primo *fundamentum* יסוד, quod etiam in *Ezechiele* vocatur חיק *sinus seu fun-*

fundum in ſolo, Ezech. 43. 13. 14. Hoc ſupra ſolum altum erat cubitum unum, & cubitum unum latum, atque ejus ambitus triginta duorum cubitorum. Quapropter cum antea dicta eſt latitudo Altaris ejuſque aſcenſus ſexaginta duorum cubitorum a Septentrione ad Auſtrum, id ita intelligi debet, ut comprehendatur aſcenſus qui non erat unum idemque cum Altari, ſed multum extra Altaris ambitum porrigebatur, ut ſtatim videbimus. Jam hoc fundamentum ſeu baſis, cujus ambitus dicitur fuiſſe triginta duorum cubitorum, ubique non habebat exacte cubitum unum latitudinis, ſed in angulo Euro-notum reſpiciente deerat aliquid perfecto angulo. Atque hoc docent *Thalmudici* cum dicunt: היסוד היה מהלך על פני כל הצפון ועל פני כל המערב ואיכל בדרים אמה א' ובמזרח אמה א', *Baſis procedebat juxta totam longitudinem Septentrionalis lateris, & Meridionalis lateris; ſed ad Meridiem deerat unus cubitus, ad Orientem vero unus*: hoc eſt, poterat quis in hac baſi ambulare per totam longitudinem Septentrionalis lateris, & in angulo qui Caurum reſpiciebat converſus juxta latus Occidentale procedere; ſed a Meridionali latere ad Orientalem non potuiſſet tranſire, quia ſeſe in parte Euronotum reſpiciente converſurus, nullus erat ibi angulus, quemadmodum in aliis partibus, ſed fractus erat, deeratque cubitus tum ad Meridionale, tum ad Orientale latus, qui cubiti aliis partibus additi acumen angulorum efficiebant. Ratio autem hujus defectus alibi ab iis affertur; quia nempe hic ſolus angulus Altaris non fuiſſet in Tribu *Benjamin*, ſed in Tribu *Juda*. Exiſtimabant enim totum Altare in Tribu *Benjamin* oportere eſſe, non in Tribu *Juda*, propter hæc verba *Jacobi*: *Benjamin rapax erit tanquam lupus, matutino tempore vorabit prædam, & veſpertino dividet ſpolia*; quæ quomodo intellexerint de Sanctuario & Altari exſtructis in ſorte Tribus *Benjamin*, apparet ex interpretatione quam adjiciunt Paraphraſtæ *Hieroſolymitanus* & *Jonathan*: *Benjamin*, inquiunt, *comparatur voraci lupo, quia erat valida Tribus. In ejus regione divina Majeſtas Domini totius mundi habitare debebat, & in ejus poſſeſſione Domus Sanctuarii ædificari. Mane Sacerdotes offerent agnum quotidianum ad quartam uſque horam diei; & inter veſperas offerent alium agnum, & veſperi divident quod ſupereſt ex reliquiis victimarum, atque unuſquiſque comedet portionem ſuam*. Verum copioſius hoc habetur in Tractatu Zevachin, ſeu de Sacrificiis, ubi hæc ipſa obſervatio de defectu anguli in Altari fuſe diſcutitur. Sextum Caput hujus Libri totum occupatur in deſcribendis variis locis circa Altare, ubi varia ſacrificia mactabantur: & inter alia occurrit quæſtio de qua nunc agimus, circa angulum hunc Altari deficientem, quam ſic tractant & definiunt *Thalmudici*: *Angulus Euro-notum reſpiciens nullam habebat fundationem: quænam erat ratio? R. Eliezer dicit, Quia non erat in ſorte Rapacis: ut Rab. Samuel filius Rabbi Iſaac dicit*: מזבח אוכל בחלקו של יהודה אמה, *Altare accepit cubitum in portione Judæ. Rab. Levi Bar Chama dicit, R. Chama Bar Chanina dicit, Exibat linea ex portione Judæ, & intrabat in portionem Benjamin. Et juſtus Benjamin ea re turbabatur, ut dicitur*: חופף עליו כל היום, (*Scholiaſtes* interpretatur, *quotidie propterea ſollicitus erat*) *Attamen juſtus Benjamin obtinuit fieri* אושפיזכן *Hoſpes ſancto benedicto Deo: ut dicitur, Et habitabit inter ejus humeros*. Cujus loci hæc eſt ſententia: lineam quæ dividebat ſortes duarum Tribuum *Judæ* & *Benjaminis*; directe incidiſſe in hanc partem Altaris, adeo ut ſi ex hac parte additus fuiſſet baſi angulus, quemadmodum ex reliquis, cubitus Altaris fuiſſet in Tribu *Judæ*; quam in rem nullum erat Scripturæ præceptum: Altare enim oportebat eſſe in Tribu *Rapacis*, hoc eſt, *Benjaminis qui futurus erat rapax inſtar lupi*; ideoque potius in hac parte baſis non fecerunt angulum, qui incidiſſet in Tribum *Judæ*.

Middoth. ubi ſupr.

Geneſ. 49. 27.

Thalm. Babyl. in Zevachin, Perek. 5. in Gemara.

Quemadmodum hoc Euro-notum reſpiciens baſis punctum propterea obſervatu dignum erat, ita propter aliud notabilis erat angulus Noto-zephyro obverſus, duobus foraminibus acumini anguli proximis, quorum unum erat ad Occidentem baſis, alterum ad Auſtrum, in quæ ſanguis in baſin effuſus defluebat ad quampiam ſub ſolo cloacam, quæ exonerabatur in Valle *Kidron*.

II. Cum baſis, ſeu fundatio, cubitum unum ſupra pavimentum attolleretur, & circumquaque cubitum unum latitudine pateret, excepta ea parte anguli cujus meminimus; quadrangularis ipſa Altaris moles aſſurgebat undequaque arctior cubito uno, atque adeo ambitus ejus triginta tantum cubitorum erat. Hanc amplitudinem per quinque ſuperiores cubitos habebat, deinde cubito uno coarctabatur; atque hæc coarctati Altaris pars vocabatur סובב, ſeu *Circuitus Altaris*. Circuitus hoc in loco erat tantum viginti octo cubitorum. Verum hic Thalmudica dimenſio differt a dimenſione *Ezechielis*; quod licet obſervaverit *R. Solomon*, conclu-

cludit tamen dimensionem Thalmudicam fuisse veram dimensionem secundi Templi. *Ezechiel* dicit: *Et de sinu terræ usque ad inferiorem crepidinem erant duo cubiti*; cum *Thalmudici* unum tantum dicant: ab inferiori crepidine ad superiorem *Ezechiel* numerat quatuor cubitos; *Thalmudici* vero quinque. Quibus in circumstantiis licet dissentiant, ad summam rei quod attinet consentiunt, & circuitum Altaris sex cubitos altum fuisse ajunt; ideoque hic in iis conciliandis tempus non teremus, sed id relinquemus ut paulo post resumamus. Hoc tantum prætermittere non possumus, vocem nempe qua utitur *Ezechiel* ad designandum tum *basin*, tum *circuitum*; ea est עזרה *Azarah*, qua solent appellare *Atrium*. Sic autem vocantur, quia quemadmodum populus calcabat Atrium dum perageretur Ministerium; ita Sacerdotes hisce crepidinibus Altaris insistebant, præsertim superiori dictæ *Circuitus Altaris*, cùm id circumibant ut cornua sanguine adspergerent. Hujus cæremoniæ in Thalmudico Capite supra laudato hæc habetur descriptio in *Misnah*: *Oblatio pro peccato Congregationis, vel privati, & birci qui offerebantur initio Mensium, & aliis solennibus temporibus, mactabantur ad Septentrionem Altaris, & ad Septentrionem sumebant sanguinem in vas quodpiam sacrum, & quater adspergebant quatuor cornua. Quomodo hoc fiebat? Ascendebat εἰς τὸ כבש in aggerem Altaris, & convertebatur ad circuitum ejus. Veniebat ad cornu respiciens Euro-notum, deinde ad Euro-aquilonare, tum ad cornu Cauro obversum, denique ad id quod Noto-zephyrum respiciebat, & reliquum sanguinem effundebat in basin ad Australe latus.* Utramque harum crepidinum Rabbini vocant מלבן *Molben*, seu quod essent instar soli quod Sacerdotes calcabant, eo enim significatu vox aliquando occurrit; vel quia sæpe abluendi erant ut remanerent albi, propter ingentem copiam sanguinis qua tingebantur: *nam totum Altare bis quotannis dealbabatur, nempe festis Paschatis & Tabernaculorum. Rabbi dicit id abstersum fuisse mappa præparatione uniuscujusque Sabbati.*

Zevachin, ubi supra, sect. 3.

Vide R. Solom. in Ezech. 43. Vide Aruch in voce. Middoth. Per. 3.

III. Supra hanc Altaris superiorem crepidinem, quæ vocabatur *Circuitus*, post cubitum unum erat iterum alia coarctatio unius cubiti, ubi surgebant cornua Altaris. Cornua erant ad unumquemque angulum, quæ in basi quidem concava & circuitu cubitalia erant, & cubitum unum attollebantur: solent enim dicere Judæi, גובה כל קרן וקרן ה' טפחים *Altitudo uniuscujusque cornu erat quinque palmorum*, seu vulgaris cubiti: quod non ita intelligendum, ut concipiamus cornua cubitum unum elata fuisse, adeo ut paulatim decrescerent a cubitali basi & in pyramidale acumen abirent; sed ita ut per cubitum unum recta surgerent, deinde terminarentur in acumen cornu. Infima pars horum cornuum a solo septem distabat cubitis; adeo ut hæc verba *Funibus revincite victimam ad cornua Altaris*, Psalm. 118. vix proprie sumi possint, quasi victima remaneret vincta ad Altare donec offerretur. Sententiam expressit *Chaldæus Paraphrastes* hisce verbis: *Vincite agnum offrendum funibus, donec veniatis ad eum offerendum, & adspergenda ejus sanguine Altaris cornua.* *Joab* cum vitæ suæ metueret, dicitur confugisse ad Altare, & cornua ejus complexus esse, 1. *Reg.* 2. 29. qua in re Hebræi Doctores ajunt eum duplici ratione deceptum fuisse: primum, eo quod crediderit sibi aliquod esse asylum voluntariæ cædis reo: secundo, quod putaverit se tutum fore cornua comprehendendo, cum asylum esset in summa crepidine Altaris. א״רזל לא היה קילט המזבח אלא על השגגה ועל נגו, *Rabbini nostri dicunt*, ait *David Kimchi*, *Altare non fuisse asylum nisi iis qui nec opini aliquem interfecerant.* Verum an verisimilius sit eos hac in re errasse, an vero *Joabum*, ipsis disceptandum relinquo. At hoc certe sine animadversione prætermitti nequit, quod cum Deus exemplar Altaris dedit, distincte præceperit in ejus angulis cornua fieri, tum in Altari Holocautomatum, *Exod.* 27. 2. tum in Altari Thymiamatis, *Exod.* 30. 2. Quid autem Deus ea re intenderet tam studiose jubendo cornua fieri, licet audacius esset definire, attamen non inutile erit documentum aliquod ad nostri institutionem inde haurire. Altare designavit *Christum*, qui semet ipse in seipso obtulit, humanitatem nempe in Altari Divinitatis: & quemadmodum duplex Altare victimarum & Thymiamatis adumbrabant oblationem *Christi* cum mortuus est, & continuam ejus intercessionem; ita cornua Altaris optime significare possunt dignitatem, efficaciam, ac meritum ejus mortis & intercessionis, in quibus quicunque fiduciam suam constanter collocabunt, condemnationem evadent, & ad quas (ut Sacerdotes in unoquoque sacrificio cornua adspergere solebant) peccator, quotiescunque Deum culturus accedit, debet confugere.

Kimch. in 1. Reg. 2.

De lege circa Civitates Asyli non inepta est observatio *R. Solomonis*: quod quemadmodum Deus præcepit *Israelitis*

R. Solom. in Exod. 21. 13.

cum

cum ingressi essent terram *Canaanis*, designare loca in quæ possent fugere qui imprudentes aliquem interfecissent; ita Deus in deserto ipsis constituerit locum quempiam refugii, qui fuit castra Levitarum. Quod additur in sequenti versu, *Israelitas* comprehensuros voluntarium homicidam & ab Altari avulsuros, non modo confirmat hanc ejus conjecturam, sed videtur quoque innuere etiam in ipsa terra *Canaanis*, & cum jam constitutæ essent Civitates Refugii, Altare fuisse variorum reorum asylum: quod est typus præclarissimus *Christi* meriti, ad quod confugientes damnationem vitant.

Vid. Kimchi, ibid.

Judæi disceptant, quomodo fieri potuerit ut *Joab*, quem existimant fuisse Præsidem *Synhedrii*, & satis perspectam habuisse legem, qua *voluntarius homicida Altari liberandus* negatur, eo tamen confugerit. Et respondent id ab eo factum, vel ut facultates suas servaret, quæ, si alibi interfectus fuisset, fisco addictæ fuissent; vel ad obtinendum sepulcrum, quo, si ex Lege judicatus fuisset, privandus erat. Verum quod paulo antea contigit *Abiathari*, videtur id agendi occasionem ei præbuisse. Nam licet *Abiathar* ejusdem culpæ reus esset ac *Joab* in negotio *Adonijæ*, attamen munere suo abdicatus mortem evasit, duabus hisce de rationibus, quia tulerat Arcam, & Summus Sacerdos calamitatum *Davidis* comes & particeps fuerat. Hanc posteriorem afferre quidem etiam potuisset *Joab*, & propterea non secus ac *Abiathar* misericordiam flagitare; prior vero ad eum non pertinebat, quippe qui Sacerdos esse non posset. Attamen eo, quantum potuit, accedere decrevit, atque ad Altaris cornua confugere, seque solenni ista cæremonia Deo consecrare, qua ratione sperabat se peccati veniam, non secus ac *Abiathar* eam obtinuerat, forte a *Solomone* impetraturum. Etenim hujuscemodi Altaris comprehensio continebat votum in futurum, non minus quam præsentem incolumitatem; idque natura ipsa ostendit Altaris, quod sanctificabat quicquid tangebat; & circumstantia etiam, qua dicitur *Joab* remansisse supra Altare. Sed *Joab* voluntariæ cædi *Abneris* & *Amasæ* addiderat contemptum & rebellionem in Regem qui insidebat solio *Davidis*, qui typus erat *Christi*; qui in perpetuum supra *Israelis* Gentem regnaturus erat ideoque evadere non poterat *Joab*, nec ejuscemodi voto consecrari.

Midd. ubi supra. Maymon. ubi supra.

IV. Post cubitum supra radices cornuum Altaris, cubito iterum ejus circumferentia coarctabatur, & circuitus erat tantum viginti quatuor cubitorum, atque ita ad aream in qua deponebatur ignis assurgebat. Cubitalis crepido quæ ex imminutione circumferentiæ nascebatur circa totum Altare, erat הילוך הכהנים locus in quem ibant Sacerdotes, & ubi stabant circa Altare ad deponenda victimæ membra, & ad ea movenda cum fuerant deposita. Atque hoc nos juvat ad judicium ferendum de ratione & forma cornuum de quibus modo diximus; nempe ea directe non surgebant altius ipso Altari; neque enim potuissent Sacerdotes circumire Altare supra hanc crepidinem; cornua enim obstitissent, si cubitalis crassitiei ad summam usque partem eo pervenissent: sed eorum forma ejusmodi fuisse concipi debet, qualem eam supra descripsimus, nempe ea surrexisse quidem supra hanc crepidinem, sed ita attenuata & extrorsum inversa, ut Sacerdotes inter ea & Altare expedite transire possent.

A *circuitu Altaris* סובב versus superiora, quod spatium erat quatuor cubitorum, erat ea pars quæ proprie vocabatur *Harel* & *Ariel*, Ezech. 43. 15. *Et Harel erat quatuor cubitorum, & ab Ariel superius erant quatuor cornua*. Descripserat eo in loco gradus varios qui erant in Altari, hisce versibus & characteribus.

Vers. 13. *In sinu ejus erat cubitus, & cubitus in latitudine*. Hæc fuit basis de qua egimus, cubitum alta & lata.

Et crepido ejus usque ad labium ejus & in circuitu palmus unus. Ora hujus basis non erat acuta, ut solet esse graduum lapideorum ora, sed ut sunt crepidines focorum nostrorum in *Anglia*, quæ palmari altitudine focum circumdant. Itaque sanguis in basin effusus non poterat ad pavimentum usque defluere, sed limbo palmari coercebatur, ut flueret ad foramina per quæ ad cloacam deferebatur.

וזה גב המזבח, *Et talis etiam erat summa pars Altaris*. Summus Altaris apex tali etiam limbo circumdatus erat.

Vers. 14. *Et de sinu terræ usque ad inferiorem crepidinem duo cubiti*. Non dicit basin, quam hic *inferiorem crepidinem* vocat, fuisse duos cubitos crassam in ea parte qua plana solo incumbebat, nam in præcedenti dicitur *sinus fuisse tantum unius cubiti*; sed ex hac basi assurrexisse oblique lapides, unde crassius fiebat Altare quam superius. Itaque a pavimento ad summam hanc protuberantiam, ubi tetragonum Altaris corpus coarctabatur, erant duo cubiti; & a summa parte hujus protuberantiæ obliquæ, ubi iterum in arctiorem formam Altare cogebatur, ad circuitum proprie erant quatuor cubiti

sed

ſed quinque a baſi. Igitur quamvis *Thalmudici* aliter loquantur ac Propheta; (cum dicunt *baſin* ſeu inferiorem crepidinem fuiſſe tantum *cubitum unum altam*, Propheta vero *duos*; & cum dicunt *altitudinem ab inferiore ad ſuperiorem crepidinem*, vel a baſi ad circuitum fuiſſe *quinque cubitorum*, cum Propheta numeret tantum quatuor cubitos) attamen idem dicunt, ſed quod ita debeat intelligi, ut diximus. Nempe Propheta baſin, ſeu inferiorem crepidinem ſimpliciter ſumit pro ea parte quæ plana humo incumbebat; alii vero ei adjungunt ſuperius ſitam protuberantiam cubitalem. Atque hæc interpretatio nos juvat ad quidpiam intelligendum, quod *David Kimchi* ſe non intellexiſſe fatetur, nempe quomodo ſuperior crepido quæ arctiorem circuitum altero duobus cubitis habebat, dicatur *major*; inferior vero cujus amplior erat ambitus, vocetur *minor*. Ratio hujus rei eſt, quia ſuperior, licet arctior ambitu latiorem tamen ſuperficiem habuit, propter protuberantiam illam ſuperius aſcendentem, de qua antea diximus, quæ latitudinem inferioris minuebat, adeo ut tam late non pateret ambulantibus, ac ſuperior.

Propheta ſuperiori crepidini ſex cubitis a ſolo remotæ, quam *Thalmudici* Circuitum vocant, imponit *Harel*, quod *futurum erat quatuor cubitorum*, *& ab Ariel & ſuperius quatuor cornua*.

Quidam exiſtimant *Harel*, & *Ariel* unum idemque eſſe vocabulum diverſimode ſcriptum; a quibus quidem diverſus multum abire non poſſum, ſi Grammaticam Analogiam ſpectem, quia literæ ה & א inter ſe multoties mutantur: attamen differentia quæ intercedit inter voces iſtas diverſos fundere videtur ſenſus, & *Harel* ſignificare *Montem Domini*, *Ariel* vero *Leonem Domini in monte*; inferior pars ad cornua proprie vocata *Harel*, ſuperior proprie *Ariel*. Sed quandoquidem Scriptura vocat *Ariel* totam ſuperiorem partem a radicibus cornuum, non multum ei rei inhærebimus. Vocem *Harel*, ſi interpreteris *Montem Templi*, *David Kimchi* auctor erit id nominis deſignare *Domum Domini*: *& quia*, inquit, *ſerviebant Diis alienis ubique in editis collibus, hic qui erat collis Domini erat tantum quatuor cubitos altus*. Si magis arrideat vox *Ariel*, *Rabbini noſtri*, inquit, *ajunt Altare vocatum Leonem Domini quia ſanctus ignis e cœlo delapſus erat in eo incubans inſtar leonis*:

Kimch. in locum. Conſtit. Lemp. in Middoth pag. 97.

Vide R. Solom. ib.

Vox *Ariel* etiam ſignificat *fortiſſimum*, 2. *Sam.* 23. 20. ut & *Ariel*, *Iſai.* 33. 7. Sed ſumito quo volueris ſenſus, ſeu pro *re forti*, ſeu pro *Leone Domini*, ita proprie vocabatur Altare, ſeu quia inſtar leonis vorabat multas victimas, ſeu quod populus validiſſimus fieret iſtis ſacrificiis, Deo miraculis in eo cultu oſtendente ſe eum pro ſuo agniturum, dum divinæ obſequuturus erat voluntati; vel propter validiſſimum Leonem *Chriſtum*, quem Altare Holocautomatum referebat. *Hieroſolyma*, & præſertim *Civitas Sion* in qua *David* habitabat, vocatur etiam *Ariel*, *fortis*, vel *Leo Domini*, propterea quod omnes hoſtes ſuos devicit, dum fuit Domini, vi nempe promiſsionum a Deo ipſi factarum: ſed cum relicto Domino prophana facta eſt, minas audit quæ denuntiabant eam futuram tanquam alterum illum locum qui *Ariel* vocabatur, in quo perpetuæ fiebant cædes & jugiter diffluebat ſanguis, *Iſai.* 29. 1. 2.

Altaris ſummum faſtigium viginti quatur cubitos circuitus habebat, vocaturque מערכה *Maaracha*, ſeu *focus*, ubi, ut antea obſervavimus, æterni alebantur ignes, ſed præcipue ingens pyra ad abſumendas victimas. Itaque hæc fuit ἰχνογραφία Altaris. Erat craſſa pila lapidea, decem cubitos alta & variis gradibus ad altitudinem aſſurgens, ita ut baſis circuitus eſſet triginta duorum cubitorum, ſed faſtigii circuitus viginti quatuor duntaxat.

I. Baſis in unum cubitum aſſurgebat, crepido vero ejus plana cubitum patebat. II. Ipſum Altaris corpus planum & perpendicularis ſuperficiei per cubitos quinque extollebatur, deinde cubito uno coarctabatur. III. Poſt cubitum, iterum cubito uno minuebatur, atque ex ea crepidine in qua coarctabatur exibant quatuor cornua ex quatuor angulis. IV. Aſſurgebat per cubitum unum, ſupra quem coarctabatur, atque ibi erat crepido cui Sacerdotes Altari inſervituri ſtabant. V. Denique poſt cubitos duos erat focus.

Ita erat Altaris forma, in cujus gradu ſupremo miniſtrantes ſtabant Sacerdotes. Sed quomodo eo aſcendebant? Si potuiſſent aſcendere per gradus memoratos qui circa Altare erant, hoc tamen illicitum fuiſſet lege quæ extat *Exod.* 20. 26. Sed nec ea via potuiſſent aſcendere: vidimus enim inter primum & ſecundum gradum fuiſſe quinque cubitos, quæ menſura multo major eſt quam ut quiſquam illac poſſet aſcendere. Itaque via facta fuerat alia ratione tum ad faſtigium Altaris, tum ad inferiorem duobus cubitis crepidinem, & alias, ſi neceſſe eſſet in eas aſcendere.

Erat elegans Agger (ſic enim aſcenſum vocamus, quem Hebræi appellabant כבש) ad Auſtrum Altaris, ſexdecim cubitos latus, cujus initium a baſi Altaris diſta-

Middoth. Per. 3.

distabat triginta duobus cubitis, & per quem leni declivitate ascendebant ad summum Altare. Constabat eadem materia ex qua ipsum Altare constructum erat, de qua postea videbimus. Itaque ultra Altare porrigebatur triginta duobus cubitis ad Austrum, utrinque Altaris latitudinis quatuor cubitos vacuos relinquens, quibus latitudo ejus minor erat latitudine Altaris.

Gloss. in Thamid, Per. ult. Maymon. in Beth Habbech. Per. 2. Midd. ubi supra. C. Lemp. in Midd. pag. 112. Aruch in רבובה. Maymon. in Beth Habbechir. Per. 2. Tham. Per. 1.

Ad Occidentem ejus positæ erant duæ Mensæ, quarum uni Argenteæ imponebant vasa Ministerii, alteri vero Marmoreæ, quæ vocabatur *Mensa Adipis*, membra victimæ ad Altare deferenda. Erat etiam ad idem latus, &, ut non est vero absimilis conjectura, in ipso Aggeris latere, locus in quem conjiciebantur aves quæ ad oblationem allatæ ineptæ comperiebantur, donec possent auferri. Hic locus vocabatur רבובה *Rebubah*; sic enim legere possumus ex auctoritate *R. Nathan*, licet alii dissentiant: שם נותנין פסולי חטאת העוף, *Atque ibi* (juxta universum consensum) *ponebant aves ineptas oblationi*. Ad Orientale latus erat locus in quo reponebantur viscera & purgamenta avium oblatarum, & ubi is cui cura demandabatur purgandi Altaris Thymiamatis, cineres effundebat, ut etiam is qui cineres Altaris Holocautomatum auferebat. Verum ista diu in eo loco non relinquebantur, sed brevi postea ab aliquo amovebantur. Ad Mormoream Mensam, quæ vocabatur *Mensa Adipis*, stabant Sacerdotes qui tubis canebant tempore divini cultus.

Thamid Per. 1.

Thalmud. in Zevachim, Per. 6.

Ordinaria via ascendendi per hunc Aggerem, seu Portam, seu quolibet alio nomine appellare placuerit, erat dextrum latus, hoc est, Orientale; descendendi vero Occidentale, (exceptis tribus occasionibus memoratis in loco in margine citato, quibus qui ascenderat descendebat per eandem viam per quam ascenderat, sed retrorsum.) Atque hinc lux affulget historiæ, de qua postea aliquid dicemus, quæ refertur in Tractatu *Joma*, de duobus Sacerdotibus qui inter se contendebant, uter prior Altare cineribus purgaturus esset; quod Ministerium omnium primum matutino tempore peragebatur. Alter ex Aggere alterum dejecit, qui crus sibi fregit, qui ascendebant per oram Aggeris, licet amplum esset in medio spatium, per quod sine periculo ascendere potuissent; sed mos non erat illac ascendendi.

Joma Perek. 3.

Ascendenti primum occurrebat exiguus Agger in majoris initio, quo via erat ad basis crepidinem, si eo eundum esset. Superius ascendenti, cum ad circuitus altitudinem pervenerat, Agger se ingerebat qua ad circuitum ire poterat, si essent sanguine victimæ adspergenda Altaris cornua. Supra circuitum, aggerem aut ascensum similem fuisse non invenio, non quod Sacerdotes perpetuo occasionem non haberent in summam crepidinem ascendendi, ad versanda in igne victimæ membra; sed quia cum eo ascendendum erat, tam facilis erat ascensus, ut non opus esset ulla re, cui possit convenire nomen τȣ̃ כבש *Aggeris*.

Hæc fuit forma Altaris, & Aggeris quo ad hoc ascendebant, a qua priusquam abeo, agendum mihi est de re quapiam in eo conspicua, quæ aliquatenus etiam pertinet ad ejus formam. Erat nempe *rubra linea quæ Altare cingebat exacte in parte media inter basin & fastigium, quæ dirigeret Sacerdotes, ut superius vel inferius sanguinem adspergerent*: aliquando enim supra, aliquando infra lineam sanguinem adspergebant, ut ostendemus cum agemus de sacrificiis. Nam cum pars sanguinis hostiarum effundi vel adspergi deberet ad basin Altaris, alia ad cornua, alia superius, alia inferius, ut certi esse possent Sacerdotes eam effusam, vel adspersam esse suo loco, lineam hanc tanquam limitem Altaris superiorem partem ab inferiori dividentem apposuerunt.

Middoth Per. 3.

Materiam & modum conficiendæ celeberrimæ hujus pilæ lector discet ex *Thalmudicorum*, & *Maymonidis* verbis. *Cum exstruxerunt Altare*, inquiunt, *solidum id ædificarunt instar columnæ absque ulla concavitate. Sed, aliquis attulit magnos lapides integros, & parvos*, (neque enim licebat ullo ferramento eos expolire) *& attulit cœmentum & picem & plumbum, & miscuit omnia, & fudit in magnam illam basin quam fecerat juxta mensuram suam, atque ita superius ædificavit; & cum dimidiam partem ædificii perfecit, apposuit trabem ligneam vel lapides ad cornu Euronotum respiciens juxta mensuram Fundationis, & similia posuit ad medium unumquodque cornu, donec ædificium perfecit: deinde abstulit ea quæ posuerat ad dimidiam partem ædificii, atque ita cornu Euronoto obversum relictum est sine basi, & reliqua cornua remanserunt concava.*

Maymon. ubi supr. & Thalmud. in Zevach. fol. 54.

Lapides ex quibus Altare, & ad illud ascensus constiterunt, dicuntur desumpti ex Valle *Beth-haccerem*, cujus mentio occurrit *Nehem.* 3. 14. & *Jerem.* 6. 1. Eorumdem Hebræorum monumenta nos docent *bis quotannis dealbari solitum Altare, nempe festis Paschatis & Tabernaculorum; Templum vero dealbatum semel quotannis, nempe Paschatis tempore. Rabbi*

Middoth Per. 3.

bi dicit, Unaquaque præparatione Sabbati altare mappa defricabatur, propter sanguinem. Non poterant id gypso inducere trulla ferrea, ne tangens Altare id pollueret; nam ferrum factum fuit ad contrahendos dies hominis, Altare vero ad producendam hominis vitam; nec consentaneum erat rationi, ut quod contrahit attolleretur supra id quod producit.

Hæc fuit forma & symmetria Altaris, *Mensæ Domini*, *Mal.* 1. 7. cujus ea erat sanctitas, ut *sanctificaret donum*, *Matth.* 23. 19. hoc est, quicquid ei imponebatur quod offerri poterat : המזבח מקדש הראוי לו , *Altare sanctificabat quicquid aptum ei erat.* Est Axioma Thalmudicum in Tractatu *Zevachin* , ex ipso initio Cap. 9. Septima vero *Halacah* ejusdem Capitis ajunt *Thalmudici*, *Quemadmodum Altare sanctificabat quod erat ei aptum*, *ita etiam ascensum Altaris* : quo in loco fuse disquirunt, quæ res semel ad cacumen Altaris delatæ inde possint auferri, quæ vero nequeant ; quibus nos nequaquam immorabimur.

Priusquam ad alia transeamus, superest aliquid observatu dignum circa Altare, nempe contumelia qua id affecit impius *Achaz*, non modo alterum Altare ei adjungendo, sed Altare etiam Domini suo loco amovendo. Historia extat 2. *Reg.* 16. *Misit Damasco exemplar Idololatrici Altaris, atque Uriah Sacerdos fecit Altare juxta id exemplar ; quod cum Rex redux vidit, victimas in eo obtulit*, &c. *Præterea Altare Æneum quod erat coram Domino transtulit de facie Templi & de loco inter Altare & Domum Domini, posuitque illud a latere Altaris ad Aquilonem*, vers. 14. *R. Solomon* in hunc locum existimat non intelligi Altare Domini proprie dictum , sed quædam pertinentia ad Ministerium Altaris ; atque hoc colligit ex una aut altera præmissa ex Traditione petita . Hæc sunt ejus verba : *Hoc Altare quod amovit non potest esse Altare Aheneum quod Moses fecit ; nam hoc reconditum erat : non potest esse Altare lapideum quod Solomon fecit : quod certe vocatur Altare Aheneum in Libro Paralipomenon ; hoc enim non potuit e loco in locum dimoveri, nisi dirueretur : at ecce habemus Traditionem, ignem qui e cœlo descendit diebus Solomonis non extinctum fuisse ad tempora Manassis, qui eum extinxit; diruit enim Altare. Itaque non possum interpretari Altare hic aliter quam Lavacra & Bases ahenas quæ inserviebant Altari, & prope hoc erant, & quæ remota sunt ab Achaz*, &c.

Mirum videri non debet si solus sit in sua sententia , eam expendentibus , & considerantibus in eam necessitate quadam eum abripi, quia licet Altare *Solomonis* vocetur *Aheneum* , tamen id putat lapideum fuisse & ære tantum obductum ; & seu fuerit aheneum , seu lapideum , eo usque *Achazi* impietas processerat, ut non tam alterum Altare priori diruto succedere vellet , quam prius prorsus amovere . Apparet ex loco citato, *Uriam* eo usque impietatis non devenisse, quippe qui posuit Altare suum pone Altare Domini, inter hoc nempe & Orientalem Portam , ita ut Altare Domini esset inter alterum recens positum, & Templum : videtur enim spatium quod occurrebat ingressis per Orientalem Portam , temporibus prioris Templi minus impeditum fuisse quam sub posteriori . Verum *Achaz* removit *Solomonis* Altare versus Septentrionem , propriumque Altare ejus loco constituit, atque ita veluti ejecit Dominum ex sua possessione , quam ipse usurpavit. Altare Domini usu suo non minus ac loco dimovit , & in suo , quod amplius erat, jussit omnia offerri sacrificia tam ordinaria , quam extraordinaria , tum Regis , tum populi , dum Altare Domini nullius usus esset ; hoc honore tantum , qui nullus certe erat , ei habito , dum dimoveretur ; *Quæram Altare Aheneum cum videbitur* . Quod spectat ad discessum divini Ignis ab Altari, qui descenderat *Solomonis* tempore, & de quo loquitur Rabbinus noster , res non est indigna disquisitione lectoris: Templum enim tam sæpe pollutum fuerat, tam sæpe clausum ante Captivitatem *Babylonicam*, ut 2. *Paral.* 24. 7. & 28. 24. ut ægre concipere possimus ignem illum qui a cœlestis ignis descensu perpetuo accensus fuerat , aliquando extinctum non fuisse. Quærendum etiam quomodo *Ezechias* & *Josias*, cum instaurarunt cultum divinum , ignem Altaris iterum accenderint.

CAPUT XXXV.

Quæ essent in Atrio inter Altare & Septentrionale illius latus ; atque inter Altare & Australe latus .

PRæcipuus & frequentissimus victimis mactandis locus erat ad Septentrionale latus Altaris, uti fuse exponitur in Tractatu *Zevachim* per totum Cap. V. cujus antea etiam meminimus. *Sanctissimæ oblationes* , inquiunt Magistri , *mactabantur ad Septentrionale latus ; juvencus & hircus diei Expiationis mactabantur ad Septentrionem , & sanguis eorum sumeba-*

Thalm. in Zevach. Perek. 5.

mebatur in vaſe ad Septentrionem . Juvenci & hirci in holocautomata offerendi mactabantur ad Septentrionem, & ſanguis eorum ſumebatur ad Septentrionem. Hirci initii Menſium & ſolennium feſtorum mactabantur ad Septentrionem, & eorum ſanguis ſumebatur ad Septentrionem. Holocautomata ſanctiſſima mactabantur ad Septentrionem, Pacifica Congregationis, oblationes pro delicto mactabantur ad Septentrionem, &c. Denique maximus victimarum numerus ad id latus Altaris mactabantur . Ibi propterea erant ea quæ huic miniſterio neceſſaria erant , *Locus Annulorum*, *Menſæ & Unci in Columnis*.

Middoth. Per. 5.

מן המזבח לטבעות ח״ אמות. Ab Altari Septentrionem verſus octo cubitis diſtabat *Locus Annulorum*, qui ad Septentrionem viginti quatuor cubitis porrigebatur. היו ו׳ סדרים של ד׳ ד׳, *Erant autem ſex ordines Annulorum , quatuor unoquoque ordine ; ſed quidam dicunt fuiſſe quatuor ordines, & ſex in unoquoque, atque ibi victimas mactabant* . Hi Annuli defixi erant lapidibus pavimenti , & vel funis ab uncinis protenſus & Annulis alligatus continebat colla victimarum ne ea attollerent, vel colla beſtiarum Annulis annexa valide cohibebantur, ita ut facile mactari poſſent. Non tanti eſt ut diſceptemus num fuerint ſex ordines Annulorum , & quatuor Annuli in unoquoque ordine, an vero quatuor ordines ſex Annulorum ; quandoquidem nec numerus Annulorum, nec ſoli ſpatium in quo erant immutatur.

Ibid. Per.

Hoc in loco vinciebant victimam priuſquam eam mactarent, ac poſtea mactabant ; unde vulgo vocabatur, בית טבחים *Domus mactatorum*. Hiſce Annulis *vinciebant victimam funibus, donec eam offerrent & adſpergerent ejus ſanguinem cornubus Altaris*, ut interpretatur *Chaldæus Paraphraſtes*. Pſalm. 118. 27.

Jam autem licet diſertum eſſet præceptum de victimis mactandis ad Septentrionale latus Altaris, *Levit.* 1. 10. 11. &c. hoc eſt, inter Altare & Septentrionalem murum Atrii ; attamen cum plures ſimul mactandæ erant victimæ, quam ut poſſent loco Annulorum contineri , in Atrii loco ſuperiori eas mactabant , nempe in eo ſpatio quod erat inter Altare & Porticum ad Septentrionem , e regione quantum id fieri poterat loci Annulorum. Hoc diſceptatur & definitur in *Toſaphta* in Tractatu *Corbanoth* hiſce verbis : *Quodnam eſt Septentrionale latus Altaris, ubi oportebat mactari ſanctiſſima ſacrificia? Erat a Septentrionali latere Altaris ad Septentrionale latus Atrii e regione Altaris , qui locus erat triginta cubitos latus. Verba R. Meir: R. Eliezer ex R. Simeone addit ſpatium ab Altare ad Porticum, ad locum uſque qui erat e regione Conclavium in quibus aſſervabantur cultri ad mactandas victimas, qui erat viginti duorum cubitorum. Sed Rabbi addit locum quem calcabant Iſraelitarum pedes , qui latus erat undecim cubitos , & longus* 187. *& locus quem calcabant Sacerdotum pedes , qui erat latus undecim cubitos , longus vero* 187. מקי הכותל הצפוני ועד כותל העזרה המזרחי, *a latere muri Septentrionalis ad Orientalem murum Atrii:* hoc eſt, juxta longitudinem Septentrionalis muri ab Occidente Atrii ad Orientem , ut apparet tum ex menſura 187. cubitorum , quæ exhaurit totam Atrii longitudinem, tum ex eodem Auctore , qui Capite ſequenti hanc eandem materiam tractat hiſce verbis: *Rabbi Joſi dicit , Totum Altare poteſt intelligi de parte Septentrionali ; quemadmodum dicitur , Et mactabit ad latus Altaris, Septentrionem verſus coram Domino. Rabbi Joſi ex R. Juda dicit , A medio Altari Septentrionem verſus habebatur Septentrio, & a medio Altari pars altera habebatur Auſter . Ita R. Joſi ex R. Juda dicit etiam, Erant duo oſtiola in Domo Cultrorum ad mactandum, quæ verſus Occidentem aperiebantur, & octo cubitis infra ſolum, adeo ut Atrium idoneum eſſet ad comedendas res ſanctiſſimas , & ad mactandas minoris ſanctitatis victimas, etiam pone Oraculum*. Ex utroque hoc loco ſimul juncto poſſumus obſervare, I. *Iſraelitas* ſtationem habuiſſe ad Septentrionale latus Atrii æque ac ad Orientem, quæ licet non eſſet nec poſſet eſſe ubique undecim cubitos lata, ut ad Orientem erat , non minus tamen fuit *Iſraelitarum* ſtatio. Cum Auctor noſter meminit *loci quem Iſraelitarum pedes calcabant* , *undecim cubitos lati* , & *loci quem Sacerdotum pedes calcabant* ejuſdem menſuræ , non vult id fuiſſe ſpatium *Iſraelitis* & Sacerdotibus ad ambulandum juxta longitudinem Septentrionalis lateris Atrii, quale erat ad Orientem; ſed hic eſt ejus ſenſus : Cum nimia eſſet copia victimarum ad Septentrionale latus Atrii mactandarum, potius quam deeſſet locus, eas mactandas fuiſſe non tantum in loco Annulorum, ſed etiam in ſtatione Sacerdotum & *Iſraelitarum* ad Orientem , nempe in toto illo ſolo quod e regione erat ei ſpatio quod erat ad Septentrionem Altaris ; & potuiſſe etiam victimis impleri ſimile ſpatium juxta totam longitudinem Septentrionalis muri, imo ultra Occidentalem terminum Templi , II. Domum Cultrorum mactationis, quæ vocabatur בית חליפות, fuiſſe in ea par-
te

Thoſaph. in Corban. Per. 6.

Ibid. Per. 7.

te Porticus quæ ad Septentrionem vergebat, & januas ejus fuisse pone Porticum versus Occidentem, & in ea parte Porticus qua ejus latitudo ultra latitudinem Templi protensa in Septentrionem porrigebatur. Ascendebatur ad eas januas per gradus octo cubitos altos; & ratio ob quam ibi erant januæ, potius quam in fronte aut extremitate Porticus, fuit quia quam minimum ibi occupabant spatium, & minime impediebant Atrium.

Middoth. Per. 5.

מן הטבעות לשלחנות ד' מן השולחנות ולננסין ד', Quatuor cubitis ad Septentrionem hujus loci Annulorum distabat Marmorea Mensa, in qua viscera victimæ abluebant & in frusta dividebant. Quatuor cubitis ulterius sitæ erant Columnæ, ex quarum uncinis pendebant victimæ, ut possent eis pellem detrahere. Hasce Columnas Judæi vocant ננסין, quod *Aruch* interpretatur עמודים קצרים, *breves Columnas*. Videri possit vox Latina *Nanus*; atque ita in Tractatu *Parah* mentio fit rufæ Vaccæ ננסת *nanæ & minutæ*. Hæ Columnæ non sustentabant Peristylium in hoc Atrii latere Septentrionali, sed minores erant, & octo quidem numero, iisque impositæ erant trabes cedrinæ transversæ, & affixi uncini ferrei tum trabibus, tum Columnis, ex quibus pendebant victimæ offerendæ, ut commodius pelle exui possent. Unicuique Columnæ tres infixi erant uncini perpendiculariter positi ad variarum magnitudinum victimas. Ante hasce Columnas, vel potius ante spatium quod erat inter eas, quod tantum erat, ut uni viro facilis pateret transitus, erat Marmorea Mensa, in qua postquam viscera victimarum primum tradiderant abluenda in memorato *Lavacri Conclavi*, iterum ea abluebant ac parabant, ut ad Altare deferri possent, & in qua excoriatas ex uncinis victimas frustatim dissecabant, prout eas offerendas imponi Altari oportebat.

Aruch in ננס. Parah. Per. 2. Middoth Perek. 3. Thamid, Per. 3. Pesachin, Per. 5.

A brevioribus hisce Columnis ad Septentrionalem murum Atrii erant octo cubiti, atque hoc erat spatium stationis *Israelitarum* ad hoc Atrii latus: nam quamvis hæ Columnæ non sustinerent Peristylium sub quo erat populus; attamen adeo vicinæ erant aliis quæ id præstabant, ut ab istis brevioribus Columnis possimus juxta Hebræorum consuetudinem spatium stationis *Israelitarum* metiri, quod hic tribus cubitis arctius erat quam ad Orientem.

Ita lustrato spatio quod intercedebat inter Altare & Septentrionale Atrii latus, jam veniamus ad oppositum spatium quod inter Altare erat & Australem murum. Primum כבש *Agger* seu ascensus Altaris, qui in longitudinem triginta duorum cubitorum porrigitur, quæ eadem longitudo erat ex altera parte ab Altari ad extremum Annulorum locum. Atque hic optime moveri dubium potest circa supputationem *Thalmudicorum* de dimensionibus Altaris, ejusque *ascensus*. Diserte enim dicunt Altaris ambitum fuisse duorum & triginta cubitorum, ascensum vero ad Austrum duos & triginta cubitos longum fuisse; & tamen cum summam omninm dimensionum ineunt, dicunt Altare ejusque ascensum fuisse duorum & sexaginta cubitorum, cum tamen numeri supra memorati efficiant sexaginta quatuor. Sed ratio hujus supputationis hæc est: vel quia dimetiuntur longitudinem *Aggeris* seu *ascensus* non ab extima superficie basis Altaris, sed ab ea Altaris superficie ubi est arctissimum, supra *circuitum*; eo enim usque Sacerdotes ministraturos deducebat Agger, cum erant Altaris cornua sanguine victimarum adspergenda: vel quia non supputabant duos primos cubitos ascensus, quippe planiores & solo viciniores, ad eam usque partem qua ponticulus erat ad crepidinem basis deducens. Ac licet eam aliquando rationem ineant cubitorum Altaris, ejusque *ascensus*, ut numerent sexaginta duos cubitos; attamen cum 137. cubitos latitudinis Atrii in varia distribuunt spatia, tum attribuunt, neque enim aliter possunt, triginta cubitos Altari, & totidem *Aggeri*; sic enim supputant.

Middoth Per. 3. Ibid. Ibidem Perek. 5.

A Septentrionali muro ad Columnas, cubitos	8.
Locus Marmorearum Mensarum,	4.
A Mensis Marmoreis ad spatium Annulorum,	4.
Locus ipse Annulorum,	24.
Ab Annulis ad Altare,	8.
Altare ipsum,	32.
Ascensus seu Agger,	32.
Ab ascensu ad Australem murum.	25.
Quæ omnia simul efficiunt cubitos.	137.

Quid autem esset in eo spatio viginti quinque pedum, quod erat inter initium *Aggeris* & Australem murum, docet nos Tractatus *Middoth* hisce verbis: והמותר בין הכבש לכותל ומקום הננסין, *Et quod supererat spatii inter Aggerem & Murum, erat etiam locus breviorum Columnarum*,

Erant quædam sacrificia quæ mactabantur ad Australe latus Altaris, quemadmodum memoratas victimas ad Septentrio-

trionem cædi oportebat. Sacrificia quæ vocabantur קרשי הקרשים, *Sancta Sanctorum*, vel *Sanctissima Sacrificia*, quæ erant tum holocautomata, tum oblationes pro delicto & peccato, aliaque quorum antea meminimus, debebant necessario vinciri ut mactarentur ad Septentrionale latus Altaris, vel saltem in Septentrionali Atrii parte, ut antea dictum est. Sed erant præterea oblationes quæ vocabantur קרשים קלים, *Res minus sanctæ* quæ in qualibet Atrii parte mactari debebant: ut תורה ואיל נזיר קרשים קלים, *Oblationes Eucharisticæ, & Nazaræorum Aries, quæ erant oblationes minus sanctæ, in qualibet parte Atrii mactabantur. Pacifica etiam sacrificia, quæ erant res minus sanctæ, cædebantur in qualibet parte Atrii, ut & Primitiæ animalium, Decimæ, & Pascha, quæ etiam inter minus sancta recensebantur.* Porro quamvis dicant licitum fuisse mactare sacrificia in qualibet parte Atrii; attamen id præcipue intelligendum de Australi Altaris latere opposito Septentrionali, & quidem eadem latitudine in qua mactabantur victimæ in Septentrionali, cum solito major erat earum numerus. Nam cum non plures erant victimæ quam quæ poterant cædi intra id spatium quod erat inter Altare & Septentrionalem murum, ibi mactabantur: sed cum cogebat victimarum numerus, omne latus Septentrionale Atrii usque ad medium Altare ab Orientali fine ad Occidentalem occupabatur, & pro Septentrione Altaris censebatur. Ad Australe latus Altaris erant etiam Marmoreæ Mensæ & breviores Columnæ eidem usui destinatæ, nempe ad excoriandas, secandasque victimas, atque abluenda earum viscera: sed cum major erat victimarum numerus, quam ut posset contineri eo spatio quod directe erat inter Altare & murum Australem, tum licebat id facere in toto Australi latere qua ad medium usque Altare patebat.

Zevachin, Perek. 5.

Ibid. Per. 6.

Spatium ergo viginti quinque pedum, quod erat inter Australem murum Atrii & initium *ascensus* Altaris, ita divisum erat. I. Erant octo cubiti a muro Atrii ad Columnas, ut in Septentrionali latere, quæ erat latitudo Peristylii, & stationis *Israelis* in ea parte Atrii. II. Mensæ ante Columnas, ut in contrario latere positæ quatuor cubitos occupabant. III. Denique tredecim cubiti inter hasce & initium *Aggeris* interjecti, partim, ut videtur, attributi sunt Annulis, quales erant in Septentrionali latere, licet tot non essent, neque enim opus erat; partim vero plano pavimento, ut eo facilior esset Sacerdotibus aditus.

CAPUT XXXVI.

Spatium inter Altare & Porticum.

ALtare stabat inter Portam seu ingressum Porticus qua aditus in Templum dabatur, ac spatium quod erat inter basin Altaris & infimam partem muri Porticus erat viginti duorum cubitorum. Verum non erat planum in interstitio illo pavimentum: nam cum ad Porticum duodecim gradibus ascenderetur, & unusquisque cubitum unum esset latus, præter spatiolum quo tertius quisque gradus ampliabatur, quibus fiebat ut hi gradus in Atrio longe lateque versus Altare porrigerentur, & viginti duorum cubitorum spatium haud exiguum occuparent, unusquisque gradus erat semicubitum altus, adeoque tota graduum moles supra solum sex cubitis assurgebat. Ita qui stabat in summo gradu æque elatus erat ac qui ministrabat in circuitu Altaris. Atque in hisce gradibus stabant Sacerdotes cum redibant a Thymiamate offerendo, & benedicebant populo.

Middoth. Per. 3.

Thamid, Perek. 7.

Quod vero spatium inter Porticum & Altare situm spectat, hæc sunt observatu digna.

I. *Nemo poterat venire in hoc spatium, qui aliquo vitio pollutus esset, aut nudo capite.* Facilis est intellectu prioris interdicti ratio, petita nempe ex sanctitate loci adeo vicini Altari & Templo: posterioris vero causa est, quia in maximis suis devotionibus solebant esse tecto capite; adeoque nemo audebat aperto capite tam sanctum locum subire.

Kelim, Per. 1.

II. Nemo stabat aut stare poterat intra hoc spatium dum Sacerdos in Sanctuario Thymiama offerebat. *Nam dum quotidie in Templo Thymiama offerebant, omnis populus a Templo recedebat, adeo ut inter Templum & Altare nemo esset, donec qui comburebat Thymiama exiret. Ita etiam eo tempore quo Summus Pontifex ingrediabatur cum sanguine oblationis pro peccato, quod oportebat intus adspergi, universus populus recedebat a spatio quod erat inter Altare & Templum, donec rediret.* Utque cognosceret populus tempus recedendi ab eo spatio, dum quotidianum offerretur Thymiama, *Sagan* vel *Præses* Ministerii alta voce clamabat ad offerentem, *Offer Thymiama*: qua voce audita populus se subducebat. Hujus cæremoniæ causas curiosius non investigabo; sed lectori dijudicandum relinquam, an non satis apte innuat quam omnes homines sint remoti a suscipienda parte aliqua muneris intercessionis una cum

Maym. in Tham. Per. 3.

cum *Christo*; quod munus hoc Thymiama significabat.

III. in hoc spatio inter Templum & Altare commissum fuit cædes *Zachariæ* filii *Barachiæ*, cujus meminit Servator *Matth.* 23. 35.

Sunt autem variæ conjecturæ circa hunc *Zachariam*. Quidam putant eum esse *Zachariam* Prophetam, cujus Librum in Veteri Testamento habemus: alii *Zachariam* patrem *Joannis Baptistæ*: alii denique existimant *Christum* ibi prophetice loqui de cæde *Zachariæ* filii *Baruchi* in Templo perpetratæ, cujus historiam habet *Josephus*, lib. 4. *Bell. Jud.* cap. 19. Sed *Thalmudici* nobis auctores sunt fuisse eum filium *Jehojadæ*, qui hoc in loco lapidibus obrutus est tempore Regum, 2. *Paral.* 24. Quare vocetur filius *Barachiæ*, non *Jehojadæ*, non est hic disquirendi locus. *Thalmud Hierosolymitanum* habet hujus cædis historiam, quod persuadere potest Servatorem nostrum loquutum esse juxta vulgarem opinionem, & intellectum fuisse *Zachariam* filium *Jejojadæ*, licet certa de causa vocet filium *Barachiæ*. *Rab. Jochanam dicit, Octoginta millia Sacerdotum juniorum interfecta fuere propter sanguinem Zachariæ. R. Jordan quæsivit, Ubi occiderunt Zachariam? In Atrio Mulierum, vel in Atrio Israelis? Dixit ei, Nec in Atrio Israelis, nec in Atrio Mulierum, sed in Atrio Sacerdotum*, &c. *Septem transgressiones transgressus est Israel ea die; occiderunt Sacerdotem, Prophetam, Judicem; effuderunt innocentem sanguinem, & polluerunt Atrium, & Sabbatum, quod erat etiam dies Expiationis. Et cum venit eo Nebuzaradan, vidit scaturientem sanguinem; dixitque eis, Quid hoc sibi vult? Dixerunt ei, Est sanguis juvencorum, arietum & agnorum quos obtulimus in Altari. Statim adduxit juvencos, arietes & agnos, eosque mactavit; attamen sanguis ille magis ebulliebat quam eorum sanguis. Et cum non confiterentur, suspendebat eos. Dixerunt illi, Dominus vult requirere sanguinem ejus e manibus nostris. Dixerunt ei, Est sanguis Sacerdotis, Prophetæ & Judicis qui prædixit nobis quæcunque nobis fecisti, nosque ei adversati eum interfecimus. Statim adduxit octoginta mille juniores Sacerdotes, eosque interfecit; & tamen sanguis ejus adhuc ebulliebat. Tum ira commotus, Quid tibi vis? inquit. Ut universus populus pereat propter te? Statim sanctus benedictus Deus misericordia permotus est, & dixit, Quid? Si hic homo qui est tantum caro & sanguis misericordia tangitur in meos filios, quo magis ego tangar? de quo scriptum est, Nam Dominus Deus tuus est misericors Deus, vult tibi condonare, nec destruere te, nec oblivisci Fœderis Patrum tuorum. Statim signum dedit sanguini, & eo in loco absorptus est. R. Jochanan dicit, Octoginta millia Sacerdotum profugerant in media Sanctuarii Conclavia, & fuerunt omnes combusti, nec ullus evasit, excepto Josua filio Jozedek: ut est scriptum, Nonne hic est titio ex igne ereptus?* Zachar. 3. 2.

Thamid. Hierof. in Taanith, fol. 69.

In hoc eodem loco, inter Altare & Porticum, erat Lavacrum non directe ante Altare, sed nonnihil ad Austrum, ita ut esset inter Ponticulum Altaris & Porticum, ut mox id lustrando observabimus. Sed *Thalmudici* memorant vas quodpiam quod erat, ut apparet ex eorum relatione, positum inter Porticum & Altare, & quod vocabatur *Migrephah*; quæ vox haud facile in linguam Latinam transferri potest.

Hæc leguntur de eo in Tractatu *Thamid*. *Illi* [nempe qui ingressuri erant Templum ad comburendum Thymiama, & parandas Lucernas] *veniebant inter Porticum & Altare; alter eorum sumebat Migrphah, & id pulsabat inter Porticum & Altare, nec quisquam poterat Hierosolymæ audire alterum loquentem propter sonitum τȣ Migrephah. Tribus rebus inserviebat. Sacerdos qui audiebat ejus sonitum, cognoscebat Fratres suos Sacerdotes processisse ad cultum divinum, & currebat & veniebat. Levita qui audiebat sonitum ejus, cognoscebat Fratres suos Levitas ad cantum ivisse, & currebat ac veniebat. Et Princeps Stationariorum adducebat eos qui fuerant immundi, & ponebat ad Portam Nicanoris*. Quid autem esset τὸ *Migrephah*, mihi satis non liquet. Quidam dicunt fuisse magnum vas quod pulsabant ut sonitum ederent: at quæ esset ejus forma, atque alteri cuipiam usui inserviret, incertum relinquunt.

Tham. Perek. 5.

Glossa in Mishnajoth. ibid.

Chaldæus Paraphrastes יעים interpretatur מגרופיתא, *Exod.* 38. 3. &c. quod videtur idem esse verbum cum eo de quo jam nobis est sermo; adeoque existimavit fuisse batillum igniarium qui pertinebat ad Altare, & qui impactus pavimento, vel pulsatus, cum æneus esset & magnus, ingentem edebat sonitum.

Judæi circa sonitum hujus instrumenti & variarum aliarum rerum ad Templum pertinentium has habent hyperbolas: *Hierichunte exaudiebant strepitum majoris Portæ Templi, cum aperiebatur. Hierichunte exaudiebant sonitum τȣ Migrephah. Hirichunte exaudiebant sonitum instrumenti quod fecerat Ben Kattin in usum Lavacri Hierichunte exaudiebant vocem quæ eos*

Thamid. Perek. 3.

eos vocabat ad ipsorum ministeria. Hierichunte exaudiebant sonitum fistulæ. Hierichunte exaudiebant sonitum Cymbali. Hierichunte exaudiebant sonitum Contus. Hierichunte exaudiebant sonitum Tubarum: quidam dicunt etiam vocem Summi Sacerdotis, cum die Expiationis pronuntiabat nomen Jehovah, &c. Quarum rerum veritatem non debemus nimium urgere, cum manifestum sit eas esse hyperbolice prolatas. Hinc tantum videre possumus quam vulgaris esset hæc locutio *Hierosolyma Hierichuntem*, quæ etiam occurrit *Luc.* 10. 30.

CAPUT XXXVII.

De Vasibus & Utensilibus Templi.

SECTIO I. *LAVACRUM*, כיור

PRimum præceptum & finis Lavacri faciendi extant *Exod.* 30. 18. 19. 20. &c. his verbis: *Facies etiam Labrum Æneum, & pedes ejus æneos ad lavandum, & pones illud inter Tentorium Conventus & ipsum Altare, ac pones ibi aquam ut lavent Aaron & filii ejus ex eo manus suas & pedes suos. Quum erunt ingressuri Tentorium Conventus, lavanto aqua ut non moriantur; aut quum erunt accessuri ad ipsum Altare ad ministrandum*, &c.

Executio vero præcepti sic refertur *Cap.* 38. 8. *Fecit Lavacrum Æneum & pedes ejus æneos ex speculis mulierum quæ congregatæ erant ad ostium Tabernaculi Congregationis*. Dimensiones ejus & capacitas nullibi describuntur. Spiritus Sanctus indeterminatam ejus reliquit formam, sed designavit tantum materiam & finem. Constabat æneis speculis mulierum quæ ad ostium Tabernaculi confluebant. Septuaginta Interpretes verterunt, ἐκ τῶν κατόπτρων τῶν νηστευσάσων, αἳ ἐνήστευσαν, &c. *ex speculis jejunantium mulierum, quæ jejunaverant*, &c. Nempe ἀντὶ τοῦ צבאות legerunt צמאות. *Hierosolymitanum Thargum*, consentiente *Jonathane*, habet, *ex speculis modestarum mulierum, quæ modestæ fuerant ad ostium Tabernaculi*. Ad quem locum intelligendum nos juvat Scholium *Aben Ezræ*. *Consuetudo est*, inquit, *omnium mulierum inspiciendi unoquoque matutino tempore faciem suam in speculo seu vitreo, seu æneo, ut possint comam componere: sed ecce erant mulieres in Israele quæ serviebant Domino, quæ omiserunt mundanam hanc voluptatem, & tradiderunt specula sua tanquam oblationes spontaneas; neque enim iis amplius indigebant, sed quotidie veniebant ad ostium Tabernaculi Congregationis ad orandum & audienda verba præcepti*. Finis hujus Lavacri erat ablutio manuum & pedum Sacerdotum; sed ultima ejus significatio fuit ablutio & purificatio Spiritus gratiæ, qui in Scriptura sæpe vocatur *aqua*. Itaque adspersio sanguinis in sacrificiis, & ablutio aquæ Lavacri, continebant duo illa præcipua Theologiæ capita, ablutionem omnis reatus per sanguinem *Christi*, & omnis pollutionis per Gratiam Dei.

Forma & capacitas Lavacri sub secundo Templo non memorantur; hæc tantum de eo reperimus in Hebræorum monumentis.

I. Id fuisse, juxta primum præceptum *Exod.* 30. 18. inter Altare & Porticum, licet *aliquantulum ad Austrum*, משוך כלפי הדרום. Ratio autem ob quam eo in loco collocatum fuit, hæc est: *Quia dicitur, Et Altare Holocautomatis ad ostium Tabernaculi Congregationis: quo significatur Altare, non Lavacrum, debuisse esse ante Tabernaculum Congregationis; sed Lavacrum ad latus Australe nonnihil semotum erat*.

Middoth. Perek. 3. sect. 6. R. Solom. in Exod. 30. ex Zevachin.

II. Primum illud habuisse tantum duo Epistomia quibus aqua educeretur; sed postremis temporibus *Ben Kattin fecisse in eo duodecim Epistomia*, י״ב דד, ut ait *Mishnah* in Tractatu *Joma*. Vocat Epistomia דדי, *mammas*; *quia*, inquit *Aruch*, *erant instar mammæ mulieris, & aqua per eas decurrebat qua abluebant manus suas*. Ita *R. Solomon* describens Lavacrum dicit: *Erat simile magno Lebeti, & habebat mammas, quæ ore suo aquam emittebant*. *Babylonici* porro *Thalmudis Gemara* disceptans de occasione qua facta fuerunt hæc Epistomia, hanc esse dicit: *Traditionem esse, Ben Kattin tot fecisse, ut duodecim Fratres ejus Sacerdotes qui quotidiano occupabantur sacrificio, simul manus abluere possent*. Observavimus suo loco, totidem Sacerdotes in variis quotidianæ oblationis ministeriis occupatos fuisse: ideoque hic *Ben Kattin* qui erat etiam Sacerdos, curavit tot Sacerdotes qui simul ministrabant, simul etiam ad Lavacrum stare & manus abluere posse, ideoque totidem Epistomia fecit; unde apparet Vas fuisse amplissimæ capacitatis.

Jom. Per 3.

Aruch in דד

Solom. ubi supra.

III. Frequens mentio occurrit apud *Thalmudicos* cujusdam rei quæ ad Lavacrum pertinebat, quam vocant מוכני כיור quod, priusquam Latine vertamus, investigationem aliquam requirit. *Mishnah* modo laudata ait, quemadmodum *Ben Kattin* fecit Lavacro epistomia, *fecisse eum etiam* מוכני, *Muchene Lavacro, ne aqua corrumperetur remanendo ibi per totam noctem*. Ita in Tractatu *Thamid*, ubi agitur de Sacerdote purgaturo Altare, eun-

Thamid. Per. 1. sect. 4.

eunte ad Lavacrum ad abluendos pedes & manus, dicitur *ſocius ejus audiviſſe ſonitum ligni quod Ben Kattin fecerat*, τῷ *Muchene Lavacri*. *Gemara* in priorem locum diſquirit מאי מוכני, *quid ſit Muchene*. *Rabba dicit*, *Eſt rota*. Ita etiam dicit *Aruch* : פירוש מוכני גלגל הוא, *Significatio Muchene eſt rota*. Jam quo in loco, & cui uſui eſſet hæc rota, quæritur. Quidam dicunt eam fuiſſe *ad demittendum Lavacrum in puteum*, ut impleretur aqua, ſeu ad id demiſſum tenendum in puteo per totam noctem : atque ita etiam ſermo eſt in Tractatu *Zevachin*, de *trahendo & ſuperius adducendo Lavacro ex Æneo Mari quod fecerat Solomon, demiſſum enim erat in hoc per totam noctem, ne aqua ejus pollueretur remanendo in eo per totam noctem*.

Jom. fol. 37. Aruch in מכנה. Gloſſ. in Miſchn. in Thamid. V. Maym. in Biath. Mikdash, Per 5. Zevachim Perek. 2. fol. 18.

Verum cum conſideramus magnitudinem hujus Lavacri de quo agimus, ſub poſteriori Templo, ad quod, ut dictum eſt, duodecim viri ſtare poterant & ſimul manus abluere; præterea cum animo reputamus nullum fuiſſe puteum vicinum ei loco ubi erat Lavacrum, videbitur impoſſibile conceptu unum Sacerdotem demiſiſſe Lavacrum in puteum, atque iterum aqua plenum eduxiſſe : nam Tractatus *Thamid* unum Sacerdotem τὸ *Muchene Lavacri* verſantem deſcribit, quicquid tandem fuerit. Non memini me legiſſe qua materia conſtaret Lavacrum poſterioris Templi, an æneum eſſet, an vero lapideum : etenim magnificentiæ Templi in omnibus aliis non convenit Vas ligneum. Imo etiamſi ligneum fuiſſet, difficile fuiſſet uni viro id verſare quaſi hydriam putei, quantumlibet ingenioſe inventa ac motu facilis fuerit machina *Ben Kattin*. Ideoque *Maymonides* rem dubiam relinquit : dicit enim, *Demittebant in receptaculum aquæ, ſeu puteum, & matutino tempore craſtinæ diei attollebant, ſeu implebant*.

Maymon. ubi ſupr.

Igitur non video quid aliud potuerint eſſe τὸ *Muchene Lavacri*, niſi aliqua machina inventa, vel ſaltem propriis ſumptibus facta a *Ben Kattin* Sacerdote, qua aqua vi attollebatur ope Rotæ verſatilis quæ eam attollebat ad implendum cum neceſſe erat Lavacrum; non quod ſuo loco dimoveretur Lavacrum, ſed, ut vulgo fieri ſolet, quod aqua per tubos in hoc pro arbitrio ageretur. Adeo ut cum aqua per totam noctem in eo remanens inutilis evaſiſſet, & illicita in eum uſum cui adhiberi debebat; vel ſub noctem poſt peractum diei illius Miniſterium emitteretur; vel ſi pernoctaſſet, matutino tempore a Sacerdote qui primum diei opus peracturus erat, ejiceretur, qui nimirum is fuit cui cura Altaris Holocautomatum cineribus ſuis purgandi demandata erat; nec aliud ei agendum erat ut iterum Lavacrum impleret, niſi quod eundum erat ad *Conclave Putei*, ubi verſata tantiſper Rota, aquam eo per tubos immittebat. Jam ut Latine vertamus vocem מוכני, non poſſumus melius interpretari quam *Machinam* Lavacri, eamque in rem animum nobis addit *R. Nathan*, cum dicit eſſe vocem Græcam, quam exiſtimo eſſe vocem Μηχανὴ, *Machina*.

Aruch, ubi ſupra.

IV. Nunquam erat aquæ adeo exigua copia, ut non poſſet quatuor Sacerdotes ſimul abluere; atque hujus Traditionis rationem hinc deducit *Baal Turim*; quia vox ורחצו quæ adhibetur ad hanc ablutionem ſignificandam, *Exod.* 30. 18. quater tantum occurrit, ut obſervarunt *Maſſorethæ*. Verum alia rationi magis conſentanea affertur hujus rei origo; *quia nempe dicitur*, *Ibi ſeſe abluent, qui fuerunt quatuor, Aaron, Eleazar, Ithamar & Phineas*.

Baal Hatturim, in Exod. 30. Maymon. ubi ſupra.

V. Ratio porro ſe ad Lavacrum abluendi hæc fuit : Sacerdos dextram manum imponebat dextro pedi, & ſiniſtram ſiniſtro, atque aqua ſic in eum per epiſtomium defluebat, ut inclinatus manus & pedes ſimul ablueret. Qui ad Miniſterium iverat matutino tempore illotis manibus & pedibus, reus erat Mortis per manum Cœli. Nec cuiquam licebat ingredi Atrium ad obeundum Miniſterium illoto corpore, etiamſi mundus eſſet. In Miniſterio ipſo oportebat Sacerdotes in nudo pavimento ſtare; quod hyeme difficillimum faciebat Miniſterium, quandoquidem oportebat eos corpus frigida abluere priuſquam ingrederentur; ingreſſos iterum manus, & pedes; denique lineis veſtibus indutos frigido, dum cultus divinus celebraretur, inſiſtere pavimento.

Id. ibid. R. Solom. in Exod. 30.

SECTIO II. *Salomonis decem Lavacra*, 1. *Reg.* 7.

Non eſt operæ pretium inquirere num Lavacrum a *Moſe* factum in deſerto evaſerit tabem temporis, & ſuperfuerit ad locum aliquem in *Solomonis* Templo occupandum, ut quidam Judæi affirmant : ſed neceſſe eſt obſervare, ſeu ſupereſſet, ſeu periiſſet, *Solomonem* magnum conflaſſe numerum Lavacrorum eam in rem in quam a Lege præſcripta fuerant : & quemadmodum in aliis Templo neceſſariis copioſe & magnifice quicquid uſui & ornamento futurum erat comparavit; ita in aqua Templo ſuppeditanda, non modo copiam quæſiviſſe, ſed tantis ſumpti-

Vide D. Kimch. in 2. Paral. 4.

ptibus eam undique derivaviſſe, ut ipſe tantum paria facere poſset.

Lavacra, quæ decem numero fuerunt, ex eodem metallo eademque forma, poſita erant ad abluenda membra victimarum; Mare vero erat Balneum Sacerdotum. Erant ſita ad utrumque latus Atrii, quina ſimul, e regione Altaris & loci Mactationis, paribus inter ea relictis interſtitiis, & ſervata debita ſymmetria. Nam quamvis quidam ex Hebræis Doctoribus crediderint decem Menſas Panis Propoſitionis poſitas fuiſse ad latera Ædis, *Moſis* vero Menſam exacte in earum medio, & parem ordinem obſervatum in decem Candelabris & decem Lavacris; attamen adeo diſerte docet Scriptura, Lavacra quina ſimul ad utrumque latus fuiſse diſpoſita, 1. *Reg.* 7. 39. ut non modo rem extra omne dubium ponat, ſed etiam diſpoſitionem quæ tradi ſolet Menſarum & Candelabrorum ſatis ſuperque confirmet, licet aliud nullum ſuppeteret argumentum.

Id. ibid.

Forma uniuſcujuſque Lavacri (nam ex uno omnia poſſumus cognoſcere) ita deſcribitur a Spiritu Sancto.

Primo erat tabula ænea plana, longitudinis, latitudinis & craſſitiei immanis, quæ ſubnixa erat quatuor rotis. Tam craſsas laminas tempora noſtra non viderunt, nec ulla unquam præter illa videntur conſpexiſse; unaquæque enim tabula dicitur fuiſſe *quatuor cubitos longa & lata, ac tres cubitos alta*: & quandoquidem nullam ſimilem æneam molem videre poſſumus, eas conferemus moli alius materiæ, ut lapideæ vel marmoreæ menſæ earumdem dimenſionum. Septuaginta Interpretes (qua hallucinatione difficile eſt dictu) tribuerunt unicuique longitudinem quinque cubitorum, altitudinem vero ſex; atque ita *Joſephus*, qui conſtanter eos ſequitur, in eundem errorem delapſus eſt. Non immorabimur iſti errori diſcutiendo. Dubium quod movet *R. Solomon* conſideratu dignius eſt: nempe utrum, cum dicit Scriptura altitudinem uniuſcujuſque trium cubitorum fuiſſe, ſignificetur craſſities; an vero velit tantum Scriptura ſuperiorem ſuperficiem tabulæ rotis impoſitæ eo ſpatio remotam fuiſſe a ſolo? Poſterior conjectura videtur mihi ſimilior vero propter duas haſce rationes.

Joſeph. Antiq. lib. 8. cap. 2.

I. Quia non dicitur *craſſities*, ſed *altitudo* fuiſſe trium cubitorum, quaſi ſignificetur non intelligi craſſitiem tabulæ ſed eam rotis impoſitam & ſuſtentantem Lavacrum, ea altitudine a pavimento remotam fuiſſe.

II. Quia non opus erat tam immani craſſitie ſeu ad ſuſtinendum pondus impoſitum, ſeu ad magnificentiam, ſed vel dimidia craſſities ſatis ſuperque utrumque præſtare potuit. Itaque ſententia Rabbini noſtri valde probabilis eſt, nec temere rejicienda: nempe cum dicuntur rotæ ſeſquicubitum altæ fuiſſe, *verſ.* 32. id non eſt intelligendum de toto diametro rotarum, ſed tantum de altitudine axis, cui ſolidæ iſtæ moles æneæ incumbebant, quarum, cum ſeſquicubitum craſsæ eſsent, ſuperior ſuperficies tribus cubitis a ſolo diſtabat.

Craſsæ hæ tabulæ æneæ vocantur in Scriptura מכונות, (*Septuaginta* & *Joſephus* Græce hanc vocem ſcripſerunt Μεχωνὼθ) quam vocem *Angli* noſtri bene verterunt *Baſin*, cum *Chaldæo*, qui habet בסיסא, quæ eſt ipſa vox Græca βάσις. Nam quemadmodum, cum *Moſes* juſsus eſt facere Lavacrum, juſsus eſt etiam facere את כנו, *baſin ejus*, Exod. 30. 8. (quod *Angli* noſtri verterunt *pedem ejus*, quippe qui crediderunt non ſignificari longum quodpiam fulcrum cui Lavacrum inniteretur, ſed ſolidam aliquam molem æneam qua id ſuffultum eſset) ita etiam ad ſuſtentanda hæc Lavacra, unicuique baſi מושב כיור, *ſcamno Lavacri*, ut Rabbini loquuntur, opus fuit.

R. Levi Gershom, & D. Kimch. in 1. Reg. 7.

Porro cum dicatur unaquæque baſis habuiſſe quatuor rotas æneas, *verſ.* 30. non debet id ita intelligi, quaſi binæ ex utroque latere fuiſſent, ut ſolent eſſe in noſtris Carpentis; ſed uti hæ baſes quadratæ erant, ita ad unumquodque latus erat rota. Hoc apparet ex *verſ.* 32. ubi dicuntur rotæ fuiſſe ſub limbis: videbimus autem mox limbos undequaque fuiſſe. Rotæ quas *Ezechiel* in ſua Viſione conſpexit, *Cap.* 1. ſimili ratione collocatæ erant, ex quatuor nempe lateribus, non binæ.

Hiſce rotis impoſita erat baſis, quam ut plene deſcribamus, obſervandum eſt primo, duos ordines radiorum non admodum longos ex eadem ænea maſſa conflatos ac baſis fuit, oræ circumquaque ita impoſitos, ut alter alterum ambiret interius poſitum. Hos Scriptura vocat שלבים quam vocem omnes Hebraicæ linguæ periti tum Judæi, tum Chriſtiani, dicunt ſignificare ברים כמין חונקי סולם *radios eodem modo diſpoſitos ac gradus ſcalæ*; & qui, ſi hac comparatione uti liceat, poſſunt conferri cum radiis Vehiculi *Anglicani* utrinque poſitis, niſi quod in hiſce tabulis duplici ordine circumquaque eſſent, cum ſimplices ſint in Vehiculo.

Inter duplicem hunc radiorum ordinem erat limbus æneus, ſi ita loqui liceт,

cet, quadrangulas hasce tabulas undequaque circumiens, cui insculptæ erant figuræ boum, leonum & palmarum. Hic limbus in Scriptura vocatur מסגרות πλη-θυντικῶς, non quod esset duplex ut radii, sed quia undequaque circumdabat tabulas illas. Sub hoc limbo in unoquoque latere posita erat rota.

In ora harum basium latæ erant margines æneæ non perpendiculares, sed oblique descendentes, instar tabularum quæ supra fenestras ponuntur ad abigendam pluviam. Hebraicus Textus hæc vocat לויות מעשה מורד, *Appendices operis descendentis*: quæ verba *Italus* & *Angli* Interpretes, & quidam Rabbini, verterunt *Additiones tenui opere factas*. Harum appendicum usus hic fuit, ut dum Sacerdotes quod ipsis erat abluendum abluerent, immundities per declivitatem marginis defflueret. Neque enim membra victimarum abluenda in Lavacrum ipsum immittebantur, sed aqua e Lavacro per epistomia defluente in hasce basium margines purgabantur, deinde ex ora basium, & rotis subjectis omnem abstergebant aquam.

In extremis radiorum ordinibus erat כן ממעל, *Basis superior*, vers. 29. hoc est, protuberantiæ quædam æneæ ad oras introrsum positæ quibus innitebantur Lavacrum, quemadmodum ipsæ basi incumbebant. *David Kimchi* existimat posse significari *scabellum*, שהיו מושיוין בו קיתון, *cui imponebant aqualicula*, seu minora vasa, quibus ex Labro aquam hauriebant. Sed si consideremus quantæ altitudinis esset Labrum, nequaquam verisimile videbitur ex eo aquam sic hauriri potuisse, & necessario fatebimur, quicquid aquæ inde habebant id per epistomium effluxisse. Hæc *Basis superior* in circulum aut corollam desinebat, (quæ ab *Anglis* nostris *Capitellum*, & כותרת a Scriptura dicitur) & sesquicubitum alta erat. Huic circulari basi impositus erat limbus quadratus iisdem figuris cælatus ac inferior, adeoque Labrum cujus fundum innitebatur hisce capitellis veluti duobus gradibus, assurgebat supra majorem & inferiorem basin. Limbus corollæ impositus cubitum unum altus erat; & fundum quidem Labri latum erat sesquicubitum, ac tangebat inferiorem basin; sed paulatim ita Labrum exsurgebat & dilatabatur, ut inniteretur superioribus fulcris, ac tandem latitudine æquaret inferioris basis margines, quæ pars suprema vocabatur *os Labri*, vers. 31. Itaque observandum est Lavacrum in fundo fuisse rotundum, in summa vero ora quadratum, (contrario modo se habuisse Mare Æneum mox observabimus) & in quatuor angulis basis, qui perpendiculariter oppositi erant angulis Labri, erant quadratæ columnæ æneæ eodem metallo & in eandem massam fusæ ac basis, quæ quatuor angulos Labri sustentabant inferiori basi innixæ. Hæ columnæ vocantur כתופות, *Humeri*, in Textu, & dicuntur fuisse מעבר איש לויות, *e regione uniuscujusque oblique jacentis tabulæ*, quia infimæ columnarum parti quæ basi conjungebatur & continua erat, adhærebat in quatuor angulis harum tabularum extrema ora. Hæ autem colnmnæ non incumbebant ipsi pavimento, sed tetragona massa ænea cum reliquis partibus liquefacta & conflata eas sustentans solo incumbebat, cui insistebant etiam rotæ; atque has massas Hebræi vocant סרנים, quam vocem *Chaldæus Paraphrastes* & Rabbini interpretantur alia voce easdem literas continente, sed transpositas, nempe נסרים, *Tabulæ*.

Jam locum Scripturæ qui continet historiam Lavacrorum continua Paraphrasi explanemus, adhærentes vocibus quantum fieri potuit ad explicationem descriptionis, qua in tota Scriptura, seu copiosa sit, seu brevis, difficilior non est.

1. Reg. 7. 27. *Et fecit decem vectes æneas, quarum longitudo & latitudo erant quatuor cubitorum, distantia vero superioris superficiei a solo trium.*

28. *Atque unaquæque basis hujus erat operis: habebant limbos, & limbi erant inter ordines vectium.*

29. *Hisce limbis qui erant inter ordines vectium insculptæ erant formæ leonum, boum & Cherubinorum; & in extremitate omnium vectium erat alia basis, seu fulcrum, & infra hosce vectes seu formas animalium, erant additæ margines oblique descendentes.*

30. *Unaquæque basis habebat quatuor rotas æneas, & massas æneas tetragonas, quæ in quatuor angulis sustinebant columnas fulcientes Lavacrum, ad latera addititiæ marginis.*

31. *Atque os Labri, hoc est, ea illius pars qua in integram suam amplitudinem dilatabatur, distabat a circulari basi cubito uno, & superior pars hujus superioris basis erat rotunda, sesquicubitum supra inferiorem assurgens, & sustentabat limbum cubitalem, non quidem circularem, sed quadratum.*

32. *Et quatuor rotæ erant ad quatuor latera sub limbis, & axes rotarum conjuncti erant basi; altitudoque rotæ ad basin erat sesquicubiti.*

33. *Et opus rotarum simile erat operi rotarum currus: earum Axes, Modiolus,* Ra-

Radii & Circumferentia ænea erant omnia.

34. *Erant etiam quatuor fulcientes columnæ ad quatuor angulos cujusque basis, quæ ex eadem massa ac basis conflatæ erant.*

35. *Et supra basin semicubitum attollebatur (ad hanc etiam altitudinem assurgebant ordines vectium) rotunditas circularis superioris fulcri. Ordines autem vectium ac limbi qui basi impositi erant ex eadem æris massa conflati erant.*

36. *Vectibus & limbis insculpti erant Cherubini, boves & palmæ, juxta uniuscujusque proportionem, ut & obliquis marginibus circumpositis.*

37. *Et fecit decem Lavacra ænea, quorum unumquodque continebat quadraginta Batos. Uniuscujusque Lavacri diameter erat quatuor cubitorum, & unicuique ex decem basibus impositum erat Lavacrum.*

SECTIO III. *MARE ÆNEUM.*

Non sine quopiam artis miraculo tantum, quantum Mare Æneum fuit, vas conflari potuit, aut ex planitie *Jordanis*, in qua conflatum fuit, deportari *Hierosolymam* ad Templum, ubi impositum fuit duodecim æneis bovibus ad Orientalem extremitatem Atrii Sacerdotum, versus Euroaquilonarem angulum.

Dimensiones & capacitas ejus ita describuntur in Libro *Regum*. *Fecit quoque Mare fusile decem cubitorum a labio usque ad labium rotundum in circuitu: quinque cubitorum altitudo ejus: & resticula triginta cubitorum cingebat illud per circuitum. Duo millia Batorum continebat*, 1. Reg. 7. 23. 26. Consentit in omnibus dimensionibus Liber *Paralipomenon*, excepta ultima, in qua immane quantum dissentit! habet enim, *Continebat tria millia Batorum*, 2. *Paral.* 4. 5. Non parum difficile est ista conciliare, neque hæc sola est difficultas quæ occurrit in historia Maris Ænei: neque enim facile est captu, quomodo in tam exiguo ambitu (licet certe ingens esset, si consideremus de vase quopiam agi) contineri posset tanta aquæ copia. Batus Hebræorum, quæ fuit maxima, quæ in usu apud eos esset, liquidorum mensura, erat fere ejusdem capacitatis ac Modius *Anglicanus*, [*a bushel*] seu octo Congii [*Gallons*.] Jam autem, quomodo vas quinque tantum cubitos profundum, & cujus diameter decem tantum cubitorum fuit, tria millia Batorum, aut fere vicesies millies præter quatuor millia *Gallonum* Anglicanorum posset continere, difficile est conceptu. Cubiti in dimensionibus hujus vasis iidem sunt qui occurrunt in dimensionibus aliorum vasorum & partium Templi; adeoque hinc ad quæstionis solutionem nullum possumus petere subsidium. Judæi merito hac de re disputarunt, nec aliud concluserunt, nisi *hoc Mare fuisse in fundo quadratum per trium cubitorum altitudinem, ita ut quodlibet latus decem cubitos longum esset, ambitusque totius vasis quadraginta cubitorum.* Atque hanc quadratam figuram probant ex dispositione boum, qui veluti quadrato agmine sub eo stabant. Hac in re multum dissentiunt a populari suo *Josepho*, qui dicit Mare fuisse εἰς ἡμισφαί-ριον ἐσχηματισμένον, *in hemisphærii formam conflatum*, quæ, si bene intelligo, difficultatem in qua versamur augent. *Thalmudici* tamen dicunt superiorem partem Maris per duorum cubitorum latitudinem rotundam fuisse, quæ circularis contractio minuit amplitudinem angulorum qui inferius in quadrato fundo erant, adeo ut ea in parte ambitus esset tantum triginta cubitorum, juxta Scripturæ verba: *Et filum triginta cubitorum cingebat illud per circuitum.* Videntur quidem rem inusitatam asserere; attamen eorum disceptatio adeo est consentanea rationi, si tota expendatur, ut si prima fronte non videantur fide digna quæ proferunt, consideratu dignissima sint.

Thalm. in Erubhin, Per. in Gemara, & R. Solom. & Kimchi in 1. Reg 7.

Joseph. Antiq. lib. 8. cap. 2.

Porro ad dissensum qui est inter Libros *Regum* & *Paralipomenon* circa capacitatem hujus vasis, (quod dubium oculis magis se ingerit) dum alter dicit id cepisse *bis mille*, alter *ter mille Batos*; responsum plerorumque Doctorum Hebræorum potest aliquatenus satisfacere, licet hic aliquid amplius quærendum existimem: putant nempe liquidorum continuisse tantum bis mille Batos, rerum vero siccarum, quæ supra labia coacervari possunt, ter mille. Mare Æneum conflatum fuerat ut Sacerdotes sese abluerent priusquam Ministerium suum inchoarent, 2. *Paral.* 4. 6. Cum autem duplex esset ablutio, altera manuum & pedum, altera totius corporis, utrique hoc vas inserviebat, sed diversa ratione. Manus & pedes abluebant aqua per epistomia defluente; sed corpus loturi, defundebant in ipsum vas. Si plenum semper fuisset usque ad labia, nimis profundum fuisset quam ut possent in eo esse sine submersionis periculo. Ideoque aqua perpetuo per epistomia educta ita emittebatur, ut satis esset ei usui profunda, nec tamen ullo in periculo essent. Hac ratione optime conciliare possumus dissentientes locos Scripturæ, si supponamus eum locum in quo dicitur Mare Æneum ca-

capax fuisse *bis mille Batorum*, designare ordinariam aquæ copiam quæ eo continebatur, & quæ ad Sacerdotum ablutionem necessaria erat: locum vero in quo dicitur *ter mille Batos* continuisse, designare eam aquæ copiam cujus capax erat, si ad summa labia impleretur.

Circa hoc immensum vas erant duo limbi cælati, quorum opus in Libro *Regum* vocatur פקיים; quam vocem *Chaldæus Paraphrastes* & Rabbini *figuras ovales* interpretantur: sed Liber *Paralipomenon* habet *boves*; quod ita intelligendum est, ut tantum caput *bovis* sculptum fuerit, cui ovalem figuram instar corporis artifex addiderit. Quidam putant ex hisce capitibus, vel saltem ex nonnullis, aquam erupisse, adeo ut fuerint in iis epistomia.

Aqua ingentibus hisce vasibus tanta copia suppetens, ut licet perpetuo ex iis deflueret, perpetuo tamen plena essent, suppeditabatur ex fonte *Etham*, de quo antea diximus. *Hierosolymitanum Thalmud* in Tractatu *Joma* agens de hoc Mari Æneo, & docens qua ratione inserviret Sacerdotibus ad abluenda corpora cum ad Ministerium suum accederent, hanc proponit quæstionem: *Sed nonne est vas? Est: sed R. Jehoshua filius Levi dicit*, אמת המים מושכת לו מעין עיטם, *Tubus aquæ deductus erat ad ipsum ex fonte Etham*. Sensus hujus disputationis hic est: non licebat abluere se purificationis causa in vase, sed tantum in collectione aquæ in ipsa humo confluentis; quomodo ergo poterant Sacerdotes sese abluere in vase quale erat Mare Æneum? Hanc quæstionem ita solvit *R. Joshua*, Mare fuisse quasi fontem aquæ: aqua enim in id influebat jugiter ex fonte *Etham*, & perpetuo etiam ex eo defluebat.

Thalmud. Hierof. in Joma, Per. 3. Aruch in מכנת. Maymon. in Beth Mikd. Per. 5.

SECTIO IV. *Lances, Patinæ, Paropsides, &c. Regis Ptolomæi & Reginæ Helenæ Mensæ, ac Tabulæ.*

Numerum, nomina, varias formas, diversosque usus omnium vasorum Sanctuarii explicari posse a nobis nemo expectaverit, quandoquidem pauci admodum Sacerdotes ex iis qui in Templo ministrabant, harum rerum accuratam rationem inire potuissent. Ideoque quod de iis agere aggredimur, id facimus potius ne nihil dicamus, quam quasi speremus nos ulla ratione ad accuratam descriptionem accedere posse.

Tantus erat eorum numerus, ut numerentur 5400. *Ezr.* I. II. & affirment *Thalmudici*, in quotidiano sacrificio adhibita fuisse 93. Apparet etiam ex Tractatu *Joma*, fuisse peculiaria vasa ministerio diei Expiationis consecrata, & Regem *Monobazem* aureas ansas eis apposuisse. Ita etiam alia peculiaria ministeria propria sua vasa habebant, adeo ut partim propter multitudinem usuum vasorum certis quibuspiam temporibus, partim propter vasorum mutationem, non potuerit non esse ingens eorum numerus, aut certus assignari queat, cum privatorum pietas perpetuo oblationibus novis eum numerum augeret.

Tham. Per. 3. Jom. Per. 3.

Variæ eorum formæ potius conjectura possunt effingi quam certo definiri, & usus quidem quibus adhibebantur nobis majorem lucem fœnerantur, quam vel nomina, vel eorum descriptiones.

I. Erant Lances in quibus sumebatur sanguis immolatarum victimarum, ut *Exod.* 24. 6. atque has *Thalmudis Hierosolymitani* Doctores existimant vocari אגרטלין *Agartalin*, Ezr. I. 9. *Triginta Agartalin ex auro. R. Samuel Bar Nachman dicit*, שאוגרין בו דמו של טלה, *In eo colligebant sanguinem Agnorum. Mille Agartalin ex argento. R. Simeon Ben Lachish dicit, id erat vas in quo sumebant sanguinem juvencorum.*

Thalm. Hierosol. in Joma, Perek. 3.

II. Erant Lances ex quibus sanguis adspergebatur in Altare; atque hæc creduntur vocatæ fuisse כפורים *Chephorim*, in loco *Ezræ* citato, & idem fuisse cum מזרקים *Mizrakim*; quæ vox sæpe occurrit in Scriptura. *Chephorim*, inquit *R. Solomon Jarchi*, *sunt Mizrakim, & vocantur Chephorim, quod designat purificationem, quia qui sumebat sanguinem in hoc vase, abstergebat guttas sanguinis quæ manui ejus adhærebant, oræ hujus Lancis*; qua de re diximus cum ageremus de ratione adspergendi sanguinis in cornua Altaris. Itaque, juxta interpretationem Judæorum, *Ezras* nomine recenset tantum duo genera vasorum, quæ in Ministerio præcipui & perpetui usus erant, nempe majores illas Lances in quibus excipiebant sanguinem, & minores quibus utebantur ad eum adspergendum. Talia potuerunt esse vasa קערה & מזרק oblata a duodecim Principibus in dedicatione Tabernaculi, *Numer.* 7. *Mizrakim* dicuntur fuisse ante Altare, *Zach.* 14. 20.

R. Solom. in Ezr. 1.

III. Erant majores Lebetes aurei & argentei, quibus injiciebantur intestina victimarum ut eo deferrentur ubi oportebat ea ablui; & postquam abluta erant, ad Altare referebantur. Erant Disci in quibus sal gestabatur ad saliendas omnes victimas, & Disci in quibus oblatio farinæ miscebatur. Et potest quidem fieri ut id vas cui imponebantur viscera, aut oblatio

tio farinæ, id fuerit quod significatur voce העלות, si modo hæc vox ullum vasis genus significat, ut significare creditur 2. *Paral.* 24. 14. *Quidam existimant*, ait *Kimchi*, *eam vocem significare Lances in quibus ponderabant aromata ad Thymiama. Sed uti ego opinor, erat vasculum in quo sumebant vinum ex vase Hin ad oblationem. Ita vox usurpatur apud Rabbinos, Ancillæ domus Rabbi cum eas doceret sermonem Sapientiæ, dixerunt*, הכי עלת נפכת בכך, *an* עלת *effunditur in cantharum? hoc est, vasculum in quod vinum sumebant ex cantharo*, &c. Verum nec me, nec lectorem in examine hujus voculæ & opinionis occupabo. Versio *Anglica* nostra non modo perspicua est, sed etiam facile potest defendi.

IV. Erant vasa ex quibus effundebant vinum oblationis, quæ possunt ea esse quæ *Josephus* vocat *Phialas*, cum enumerat vasa quæ recensentur in loco *Ezræ* laudato; sed plura genera vasorum memorat quam *Ezras*. Lector disquirat ex iis quæ nominat, quænam ea fuerint quæ in liquidis oblationibus offerendis usui erant, ψυκτῆρες, θηείκλεια, κάδδοι, σπονδεῖα, φιάλαι. Ego alterum ex duobus postremis crediderim esse, nempe φιάλας. Effusiones ex phialis in *Apocalypsi* memoratæ lucem fortasse aliquam hic accipere possint, si lector attendat ad effusionem liquidarum oblationum.

Antiq. lib. 11. cap. 1.

V. Erant Ignitabula ad sumendas prunas ex Altari ad comburendum Thymiama: Disci quibus imponebant cineres desumptos ex Altari Holocautomatum, & Altari Thymiamatis: Disci in quibus gestabatur Thymiama: Disci *Teni* & *Coz*, quibus utebantur ad Candelas & Thymiama Altaris: Thuribula: Disci ad ferendos Panes Propositionis, & ejuscemodi alia multa vasa quæ sigillatim expendere infiniti esset laboris. Hisce adjici possunt Secures, Cultri, Uncini, Forcipes, Sartagines, Emunctoria, Pocula, Lebetes, vas *Pesachtar*, (qua voce utitur *Chaldæus Paraphrastes*, Exod. 26. 3. &c.) Instrumenta Musica de quibus alibi diximus, & Mortaria ad conficiendum Thymiama. Cum omnia fecimus ne quid omitteremus, certi sumus multa a nobis omissa, ideoque ista conjecturæ & æstimationi uniuscujusque relinquemus. Attamen huic tractationi quam imperfectam cogor relinquere, duo præterea mihi addenda sunt utensilia, quæ quidem non erant ejusdem generis ac quæ supra a nobis sunt memorata, sed possunt nihilominus una cum illis recenseri, quia pertinebant ad ejusdem Templi vasa. Erant duæ Tabulæ variarum naturarum & usuum, datæ a *Ptolemæo Philadelpho* Rege *Ægypti*, & Regina *Helena matre Monobazis*.

Aristeas & *Josephus* eum sequutus narrantes historiam *Ptolomæi* ad se Septuaginta Interpretes accersentis, enumerant splendida donaria quæ Templo obtulit, & inter alia, ut pecuniam, aureasque & argenteas phialas, χρυσᾶς φιάλας, describunt Auream Mensam, adeo magnificam & affabre elaboratam, ut vix ulla alia tanti pretii fuerit, ut lector animadvertet lectis iis locis quæ in margine laudavimus; neque enim tempus in ejus descriptione teremus.

Arist. in Histor. 70. Interpr. Joseph. Antiq. lib. 12. cap. 2.

Mentio fit etiam in Tractatu Thalmudico *Joma*, Aureæ Tabulæ Reginæ *Helenæ*; sed non erat similis formæ ulli ex iis Mensis in Templo a nobis hactenus descriptis. Non erat שולחן *Mensa*, sed טבלא *Tabula*, de qua hæc traduntur: *Regina Helena mater Regis Monobazis fecit Aureum Candelabrum quod erat supra Januam Templi. Fecit etiam Auream Tabulam cui inscripta erat Sectio Legis de Uxore suspecta, Num.* 5. Itaque erat Tabula appensa muro, non quæ instar Mensæ columnis sustentatæ solo incumberet, quales eæ erant quas descripsimus. *Gemara Hierosolymitani Thalmudis* hisce verbis de ea agit. *Fecit Tabulam Auream cui inscripta erat Sectio suspectæ Uxoris; & cum Sol oriebatur, radii ejus in eam incidebant, & sic cognoscebant Solem ortum esse. Quid erat ei inscriptum? R. Simeon Ben Lachisch in nomine R. Jannai dicit, Aleph Beth inscriptum ei erat. Sed ecce Traditio est: Quemadmodum erat Scriptura ex uno latere, ita erat ex altero; neque erat crassa, neque tenuis, sed inter utrumque media. Ut* א *erat ex uno latere, ita* א *erat ex altero. Ut* ב *uni lateri inscriptum erat, ita &* ב *alteri. R. Hosajah dicit, Tota Sectio Uxoris suspectæ ei inscripta erat, & ex ea legebat & interpretabatur totam Sectionem.* Videtur hæc Tabula appensa fuisse muro Portæ *Nicanoris*; ad hanc enim fiebat examen suspectæ Uxoris, cujus ritum alibi descripsimus.

Jom. Per. 3.

Thalm. Hierosf. lib. fol. 41.

Quemadmodum erant Mensæ & Candelabra Aurea, 2. *Paral.* 4. 7. 8. in Loco Sancto, ita erant Mensæ & Candelabra Argentea quibus in aliis locis utebantur, 1. *Paral.* 28. 15. ut in Atriis & Sacerdotum Conclavibus.

SECTIO V. *VESTES SACERDOTUM.*

Non opus est multum temporis terere in describendis ordinariorum Sacerdotum

tum ministrantium vestibus, cum jam alibi fuse descripserimus vestes Pontificis Maximi, qui præter peculiares ipsi vestes, easdem etiam omnes gestabat quas reliqui Sacerdotes. Breviter tantum hæc de iis observabimus.

I. Vestes quibus induti erant Sacerdotes sacra facientes, propriæ erant & loco & occasioni, & differebant ab iis vestibus quibus vulgo induti esse solebant. Quidam Judæi existimant fuisse vestes Sacerdotales ejuscemodi ante Legem, dicuntque eas hæreditate filios accepisse a Patribus in sancta stirpe, ab *Adamo* ad *Isaacum* usque. Putant etiam vestem in qua *Jacob* obtinuit benedictionem, ejusmodi fuisse. Verum in ista non inquiremus.

II. Sacerdotes, cum vices ipsorum Classis venerant, deponebant ordinarias vestes, se aqua abluebant, & sacras vestes induebant. Vide *Levit.* 8. 6. Imo dum erant in Templo & Ministerio suo fungerentur, si quis noctu dormire cupiebat, non dormiebat in sacris vestibus, sed in iis quas ordinarie gestare solebat; ac matutino tempore cum ad munus suum ei redeundum erat, depositis ordinariis vestibus, & corpore aqua abluto, Sacerdotales induebat vestes. Ad hanc consuetudinem alludere videntur hæc loca Scripturæ in quibus *induere* & *exuere* metaphorice sumuntur, *Rom.* 13. 14. 2. *Cor.* 5. 4. *Gal.* 3. 27. *Ephes.* 4. 22. 23. 24. *Apocal.* 3. 4. 5.

Thamid. Perek. 3.

III. Sacræ Sacerdotum vestes erant ex candido lino & constabant quatuor partibus, cum Summi Sacerdotis vestes octo constarent, & aliis coloribus præter album variegatæ essent. Atque ut alibi observatum est, unumquemque Sacerdotem a *Synhedrio* examinatum fuisse, ut videret utrum idoneus esset; qualis si comperiretur, vestibus his albis induebatur, quæ sumptibus publicis comparabantur: ita eo videntur respicere hæc loca *Ezech.* 9. 3. *Apocal.* 3. 4. & 7. 9.

R. Solom. in Exod. 28.

IV. In pedibus, dum ministrabant, nullos gerebant calceos, sed Atrium pedibus nudis calcabant, quantumlibet frigeret; imo nec licebat ulli rei eis insistere, ut pedes a frigido pavimento amoverent, sed oportebat eos calcare nudum pavimentum, quantumvis longum obeundum Ministerium, aut cœlum frigidum esset. Ratio hujus consuetudinis petita erat ex sanctitate soli, ut *Exod.* 3. 5. *Jos.* 5. 14. & nudis quidem insistebant lapidibus, ut zelum suum & fervorem erga cultum divinum ostenderent.

V. Femoralia linea gestabant, ne eorum nuditas retegeretur, *Exod.* 28. 42. seu cum superius starent ad Altare, seu cum corpus inclinarent ad aliquod obeundum ministerium tum eo in loco, tum in aliis. Atque hic nescio quid censeam de ridiculo illo loco *Martialis*, lib. 3. Epigr. 24. cum cautio memorata obstiterit ne tale quid eveniret; & de hoc loco Tractatus *Thamid*, ubi quidam Sacerdotes dicuntur traditi fuisse τοῖς *Chazanim*, seu Inspectoribus, *qui eos vestibus suis spoliarunt, ac nihil iis reliquerunt præter femoralia.*

Mart. lib. 3. Epig. 24. Thamid, Per 5.

VI. Corpus obtegebant linea Tunica quæ vocabatur כתונת תשבץ, *Exod.* 28. 4. quod vertitur a LXX. Interpretibus χιτὼν κοτυμβωτὸς: in quæ verba hoc Scholium habet *Nobilius*: *Græcam dictionem retinet S. Hieronymus ad Marcellum. S. August. Quæst.* 114. *habet cum cornibus*, &c. Sed alii ex Hebraico Textu hanc vocem *ocellatam* interpretantur, qua significatione eam occurrere ostendi potest. Itaque hæ Tunicæ erant operis tessellati, adeo ut non minus elegantes essent ac candidæ.

Nobil. in LXX. Interpr. in Exod. 28.

VII. Hæc Tunica longo cingulo succincta erat, quo corpus cingebatur pluribus vicibus, dicto אבנט. Inserviebat tum ad frigus aliquatenus in tam tenuibus vestibus arcendum, tum etiam ad firmandos lumbos in difficilibus muneribus quæ aliquando obeunda erant, ut cum mactandas victimas magno nisu trahere, & mactatas attollere oportebat.

VIII. Capite gestabant Mitram, quæ fascia longa erat sæpius circa caput obvoluta, quales sunt Turcarum Cidares, ut fusius ostendimus in Lib. *de Minister. Templi*, Cap. 4. In hisce quatuor vestimenti partibus pares erant Summo Sacerdoti reliqui Sacerdotes; sed ille præterea alia gestabat vestimenta, quæ aliis gerere non licebat, & quibus ab iis distinguebatur, quæ erant I. מעיל, *Tunica Ephodi*, quæ a LXX. Interpr. vocatur Ποδήρης. II. אפוד, ipsum *Ephod*, quod imponebat isti Tunicæ, & quod uncinulis connectebat in mammis cum eleganti cingulo. Hoc lucem fœneratur *Apocal.* 1. 13. Ἐνδεδυμένον ποδήρη, καὶ περιεζωσμένον πρὸς τοῖς μαςοῖς III. חושן, *Pectorale*, cui inserebantur *Urim* & *Thummim*, Exod. 28. 30. quæ in applicatione Apostoli 1. *Thess.* 5. 8. videntur significasse *Fidem* & *Amorem*. IV. ציץ Aurea Lamina sincipiti mposita, in qua scriptum erat קודש ליהוה *Sanctus Domini* (confer *Luc.* 4. 34.) quæ sigillatim a nobis explicata sunt in Libro & loco supra laudato.

Quemadmodum Sacerdotum vestes publicis sumptibus emebantur; ita cum detritæ erant ad publicos usus redibant: nam

nam eorum Tunicæ, Femoralia, &c. retexebantur ad conficienda ellychnia lucernarum & lampadum nocturnis festi Tabernaculorum pervigiliis, & ut videtur etiam, candelabrum quibus in Conclavibus suis utebantur Sacerdotes.

SECTIO VI. *OLEUM AD INUNGENDUM.*

Mandatum & compositio Olei ad inungendum, extant *Exod.* 30. 23 &c. Non opus est inquirere in aromata quibus constabat; sed non possum non observare & mirari cogitationem *Rambam* circa unum ex hisce aromatibus. Existimat מור, quod *Angli* nostri optime verterunt *Myrram*, fuisse concretum sanguinem *Indicæ* cujuspiam feræ: quem in locum *Scholiastes* habet: *Non possum concipere quomodo potuerint miscere sanguinem feræ huic sanctæ compositioni, ac multo minus bestiæ immundæ. Sed* מור *id est de quo fit sermo in Cantico Canticorum, Veni in meum hortum, mea Soror, mea Sponsa, collegi Myrram meam.*

Maymon. in Kele Mikdash, Per. 1. Gloss. ibid.

Hæc aromata hac ratione mixta memorantur: Unumquodque separatim conterebatur, deinde mixta in pura aqua coquebantur, donec eorum vis plane esset ista decoctione exhausta; quæ decoctio postea percolata & oleo immixta iterum coquebatur, donec unguentum fieret, & sic asservabatur.

Ibid.

Hoc oleum in usu duntaxat fuit temporibus Tabernaculi & prioris Templi, eoque vasa sanctificata sunt juxta præceptum quod extat *Exod.* 1. loco modo laudato, & *Levit.* 8. Verum non erat tale unguentum sub posteriori Templo: vasa enim ipso usu sanctificata sunt, ut etiam ipsum Templum. Hic enim nec Nubes Gloriæ ad sanctificandum Templum, nec divinus Ignis ad sanctificandum Altare, nec Sanctum Oleum ad sanctificanda vasa, nec *Urim* & *Thummim* ad decorandos Sacerdotes fuerunt; attamen & Ministerium & locus æque ac prius extiterunt sancta. Deus ablatione externarum istarum prærogativarum, nec minus tamen continuato in posteriori Templo cultu suo, viam sibi muniebat ad extollendum spiritualem cultum sub Euangelio, quo externa ista ejus præsentiæ symbola, & cæremoniæ in rebus sacris abolendæ erant.

Dum in usu fuit Sacrum Oleum, Pontifex Maximus inunctus fuit ut & alia; sed cum usus desiisset, tum consecrabatur induendo vestes Summo Sacerdoti proprias, & dicebatur מרובה בגדים, *consecratus per vestes*, ut alio in loco observavimus. Modus ejus unctionis dum in usu fuit, describitur a *Thalmudicis* fuisse מין כי יונית, *tanquam Græcum X. Inungebant Reges*, inquiunt, *ad formam coronæ, sed Sacerdotes ad formam* τȣ̃ *X. Quid significat ad formam* τȣ̃ *X? R. Manasses filius Gada dicit, Ad formam Græci X. Sed quid hoc sibi vult? R. Solomon dicit, Primum effundebatur in ejus caput, deinde inter supercilia ponebatur, & hinc atque inde distrahebant digitis ejus qui id posuerat.* Alii sic exponunt: *Unus effundebat oleum in ejus caput, & diffluebat hinc atque inde instar guttarum margaritis similium in ejus barbam*, ut *Psalm.* 133. 2.

Ibid.

Thalm. in Kerithoth Per. 1. R. Solom. in Lev. 8.

Aruch in כי.

Oleum & inunctio qua Sacerdotes & vasa Domus Domini sanctificabantur, denotant Verbum & Spiritum Dei, quibus sanctificat vasa electionis suæ seu quos sibi cultores seligit. Oleum istud & inunctio significant Verbum æque ac Spiritum, atque hoc sensu intellexerim *inunctionem* de qua 1. *Joann.* 2. 20. 27. *Habetis unctionem* (hoc est, Verbum) *a Sancto illo, & novistis omnia. Et inunctio* (hoc est, Verbum) *quam accepistis habitat in vobis, nec opus vobis est ulla institutione hominum*; nam idem Verbum abundanter *omnia vos edocuit*, &c.

CAPUT XXXVIII.

Symbolum divinæ Gloriæ in Templo. Ezech. 1. Isaj. 6. Apocal. 4. &c. *explanatum.*

PRopheta *Ezechiel* in Visionibus suis quater vidit Gloriam quam descripsit *Cap.* 1. & 10. primo ad fluvium *Chebar* inter eos qui una cum ipso captivi abducti fuerant, *Cap.* 1. 1. hoc est, eos captivos qui cum *Jechonia* in Captivitatem abjerunt; tum enim ipse abductus fuit: secundo, in planitie inter alterius Captivitatis captivos, cum abductus fuit *Jehojakim*, *Dan.* 1. qui quidem ad ripas ejusdem fluvii degebat, sed in loco dissito ab aliis captivis: tertio, in Templo, *Cap.* 8. 4. quarto, in Templo instaurato, *Cap.* 43. 2. 3. Sic autem Visionem suam & Gloriam describit.

Cap. 1. 4. *Ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone*, &c. Ex Septentrione videbatur venire nubes procellosa mixta igne qui undequaque flammabat, adeo ut in media nube candens ignis appareret. Etenim ex Septentrione, nempe *Babylone*, ortura erat tempestas & venturus ignis, qui & Urbem & Templum ab-

absumpturus erat, & Gloriam Domini hic habitantem expulsurus, uti Gloria quam vidit Propheta ex igne excedere videbatur.

Vers. 5. *Quatuor animalia, quorum aspectus similitudo hominis erat*, &c. Similia nempe erant hominibus statura, proportione corporis, crassitie & cruribus: caput tantum & pedes, & quædam alia, quæ in sequentibus versibus describuntur, differebant.

6. *Sed quatuor facies unicuique* &c. Verto conjunctionem ו *sed*, quia cum id inter alia significet ea particula, hoc in loco ita translata clariorem & faciliorem sensum fundit: Habebant similitudinem hominis, sed unicuique erant quatuor facies. In versu vero 7. eadem particula ו in וכף translata ἐξηγητικῶς *nam*, perspicuum fundit sensum: Pedes eorum erant pedes recti, *nam* planta eorum pedis erat instar plantæ pedis vituli.

7. *Et scintillabant*, &c. hoc est, & pedes eorum coruscabant instar lævigati æris: nam splendor corporis eorum describitur *vers.* 13.

8. *Et manus hominis sub alis eorum in quatuor partibus; & facies & alas per quatuor partes habebant*. Hoc est, habebant facies & alas ex quatuor lateribus, nempe alam & faciem in eodem latere in quo erat pectus, & similiter alas & facies ad dorsum & humeros; ac sub alis istis erat manus & brachium hominis.

9. *Junctæque erant pennæ eorum*, &c. Hoc explicatur *vers.* 11.

Non convertebantur cum incederent, sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur. Quacunque ire vellent, non opus erat convertere corpora sua, ut in eam partem ipsorum vultus obverterentur, ut homines faciunt & alia animalia; sed undequaque faciem habebant quæ recte procederet.

10. *Similitudo autem vultus eorum* &c. Unumquodque in anteriore parte habebat faciem humanam, in postica faciem aquilæ, faciem leonis ad dextram, & faciem juvenci ad sinistram.

Non est operæ pretium disquirere num haberent quatuor capita, quemadmodum quatuor vultus, vel unum duntaxat caput cui quatuor facies inessent. Ad priorem inclino sententiam, & possem aliquot rationes reddere, quæ me eo trahunt, si vellem huic rei immorari.

Quidam existimarunt latera quibus obversi erant eorum vultus, denominari ex eorum situ respectu *Ezechielis*, ut facies quæ *Ezechielem* respiciebat esset humana; quæ ad dextram erat *Ezechielis*, (quæ læva erat τȣ *Cherub*) leonina; quæ ad sinistram Prophetæ erat, (dextram vero τȣ *Cherub*) vitulina; postica vero aquilina. Sed qui in hac sententia fuerunt, non observarunt quatuor ista animalia non fuisse quasi recta linea disposita ut respicerent versus *Ezechielem*, sed quadrato agmine, ut mox ostendemus.

Hæc animalia a Propheta sæpius vocantur *Cherubim*, Cap. 10. atque hoc nomine huic descriptioni addito nos docet quænam esset forma τῶν *Cherubim*, quorum tam frequens mentio in Scriptura occurrit, qualia erant supra Propitiatorium, & quæ obtegebant Arcam in *Solomonis* Templo, & quæ erant picta in Tabernaculi cortinis, ac in Templi parietibus cælata, &c. nisi quod in cortinis & parietibus ex quatuor vultibus duo tantum apparerent. Hoc evidenter liquet ex *Ezechiel.* 41. 19. Duæ aliæ facies concipi debent quasi parieti obversæ, & ab eo obscuratæ. Verum sine animadversione omittere non debemus, facies hominis & leonis quæ nominantur in hoc *Ezechielis* loco, non fuisse oppositas in Cherubino, ita ut una esset anterior, altera postica; sed altera erat anterior, altera ad dextram posita. Hinc etiam argumentum duco ad conjiciendum quatuor ipsis fuisse capita æque ac quatuor facies, quia alioqui difficile esset conceptu, quomodo hæc anterior facies, & ad dextrum humerum sita, possent in contrarias partes respicere. Hæ porro facies hominis & leonis eæ erant quibus Cherubinus qui ad dextram Arcæ erat respiciebat populum & Arcam simul, cum humana facies obversa esset Arcæ, leonina populo. Postea videbimus eos quorum symbolum erant Cherubini, debuisse Deum & populum respicere, & inter utrumque Mediatores esse.

Propheta *Cap.* 10. 14. iterum enumerans quatuor facies horum Cherubinorum, incipit a facie juvenci quæ sinistra erat, & pro *facie juvenci*, appellat *faciem* τȣ *Cherub*. An non facies leonis & aquilæ æque erant facies τȣ *Cherub*, ac facies juvenci? Hujus appellationis hæc videtur esse ratio, quod cum Summus Sacerdos ingressus Adytum ad Arcam accederet, Cherubinus qui erat ad ejus dextram, ad quam facilius respicere poterat, quam ad sinistram, obversam ad ipsum habebat faciem juvenci. Propheta autem hoc in loco loquitur de gloria Dei Templo ex-

cedente, ubi peculiariter inter Cherubinos degebat, & quia reſpiciebat ad dextrum Cherubinum priſtinam ſuam ſtationem cum aliis deſerentem, eam nominat faciem quæ ſibi obverſa erat, & vocat faciem juvenci faciem τȣ̃ *Cherub*, quia hæc facies maxime obſervabatur Adytum ingredienti.

11. *Tales erant eorum facies : & alæ eorum erant deſuper diviſæ.* Quamvis eorum alæ conjunctæ eſſent cum compoſitæ erant, attamen eas aperiebant & dividebant cum volabant, ut ſolent omnes volucres. Licet conjunctæ eſſent alæ ad radices, attamen ſenſim latiores evadentes dividebantur in extremitatibus. Simile poteſt concipi de eorum faciebus, quæ ex eodem collo exeuntes in plura dividebantur capita. Atque hoc videtur hic verſus indicare, qui præter ſolitum incipit a particula ו, quæ ſine obſervatione prætermitti non debet: ופניהם וכנפיהם, optime verti poſſunt, *tum facies, tum alæ ipſorum ſuperius diviſæ erant.*

Duæ alæ ſingulorum jungebantur, & duæ tegebant corpora eorum, &c. Deſcriptio animalium de quibus *Iſaias*, Cap. 6. & *Joannes*, *Apocal.* 4. quæ loca huic ſunt parallela, multum nos juvant ad interpretandum hunc verſum undecimum de Cherubinorum alis. *Apocalypſeos* Scriptor vocat ea *animalia*, & quatuor numerat, quaternaſque eorum facies plane eodem modo deſcribit, ut hic Propheta, ſed ſenas iis tribuit alas unicuique, *Apocal.* 4. 8. *Iſaias* quidem alio nomine appellat animalia quæ vidit, ſed eadem plane deſignat tum numero, tum forma: vidit enim eandem Gloriam Dei quam hi deſcribunt, hoc eſt, Gloriam Dei qualis in Templo apparebat, ut liquet ex primo verſu. Hoc ſenſu intelligi debet *gloria*, Joann. 12. 41. Vidit *Iſaias* quatuor animalia cum quatuor faciebus, & omnibus quæ hic deſcribuntur, & dicit, *unicuique fuiſſe ſex alias*, Cap. 6. 2.

Non aliud dicit Propheta *Ezechielis*, licet non ita perſpicue loquatur: nam conjungendo verſus 21. & 23. inveniemus eandem deſcriptionem eundemque numerum alarum. *Habebant alas ſuperius diviſas*; hæ duæ erant quibus ad volandum utebantur: & habebant alias *duas quæ conjunctæ erant* ſupra eorum capita, quæ reſpondent iis quibus *Iſaias* dicit Cherubinos facies ſuas texiſſe, & habebant *duas quibus obtegebant corpora ſua*, quæ ſunt eædem cum iis quibus affirmat *Iſaias* eos *texiſſe pedes ſuos*. Ita debet intelligi verſus undecimus, quem 23. ei parallelus planiorem reddit, ubi habetur: *ſub firmamento* (quod erat ſupra eorum capita) *eorum alæ erectæ erant, una verſus alteram: & habebant duas alas quæ hoc latus obtegebant, & duas alas, quæ obtegebant illud latus.* Hoc vult Propheta, animalia hæc ſemper geſtaſſe duas ex alis ſuis erectas, & cum ſtabant obtexiſſe corpus ſuum quatuor alis, duabus vero reliquis lateribus. Cum dicit *verſ.* 24. cum ſtabant *ea demiſiſſe alas ſuas*, id debet intelligi de iis duabus duntaxat quibus utebantur ad volandum; unumquodque enim eorum habebat duas alas quas nunquam demittebant, & quibus facies ſuas tegebant. Duas alias etiam habebant quas nunquam extollebant, quibus tegebant deorſum & ventrem, ſeu pudenda utrinque. Hæc enim locutio *Iſaiæ Tegebant pedes ſuos*, ſignificat ea pudenda ſua texiſſe: nam hac ſignificatione *pedes* aliquando ſumuntur in Scriptura, ut *crines pedum*, Iſai. 7. 20.

Atque ita poſſumus conciliare duos hoſce verſus *Cap.* 1. *Ezechielis* qui multum diſſentire videtur. In uno, nempe 11. dicuntur ea animalia duabus alis texiſſe corpus ſuum; in *verſu* vero 23. quatuor alis; quod ita intelligendum eſt, ut perpetuo duæ alæ eorum pudenda tegerent tum anteriora, tum poſteriora, quas nunquam attollebant; cum vero ſubſiſtebant, demitterent eas alas quibus uſa fuerant ad volandum, iiſque latera ſua tegerent. Hinc liquet alas quibus volabant eorum humeris affixas fuiſſe; eas quibus faciem obnubebant ex dorſo & pectore emiſſas fuiſſe; ac denique eas quæ pudenda velabant inferius ortum habuiſſe.

12. *Et unum quodque eorum coram facie ſua ambulabat*, &c. In quamcunque partem irent dextrorſum, ſiniſtroſum, antrorſum aut retrorſum, faciem habebant quæ recta illac reſpiciebat, nec opus iis erat ſe convertere ut facies eo reſpiceret.

13. *Et aſpectus eorum quaſi carbonum ignis ardentium*, &c. Hinc *Iſaias* vocat ea *Seraphim*, ſeu *Comburentes*, idque eo aptius, quod ibi Deus Templum incendium minatur.

Ibant inter animalia, &c. Nempe ignis. Unumquodque animal ſplendebat & coruſcabat inſtar prunarum & lampadum; ſed præter ſplendorem iſtum quem ſecum gerebant, erat etiam intermiſtus ignis non aliter micans ac fulgetra. Vide *Apocal.* 4. 5.

Hic erat adſpectus horum Cherubinorum, ſi modo unum addamus ex *Ezechiel.* 10. 12. *Totum eorum corpus, & dorſum, & manus & alas oculis plena fuiſſe.*

Idem

Idem dicitur *Apocal.* 4. 6. Sic autem dispositi erant, ut seu starent, seu moverentur, quadratum veluti agemen efficerent. Unius humana facies Austrum respiciebat, alterius Septentrionem, tertii Orientem, quarti Occidentem. Hunc ordinem ac situm servabant, seu starent, seu moverentur: atque hoc sensu intelligi debet locus ille *Cap.* 10. *6. 7.* ubi dicitur ignis fuisse inter Cherubinos, unusque eorum sumpsisse ignem e medio ipsorum, hoc est, ex quadrato illo spatio quod inter se relinquebat. Ita etiam intelligi debet versus qui jam sequitur nobis explanandus.

15. *Apparuit rota una super terram juxta quatuor animalia, habens quatuor facies.* Nempe erant rotæ ante unumquodque animal extra spatium quadratum quod inter ea intercedebat. Rota erat posita ante id quod humana facie Orientem respiciebat, & similiter ante cætera. Vel si velis totum hoc quadratum agmen considerare, animo concipito unum facie humana Orientem respicere, alterum Occidentem facie aquilina, tertium Austrum facie leonina, quartum Septentrionem facie vitulina. Ita habes facies extrorsum obversas, & quatuor rotas positas ante quatuor animalia.

16. *Quasi esset rota in medio rotæ.* Forma harum rotarum ejusmodi erat, ut rota decussatim alteri immissa esset, & possent in quamlibet partem moveri juxta decussatorum circulorum situm. Cum Orientem versus movebantur, in uno circulo decurrebant; sed cum subito ad Austrum cursus dirigendus erat, tum in decussato circulo movebantur, utque animalia quampiam in partem movebantur, ita hæ rotæ circulos habebant qui directe ea sequebantur. Hoc significatur *vers.* 12. cum dicitur unaquæque rota *in quatuor partes ivisse, nec conversa fuisse cum incederet*: non quod convolverentur, ut reliquæ solent rotæ cum incedunt; sed cum mutandus erat cursus ab Oriente ad Austrum & Septentrionem, vel ab Occidente ad unam ex quatuor his partibus, non opus erat eis circuitu quopiam se convertere ut illac incederent, sed statim decussatus circulus directe movebatur.

Ita animalia quadrato agmine stabant, & rotæ circa ea quadrato etiam ordine dispositæ erant. Jam videamus quomodo moverentur, supposito animalia humanis vultibus quatuor cœli partes respicere. Cum motus erat ad Orientem, ejus quod Orienti obversum erat humana facies prior incedebat, & antecedebat rota: ejus quod Occidenti obversum erat, aquilina facies antecedebat, sequente rota ejus quod in Austrum conversum erat facies vitulina præcedebat, Orientem respicientis leonina, & e regione utriusque decurrebant rotæ. Cumsubito ad Austrum procedendum erat, stans ad Austrum præcedebat humana facies, stans ad Septentrionem aquilina, stans ad Orientem leonina, stans ad Septentrionem vitulina; & tum rotarum alter circulus directe movebatur.

18. *Tales erant earum circuli.* Hoc est, decussati: *& altæ erant & horribiles.* ויראה להם. Facilis esset sensus, si hæc verba hoc modo interpretemur. Rotæ horrorem incutiebant non minus ac animalia. Sed quandoquidem vox יראה qua utitur hic Propheta, proprie & plerumque significat internum affectum timoris ac reverentiæ, videtur innuere reverentem ac obsequentem statum in quo erant rotæ, paratæ moveri vel subsistere juxta motum vel quietem animalium, & una cum animalibus observantes nutus Gloriæ ac Præsentiæ Dei, cujus imperia expectabant. Si scripsisset Propheta יראה מהם, optime possent in priorem illam interpretationem torqueri; sed cum scripserit יראה להם, posterior aptior est, & *R. Solomon* quorundam meminit qui hanc sequuntur.

Hæc erat forma & ratio divinarum harum Quadrigarum constantium quatuor animalibus, & quatuor rotis quæ ab animalibus veluti trahebantur quocunque moverentur, & summo consensu cum iis quiescebant si illa subsisterent. Jam autem quomodo, & quo ornatu Dominus eis insideret, describit Propheta subsequentibus versibus, cum quibus confer *Apocal.* 4. 2. 3.

Jam ut inquiramus in mysticam significationem hujus Emblematis, primum considerabimus generalem ejus scopum, deinde peculiares circumstantias ejus explicabimus.

Generalis scopus est, delineatio divinæ Gloriæ & Præsentiæ in Templo, & inter populum suum; quod hæ observationes extra omnem controversiam collocabunt.

I. Templum passim in Scriptura vocatur Thronus Dei, ut *Jerem.* 17. 12. *Ezech.* 43. 7. *Locus Throni mei, & locus vestigiorum pedum meorum, ubi volo habitare inter filios Israelis:* quæ verba profert Dominus rediens ad instauratum Templum, ut apparet ex versibus immediate præcedentibus. Eadem locutione utitur *Isaj.* 6. 1. 4. ubi describit Dominum sedentem si-

mili ratione ac degebat in Nube Gloriæ Arcæ incumbenti, unde ait eum implevisse totam Ædem pompa Gloriæ suæ. Ita in Libro *Apocalypseos*, ubi Dominus describitur insidens throno cum ejuscemodi animalibus ipsi adstantibus, ut hoc in loco, tam clare ostendit *Joannes*, se significare Gloriam Dei Templum inhabitantem, ut nihil possit esse clarius. Cum enim meminit Maris Vitrei ante thronum, & septem Lucernarum, *Apocal.* 4. 5. 6. & Aurei Altaris Thymiamatis, *Cap.* 8. 3. & vocis ab Altari procedentis, *Cap.* 9. 13. &c. tam clare alludit ad Mare Æneum, septem Lucernas Candelabri Aurei, Altare Thymiamatis, & Oraculum editum ex loco pone hoc sito, ut re oculis lectoris exposita nullo alio opus sit argumento. Ac thronum quidem Gloriæ Dei per totam hanc descriptionem non alio sensu sumi satis apparet ex *Cap.* 16. 17. ubi vox dicitur exiisse ex Templo cœli *a throno*.

II. Ipse *Ezechiel* ostendit hanc Gloriam referri ad Templum, quia descripsit eam ibi commorantem, inde fugientem, eoque iterum redeuntem. I. Dicit Gloriam Dei *Israelis* fuisse in Templo, eam nempe quam descripsit antea primo Capite, *Cap.* 8. 4. quamvis enim hic enumeret multas easdemque immanes abominationes quæ committebantur in Templo, attamen ait hanc Gloriam ibi adhuc fuisse, quia Dominus nondum sese inde subduxerat. II. Sed tandem adeo eo in loco ejus ira provocata fuit, ut expulsus inde fuerit; qui discessus habetur *Cap.* 10. ubi eadem describitur Gloria, & fere iisdem verbis ac *Cap.* 1. Dicit Gloriam Domini discessisse *a Cherubinis*, hoc est, a Propitiatorio, ubi semper habitaverat inter Cherubinos, unde abiit primum ad limen, *vers.* 4. deinde ad Orientalem Portam, *vers.* 19. deinde in Civitatem & Montem *Oliveti*, unde prorsus evanuit, *Cap.* 11. 23. III. Sed cum describit novum Templum, tum Gloriam eo reversam memorat, *Cap.* 43. 2. 3. 4. Atque ex tribus hisce circumstantiis, commoratione, fuga & reditu, has haurire possumus observationes ad ampliorem hujus significationis explicationem.

Primum, Propheta aliquatenus distinguit Gloriam Domini insidentem Cherubino, seu Propitiarorio supra Arcam, & Gloriam Domini insidentem hisce Cherubinis: dicit enim, *Gloria Domini ascendit a Cherubino, & stetit supra limen Ædis*, dum hi Cherubini subsisterent ad dextrum latus Domus; *Cap.* 10. 3. 4. deinde Gloriam Domini profectam a limine Domus stetisse supra Cherubinos, *vers.* 18. Gloria Domini quam Propheta *Cap.* 1. descripsit jam insidebat Cherubinis: dicit enim, *Gloria Dei Israelis ibi erat juxta Visionem quam vidi in planitie*, Cap. 8. 4. & tamen meminit alterius Gloriæ quæ a priori distinguitur, nempe Nubis Gloriæ quæ insidebat Propitiatorio: dicit enim cum ea Gloria abiret a Cherubino ad limen, Ædem repletam fuisse Nube, cujus rei significationem postea videbimus.

Secundo, fugientem Gloriam ex Templo Propheta dicit se vidisse, cum venit ad destruendam Civitatem, *Cap.* 43. 3. hoc est, cum venit ad prædicendum Civitatis excidium. Annotat tempus quo primum vidit hanc Gloriam, quintum annum Captivitatis *Jehojakimi*, Cap. 1. 2. qui erat quintus annus Regni *Sedeciæ*, 2. *Reg.* 24. 8. 17. 18. quo ipso anno *Sedecias* rebellavit adversus Regem *Babyloniæ*; quo facto *Hierosolymæ* perniciem creavit:

Tertio, ad reditum quod attinet hujus Gloriæ ad instauratum Templum, *Cap.* 43. observandum est Nubem Gloriæ quæ descendit & implevit Tabernaculum, ut & *Solomonis* Templum, nunquam descendisse in posterius Templum, ut fatentur ipsi Judæi, nec sine ratione. Attamen Propheta in novum suum Templum Gloriam Dei æque clare intromittit, ac unquam in Tabernaculum & Templum prius ingressa est: verum hoc in Visione duntaxat contigit, atque ita descripsit in Visione commorationem solitam Domini inter populum reducem sub posteriori Templo, & in spirituali Templo Ecclesiæ sub Euangelio; (nam *Ezechielis* novum Templum & pollicebatur reducibus ex Captivitate terrenum Templum, & typus erat spiritualis Templi sub Euangelio constituendi) quemadmodum conspicuo symbolo Nubis Gloriæ in Tabernaculo & priori Templo habitaverat. Præterea addit statim ac Gloria ingressa fuit, Orientalem Portam per quam ingressa erat clausam fuisse, & nunquam postea apertam, *Cap.* 44. 2. quod denotat æternam habitationem Gloriæ Domini in Ecclesia Christiana, unde nunquam discessura est, ut discessit ex *Hierosolymitano* Templo.

Hæc cum sit generalis significatio hujus apparitionis Gloriæ divinæ, jam sequitur ut peculiares ejus circumstantias, quæ rem clariorem & certiorem efficient, introspiciamus: & primum quidem considerabimus *animalia* seu *Cherubinos*.

Ut

Ut melius intelligamus tum quid fuerint, tum quid significaverint, hæc observatione dignissima sunt.

I. Manifesto distinguuntur ab Angelis, *Apocal.* 5. 11. & 7. 11. tum nominibus, tum loco: nam cum animalia dicantur fuisse circa thronum, viginti quatuor Seniores circa animalia, innumerabiles Angeli circa hos stetisse dicuntur.

II. Inter eos fuerunt quos *Christus* in terris redemit. Vide *Apocal.* 5. 8. 9. ubi animalia, æque ac 24. Senes, numerant se inter eos qui ex variis Gentibus ac populis facti fuerant Reges & Sacerdotes, quod Angelis nulla ratione adscribi potest.

III. Hæc animalia seu Cherubini nunquam memorantur nisi in Visionibus, & hieroglyphicis, si ita loqui licet, de scriptionibus. In Visione, ut in locis laudatis in *Ezechiele*, *Isaja*, & *Apocalypsi*: in Hieroglyphicis, ut in Arca, in Cortinis Tabernaculi, & muris Templi. Dicitur quidem *Genes.* 3. Deus collocasse *Cherubinos* ad portam *Edenis*, quod dictum est tantum, ut facilius res intelligeretur, cum Cherubinorum forma ex Cortinis Tabernaculi populo esset notissima.

IV. Hæc cum manifesto sint mysticæ significationis, ut solent Visiones & Hieroglyphica, debent mystice intelligi, ut & tota hæc Gloria, seu universum, ut ita dicam, theatrum hujus Visionis.

Atque ut initium faciamus a quadrata hujus apparitionis figura, de qua antea diximus, & cui nunc paulo amplius immorabimur, clare quidem satis hoc indicat *Ezechiel*, sed planius habetur in *Apocalypsi*, ubi dicuntur quatuor animalia stetisse circa thronum; quod non potuit fieri, nisi quadratam describerent figuram, uno stante ante thronum, altero a tergo, & duobus reliquis a lateribus: quomodo enim aliter circa thronum stare potuissent? Cum thronus ibi designet Templum, ut antea ostendimus, duplex hoc quadratum circa eum agmen in animum nobis revocat duplicia Castra quæ erant a quatuor Tabernaculi lateribus, Orientali, Occidentali, Septentrionali & Australi.

Cum Dominus *Israelitis* ordinem castrametationis primum præscripsit, I. statuit Tabernaculum suum in medio, quippe quod erat centrum, cor, ac vita Congregationis quæ ejus imperia expectabat: qua etiam ratione Deus declarabat se esse in medio ipsorum, *Levit.* 26. 11. 12. II. Statuit Tribum *Levi* in quatuor ag- minibus vicinis quatuor Tabernaculi lateribus: nam cum essent publici cultus Ministri, qui proxime ad Deum pertinebant, inter quem & populum mediatores erant, Dominus jussit eos proximos Sanctuario, atque inter castra populi & ipsum esse. III. Extimam castrorum partem ad quatuor latera Tabernaculi & Leviticorum castrorum occupabat tota Congregatio in quatuor majora agmina distributa. Vide *Num.* 2.

Similis hic est ordo, qui ad illum alludit, & inde explicari debet. In medio erat igneum Tetragonum, atque ad quatuor hujus angulos Cherubinus, & extra ambitum Cherubinorum rotæ ante unumquemque Cherubinum positæ. In *Apocalypsi* est thronus in medio, quatuor circa illum animalia, & circa animalia viginti quatuor Senes. Itaque apparet ex hac collatione & similitudine tum apud *Ezechielem*, tum in *Apocalypsi*, quatuor animalia significare Sacerdotes & Ministros Domini; & rotas apud illum, ac viginti quatuor apud *Joannem* Senes desiguare populum & Congregationem. Atque hoc clarius evadet, cum eorum situm, actiones & descriptiones accuratius consideraverimus.

I. Scio quosdam existimare 24. Senes in *Apocalypsi* viciniores fuisse throno quam Cherubinos: (juxta quam sententiam simili modo intelligi necessario debet *Ezechiel*) sed contrarium liquet ex hisce observationibus.

Primo, præter id quod dictum est ad *vers.* 15. vir lineis vestibus indutus, qui *Ezech.* 10. 6. sumere ignem jubetur ex spatio quod erat inter rotas in medio Cherubinorum, primum ingreditur rotarum ambitum, deinde Cherubinus sumit ignem ex medio Cherubinorum, quem ipsi porrigit.

Secundo, clare ibi iterum dicuntur *vers.* 9. *quatuor rotæ vicinæ fuisse quatuor Cherubinis*, cum, si interiores fuissent rotæ, melius dictum fuisset Cherubinos prope rotas fuisse.

Tertio, *vers.* 18. dicitur Gloria Domini insedisse Cherubinis, & *Cap.* 1. 22. 26. &c. dicitur thronus Dei fuisse directe supra eorum capita; quod non affirmatur de rotis unde apparet verisimile non esse rotas fuisse intra Cherubinos.

Quarto, *Apocal.* 5. 6. sic ordo describitur: *In medio throni & quatuor animalium, & in medio Senum.* Medio throno proxima sunt animalia, extra quorum ambitum extimam partem occupant Senes. Ita iterum *vers.* 11. &c.

Quinto, *Cap.* 4. 4. dicit *Joannes*, circa

ca thronum fuiſſe quatuor & viginti ſedilia quibus inſidebant totidem Senes ; & *verſ.* 6. Καὶ ἐν μέσῳ τȣ̃ θρόνȣ, καὶ κύκλῳ τȣ̃ θρόνȣ τέσσαρα ζῶα : quæ verba Græca explicatu difficiliora ſunt propter Ellipſin particulæ, quæ non obſervata, parum veriſimiles hujus loci peperit interpretationes. *Syrus* Interpres vertit, *In medio throni & circa illum & ante illum* : plerique alii Interpretes, *In medio throni*, *& circa thronum* : in quibus verſionibus planum reperire ſenſum difficile eſſet. Particula τȣ̃ videtur ſubintelligi, qua expreſſa hæc eſt hujus loci ſententia : ἐν μέσῳ τȣ̃ θρόνȣ καὶ τȣ̃ κύκλῳ θρόνȣ, hoc eſt, *inter thronum*, *& id quod circumdabat thronum* (nempe viginti quatuor ſedilia quibus inſidebant viginti quatuor Senes) *erant quatuor animalia*.

Itaquë animalium locus throno erat vicinus, & cum Levitæ proximi eſſent Sanctuario, hinc apparet Cherubinos hoſce, ſeu animalia denotare Miniſtros, rotis vero & viginti quatuor Senibus deſignari Congregationem. Quod manifeſtius fiet, ſi conſideremus in omni profectione ac expeditione motum emanaſſe ex animalibus, uti primi omnium in cultu publico ſolent agere Miniſtri. Vide *Ezech.* 1. & 10. *Apocal.* 5. 14. & 4. 9. 10.

II. Jam ut ad eorum formam accedamus, & initium ducamus ab eorum vultibus, Judæi agnoſcunt eos varie pictos fuiſſe in quatuor Signis quatuor agminum *Iſraelis*, quæ quadrangularia caſtra uti dictum eſt, habebant. *Erant figuræ* [ait *Aben Ezra*] *in unoquoque Signo ; & Antiqui dicunt in Signo Rubenis fuiſſe pictum Hominem*, *in Signo Judæ Leonem*, *in Signo Ephraim Juvencum*, *in Signo Danis Aquilam*, *adeo ut eſſent ſimilia Cherubinis ab Ezechiele conſpectis*. Aſſentitur *Ramban*, nec multum diverſus abit *Jonathan* in ſuo *Thargum*, atque hæc opinio inter antiquas Traditiones habebatur. Quo fundamento hoc nitatur, & quæ eſſet relatio inter Tribum & ſignum quod ad eam pertinebat, non eſt operæ pretium diſquirere.

Aben Ezra in Numer. 22.

Ex hiſce figuris quæ dicuntur fuiſſe in caſtris *Iſraelis*, quidam collegerunt quatuor animalia quorum iſtæ erant formæ, deſignaſſe Congregationem populi, non vero Levitas aut Miniſtros : quod non ſatis conſentaneum eſt cum ratione, quandoquidem hæc interpretatio quadruplicem formam unicuique Signo tribuit, cum quatuor Signa ſimul ſumpta hanc formam gererent. Verum non eſt a ratione alienum quatuor haſce formas tribuere unicuique agmini Levitarum ; nam unumquodque eorum, imo unuſquiſque Sacerdos & Levita, ad univerſam pertinebat Congregationem, quatenus ſua ex parte Miniſter erat : & quemadmodum *Aaron* omnes Tribus humeris & pectore gerebat, ita miniſtri in hiſce animalium ſymbolis deſcribuntur geſtantes figuras omnium Signorum totius Congregationis, quia pertinebant ad totam Congregationem cui in Templo inſerviebant. Lectori moleſtus non ero recenſione allegoricarum interpretationum horum vultuum cum unuſquiſque pro ingenio ſuo hujuſcemodi explicationes invenire poſſit.

Ad reliquum corpus quod attinet horum animalium, obſervatu potiſſimum dignum eſt ratione alarum & pedum, nam reliqua humani corporis partibus ſimilia erant. Duæ alæ ſemper erant erectæ ſupra eorum capita, & facies obtegebant, unde veluti ſpeculabantur quo eundum eſſet, & Gloriam reſpiciebant. Hoc optime adumbrat venerationem qua Miniſtri Domini proſequuntur ejus Gloriam, & myſteria voluntatis ejus. Confer 1. *Pet.* 1. 12. Duabus aliis alis obtegebant pudenda ; quod innuit Miniſtros deformitatis ſuæ ſibi conſcios. Duabus denique volabant ; quod oſtendit celeritatem & alacritatem in obeundis ſacris miniſteriis. Pedes eorum erant vitulini, & colorem referebant æris lævigati, quomodo & pedes Servatoris noſtri deſcribuntur, *Apocal.* 1. 15. Unuſquiſque, prout libebit, allegoricas hic aucupabitur ſignificationes. Quidam fortaſſe [ſi cenſeant hiſce animalibus deſignari Miniſtros, uti ego exiſtimo] cum conſiderabunt horum pedes vitulinos, credent hoc dici quia calcabant triticum Verbi in gratiam populi ; & uti trituratio fiebat etiam rotis, ideo rotas hic quoque deſcribi. Alii forte conjicient ita eorum pedes deſcribi, ut melius adumbrentur ii qui divinum currum trahebant. Forte & ſibi perſuadebunt pulchritudine & ſplendore pedum illorum deſignari ſanctitatem morum, juſtitiamque fulgentem, atque ardentem zelum. Fortaſſe in animum revocabunt Sacerdotum pedes rubros præ frigore, quia miniſtrantes nudum calcabant nudis pedibus pavimentum, nec videbantur frigus ſentire, uti nec ſentiunt juvencorum pedes : aliaque iſtiuſmodi, quæ facilius eſt unicuique ſibi quam aliis perſuadere.

Ceterum hæc animalia toto corpore referebant *prunas*, *& ſimilia erant lucernis*, Ezech. 1. 13. nam fideles Miniſtri Domini ſunt inſtar flammarum, ut

Pſalm.

Psalm. 104. 4. fulgentque vita ac eruditione instar lucernarum ac lampadum, *Joann.* 5. 35. *Matth.* 5. 14. 15. 16. & Verbo Domini contumaces absumentis. Vide *Jerem.* 5. 14.

Ignis qui erat in medio horum animalium, qui inter ea varie movebatur, & unde procedebant tonitrua ac fulgetra, *Ezech.* 1. 14. *Apocal.* 4. 5. potest nobis in memoriam revocare Altare ignemque ei impositum, stantesque, dum ei inserviunt, circa ipsum Sacerdotes, (ita apud *Isajam* unus ex Seraphinis prunam ex Altari desumit, tangitque ea Prophetæ labia, *Isaj.* 6. 6. 7. quemadmodum hæc animalia stabant circa quadrangularem ignem qui in eorum medio situs erat; vel potius denotat Verbum Dei quod est inter ejus Ministros; & tonitrua, fulgetra, ac voces clare respiciunt revelationem Verbi quæ facta est in monte *Sinai*: nec ulla ratione coacta est hæc interpretatio allegorica, cum frequentissime in Scriptura Verbum Dei igni assimiletur, ut *Deuter.* 33. 2. *Jerem.* 5. 14. & 23. 29. & 20. 9. 1. *Cor.* 3. 13.

Talia fuere animalia quæ symbolum erant Ministrorum Domini. Symbolum populi duplex est, *rotæ* apud *Ezechielem*, in *Apocalypsi*, *viginti quatuor Senes*; quod posterius symbolum priori lucem fœneratur. Ut Arca & Cherubini vocantur *Currus Cherubinorum*, 1. *Paralip.* 28. 18. cum Deus eo nube amictus veluti veheretur, *Ezechiel* currum Dei alius formæ hic describit. Observatu dignum est quod dicit *Cap.* 10. 4. 18. quod antea jam memoravimus, *Gloriam Domini ascendisse ab uno Cherubino, & stetisse super altero*: quo significatur eam Gloriam quæ habitavit super Arca in loco Sanctissimo, inde profectam insedisse alteri isti currui quem descripsit, constanti ex animalibus & rotis. Atque hoc innuit, quamvis conspicuum symbolum præsentiæ Domini, quod apparebat in gloriosa nube Arcæ incumbente, jam discesserit, tamen eum adhuc esse præsentem inter populum suum ea ratione quæ ænigmatice hoc Emblemate describitur, quatenus scilicet ejus Ministri, & populus Verbo ejus ac præceptis obsequuntur, & juxta hæc moventur atque agunt. In descriptione harum divinarum Quadrigarum, animalia seu Ministros possumus observare iis characteribus insigniri, ut simul sint ipse currus, atque agant rotas; nam Dominus insidet, ut ita dicam, eorum Ministerio, quod ejus nomen quocunque Deo placet defert. Iisdem etiam utitur ad trahendum ac movendum populum ad obsequium Verbi sui. Tum Dominus veluti triumphabundus vehitur inter populum suum, ut videre est *Psalm.* 45. 4. ubi Ministri & populus consentientes Verbum, Nomen & Gloriam Dei extollunt, & aguntur vi præceptorum ejus, Ministris præeuntibus prædicatione Verbi, populo vero quiescente, vel gradiente juxta hujus Verbi directionem.

Quid *Apocalypseos* Scriptor significet quatuor & viginti Senibus, ipse nos aliquatenus docet *Cap.* 21. 12. 14. ubi loquitur de Portis & fundamentis novæ *Hierosolymæ*, quorum numerus alludit ad duodecim Tribus *Israelis* & duodecim Apostolos Agni. Uti duplex hic duodenarius numerus continet initia, ut ea vocare licet, alter Ecclesiæ sub Lege, alter vero Ecclesiæ sub Evangelio; ita uterque hic numerus conjunctus (quem exhaurit Senum *Apocalypticorum* numerus) designat Universalem Ecclesiam Judæis & Gentilibus constantem. Rotæ & animalia oculis plena describuntur, *Ezech.* 1. 18. *Apocal.* 4. 8. propter magnam mensuram cognitionis qua Deus populum suum donavit, atque ad designandam Sanctorum curam & attentionem in ambulando coram Domino. Dominus ipse describitur super ipsis & inter eos habitans fulgore, aliisque gloriosæ præsentiæ symbolis; præterea pingitur circumdatus specie Iridis, *Ezech.* 1. 28. *Apocal.* 4. 3. quæ fuit Emblema fœderis Dei cum populo suo. Vide *Genes.* 9. 13. 14. 15.

CAPUT XXXIX.

Translationes & Stationes Arcæ & Tabernaculi.

Tabernaculum, quod tum stetit, fuit veluti Templum mobile, illatum in terram *Canaan* a *Josua*, primum positum est *Gilgale*, loco prima *Israelis* castrametatione celebri, *Jos.* 4. 19. sed Arca ab eo fuit distracta statim ac positum est, & circumlata cum *Israelitis* in expeditionibus *Cananiticis*, Jos. 6. 12. & 8. 33. Dum Tabernaculum *Gilgale* stetit, ad quod consessus suos habuit *Synhedrium*, valido præsidio in sui & Tabernaculi tutelam fuit munitum, *Jos.* 9. 6. 15. & 10. 43.

Maym. in Beth Hab. bech. Perek. 1. & Ral. Bag. in Jos. 4.

Eo in loco remansit Tabernaculum, donec regio subacta fuit, & filii *Judæ* ac *Josephi* sedes repererunt, *Jos.* 18. 1. hoc est, per septem annos; quamvis quidam ex Judæis quatuordecim annos numerent: quo tempore, ut ipsi etiam asserunt, loca

Maymon. ubi supr. & Seder Olam.

ca exſcelſa licita erant, & ubique victimas offerre fas erat, quia *Iſrael* tum domi non erat, ſed bellis occupatus incertas habebat ſedes. *Priuſquam Tabernaculum primum conſtitutum fuiſſet*, inquiunt, *loca excelſa licita erant, & ſacra fiebant a Primogenito : ſed poſt erectum Tabernaculum, excelſa loca illicita fuerunt, & ſacra a Sacerdotibus facta. Res ſanctiſſimæ comedebantur intra Cortinas, & minus ſanctæ in qualibet parte caſtrorum Iſraelis. Cum venerunt Gilgalem, loca excelſa iterum fuerunt licita, & res ſanctiſſimæ comedebantur intra Cortinas, & minus ſanctæ ubique.*

Thalmud. in Zevachim, Per. 14.

Monumenta *Gilgale* relicta ei loco famam conciliarunt, & ſubſequentibus temporibus ſuperſtitioni occaſionem dedere : in eo quippe loco Idola conſtituta ſunt, & mactati juvenci, *Hoſ.* 12. 11. *Omnes eorum nequitiæ erant Gilgale, atque ibi Dominus exoſos eos habuit*, Hoſ. 9. 15. *ſeu quia ibi inſtaurarunt Regnum*, 1. Sam. 11. 12. *& noluerunt Deum in ipſos regnare, vel quia Tabernaculum primum poſitum fuit Gilgale, qui cum locus eximius eſſet, Prophetæ Baalis perſuaderunt populo ibi conſtituendum eſſe cultum Baalis.*

Kimchi in Hoſ. 9.

Cum regio ſubacta eſſet, & pace frueretur Tabernaculum, *Gilgale* in urbem *Ephraim* translatum eſt, propter jus ejus natalium, atque urbs vocata *Shiloh*, hoc eſt, *pacifica*, quia Dominus ipſis conceſſerat quietem ab omnibus bellis & finitimis hoſtibus. Hic conſtructa fuit domus lapidea in uſum Tabernaculi, ut exiſtimant Judæi; ſed deſuper non erat laqueari ullo tectum, ſed tantum cortinis, quibus, cum primum factum eſt, obtectum fuit : atque hoc eliciunt ex 1. *Sam.* 1. 9. quia vocatur *Templum*, & 1. *Sam.* 3. 15. quia dicitur habuiſſe Portas.

Tabernaculum ſubſtitit *Silunte* (*Euphrata*, ſeu in Tribu *Ephraim*, *Pſalm.* 132. 6.) a ſeptimo anno *Joſuæ* Præfecturæ ad mortem *Eli* CCCXLIX. annis; intra quod intervallum contigit quicquid habetur in Libro *Judicum*, & translatio Summi Sacerdotii a linea *Eleazaris* ad lineam *Ithamaris*, quæ non memoratur in eo Libro, uti nec cauſa iſtius mutationis.

Hoc tempore loca excelſa prohibita erant : & Silunte nullum erat laquear, ſed tantum humilis domus lapidea cortinis obtecta, & erat locus quietis. Res ſanctiſſimæ intra Cortinas comedebantur : & minus Sanctæ ac ſecundæ Decimæ extra, &c. Hiſce temporibus mentio fit *Sanctuarii Sichimis* poſiti, *Joſ.* 24. 1. 25. 26. quod tantum denotat Domum in qua Arca tum temporis depoſita erat : nam cum omnes Tribus convenirent *Sichima*, & fœdus contracturæ eſſent cum Domino, eo adferri curarunt Arcam Fœderis, ut præſentia & timor Domini modo magis conſpicuo inter eos eſſet ; & locus in quo Arca in id tempus poſita erat vocabatur *Sanctuarium*, ut Tentorium *Moſis* vocabatur *Tabernaculum Congregationis*, quia Gloria Domini ei inſidebat, priuſquam Tabernaculum Congregationis proprie dictum conſtructum eſſet, *Exod.* 33. 7.

Zevach. ubi ſupra.

Silunte cum ingenti clade *Iſrael* a *Philiſtinis* affectus fuiſſet, 1. *Sam.* 4. Arca captiva abducta eſt in incircumciſorum regionem, Tabernaculumque in aliam Tribum amotum eſt ; atque ita Arca & Tabernaculum diviſa fuere, ut nunquam poſtea coierint, niſi in *Solomonis* Templum.

Tabernaculum avectum fuit *Nobum* civitatem Sacerdotum, 1. *Sam.* 22. 19. in Tribu *Benjamin* ſitam, *Nehem.* 11. 31. 32. & juxta Judæorum Chorographiam adeo *Hieroſolymæ* vicinam, ut inde poſſit proſpici *Hieroſolyma*. *Chaldæus Paraphraſtes Iſai.* 10. 32. ubi mentio fit hujus urbis, ſic interpretatur : *Venit & ſtetit in Nobo urbe Sacerdotum ante mœnia Hieroſolymæ ; & reſpondit & dixit exercitui, Annon hæc eſt Urbs Hieroſolyma, propter quam totum meum exercitum luſtravi, & omnes meas milite exhauſi provincias? Ecce minor eſt & infirmior ulla ex iis urbibus quas ſubegi. Stetit & movit caput ſuum, & concuſſit manum ſuam contra Montem Domus Sanctuarii. Nam*, ait *Kimchi*, *Nobo poterat videre Hieroſolymam ; & cum eam vidit, commovit manum ſuam quaſi eam contemnens.*

Caldæa Paraphr. in Iſaj. 10.

Curioſius non inquiram utrum *Nobum* una fuerit ex quatuor urbibus quæ in prima ſortitione ex Tribu *Benjamin* attributæ ſunt Sacerdotibus, *Joſ.* 21. 17. 18. an vero poſtea in eorum manus deveniſſet (ut *Ramah* erat Levitarum, qui fuerunt ex conſanguinitate *Samuelis*, 1. *Sam.* 1. 1.) vel denique an eadem eſſet quæ in enumeratione quatuor illarum urbium vocatur *Almon*, (nam a reliquis manifeſto diſtinguitur, *Iſai.* 10. 29. 30 1. *Paral.* 1. 30.) aut *Bahurim*, quam *Chaldæus Paraphraſtes* conſtanter vocat *Alemeth*, quæ eadem eſt cum *Almon*, 1. *Paral.* 6. 60. Obſervabo tantum, cum Tabernaculum avectum fuit ex Tribu *Joſephi* filii *Rachelis*, id translatum fuiſſe in Tribum *Benjaminis* ejuſdem matris alterius filii.

Non

Non dubito quin hæc translatio divino monito, prophetica aliqua ratione facta sit, licet hoc nullibi dicatur: imo ausim etiam asserere, *Gabaonem* inde translatum fuisse Tabernaculum divino monito, atque de una translatione ex altera judico. Hæc est autem judicii mei ratio, quia cum *David* Arcam in Civitatem suam transtulit, & Sacerdotes & Levitas ibi ministraturos constituit, alios simul eadem de causa *Gabaone* esse jussit ut sacra facerent ad Tabernaculum, 1. *Paral.* 16. 39. 40. 41. Quænam enim ratio afferri posset quare *David* in Civitatem suam Tabernaculum una cum Arca transferri non curasset, potiusquam ea ratione Sacerdotum & Levitarum Ministerium divideret? nisi quod sciret Tabernaculum divino monito *Gabaone* constitutum fuisse; quod non ausus est violare.

Si Tabernaculum *Nobum*, dum Arca captiva abducta est, translatum ibi remansit circiter triginta septem annos, quo tempore *Samuel* superstes fuit, qui vidit excidium *Siluntis* & *Nobi*, optime fieri potest ut ipso jubente Tabernaculum *Silunte Nobum*, *Nobo Gabaonem* delatum fuerit. *Eo tempore quo in utroque hoc loco mansit*, ajunt *Thalmudici* loco supra citato, *permissa fuerunt excelsa loca, & res sanctissimæ comedebantur intra Cortinas, & minus sanctæ in qualibet urbe Israelis*.

Gabaone, quæ alia urbs fuit Tribus *Benjaminis*, Tabernaculum remansit ex quo in ea collocatum est, denec *Solomon* id in Templum ædificatum transtulit. Dum *Gabaone* substitit, memorandus ultionis divinæ in *Saulem* effectus contigit, ut alia jam omittam: nam cum interfecisset Sacerdotes Domini, & excidisset Tabernaculum *Nobo* erectum, ejus filii suspensi fuerunt ante Tabernaculum ad *Gabaonem*, 2. *Sam.* 21. 9.

Jam sequamur etiam vestigia Arcæ, ut Tabernaculi translationes persecuti fuimus, donec ea simul conjungamus. Cum Arca post prælium ad *Aphec* commissum in captivitatem fuisset abducta a *Philistæis*, detenta fuit in eorum regione per septem menses, potius quod nescirent quid erga eam facere deberent, quam quod ullum auxilium ab ea sentirent: percussit enim ingenti plaga eorum Deos, populum ac regionem. Denique eam restituerunt, & primum deducta est in urbem Sacerdotum *Bethsemes*, *Jos.* 21. 16. sed ibi etiam populo funesta fuit. Hebræi Interpretes anxie quærunt tum causam cædis, tum numeri interfectorum: at non est usque adeo difficilis, cum Scriptura dicat id contigisse, quia in Arcam introspexerunt; sed eorum dubitatio nata est ex variis vocum interpretationibus. Videtur mirum, *Bethsemes* urbem non magnam potuisse semel amittere 50070. incolas; quem numerum si cum superstitum numero conjungamus, æquabitur numerus incolarum maximarum urbium. Interpretes memorati observantes hoc parum verisimile esse interpretamento nequaquam verisimiliori rem emollire voluerunt: septuaginta homines, inquiunt, quorum unusquisque quinquaginta hominum millibus erat æquiparandus. Alii vero eadem difficultate commoti, interpretatione sua multo magis eos extollunt: dicunt enim significari quinquaginta millia hominum, quorum unusquisque æquiparandus erat septuaginta *Synhedrii* viris. Scriptura manifesto distinguit personas, cum dicit, eam *interfecisse viros Bethsemitas*, quia introspexerant in Arcam; & *interfecisse ex populo*. Reditus Arcæ sine dubio ingentem hominum ex finitimis locis concursum creaverat, præter incolas urbis, (erat tempus festi Tabernaculorum cum Arca ad eos ascendit; unde fortasse factum ut ad Arcam reducem plures confluxerint) & Dominus in pœnam temeritatis Sacerdotum & populi, plaga eos affecit, & tot interfecit millia.

Sacerdotes *Bethsemitæ* qui evaserant, miserunt *Kiriathjearimum* ut a se Arca aveheretur; quod factum est. Quæri non minus potest, quare *Bethsemitæ* qui Sacerdotes erant, accersiverint alios qui eo munere nequaquam ornati erant; & quomodo *Kirjathjearimitæ* ausi fuerint Arcam avehere, cognita *Bethsemitarum* strage. Sed Dominus tum reliquit Tribum *Ephraim* ad quam pertinebat *Silo*, & elegit Tribum *Judæ Psalm.* 78. 67. 68. inter cujus urbes præcipuas erat *Kirjathjearim*. Ac utrum Deus usus fuerit consilio *Samuelis*, qui ejus rei auctor fuerit populo ad implendum hoc decretum, vel alia quapiam via, non liquet; sed res contigit, & Arca nacta est sedem in Tribu *Judæ*, ex qua nunquam postea avecta est.

Per longum illud tempus quo Arca *Kirjathjearimi* fuit, hæc urbs tenebatur a *Philistæorum* præsidio, 1. *Sam.* 10. 5. quod non parum populi ad eam concursum potuit impedire, præsertim in eo tepore, vel potius frigore erga Religionem, quod inter Judæos tum fuit. Quicquid sit, post elapsos viginti annos cœperunt emendare mores suos, & quærere Deum, Arcam atque Religionem, omissis peregrinis Diis; ac tunc tempo-

ris Deus ingentem ipsis de *Philistæis* largitus est victoriam, 1. *Sam.* 7.

Semel legimus Arcam fuisse intra fines Tribus *Benjaminis* priusquam *David* eam transferret *Hierosolymam*, & quidem cum *Saule Gabaæ*, 1. *Sam.* 14. 19. Sed inde relata fuit *Kirjathjearimum*, locum dudum ei constitutum divina directione; alioqui æque bene potuisset collocari *Nobi*, ubi tum stabat Tabernaculum.

David circa secundum annum Regni sui *Hierosolymæ* administrati *Kirjathjearimo Hierosolymam* transferri eam curavit, & constituit ei sedem in *Sione*, ubi perpetuo mansit, donec in *Solomonis* Templum delata est, nisi semel cum fugit cum *Davide* fugato a filio ejus *Absalomo*; quod non obstitit quominus statim postea in suum locum referretur, 2. *Sam.* 15. Ante hoc Tabernaculum, in quo Arca in *Sione* erat, *David* exstruxit Altare, 1. *Paral.* 16. 2. ut offerret victimas eo tempore quo Arca illuc delata est, non vero ut perpetuo ibi sacra fierent. Ibi constituit perpetuam Symphoniam Levitarum; sed Sacerdotes Ministerio suo *Gabaone* fungebantur, ubi erant Tabernaculum & quotidiana sacrificia.

CAPUT XL.

Status ac fata prioris Templi.

NAjothi in *Ramah*, ubi aliquandiu una fuerunt *Samuel* & *David*, delinearunt ædificia Templi & rationem Ministerii. Parum commodum erat tum tempus *Davidi* ad res hujuscemodi animo versandas, cum nesciret quo se reciperet ad vitandum furorem *Saulis*: attamen tam certum erat promissum ei factum, & tam firma ejus fides, ut ab eo tempore cogitaverit de extruendo Templo, disponendo cultu divino, ut omnia eam in rem necessaria præparaverit. In omnibus bellis & victoriis semper aliquid dedicabat ex spoliis suis eam in rem, 2. *Sam.* 8. 10. 11. 1. *Paral.* 18. 8. &c. adeo ut moriens ingentem copiam auri, argenti, æris & ferri, & aliarum materiarum huic apparatui necessariarum reliquerit. Atque uti primum edoctus est a *Samuele*, ita a *Gade* & *Nathane* Prophetis ultima accepit monita, 2. *Paral.* 29. 25. disposuit Sacerdotes & Levitas in Classes suas, accersivit fabros lignarios & cæmentarios ad opus faciendum, adeoque accuratam omnium designaverat ἰχνογραφίαν, ut nihil fere *Solomoni* reliquerit nisi curam exsequutionis.

Undecim vel duodecim annis in construendo Templo laboratum est, priusquam nd umbilicum adduceretur: nempe quatuor anni in secandis lapidibus atque exasciandis lignis; septem anni & dimidius consumpti sunt in ipso ædificio extollendo. *David* enim postremo anno Regni sui convocaverat omnes regionis Proselytos, qui numero erant 153000. eosque operi applicuerat. Hi exinde perpetuo operi incubuerunt usque ad quartum *Solomonis* annum, cujus mense secundo jacta sunt Ædis fundamenta, atque octavo mense undecimi anni opus absolutum est, 1. *Reg.* 6. 38. adeoque in ædificatione consumpti sunt septem anni & sex menses; quod Scriptura pro integro septennio sumit.

Annus abiit postquam absolutum est, mense uno excepto, quo tempore, ut videtur, purgatum est retrimentis ut ad dedicationem præpararetur, & tanto temporis intervallo inutile remansit, divina providentia res ita moderante, ut eo tempore dedicaretur, quod mysterium aliquod ac typum secum ferret, non minus ac Templum.

Undecimo anno Regni *Solomonis* mense *Bull*, qui octavus erat, absolutum fuit, 1. *Reg.* 6. 38. duodecimo vero anno mense *Ethanim*, qui septimus erat, consecratum fuit tempore festi Tabernaculorum, 1. *Reg.* 8. 2. 2. *Paral.* 5. 3. seu decima quinta die ejus mensis. Circa nomen *Ethanim*, quo mensis hic indigitatur, hæc habent interpretamenta Judæi. *Chaldæus* Interpres locum citatum ex Libro *Regum* sic interpretatur: *Et omnes viri Israelis congregati sunt ad Regem in antiquo mense, quem vocabant primum Mensem, sed qui nunc est septimus.* Quidam ex Rabbinis dicunt, *Vocatum eum fuisse Ethanim*, (quod *fortem*, vel *fortitudinem* significat) *quia Patres in eo nati erant, qui erant ex mundi potentissimis.* Alii, *quia in eo erant maxima festa*: vel, ut alii ajunt, *quia in eo fructus colligebantur, qui sunt robur vitæ hominis*, &c. Sed quæcunque sit nominis etymologia, certe singulari observatione dignus erat mensis ille, respectu multarum rerum maximi momenti quæ in eo contigerunt, quas alibi enumeravimus. Omnium maxime memoranda est nativitas Servatoris nostri, quæ in hunc mensem (forte & quindecimam diem qua Templum consecratum est) incidit; cujus incarnationis & nativitatis quam vividus typus esset Templum ejusque Dedicatio, non opus est me dicere. Ita dedicatum fuit Templum, cultusque divinus in eo cœpit anno mundi uno & ter millesimo.

Aruch in voce אתן.

Lev. Gers. in 1. Reg. 8. Kimchi, ibid.

Libri *Regum* & *Paralipomenon* docent nos Tabernaculum Congregationis, omniaque

que sancta vasa quæ in Tabernaculo fuerant in Templum fuisse illata, 1. *Reg.* 8. 4. 2. *Paral.* 5. 5. Sed quæritur utrum usui fuerint, an vero sine usu asservata? Sunt qui utrumque affirment; & posterius quidem verisimilius videtur: nempe vasa *Mosis* inutilia facta sunt, postquam splendidior & magnificentior factus est publicus cultus, quemadmodum omnes ejus cœremoniæ oriente Evangelii luce abolendæ erant.

Quamvis Templum aliquid cœleste referret, & divinis inserviret usibus, quippe quod typus corporis *Christi*, Jo. 2. 19. Deique præsentia frueretur, 2. *Paral.* 7. 16. & locum publico *Israelis* cultui præberet, *Psalm.* 122. 4. &c. attamen cum esset terrenum ædificium, obnoxium erat sorti ac mutationibus omnium rerum terrenarum. Imo vix occurrit ulla Respublica, aut locus in ulla historia, cui tot contigerint mutationes; & vix ullum effluxit Regnum eorum omnium Regum qui regnarunt dum stetit Templum, quo facta non fuerit in hoc memoranda aliqua mutatio. Tempore *Solomonis* qui id exstruxit, ea injuria affectum est, ut prope ipsum extructum sit Idololatricum Templum; unde possumus etiam suspicari cultum integrum atque immutatum non remansisse. Tempore filii ejus *Roboami* primum desertum fuit a decem Tribubus; & postea ab ipsa Tribu *Judæ*, quæ in Idololatriam delapsa est; denique spoliatum fuit a *Sesako* Rege *Ægypti*. Quam sæpe etiam ejus Thesauri exhausti sint aut ab exteris, aut ab ipsis Regibus; quam sæpe pollutum, ut temporibus *Athaliæ*, *Achazi*, *Manassæ*; quam sæpe cultus publicus in eo fuerit pessumdatus, aut neglectim administratus; quot Idola, quot Altaria peregrinis Diis in eo posita sint; quomodo effusus sit Summorum Sacerdotum sanguis, corrupti Sacerdotum mores, & Domus Orationis facta latronum spelunca; sæpius etiam Templum purgatum quomodo fuerit, cultus instauratus, Sacerdotum mores emendati, aliaque restituta in pristinum statum, tam plane, & tam fuse docet Scriptura, ut si sigillatim hæc exponere vellemus, prorsus esset describenda. Tandem incensum est, ejusque pretiosa vasa *Babylonem* a *Chaldæis* avecta; quo tempore quid Arcæ contigit, Scriptura non docet. Judæi existimant eam occultatam fuisse in fornice quopiam, quem data opera in ejusmodi calamitatem factum a *Solomone* putant, ubi victoris furorem evasit: sed hujus rei penes eos sit fides.

Tempus durationis Templi prioris ab ejus perfectione undecimo *Solomonis* anno ad incendium ejus a *Nebuzardane* excitatum, fuit 420. annorum.

SECTIO I. *Status posterioris Templi sub Persica Monarchia.*

Quamvis inter reditum ex Captivitate *Babylonica*, & extremum excidium *Hierosolymæ* videri possint duo Templa fuisse, si proprie loqui volumus, Templum nempe *Zorobabelis*, & *Herodis*, qui ex ipsis fundamentis Templum instauravit; attamen & Scriptura & Judæi omnes summo consensu id vocant *Secundum Templum*, numerantes ab eo tempore quo sub *Cyro* instauratum est; ut inutilis ac supervacanea sit ejus diligentia, qui hic aliquam adhibere distinctionem voluerit. Nam licet Templum a *Zorobabele* ædificatum ab *Herode* solo sit æquatum, cum id exstruxit quod ad ultima *Hierosolymæ* fata stetit; attamen quia eversum non est ædificium ut destrueretur, sed ut instauraretur ac magnificentius fieret, non debet censeri novum Templum.

A primo anno *Cyri* quo Judæis redire permisit, & instaurationem *Hierosolymæ* præcepit, ad mortem *Christi* fuerunt 490. anni, uti supputantur ab Angelo, *Dan.* 9. atque a morte *Christi* ad ultimum *Hierosolymæ* excidium effluxerunt præterea 40. anni, qui additi prioribus efficiunt 530. annos. In hoc temporis intervallo quæcunque contigerint Templo describere sigillatim magni esset laboris & justi voluminis argumentum. Ideo præcipua tantum breviter attingam, distributo hoc tempore in varias Periodos, in quarum unaquaque quid maxime memorandum contigerit indicabo.

Prima Perioche complectetur tempus durationis Monarchiæ *Persicæ*, quæ quanta fuerit, quam Regum successionem habuerit, res est adeo controversa, ut de nulla alia magis dissentiant Chronologi. Numerum & nomina Regum qui in eo solio sederunt, qui in Scriptura nominantur, persequar.

Danielis 11. 2. occurrunt hæc verba: *Ecce adhuc tres Reges stabunt in Perside, & quartus ditabitur opibus nimiis super omnes; & cum invaluerit divitiis suis, concitabit omnes adversus Regnum Græciæ. Surget vero Rex fortis,* &c. *Et cum steterit conteretur Regnum ejus, & dividetur in quatuor ventos cœli, sed non in posteros ejus,* &c. In hac Prophetia & *Persicorum* Regum numero hæc observanda veniunt.

I. Hoc dictum fuisse *Danieli* tertio anno *Cyri*, Cap. 10. 1. itaque cum dicitur, *Adhuc tres Reges stabunt in Perside, &* quar-

quartus, &c. intelligi quatuor Reges præter *Cyrum*, qui fundator Imperii fuit; adeoque quosdam ex Judæis a vero aberrare, cum per *quartum Regem* intelligunt *Cyrum*.

II. Prophetiam loqui de diuturnitate *Persica* Monarchiæ ad *Alexandrum Magnum* ejus eversorem, quem clare designat *vers.* 3. 4. ejusque successores, *vers.* 5. & seqq.

III. Fuisse igitur juxta Angeli supputationem quinque tantum *Persarum* Reges, *Cyrus* nempe, & præter eum quatuor.

IV. Hosce quatuor nomine in Scripra appellari, I. *Assuerum*, Ezr. 4. 6. II. *Darium*, Ezr. 4. 24. & 6. 1. &c. III. *Artaxerxem*, Ezr. 6. 14. IV. *Darium*, Nehem. 12. 22. Quibus addi potest ad confirmationem hujus supputationis.

V. *Nebemian* vixisse per totam durationem *Persicæ* Monarchiæ, cum vir esset primo ejus anno, *Ezr.* 2. 2. & viderit *Darium* ultimum Regem, & extrema etiam, ut videtur, ejus tempora, *Nebem.* 12. 22. Imo *Ezras* qui natus erat ante Monarchiam *Babylonicam*, vel primo saltem ejus anno, vitam produxit fere ad finem *Persicæ* : unde facile est colligere quantopere a vero calculo aberraverint Historiæ Ethnicæ, quæ in *Persico* Regno quatuordecim successive Reges enumerant, & ducentos ei durationis annos tribuunt.

Primo anno *Cyri* captivi reduces ædificarunt tantum Altare, & per septem menses in eo victimas obtulerunt, cum nondum haberent Templum; sed secundo mense anni secundi jecerunt fundamenta Domus, *Ezr.* 3. 8. &c. cujus operis progressus statim impeditus fuit a Samaritanis per totum *Cyri* tempus, *Ezr.* 4. 5. sed non penitus prævaluerunt.

Hujus anno tertio ad Regnum pervenit *Artaxerxes*, qui vocabatur etiam *Assuerus*, Ezr. 4. 6. 7. cui persuaserunt mali homines prohibere Templi extructionem, quæ totus ejus tempore omissa est, *Dan.* 10. 1. 2. 3. *Ezr.* 4. 23. 24.

Huic successit *Darius* dictus etiam *Artaxerxes*, Ezr. 6. 1. & 7. 1. & seqq. Secundo Regni ipsius anno ædificium iterum inchoatum est, & quadriennio post absolutum. Itaque Templum devastatum remansit per septuaginta annos, a 19. *Nebuchadenazaris*, quo incensum fuit, ad secundum *Darii*, quo cœpit continuo ædificari, donec absolutum esset, *Zachar.* 1. 12. & 4. 3. 5.

Septimo anno hujus *Darii* post absolutum Templum, *Ezras* ascendit, *Cap.* 7. 8. & tredecim postea annis nempe vigesimo hujus *Darii*, (dicti etiam *Artaxerxis*) *Nebemias* similiter *Hierosolymam* ascendit, *Nebem.* 2. 11. & uterque operam dederunt mœnibus instaurandis, Temploque, Civitati ac populo disponendis, ac in statum meliorem adducendis, ut fuse apparet ex ipsorum Libris.

Trigesimo secundo ejusdem *Darii* anno, *Nebemias* absolutis quæ agenda ipsi fuerant circa ædificationem, ornatum & dispositionem Civitatis, Templi & populi, ad Regem rediit, *Nebem.* 13. 6. Atque hic desinit prima particula septuaginta Hebdomadum *Danielis*, nempe septem hebdomades in quibus plateæ & mœnia exstruenda erant, idque in difficillimis temporibus, *Dan.* 9. 25. Per septem hebdomades intelligit septies septem annos, hoc est, 49. quorum finis in hæc tempora incidit; nempe tres *Cyri*, quatuordecim *Assueri*, & triginta duos *Darii*.

Post *Darium* regnavit *Artaxerxes*, vulgo notus in Ethnicis Historiis nomine *Xerxis*, qui *Greciam* cum ingenti exercitu invasit. Hic fuit fautor Judæorum, saltem aliquandiu, ut apparet ex loco *Ezr.* 6. 14. ubi hic *Artaxerxes* confertur *Cyro* & *Dario* in favore quo Templum prosequutus est. Verum quidem est opus absolutum fuisse tempore *Darii*, ad ipsum Templi ædificium quod attinet; sed erant circa illud ædificia quæ aut exstruenda erant, aut augenda. Huic operi non minus ac decessores sui favit *Xerxes*.

Attamen infortunium contigit Templo sub hujus Regis Imperio, quod si ejus animum non alieniorem reddidit, saltem favorem in Templum minuit apud præcipuum Præfectum Regium in hisce oris, qui *Bagoses* vocabatur. Occasio infortunii hæc fuit. *Jochanan* qui tum erat Pontifex Maximus, accepta aliqua injuria a fratre *Jesu*, in eum irruit interfecitque in ipso Templo. *Bagoses* favebat huic *Jesu*, & in animo habebat eum ad Summum Pontificatum evehere. Videtur *Jochanan* id rescivisse, atque invidia commotus rem cæde fratris antevertisse. Sed quæcunque fuerit cædis illius causa, inde factum est ut *Bagoses* vi Templum oppresserit, quod alioqui non fecisset, & mulctam imposuerit populo, nempe quadraginta Drachmas in unumquemque agnum immolandum : *Ezras* & *Nebemias* tum adhuc in vivis erant, & facile est conceptu quantopere impio hoc facinore offensa fuerit eorum pietas.

Joseph. Antiq. lib. 11. cap. 7.

Qui proxime successit *Artaxerxi*, & quem

quem Scriptura memorat, fuit *Darius*, *Nehem.* 12. 22. cum quo sub victricibus *Alexandri* armis cecidit Imperium *Persicum*. Hoc tempore ex occasione alius fratris Summi Pontificis, non exigua Templo & Genti orta sunt infortunia. *Manasseh* unus ex filiis *Jojadæ* filii *Eljashib* Summi Pontificis, uxorem duxerat *Nicassonem* filiam *Sanballati*, propter quod conjugium remotus ab Altari & Sacerdotio, confugit *Samariam* ad socerum suum. Hi a *Dario* obtinuerunt mandatum, quod etiam ab *Alexandro Magno* confirmatum est, ædificandi Templum in Monte *Gerizim*, Joann. 4. 20. quod cum in contumeliam Templi *Hierosolymitani* exstructum esset, non parum ei nocuit: neque enim defectionem tantum ac factionem creavit in Gente, sed asylum etiam fuit in quod confugiebant omnes nebulones qui Judaicas Leges contemnebant.

Ibid. cap. 8. Nehem. cap. 13. 28.

In hoc *Dario* finem habuit Monarchia *Persica*, quæ stetit hisce Regibus sibi invicem succedentibus; sed an alii plures fuerint, & quot exacte annis regnaverint, non facile est definitu. Quæ evenerint Templo, illis imperantibus, præter eventus memoratos, docebunt in suis Libris *Nehemias*, *Ezras*, *Aggæus*, *Zacharias* & *Malachias*.

SECTIO II. *Quæ Templo contigerint regnante Alexandro.*

Alexander Magnus, qui *Dario* victo *Persicum* evertit Imperium, ipse *Hierosolymam* & Templum invisit, instar leonis ad eam profectus, sed agno similis reversus. Iratus erat *Jadduæ* Summo Pontifici, *Nehem.* 12. 22. quia ipsi auxilium negaverat dum *Tyrum* obsideret; nam *Jaddua Dario* fidem suam obstrinxerat. Itaque *Alexander* ultima *Hierosolymæ* minatus, furens ad eam contendebat, donec ad conspectum Urbis venit. Ibi ipsi occurrit *Jaddua* Pontificalibus vestibus indutus cum reliquis Sacerdotibus sacris vestimentis ornatis; & populo in candidis tunicis. Cum propius accessit *Jaddua*, tantum abest ut vim ei inferre voluerit, ut eum reverenter exceperit, & populum benigne salutaverit.

Joseph. Antiq. ubi supra.

Cum ejus Duces tantam mutationem mirarentur, dixit se dum esset in *Macedonia*, in somnis virum conspexisse iisdem vestibus indutum ac Summus Sacerdos erat, qui ipsum hortatus est ad invadendum Imperium *Persicum*, pollicitus se ducem futurum ipsius exercitui, atque victorem eum redditurum. Ita cum illis in Urbem ingressus in Templo obtulit, & vidit *Danielis* vaticinium de se, concessisque variis privilegiis Judæis, discessit.

Quidam Judæi existimant eodem ipso anno quo *Alexander Hierosolymam* venit, *Ezram*, *Haggæum*, *Zachariam* & *Malachiam* fato functos esse. Quod si sequamur, Ethnicorum Scriptorum supputatio prorsus est inepta, quippe quæ nimium producit *Persicæ* Monarchiæ durationem: sed si sequamur supputationem Scripturæ, multo minus improbabilis evadit, ut ostendi posset, si hic Chronologiam istam tradere vellemus. Si quæratur quomodo possit fieri ut omnes Historiæ Ethnicæ quæ agunt de successione Regum *Persarum*, tradant duplo aut triplo majorem numerum Regum quam revera fuit; ex tribus hisce simul junctis, aut sigillatim consideratis, potuisse nasci eam hallucinationem contendimus.

Vide Juchasin, fol. 15.

I. Quia unusquisque Regum *Persarum* duplicem, imo quidam etiam triplicem habuerunt appellationem; quæ nominum multiplicitas incautum Historicum ad plures enumerandas personas inducere potuit.

II. *Persicum* Imperium duplex fuit, *Medicum* & *Persicum*, quæ designantur duobus brachiis & humeris apud *Dan.* 2. & postea Reges *Persidis* & Præfecti *Mediæ* potuerunt sumi pro duobus *Persarum* Regibus.

III. Mos erat Regum *Persarum*, cum expeditionem aliquam suscipiebant, creare domi Regem, qui iis absentibus Regnum administraret; unde potuit augeri numerus Regum, & ipsa duratio Imperii. Morem hunc *Persarum* nos docet *Herodotus*. Δεῖ μὲν ἀποδέξαντα βασιλῆα κατὰ τὸν Περσῶν νόμον οὕτω στρατεύεσθαι. *Oportet eum* [Regem] *nominato Rege juxta Persarum legem ad bellum proficisci*. Hinc fit ut tertius *Cyri* annus dicatur primus *Artaxerxis*, licet *Cyrus* viveret, quia ad externa bella profectus Regem eum domi reliquit.

Herod. Polyhymn. vel lib. 7.

Alexandri in medio ætatis flore, mediisque victoriis fato functi, amplissimum Imperium tam cito ferro partum, æque subito divisum est, & quidem gladio, inter præcipuos ejus Duces quatuor, juxta Prophetiam *Danielis* 8. 8. & 11. 4. Duo ex illis fuere *Seleucus Nicanor*, qui *Syriam* obtinuit; & *Ptolemæus Lagus*, qui *Ægyptum* invasit, quorum familiæ [*Domus Septentrionis* & *Domus Austri*, Dan. 11.) ut semper inter se dissenserunt, ita etiam pessimos vicinos se Judæis præstiterunt, & sub earum Imperio po-

populus & Templum variam experta sunt fortunam, sed plerumque pejorem. Hæc autem eſt harum regionum Regum ſeries.

Vide Euſeb. in Chron. Strab. Geogr. lib. 17.

REGES SYRIÆ.		REGES ÆGYPTI.	
I. *Seleucus Nicanor*, ann.	32.	I. *Ptolemæus Lagus*, ann.	40.
II. *Antiochus Soter*,	19.	II. *Ptolem. Philadelphus*,	18.
III. *Antiochus Theos*,	15.	III. *Ptolem. Evergetes*,	26.
IV. *Seleucus Callinicus*,	20.	IV. *Ptolem. Philopator*,	17.
V. *Seleucus Ceraunos*,	3.	V. *Ptolem. Epiphanes*,	24.
VI. *Antiochus Magnus*,	31.	VI. *Ptolem. Philometor*,	36.
VII. *Seleucus Philopator*,	12.	VII. *Ptolem. Evergetes*,	29.
VIII. *Antiochus Epiphanes*,	11.	VIII. *Ptolem. Phyſcon*,	17.
IX. *Antiochus Eupator*,	2.	IX. *Ptolem. Alexander*,	10.
X. *Demetrius Soter*,	22.	X. *Ptolem. Lathyrus*,	8.
XI. *Alexander*,	11.	XI. *Ptolem. Dionyſius*,	30.
XII. *Demetrius*,	3.	XII. *Cleopatra*,	22.
XIII. *Antiochus Sedetes*,	9.		
XIV. *Demetrius* iterum,	4.		
XV. *Antiochus Griphus*,	12.		
XVI. *Antiochus Cyzicenus*,	18.		
XVII. *Philippus*,	2.		

SECTIO III. *Brevis deſcriptio ſtatus Templi tempore horum Regum.*

Si ſcriberemus hiſtoriam Urbis & Populi, quemadmodum Templi, hic nobis latiſſimus ſe aperiret campus; nam hiſtoria *Hieroſolymæ* & *Judææ* eſt mirum in modum immiſta hiſtoriæ horum Regum: ſed quoniam nos intra ambitum Templi incluſimus, breviores erimus, quia peculiares relationes quas de Templo habemus paucæ ſunt & exiguæ præ univerſa Civitatis & Gentis hiſtoria.

Joſeph. Antiq. lib. 12. cap. 3.

Seleucus Nicanor, vel, ut a quibuſdam vocatur, *Nicator*, primus horum *Syriæ* Regum magnus fuit Judaicæ Gentis fautor; eis enim jus civitatis omnium *Syriæ* urbium conceſſit, imo etiam ipſius *Antiochiæ* Metropolis, & donaria Templo dedit magnificentiſſima.

Id. in 2. lib. Macc. Cap. 3. 2. Macc. 3. 3.

Sed *Ptolemæus Lagus Ægypti* Rex ejus coævus æque infenſus erat Judæorum Genti, ac *Seleucus* ei favebat. Cum haberet exercitum in regione, maligne uſus eſt quiete quam die Sabbati obſervabant Judæi, & ſimulans ſe velle ingredi in Urbem ad ſacra facienda, eam occupavit, & ut videtur, Templum profane ingreſſus eſt, ac denique multa captivorum millia ſecum abduxit.

Ariſteas & Joſ. ubi ante.

Ejus filius ac ſucceſſor *Ptolemæus Philadelphus* æque favit Judæis ac ipſe infenſus fuerat. Accerſivit LXX. Seniores ad vertenda Biblia, & maxima donaria ad Templum miſit, de quibus antea jam ſeſe obtulit occaſio dicendi.

Tempore *Ptolomæi Evergetæ* ſucceſſoris *Philadelphi*, cupiditas *Oniæ* Summi Pontificis iram Regis Judæis concivit, quæ Urbi & populo calamitatem aliquam creaſſet; ſed eum ſapienter placavit *Joſephus Onias* ſororis ejus filius.

Ab eo tempore quo *Ptolemæus Lagus* adeo turpiter *Hieroſolymam* occupaverat, Regibus *Ægypti* ſubdita fuit, donec *Antiochus Magnus* eam liberavit, vel potius ei *Syriorum* jugum impoſuit. Seu fuerit benevolentia ac pietate, ſeu potius aſtu politico ut ſibi conciliaret Judæorum animos, in magnis bellis quos geſſit, præſertim cum Romanis, multa beneficia in populum contulit. & liberalibus donis Templum ornavit, privilegiiſque munivit, præſertim eo Edicto quo interdixit *ne peregrinus ullus intra ſpatium Templi probibitum ingrederetur*: unde poſſunt primum natæ eſſe inſcriptiones inſculptæ columnis ad ingreſſum τȣ *Chel*, de quibus loquuti ſumus. *Ne quis peregrinus huc ingreditor; qui ſecus faxit, capite plectitor.*

Appian, in Syriacis

Ei ſucceſſit *Anthiocus Epiphanes*, (niſi quod *Seleucus Philopator* Regnum inter eos duodecim annis obtinuit, quem monſtrum an hominem vocare debeam, neſcio. De hoc ejuſque impiis actionibus extant vaticinia apud *Daniel*. 7. 21. 25. & 8. 10. 11. 12. 24. 25. & 11. 28. & ſeqq. 12. 1. & ſeqq. & *Ezech*. 38. & 39. Cœpit regnare juxta ſupputationem Libri *Machabæorum* anno 137. Regni *Seleu-*

leucianæ Familiæ, 1. *Macc.* 1. 10. anno vero 143. juxta supputationem tum hujus Libri, tum *Josephi*, ascendit *Hierosolymam*, invitatus a factione *Oniæ*, seu *Menelai* Summi Pontificis, cujus auxilio Urbem occupavit, & multos ex contrariis partibus trucidavit, onustusque vasibus sacris ac ingentibus spoliis *Antiochiam* rediit. Hoc fuit initium bis mille & trecentorum dierum quorum meminit *Daniel*, 8. 13. 14. seu dierum desolationis quibus Sanctuarium conculcatum est. Biennio post, adjectis aliquot mensibus, nempe 145. anno, rediit, & pacem prætexens *Hierosolymam* ingressus, eam expilavit, Templum spoliavit, combussit & evertit ædificia Urbis, mœnia solo æquavit, aliquot interfecit ex iis qui ipsum vocaverant, multa millia captivorum cepit, Temploque & Urbi *Syriacum* præsidium imposuit. Hoc fuit initium 1290. dierum quorum meminit *Daniel*, 12. 11. *Temporis quo quotidianum sacrificium sublatum fuit, & abominatio desolationis erecta*: quod spatium vocatur *tempus tempora*, & *dimidia pars temporis*, complexumque est triennium & dimidium annum, & duodecim aut tredecim dies.

Joseph. Antiquit. lib. 12. cap. 6. 1. Macc. 1. 21. &c.

Dici non possunt calamitates quas Tyrannus hic Templo, Genti & Religioni creavit; quomodo vetuerit infantes circumcidi, cultum divinum aboleverit, combusserit Libros Legis, persecutus fuerit veritatem, occiderit eam profitentes, pollueritque Sanctuarium omni abominationum genere, ita ut Spiritus Sanctus difficillimis hisce temporibus hunc characterem addiderit, *Et veniet tempus quale non fuit ex quo Gentes esse cœperunt usque ad tempus illud*, Dan. 12. 1. Atque hic cœpit historia & gloria *Mattathiæ Maccabaicæ* Gentis Principis, qui sese hisce contumeliis ac sceleribus opposuit; sed obiit anno sequente, nempe 146. Regni *Seleucidarum*.

1. Macc. 2. 70.

Judas Maccabæus zelo ejus & Imperio successit, & tot victorias retulit de Ducibus a Tyranno constitutis, *Apollonio*, *Gorgia* & *Lysia*, ut anno 148. ipse cum populo Templum purificaverit, novum Altare erexerit, cultum divinum instauraverit, & festum Dedicationis octo diebus celebraverit atque anniversarium constituerit. *Atque inde ad hæc nostra tempora*, ait *Josephus*, *celebramus id festum*, *& vocamus id φῶτα*, *lucem*, *inde*, *uti opinor*, *quia hæc liberatio nobis inexpectata illuxit*. Hoc festum honestatum præsentia *Christi* refert *Joannes*, *Joann.* 10. 23. Qua vero ratione celebraretur hæc solemnitas, præsertim accensione multarum lampadum, alibi descripsimus.

1. Macc. 1. 54. Joseph. ubi supra.

Josephus & Liber *Macchabæorum* triennium integrum interponunt inter pollutionem Altaris ab *Antiocho* factam; ejusque instaurationem. Alter tantum dicit pollutionem incepisse quindecima die mensis *Cisleu*, 145. anno Regni *Seleucidarum*; alter vero vigesima quinta die ejusdem mensis & anni. Sed uterque consentit in alliganda purgationi Altaris 25. die ejusdem mensis anni 148. unde discimus quæ distinctio facienda sit in loco memorato *Danielis*, Cap. 12. 11. nempe tempus quo nullum fuit quotidianum sacrificium fuisse 1290. dierum, seu trium annorum & dimidii, adjectis pauculis diebus; sed tempus quo abominatio desolationis erecta fuit, hoc est, Idolum in Templo positum, & Idoli Altare super Altari Domini, fuisse tantum trium annorum. *Antiochus* obiit in *Perside* quadraginta quinque diebus post restaurationem Templi, ut *Dan.* 12. 12. significari videtur, cum dicitur is beatus fuisse qui venit 1335. die; tum enim potuisse eum videre Tyranni mortem. Ejus filius *Antiochus Eupator* qui ei successit, vocatus fuit a Judæis quibusdam Apostatis ut opprimeret *Judam Macchabæum*, qui tum obsidebat *Syriacum* præsidium quod *Hierosolymam* tenebat. Venit cum magno exercitu, *Judamque* vi in Templum compulit, ubi eum obsidione cinxit. Sed penuria annonæ vexabatur, & cum accepisset motus excitari in Regno suo, oblatis obsessis conditionibus honorificis, eos ad deditionem adegit. Sed cum arcem illam ingressus esset, conspectis ejus munimentis, timuit ne ad turbas iterum excitandas inserviret, infractisque legibus ac jurejurando, solo æquavit murum qui sacrum solum circumdabat. Ita infelix *Judas* & Templum in pejore statu quam antea fuerunt: nam præsidium Urbi ab *Antiocho Epiphane* impositum, quod eos qualibet data occasione vexabat, non modo abductum non fuit, sed Templum monumentis denudatum insultibus ejus obnoxium factum est.

Hic *Antiochus Menelaum* Summum Sacerdotem occidit, justaque mercede propter vocatum *Antiochum Epiphanem* patrem donavit, ac in ejus locum substituit *Alcimum*, qui nulla ratione pertinebat ad Summorum Pontificum stirpem. Hinc factum ut *Onias*, qui proxime quidem Summo Sacerdotio succedere debebat, in *Ægyptum* fugerit, atque ibi beneficio *Ptolemæi Philometoris* construxerit Templum *Hierosolymitano* simile.

mile. Ita hæc habuit duas Ædes æmulas, *Garizitanam Samariæ* ad Septentrionem, *Ægyptium* vero ad Austrum. Templi hujus ab *Onia* in *Ægypto* ædificati frequens mentio occurrit apud Scriptores Thalmudicos. Loquuntur in Tractatu *Succah* de Magna Synagoga vel *Synhedrio* his temporibus *Alexandri Magni* constituto, in quo ajunt fuisse septuaginta Sellas aureas, & Congregationem ad id pertinentem, quæ duplo major erat numero *Israelitarum* qui exierunt ex *Ægypto*. Addunt Alexandrum eos internecione delevisse, & adduxisse in eos maledictiones quas pronunciaverat *Jeremias* adversus eos qui in *Ægyptum* descendebant, *Jerem.* 44. & maledictionem iis Lege intentatam qui violaturi essent hoc præceptum *: Vos eo* (in *Ægyptum*) *amplius non redibitis*.

Succah. Per. 5.

Attamen *Onias* ausus est ibi Templum ædificare, idque eo audacius, quod diceret se obsequi huic vaticinio *Isai.* 19. 19. *Erit Altare Domino in terra Ægypti*, &c. in quem locum hoc habet Scholium *R. Solomon : Legimus in Seder Olam, post Sennacheribi cædem, Ezechiam surrexisse, & dimisisse omnem multitudinem quam secum adduxerat ex Ægypto & Cus, & illos suscepisse Regnum cœlorum, & rediisse in suum locum; ut dicitur*, Illa die erunt quinque Civitates in terra *Ægypti*, &c. *Iverunt & erexerunt Altare Domino in terra Ægypti, & oblationes Domino obtulerunt ad implendum quod dictum erat*, Illa die erit Altare Domino in terra *Ægypti*, &c. *Sed quidam ex nostris Doctoribus in Tractatu Menachoth; id intelligunt de Altari Oniæ filii Simeonis Justi, qui fugit in Ægyptum & construxit ibi Altare.*

Joseph. Antiq. lib. 13. cap. 6. Juchasin, fol. 14. R. Solom. in Isaj. 19.

Ultimo capite Tractatus *Menachoth*, quem Rabbinus noster citat, *Thalmudici* quædam habent effata de Templo hoc *Oniæ*, atque hæc inter alia : *Aliquis dicit, Ecce suscipio offerre holocautoma, hunc oportet offerre in Sanctuario, & si offerat in Templo Oniæ, non est solutus. Si dicit, Suscipio offerre in Templo Oniæ, debet offerre in Sanctuario; sed si obtulerit in Templo Oniæ, solutus est. Si dicat, Suscipio esse Nazaræus, debet redere caput suum in Sanctuario; & si raserit in Templo Oniæ, solutus non est. Sed si dicat, Volo radi in Templo Oniæ, radatur in Sanctuario; attamen si radatur in Templo Oniæ, solutus est. Sacerdotes qui ministrant in Templo Oniæ, non ministrabunt Hierosolymæ in Sanctuario.* Hinc apparet sacrificia oblata, aliosque ritus celebratos in Templo hoc *Ægyptio*, non minus hac in Templo *Hierosolymitano*. *Stetit in summa gloria per ducentos annos juxta sententiam Rambam. Sed videtur* (sunt verba Auctoris) *stetisse toto tempore Sanctuarii nam Joshuah filius Perabiabeo confugit, & ita tempore Hillelis : & obsequuti sunt Sapientibus Hierosolymitanis, & obtulerunt oblationes, & ita adduxerunt sponsalia uxorum suarum scripta ad Hillelem*, (*ajebant enim eos esse spurios*) *& probavit ea : & ibi erat magna Congregatio duplo major numero iis qui ex Ægypto exierunt, etiam post eversionem secundi Templi, cum Adrianus Imperator ascendit contra eos, & omnes interfecit tempore cladis Bitterianæ*, &c. De numerosissima hac Judæorum colonia judicato cum legeris *Matth.* 2. 13. 14.

Menach. Per. 13.

Juchasin. ubi supra.

Verum ab hoc *Ægyptio* Templo redeamus ad *Hierosolymitanum*, de quo agendum nobis est. *Alcimus* Summus Sacerdos, cujus illegitima electio *Oniam* permovit ad id faciendum quod fecit, cum *Antiochenæ* Familiæ cliens esset, se ei obsequentem omni ratione præstitit, etiam cum pernicie Religionis & populi inter quem erat Pontifex Maximus. Adjuvit *Demetrium*, qui tamen ipsius fautorem *Antiochum* trucidaverat, in invadenda *Judæa*, & tentavit evertere murum interioris Atrii Sanctuarii, sed subito cœlesti plaga percussus obiit.

Nicanor Præfectus *Demetrii* coegit *Judam Macchabæum* committere seipsum præsidio *Hierosolymitano*. Cum ascendisset *Hierosolymam*, in Templum honorifice exceptus a Sacerdotibus, qui ipsi blandiebantur, ostendendo victimas quas dicebant se offerre pro Domino ejus Rege, loco excidium minatus est, nisi *Judas* ipsi traderetur : sed haud multo post hic minabundus jactator victus & interfectus est.

1. Macc. 9. Joseph. Antiq. lib. 12. cap. 17.

Jonathan frater & successor *Judæ Maccabæi* adeo expertus est favorem *Alexandri* successoris *Demetrii*, & *Demetrii* iterum successoris *Alexandri*, & *Antiochi* qui ipsi successit, ut quamvis aliquando inter eos turbæ excitarentur, attamen Templum, quod theatrum est cujus ambitu nos inclusimus, toto hujus tempore non multum passus fuerit. Pari tranquillitate fruebatur tempore *Simonis* fratris & successoris, imo etiam primo anno obtinuit popnli privilegia ac jura, *Antiochianum* præsidium muris quibus se tutabatur destituit, locum purificavit, eam diem in anniversarium festum constituit, & regioni plenam pacem ac prosperitatem restituit.

Hircanus filius & successor *Simonis* arcta obsidione *Hierosolimæ* ab *Antiocho* cinctus,

ctus, petiit inducias ad celebrandum festum Tabernaculorum, quas non modo obtinuit, sed etiam eximias ab *Antiocho* victimas; quæ *Antiochi* generositas effecit ut *Hyrcanus* pacem quæsiverit, unde obsidio soluta est. Dicitur audivisse vocem in Templo dum offerret Thymiama, quæ ei retulit victoriam ejus filiorum qui tum prœlium conserebant cum *Antiocho Cyziceno*, quod egressus populo nuntiavit. *Josephus* non veretur eum vocare Regem, Sacerdotem & Prophetam: aut saltem haud multo minus dicit, cum ait *Deum dignatum eum esse tribus maximis honoribus, gubernandi Gentem, Summi Sacerdotis, & Prophetiæ*. Hic *Syrorum* jugum excussit.

Id. ibid. lib.13, cap. 18.

Alexander ejus filius ingentibus contumeliis a propria Gente affectus est, tantopere a Judæis contemptus, ut festo Tabernaculorum in eum citrea sua mala conjecerint; quo factum est ut sex eorum millia interfecerit, & patriam per sexennium bellis civilibus turbaverit. Statuit neminem in Atrium Sacerdotum, nisi Sacerdotem, ingressurum, ne turbæ a populo excitarentur.

Aristobulus & *Hyrcanus* filii hujus *Alexandri* litigati sunt de administratione Reipublicæ, atque exteros ad auxilium vocarunt; ut primum *Aretam* Regem *Arabiæ*, qui *Aristobulum* in Templo obsedit; deinde *Pompejum* qui Urbem & Templum expugnavit, Gentem *Romano* jugo subdidit, quod nunquam excutere potuere *Judæi*, qui & a *Romanis* Templum & Urbem incendi viderunt.

SECTIO IV. *Status Templi sub Romanis.*

Quæ passum est Templum a *Romanis*, statim ac subegerunt *Judæam*, omina fuerunt calamitatum quas postea ipsi crearunt. Cum *Pompejus Hierosolymam* venisset, & occlusæ ei fuissent Portæ, statim eam obsidione cinxit. *Sed ad eam capiendam*, ait *Dion Cassius*, *magno labore opus non fuit; admissus enim est a factione Hyrcani. Sed Templum quod invaserat factio Aristobuli non sine aliquo labore expugnatum est. Situm erat in alto colle, & proprio muro munitum. Nec, si qui id defendebant, quotidie id pariter servassent, captum fuisset: sed cum in munimentis non starent septima die qua non laborant, Romani occasionem opportunam habuerunt oppugnandi muri. Et cum observassent hanc consuetudinem obsessorum, non multum operis per totam hebdomadem fecerunt, donec iterum septima dies rediret, qua iterum eum oppugnarunt, atque ita tandem non resistentes Judæos oppresserunt ac subdiderunt*. Magna cædes facta est ab irruentibus *Romanis*, cum duodecim millia *Judæorum* interfecta sint juxta supputationem *Josephi*; & tamen in media illa cæde Sacerdotes, ut idem refert, æque tranquille ad Altare ministrari accesserunt, ac si nihil tale contigisset, donec gladius ad ipsos perveniret. *Pompejus* victor cum multis aliis ingressus est Templum usque ad Sanctissimum Locum, viditque omnem ejus splendorem & divitias; nec minus vetuit ne vis ulla loco inferretur, jussitque purgari, & cultum divinum denuo instaurari.

Dion Cass. lib.36.

Joseph. Antiq. lib. 14. cap. 8.

Verum ea quibus pepercerat *Pompejus*, *Crassus* haud multo post abstulit, spoliato ingentibus divitiis Templo, cum ad *Parthicam* expeditionem iret. *Parthicum* bellum aggressus erat, ut ait *Dion*, cupiditate potius quam ulla legitima de causa; atque eum expertus est eventum, qui talibus initiis dignus fuit.

Id. ibid. cap. 12.

Initio Regni *Herodis*, quod non multo post cœpit, Urbs & Templum iterum obsessa, & capta fuere ab eo & *Sosio*, & Templum spoliationis periculum subiit; quod quantum potuit impediit *Herodes*. Denique *Antigonus*, *Aristobuli* filius, *Asmonæorum* ultimus, interfectus est ab *Antonio*.

Herodes anno Regni sui 18. cœpit instaurare Templum ab imis fundamentis, & dimensiones ejus auxit, formamque ac structuram addidit quam hactenus descripsimus.

Novem aut decem annis circiter postquam absolutum fuit, *Dominus* venit ad Templum suum, imo Angelus Fœderis quem tot votis expetebant, *Mal.* 3. 1. oblatus ibi a matre quadraginta dies natus, a *Simeone* & *Anna* agnitus est. Duodecim post annis iterum in Templo inter Doctores unius ex *Synhedriis*, vel in uno ex eorum Consistoriis, aut ἐν τῷ *Midrash*, sedit, & admirandam præbuit divinam suam sapientiam. Non opus est a nobis memorari quæ respectu *Christi* & Apostolorum Templo contigerint, ut quomodo tentandus *Christus* a Diabolo in pinnaculum fuerit delatus, quomodo primo suo & ultimo Paschate flagris mercatores expulerit, quomodo constanter id frequentaverit quoties fuit *Hierosolymæ*; prædictionem excidii quam e regione ejus in Monte *Oliveti* pronuntiavit paulo ante mortem; Apostolorum concursum in eum locum divini cultus causa, opportunitatem prædicandi in hominum frequentia Evangelii, curationem claudi, & multorum millium conversionem; Pauli conjectionem in carcerem, quod perperam

ram crederetur adductis Gentilibus polluisse Templum, aliasque circumstantias, quas cum fuse narraverint Evangelistæ, supervacaneus esset labor enumerare lectoribus, eas inde, si modo velint, petituris.

Cætera quorum non meminit Scriptura, sed *Josephus* & alii, ut Sacri Thesauri exhaustio a *Pilato* ad construendum Aquæductum, *Petronii* conatus ad illuc inferendam *Caligulæ* imaginem, tumultus creati *Romanorum* militum irreverentia, *Agrippæ* sacrificia & anathemata, *Vitellii* benevolentia erga Templum & populum, contumelia loco illata a *Samaritanis*, turbæ a seditiosis excitatæ, cædes *Zachariæ* in eo perpetrata, denique incendium a *Romanis* immissum, ultimumque Urbis excidium, ampliorem requirerent dissertationem, quam quæ uno Capite & Paragrapho possit contineri. Poterunt fortasse alio Opere plene tractari, ideoque ea tantum hic indicanda breviter censuimus.



JOHANNIS LIGHTFOOTI
MINISTERIUM TEMPLI

Quale erat tempore

NOSTRI SERVATORIS,

DESCRIPTUM

EX SCRIPTURA ET ANTIQUISSIMIS JUDÆORUM MONUMENTIS.



JOHANNES LIGHTFOOTUS LECTORI.

CUPIEBAM & sperabam hunc Tractatulum solum in luminis auras exiturum non esse, sed habiturum comitem, qui conceptus, natus, & auctus una cum eo fuerat, etiam ad id usque tempus quo edendus erat: sed tum impegit limini, ac præ claudicatione coactus est domi remanere. Consilium mihi fuit cum ejusmodi Opus de Templo aggrederer, describere primum locum Templi, ejusque σκιαγραφίαν tradere, tum quædam circa Ministerium dicere. Itaque non sine magno labore ac studio ex Scriptura & antiquissimis Judæorum Monumentis hausi amplum Tractatum, & in maxima Tabula plenam, integram atque accuratam (si ita mibi de Opere meo loqui liceat) Descriptionem Templi Hierosolymitani, *quale erat iis temporibus quibus Servator Noster in humana carne id ingressus est, pinxi. Descripsi situm, dimensiones, ἰχνογραφίαν, architecturam tum introrsum, tum extrorsum; Muros Januas, Atria, Claustra, Conclavia & ædificia quæ circa erant posita; Altare, Lavacra, Stationes, loca ad immolandas victimas, & reliqua huc pertinentia; addita illustratione omnium, vel plerorumque locorum utriusque Testamenti in quibus eo respicitur, vel partis alicujus mentio fit. Tam plena est ac copiosa ea Descriptio omnium partium sancti illius Soli, ut si in lucem erumpere potuisset, non dubitassem Lectoris judicio & censuræ eam exponere, ut judicium hac de re ejusque usu ferret, atque an aliquod hinc percipi beneficium posset videret.*

Sed ita felix hic Tractatus non fuit, ut optatam lucem videre posset, quia Schema Templi ædificiorumque circa positorum quæ pinxi in Tabula, & eorumdem descriptio quam in ipso Tractatu verbis peregi, sibi mutuam lucem fœnerantur. (Tabula multum conferente ad intelligendum Librum, Libro spectatorem Tabulæ ad varias ejus partes recte percipiendas juvante, nec possunt seorsim edi, sed si quando publici juris fiant, debent simul excudi. Ideoque diu expectavi postquam perfeci Librum & Tabulam, imo & multos menses, priusquam permitterem hunc Tractatum prælo subjici, donec reperiretur Sculptor qui æri insculperet Tabulam ut excudi posset: qui si repertus fuisset, uterque Tractatus una editus fuisset uti cupiveram & putaveram futurum. Sed tantum abest ut tam longa expectatione compos voti fieri potuerim, ut hoc ipso tempore nulla mihi spes sit repertum iri qui Tabulam æri incidat, nec ullatenus conjectura assequi possim quando ei operi manus admoveri poterit. Igitur utrumque hactenus suppressi, ut alterum alterius editionem, si quando futura est, expectet, & videam sortem eorum quæ nunc emittuntur, & quæ forte æque bene domi delituissent cum reliquis, quam in publicam lucem audacter jam prodeunt. Atque hoc pendet ex beni-

benignitate, vel censura Lectoris; nec tamen utar multis verbis ut hujus favorem ambiam, aut illius iram deprecer. Erudita ingenuitas pro comitate habebitur, quamvis sit sine adulatione : superba vel indocta morositas incommodo est, nisi iis qui canum ritu alios allatrare amant, quos licet etiam imitarer, aliorum acres responsiones non effugerem. Dicam tantum quicquid feci id me fecisse publici boni causa ; labori non peperci; per asperrimas ac parum tritas vias incessi, nec proinde sicubi impegerim aut aberraverim mirum debet videri : via scatebat difficultatibus, ego humana imbecillitate laborabam. Multa autem reliqui hic non explanata, quæ forte Lector explanari cupiisset, quia credebam, dum huic Operi incumbebam, alterum Tractatum simul cum hoc editum iri, in quo quæ hic desunt plenius describuntur ac supplentur.

J. L.





JOHANNIS LIGHTFOOTI MINISTERII TEMPLI *SEU* FUNCTIONUM SACRARUM IN TEMPLO HIEROSOLYMITANO Tempore SERVATORIS nostri DESCRIPTIO

Ex Scriptura & Antiquissimis Judæorum Monumentis.

CAPUT PRIMUM.

De varia diversarum Templi partium sanctitate.

Kelim, Per. 1. Maymon. in Beth Habbechirah, Per. 1.

Gradus sanctitatis inter Judæos, juxta ipsorum supputationem, undecim numerabantur.

I. *Terra Israelis erat sanctior reliquis regionibus.* Ne varias recenseam prærogativas quas *Judææ* tribuunt præ cæteris Orbis terrarum oris, ut cum dicunt Spiritum Prophetiæ, Ordinationem, Constitutionem Neomeniarum, &c. alibi non fuisse; hæc duo aut tria præsertim observant ei soli propria, nempe *Omer*, vel Manipulus primum maturarum frugum, ac Primitiæ quorumvis aliorum fructuum quæ offerri debebant, & duo Panes Propositionis, quos perpetuo ante faciem Domini esse oportebat, non poterant desumi, aut fieri ex frugibus alius ullius regionis sub cœlo, præter *Judæam*; sed in ea necesse erat eas fruges crevisse.

R. Solom. in Jon. 1. Maym. in Sanhedr. Per. 4. Idem in Kiddush Hhodesh, Per. 1. & 5.

II. Ci-

II. *Civitates mœnibus cinctæ sanctiores erant reliquo solo.* Nam primo, in iis Leprosis degere non licebat; ex iis expellebantur, 2. *Reg.* 7. 2. 3. quæ expulsio vocabatur שלוח *Shilluah*: atque inde fortasse duxit nomen fons *Siloam*, cum esset extra Urbem, atque eo miseri hujuscemodi homines ablegarentur. Secundo, cadaver mœnibus exportatum non poterat rursus in Urbem inferri: מסבבים בתוכה עיר מות שירצו, pro lubitu poterat per Urbem circumferri; sed si semel portis elatum esset, rursus inferre haud licebat. Tertio, nullum cadaver intra mœnia sepeliebatur, *Luc.* 7. 12. *Nec ullus*, ait *R. Nathan*, *sepultus fuerat intra mœnia Hierosolymæ, præter Reges ex Familia Davidis, & Prophetidem Huldam.*

Maymon. in Biath Mikdash, Per. 3.

Avoth R. Nathan, Per. 34.

III. *Quod erat intra Hierosolymæ pomœrium sanctius erat solo quod erat intra mœnia reliquarum urbium.* Nam ibi licebat Pacificas Oblationes, Primitias, & secundam Decimam edere, quod in omnibus aliis interdictum erat urbibus. Et dum *Hierosolymam* tenuere *Hebræi*, in ea tantum pascha celebrarunt.

Rambam in Kelim.

IV. *Mons Templi sanctior erat ipsa Hierosolyma*: nam זבים וזבות נדות ויולדות, viri, vel mulieres fluxu laborantes, & fœminæ menstruis suis pollutæ, aut etiam puerperio, inde arcebantur, quamvis tales plurimæ perpetuo *Hierosolymæ* essent. Atque ideo quidem ipsis accedere eo non licebat, quia *polluebant rem quamcunque cui insidebant; aut incumbebant, imo & locum in quo stabant*; quæ pollutio hac in occasione major erat pollutione quæ fit per cadaver: etenim cadaver, si ita res ferret, eo poterat importari, (ut si viri illustris cadaver ab injuria aliqua tuendum esset; cujus rei exemplum petunt a *Mose*, qui detulit secum ossa *Josephi*, etiam in mediis Levitarum castris) sed nemini supradictis modis polluto eo patebat aditus.

Maymon. ubi supra.

V. חיל *Chel*, *seu spatium intermurale*, *erat sanctius Monte Domus*: nam *Exteri*, & qui erant cadavere polluti eo ingredi non poterant, licet in Montem quidem venire ipsis liceret. Per *Exteros* hic non intelligimus Proselytos, qui circumcisi erant & baptizati; hi enim in omnibus erant instar *Israelitarum*: sed eos ex aliis Gentibus qui eo usque se Judaicæ Religioni non accomodaverant, quales erant *Proselyti Portæ*, & Exteri proprie dicti. Infra enim observabimus, Gentiles nondum Proselytos, imo etiamnum Idololatras, potuisse offerre, & aliquando attulisse oblationes suas ad Templum, & ita potuisse venire in *Montem Domus*; unde a Christianis Scriptoribus dici solet *Atrium Gentilium*. Sed quamvis hi possent in Montem Domus venire, attamen non poterant ingredi τὸ חיל, seu spatium intermurale, cum Gentilibus eo ingredientibus constituta esset mortis pœna, quod discere poterant ex inscriptionibus quæ erant in columnis in ipso introitu positis, uti suo loco observatum est.

Inde ortus est tumultus adversus *Paulum*, *Actor.* 21. qui cum esset cum aliis quatuor in Atrio Mulierum ut purificaretur abrasione capitis & combustione capillorum in Conclavi *Nazaræorum*, & aliis ritibus, quibus utebantur ii qui voti damnati facti fuerant, natus est inter Judæos strepitus, quasi unus ex quatuor illis Gentilis fuisset, & *Trophimus* quidem *Ephesius* quem viderant cum *Paulo* in urbe ambulantem. Inde orta Judæorum indignatio, quasi *Paulus* duxisset Exterum intra τὸ חיל *Chel*.

VI. *Atrium Mulierum sanctius erat quam* τὸ חיל: nam טבול היום, *Tibbul jom*, eo non poterat venire, hoc est, qui ea pollutione erat inquinatus, in qua eum oportebat ablui, & expectare Solis occasum ut purus esset. Licet enim se abluisset antequam Sol occidisset, inde arcebatur.

VII. *Atrium Israelis sanctius erat Atrio Mulierum*: nam interdictum erat τοῖς מחוסרי כפורים, iis nempe qui pollutione quidem soluti erant, sed qui nondum purificationis obtulerant sacrificium: *quorum erant quatuor genera, Leprosi, viri fluxus laborantes, mulieres quæ in separatione fuerant, & quæ pepererant.* Et mulieribus quidem nullatenus licebat in Atrium ingredi, nisi cum sacrificium aliquod oblaturæ essent: sed viri qui alias eo intrare poterant, inde arcebantur, donec purificationis sacrificium obtulissent.

Idem ubi supra, & Kelim, Per. 1. Id. in Mechosere Rapparah, Per. 1. Joseph. de Bell. Jud. lib. 5. c. 14. Tosaphta in Erach. Perek. 2.

VIII. *Atrium Sacerdotum sanctius erat Atrio Israelis*: nullus enim *Israelita* eo venire poterat, nisi urgente necessitate, quæ tribus hisce occasionibus nasci poterat; si essent manus imponendæ capiti victimæ quæ immolanda erat, si esset mactanda, aut denique mactatæ victimæ pars agitanda.

Piske Tosaph. ad Midd.

IX. *Spatium inter Porticum & Altare sanctius erat inferiore parte Atrii*: neque enim licebat eo venire ipsis Sacerdotibus, si aliqua esset in iis labes, aut nudo capite, hoc est, sine cidari, aut velo; nam caput obvelabant, isque ritus adhibebatur quasi solennissimus in majoribus cæremoniis, ut postea ostendemus.

X. *Templum sanctius erat spatio illo*; cum nemo in hoc posset intrare nisi ablutis manibus & pedibus; quod non erat necessarium ingredientibus Atrium, mo-

do

do nullam obirent functionem sacram.

XI. *Oraculum, seu quod erat intra Velum spatium, omnium partium Templi sanctissimum erat;* quia nemini licebat eo ingredi nisi soli Summo Pontifici, & quidem semel in anno.

Itaque varii erant sanctitatis gradus in ea regione, iisque locis; quæ a pluribus sæculis ad totidem, ac multo plures calamitatis ac pollutionis gradus pervenere. Gens occæcata Judæorum, dum ipsam substantiam ac medullam rerum sanctarum, unde honor ac sanctitas eorum locorum fluebant, spernit, omnia ista & sanctitatem ipsam amisit.

Solent illi conferre *Hierosolymam* & Templum Castris *Israelitarum* in deserto, & Tabernaculo, servatis hisce proportionibus: *A Portis Hierosolymæ usque ad Montem Templi erant castra Israelitarum: A Porta Montis Domus ad Portam Nicanoris castra Levitarum: A Porta Nicanoris introrsum castra divinæ Gloriæ.*

R. Solom. in Kelim, Per. 1. Maym. in Beth Hab. bech. Perek. 7.

SECTIO I. *Quomodo polluti arcentur Templo.*

Circa personas quibus prohibebatur Templum, ne id polluerent, duo sunt ordine consideranda quæ huc pertinent: primum est, qua ratione inde arcerentur polluti: alterum, qua pœna plecterentur ii qui cum polluti essent, eo tamen venire ausi fuerant.

Prius haud ita facilis est solutionis ac posterius, quia innumeri eo venire poterant, qui non erant in eo statu in quo par erat eos esse qui in ea loca veniebant, nec poterat resciri absque incivilitate ac immodestia quo in statu unusquisque esset, nisi forte adhiberetur jusjurandum. Erant quidem Janitores ac Excubitores ad Portas; sed innumeri polluti poterant eos præterire, quorum dispositionis certiores fieri non poterant, nisi ab ingredientibus juramentum exegissent; quod tamen in mentem nunquam venisse credo ulli ex Scriptoribus qui de moribus Judæorum egerunt. Viri sanguinis vel seminis effluvio laborantes, ac mulieres menstruis vel extraordinariis fluxibus pollutæ non poterant vultus inspectione dignosci, nec invenimus ullum eorum examen institutum, ac multo minus adjuratos vel inspectos fuisse. Poterant quidem certe Janitores reppellere eos qui signo conspicuo ostendebant se pollutos esse, ut Leprosos, vel eos qui aliquid secum gestabant quod non licebat inferre Templo, poterant arcere eos qui limites sibi positos transilire conabantur; poterant eos observare quos suspicabantur venisse ut explorarent vel disturbarent Sacrum Ministerium; poterant increpare quos videbant immodestius se gerentes, ut dum ingrederentur aut cum ingressi essent; poterant eos monere qui loci consuetudines ignorabant, & docere quomodo se deberent gerere; aut denique ipsos admonere ingredientes, caverent ne intrarent, si essent polluti, verum non videntur arcuisse omnes qui aliqua pollutione tenebantur, ac locum polluere poterant; nec concipimus qui id potuissent. Poterat quis tetigisse cadaver, attigisse mulierem in separatione sua, passus esse Gonorrhœam noctu, & plurimis aliis rationibus pollutus fuisse, & tamen Templum subire, cum nullus mortalium scire posset quo esset in statu, præter ipsum, quod nulla ratione poterat dignosci nisi Spiritu Prophetiæ, aut adhibito jurejurando; quam potestatem habuisse Janitores non legimus, nec ulla ratione supponere possumus.

Itaque Templum immune conservabatur ab ejusmodi pollutionibus potius severitate pœnarum, quibus suberant qui deprehensi fuerant tale quid commisisse, quam cura aliqua aut cautione quæ arceret pollutos. Atque uti severitate legum & punitione reorum in omnibus aliis criminibus, crimina certe impediuntur; ita & in hoc negotio eadem via obviam ibatur pollutionibus.

SECTIO II. *Pœnæ quibus obnoxii erant polluti qui in Templo deprehendebantur. Mors per manum Cœli, & Excisio.*

Quatuor pœnarum genera (quidni enim omnia ista pœnas appellemus?) indicta erant, quorum duo denunciabantur, duo revera infligebantur iis qui pollutione sua loci sanctitatem ac cultum divinum violare ausi fuerant, juxta varios criminis gradus. Hæc autem erant,

מיתה ביד שמים *Mors per manum Cœli*
כרת *Excisio.*
מלקות *Flagellatio.*
מכות מרדות *Rebellionis Verbera.*

Prima est, pœna cujus sæpissime meminerunt Judæi, cui obnoxii erant variorum generum rei, ut illi existimant, ac inter alios quidam ex iis de quibus jam loquimur, qui cum pollutos se esse nossent, attamen in Templum ire volebant, Eam vocant *Mortem per manum Cœli*, hoc est, Dei; vulgo enim Deum vocant *Cœlum*. *Pollutus*, ait *Maymonides*, *qui ministrat in Sanctuario, prophanat ejus* Mi-

Vide Eli. Lev. in Tisbi in שמים. In Biath Mikdash, Perek. 4. Ibid. Per. 3. Ibid. Per. 4.

Ministerium, *estque reus Mortis per manum Cœli*, *quamvis ibi non subsistat*. Iterum. *Sacerdos*, inquit, *qui ministrat*, *nec lavat manus ac pedes mane*, *est reus Mortis per manum Cœli*. Rursus. *Viri*, inquit, *vel mulieres fluxu laborantes in mulieres sua separatione ac puerperæ*, *pollutus propter reptile vel cadaver*, *aut quippiam simile*, *non possunt ministrare*, *nec ingredi Atrium* : *sed si nihilominus id faciant*, *sunt rei Excisionis propter ingressum*, & *Mortis per manum Cœli propter Ministerium*. Alia sunt exempla ac casus in aliis peccatis & criminibus, quibus denunciatur *Mors per manum Cœli* tanquam pœna propria, quæ etiam possent huc afferri, sed hæc ad institutum nostrum sufficiunt.

Altera est, cujus etiam frequens est mentio, imo & frequentior apud Judæorum Scriptores, pœna cui obnoxii erant variorum generum rei, & inter alios ii de quibus jam nobis est sermo, qui se pollutos scientes in Templum ibant. Eam vocabant כרת *Chereth*, id est, *Excisionem*. *Thalmudistæ* in Tractatu *Cherithuth*, qui nomen ex hoc ipso argumento habet, enumerant triginta sex crimina, quibus hæc pœna, si quis ea prudens ac sciens committere constituta erat. Rem paulo fusius ipsorum verbis diducere erit operæ pretium, præsertim cum non hic tantum ad negotium nostrum faciat, sed infra etiam cum loquemur de oblationibus pro peccato, quæ partem divini cultus faciebant, & quæ, ut ex ipsis verbis quæ hic afferemus videbimus, aliquam habent connexionem cum materia de *Excisione*. Hæc autem sunt verba.

Cherithoth, Per. 1.

Sunt triginta sex Excisiones in Lege. *Qui concubuit cum matre sua*, *vel uxore patris sui*, *vel nuru*, *vel mare*, *vel bestia*; *vel mulier quæ concubuit cum bestia*; *vel vir qui concubuit cum muliere & ejus filia*, *vel cum uxore alius viri*, *vel cum sua sorore*, *vel sorore patris sui*, *aut sorore matris suæ*, *aut sorore uxoris suæ*, *vel uxore fratris sui*, *vel uxore patrui*, *vel muliere in sua separatione* ; *vel qui blasphemavit*, *vel commisit Idololatriam*, *vel dedit semen suum Molecho*, *vel usus est Magia*, *vel profanavit Sabbatum*, *vel comedit res sacras dum pollutus esset*, *aut venit in Sanctuarium etiam pollutus*; *vel qui comedit lardum*, *vel sanguinem*, *vel quod superest ex sacrificio*, *vel quippiam aliud immolatum non oblatum in sua tempestate*; *qui mactavit vel obtulit victimam extra Atrium*, *vel qui comedit fermentum in Paschate*, *qui aliquid edit die Expiationis*; *vel etiam opus aliquod fecit*; *vel qui fecit oleum aut thymiama simile sancto*, *vel unxit oleo sancto*; *qui distulit Pascha*, *aut Circumcisionem*, *quæ præceptis affirmativis jubentur* : *hæc omnia si a prudente ac sciente committuntur*, *plectuntur Excisione*; *si vero ab imprudente*, *oblatione constituta pro peccato expiantur* : *sed si ignotum sit an fecerit necne*, *tenetur ad oblationem pro delicto*, *ut*, *si forte commiserit*, *id expietur* : *præter eum solum qui polluit Sanctuarium & ejus res sacras*; *hic enim tenetur ad oblationem quæ ascendit & descendit*.

Jam autem ut melius intelligamus quid sit *Mors per manum Cœli*, & *Excisio*, observandum est primo, neutram fuisse pœnam quæ infligeretur manu, vel judicio hominum, sed tantum reatum fuisse qui iram ac vindictam Domini reis variis modis conscisceret. Judæi semper de *Excisione* loquuntur, tanquam de maximo divinæ ultionis gradu : cujus rei ne plura afferamus argumenta, quæ nobis abunde suppetunt, hic locus *Maymonidæ* observatu dignus sufficiet. *Potestne Sacerdos qui ministrat in sua pollutione*, *tam exiguo tempore in Atrio remanere*, שלא יתחייב כרת אלא מיתה ביד שמים בלבד, *ut non fiat reus Excisionis*, *sed tantum Mortis per manum Cœli?* Præcedentia verba sic sonant : *Pollutus qui ministrat in Sanctuario profanat ejus cultum*, *atque est reus Mortis per manum Cœli*, *licet ibi non remanserit*: tum sequuntur allata verba, *Potestne Sacerdos*, &c. Quibus constat eam *Excisionem* fuisse maximum ultionis ac indignationis divinæ gradum.

Maymon. in Biath Mikdash Per. 4.

Itaque per *Mortem per manum cœli* juxta illos est intelligenda subita aliqua ultio Dei, qualem exercuit adversus *Nadab* & *Abibu*, aut *Ananiam* & *Sapphiram*, quos repente e medio sustulit. Atque hoc etiam melius colligere est ex duabus observationibus, quæ sæpius apud Rabbinos occurrunt hoc in negotio. Prima est, peccatum Sacerdotum, qui vinum bibebant priusquam ad ministrandum accederent, [quod notandum est crimen fuisse *Nadab* & *Abibu*] punitum fuisse *Morte per manum Cœli*; quod ostendit eos intelligere similem ultionem ei qua ambo illi sunt oppressi. Secunda est, quotiescunque Lex aliquid jubet *Aaronem*, ejus filios, ac populum, quod pertinet ad Sanctuarium, *Sic facient*, vel *Sic non facient*, *ne moriantur*; hanc comminationem intelligendam esse de *Morte per manum Cœli*.

Ibid. Per. 1.

Sed quid significetur per *Excisionem*, non ita inter eos convenit. *Kimchi* tanquam ex Doctoribus dicit, *Mortem ante annum quinquagesimum esse mortem per Exci-*

Kimchi in Isaj. 8.

R. Solom. in Gen. 17. *Excisionem* [confer *Joann.* 8. 57.] *R. Solomon* dicit idem esse ac *orbum liberis mori*, *& quidem præmatura morte*. *Baal Aruch* hoc discrimen esse vult inter *Excisionem*, & *Mortem per manum Cœli*, quod *Excisio sit ipsius qui peccavit & ejus liberorum; Mors* vero *per manum Cœli sit ejus quidem*, *sed non liberorum*. Verum quodcunque horum volueris eligas, vel omnia simul conjungas, aut quod haud absimile est vero, per *Excisionem* intelligas ejectionem ex vita sæculi futuri; constat & per hanc pœnam, & per *Mortem per manum Cœli*, a Judæis, qui passim earum meminerunt, non intelligi pœnas aliquas ab hominibus inflictas, sed imminentem Dei vindictam, perpetuumque periculum ac metum ne ira divina reum subito opprimeret. Erat *Anathema Maran Atha*, sive obnoxius maledictioni, donec Dominus ad eum plectendum veniret, ut *Joann.* 3. 18. 36.

SECTIO III. *Pœnæ pollutorum in Templo deprehensorum. Flagellatio*, *& Rebellionis Verbera*.

Non levis metus injiciebatur populo, ne pollutus Sanctuarium ingrederetur, dum perpetuo ipsi inculcabatur, eos qui id tentarent, & corpus & animam periclitari, atque *ipso facto* terribilem Dei indignationem sibi consciscere, & certum horrendi judicii periculum subire.

Sed an ita dimittebant reum, utpote qui se reum fecisset *Mortis per manum Cœli*, vel *Excisionis*, ita ut nihil jam sibi amplius esset cum illo, sed eum relinquerent justitiæ Dei, qui eum, quando videretur, esset puniturus? At multi scelerati hoc flocci fecissent; & quia sententia statim exsecutioni mandata non fuisset, idem peccatum rursus committere in animum inducere potuissent, ut *Eccles.* 8. 11. Ideoque non permittebant sontem effugere, sed statim ac iræ divinæ obnoxius factus fuerat, hominum manu plectebatur. Atque hæc duplex erat pœna, vel מלקות, vel מכות מרדות *Flagellatio* ex sententia Judicum, aut *Verberatio* a populo.

I. Erat pœna *Flagellationis* ex sententia Judicum, juxta Legem *Deuter.* 25. 2. ubi reus damnatur quadraginta ictibus: sed Traditio unum detraxerat, & triginta novem tantum constituerat, 2. *Cor.* 11. 24. Cujus rei ratio hæc erat, quia nempe limites Legi præfigere volebant; & cum jussisset ne sonti supra quadraginta plagas infligerent, *ne frater ipsis vilis videretur*, ipsi unam detraxerunt, ut intra modum certum remanerent,

Maccoth, Per. 3. Modus ac ratio eorum *Flagellationis* fuse describuntur in Tractatu *Maccoth*, his verbis: *Quot plagas ei infligunt?* (ait *Misnah.*) *Triginta novem: quemadmodum dictum est certo numero, quadraginta plagæ, hoc est, numerus accedens ad quadragenarium. Rabbi Juda dicit, Verberatur quadraginta ictibus; & ubi habet ictum imparem supra triginta novem? Inter humeros suos. Non definiunt numerum ictuum; sed ita ut possint triplo plures infligi, definiunt ei quadraginta: is vero postquam accepit aliquot, dicunt illum non posse ferre quadraginta; tum dimittitur: definiunt ei octodecim ictus, & dum flagellatur, dicunt eum ferre posse quadraginta; attamen dimittitur. Quomodo eum flagellant? Ejus manus vinctæ sunt duabus columnis, & Carnifex apprehendit ejus vestes, quas dissuit, vel lacerat, prout libet; eas detrahit donec denudaverit brachium ejus. Jam autem erat lapis pone Carnificem, in quo stabat cum flagello ex corio albo in manu sua cum quatuor plicis, unde pendebant duo lora; manubrium erat palmare, & flagellum seu lorum palmare etiam, & finis ejus ad ventrem illius pertingebat. Tertiam partem ictuum infligebat ei in anteriorem partem, in ventrem nempe; duas partes in posticam. Eum verberabat nec stantem, nec sedentem, sed incurvatum; ut dicitur*, Judex prosternet eum: *& verberabat eum una manu quantum poterat. Interea unus ex adstantibus legit vel recitat has Scripturæ particulas*, Nisi custodieris & feceris omnia verba Legis hujus, &c. Augebit Dominus plagas tuas & plagas seminis tui, &c. *Deut.* 28. 58. 59. Quapropter servabitis verba hujus Fœderis, &c. *Et desinit hisce verbis*, Sed cum sit misericors, condonat iniquitatem, nec destruit, *Psalm.* 78. 38.

Hæc erat ratio eorum Flagellationis, quæ erat severa admodum pœna. Infligebantur tredecim ictus lori, flagello quod tribus loris costabat, quæ illa per tria multiplicatione, efficiebant triginta novem ictus; vel si numerus ictuum minor definitus fuerat, tantus tamen erat, quantum a reo ferri posse judicabant.

II. Erat pœna quam vocant מכות מרדות, *Rebellionis Verbera*, cum populus non expectata Judicis sententia, absque modo ac misericordia aliquem verberabat. Si quis alicujus peccati palam reus deprehenderetur, populus absque mora aliquando in eum irruebat cum fustibus ac lapidibus, atque absque modo eum contundebat, sæpissime ad mortem usque. Ita hanc pœnam describit *R. Nathan* in *Aruch*. *Verberatio juxta Legem est*

Aruch in מרד.

eorum qui transgressi sunt negativa præcepta, quæ fit juxta certum modum, & admonitionis causa, flagello constante triplici loro: sed qui affirmativa præcepta transgressus est, eum verberant usque ad mortem, non flagello triplici loro constante. Similiter quicunque peccaverit in verba Sapientum, eum verberant absque numero & modo, & vocant hoc מכות מרדות *Rebellionis Verbera, quia rebellis fuit contra verba Legis, & contra verba Scribarum. Ratio hujus verberationis*, ait alius Judæus, *est quia transgressus est prohibitionem eorum in re quæ est fundata in Lege; estque* בן מרדות, *Filius Rebellionis*. Huc referri debet quod sæpe legimus in Novo Testamento, de plebe quæ sustulit lapides ab obruendum Servatorem nostrum, & quæ irruebat in ipsum, *Matth.* 26. 67. in *Stephanum*, Actor 7. 57. 58. propter blasphemiam; ut ajebant, & in *Paulum*, Actor. 21. 31. propter pollutionem Templi, ut credebat.

Gloss. in Maym. in Sabbath, Per. 1.

Itaque qui peccatum admiserat, quo obnoxius factus erat vel *Morti per manum Cœli*, vel *Excisioni*, non evadebat cum solo illo reatu, sed vel flagris cædebatur, vel verberabatur, aut in quibusdam casibus, ex sententia Judicis capite plectebatur. *Verberabantur*, ait *Maymonides*, *propter unumquodque præceptum negativum, cujus transgressione fiebant rei Mortis per manum Cœli:* ac multo magis qui erant rei *Excisionis*, quæ major erat pœna. Idem Scriptor enumerat octodecim peccata, quibus contrahebatur reatus *Mortis per manum Cœli:* & propter quæ rei flagris cædebantur: & viginti & unum, quibus contrahebatur reatus *Excisionis*, & propter quæ etiam flagellabantur rei, nec morte a Judicibus plectebantur.

Maymon. in Biath Mikdash, Perek. 4.

In Sanh. Per. 19.

Inter transgressiones quæ merebantur hasce pœnas, *ingressus in Sanctuarium in impuritate* æque severis, ac aliud ullum peccatum, obnoxius erat. Tædiosum nimis esset omnia sigillatim recensere; paucula tantum seligemus, ex quibus de reliquis conjectura fieri poterit. Sacerdos, vel quisquis alius ingrederetur in Atrium dum erat pollutus, fiebat reus *Excisionis;* ac si ibi ministrarent in sua pollutione, Sacerdos quidem ad Altare, alius vero impositione manuum capiti victimæ, aut agitatione alicujus ejus partis, fiebant rei *Mortis per manum Cœli*. Si in hac culpa deprehenderetur Sacerdos, nunquam ad *Synhedrium* deducebatur, *sed juniores ex Sacerdotibus extra Atrium eum trahebant, & cerebrum ei fustibus excutiebant*. Ita & alios male mulctabant. Leprosus qui ingressus erat Montem Templi, octoginta ictibus flagellabatur. Qui cadavere pollutus fuerat, aut in totam diem pollutus aliqua qualibet de causa, si ingrederetur Atrium Mulierum, plectebatur *Verberatione Rebellionis*. Idem patiebatur qui eo veniebat postquam edisset, vel bibisset aliquid impuri, vel qui post septem dies pollutionis veniebat in Atrium *Israelis*, priusquam esset admissus. Qui attulerat vas, vel venerat indutus vestibus, quas pollutus quispiam cadavere tetigerat, flagris cædebatur. Ne plura exempla peculiaria addam, quicunque pollutus venerat intra Sanctum Solum, obnoxius erat reatui *Excisionis ipso facto:* ac si id deprehenderetur, & res per testes comprobaretur, nunquam effugiebat flagrum, aut etiam *Rebellionis Verbera*, quorum prius horrendum erat supplicium, posterius sæpe cum morte conjunctum erat. Est certe tritum illud dictum apud *Thalmudicos* Scriptores propter ejusmodi peccata, *licet aliquis non cædatur flagris, excipitur tamen Rebellionis Verberibus;* quasi posterior pœna mitior esset. Verum hoc ita non intelligunt; sed hæc eorum mens est: quamvis hæc pœna in Lege expressa non sit, cum Lex flagellationem tantum constituat; attamen Sapientum decreta, quæ ab ejusmodi reo sunt violata, verberibus eum damnare. *Quicunque factus est reus Excisionis, postquam flagris cæsus est, a reatu est absolutus: quemadmodum dicitur, Ne frater tuus sit vilis in oculis tuis. Ecce postquam fuit virgis cæsus, est iterum frater tuus*. Sed *Verbera Rebellionis* sæpissime mors insequebatur.

In Biath Mikdash, ubi supra. Thalm. in Sanhedr. Perek. 9.

Thalm. in Maccoth, Per. 3.

Atque ea ratione Templum ab omni pollutione ac profanatione tutum præstabatur; pœnis nempe quibus certo ii plectebantur quorum pollutio deprehendebatur, quique cum se pollutos nossent, tamen audacter Templum ingressi fuerant. Imo qui hanc suam pollutionem ignorabat, si eo veniret, non prorsus ignorantia sua excusabatur, sed statim ac noverat se in eo fuisse statu, tenebatur offerre sacrificium pro hoc suo peccato; atque hoc etiam in aliis peccatis (quæ qui scientes ac prudentes commiserant, *Excisionis* rei erant) fieri debebat ab omnibus qui præ ignorantia peccaverant. Qui comederat lardum vel sanguinem, nec noverat quid comedisset, aut venerat in Sanctuarium in pollutione sua, nec noverat se pollutum fuisse; aut admiserat quodpiam ex supra memoratis peccatis, quod se commisisse ignorabat, constituta erat ei oblatio ad expiandum ipsius peccatum, quam statim debebat affer-

afferre ex quo cognoverat se peccasse. Sed pro eo qui prudens ac sciens in ejusmodi peccata lapsus fuerat, nullum erat sacrificium quod peccata ejus expiaret, sed obnoxius fiebat indignationi ac vindictæ divinæ, humanisque pœnis dum Deus iram suam in eum effunderet. Atque eo Apostolus scribens ad *Hebræos* quibus hæc omnia notissima erant, alludit hisce verbis: *Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hostia; terribilis autem quædam expectatio judicii*, &c. *Hebr.* 10. 26. 27.

CAPUT II.

De variis ordinibus Sacerdotum & variis Templi Ministris.

Sacerdotes qui Ministerio Templi inserviebant in hosce varios ordines ac gradus distincti erant.

I. Erat Summus Sacerdos, qui notissimus & passim occurrit in Scriptura.

Vid. Maymon. in Kele Hammikdash, Perek. 4

II. *Sagan*, seu secundus a Summo Sacerdote, ut *Jerem.* 52. 24. ubi *Chaldæus Paraphrastes* utitur voce *Sagan*; quæ vox hoc sensu apud omnes Judæos Scriptores sæpe occurrit, & designat Vicarium Summi Sacerdotis, aut aliquem ex sequentibus ipsi substitutum.

III. Erant duo *Catholici*, קתוליקין, qui erant substituti *Sagan*, ut ipse *Sagan* Summo Pontifici.

IV. Erant septem *Amarchalin*, אמרכלין, qua voce sæpissime utuntur *Paraphrastæ Chaldæi*.

Thalm. in Shekalim, Per. 5.

V. Erant tres *Gizbarin*, גזברין, seu *Thesaurarii*, qui erant aliquatenus sub memoratis *Amarchalin*.

VI. Erat ראש המשמר, *Præcipuus Sacerdos uniuscujusque Classis*, quæ constanter redeunte sua hebdomade ministrabat.

VII. ראש בית אב, *Caput Familiæ* quæ in ea Classe ministrabat.

VIII. Denique erat כהן הדיוט, *Ordinarius Sacerdos*, qui inferioris sortis ad nullum superiorum ordinum pertinebat.

Jam autem hi gradus uti sunt recensiti, alii aliis erant superiores. Summus Sacerdos erat supra Saganem, *Sagan* supra *Catholicos*, *Catholici* supra *Amarcalos*, *Amarcali* supra *Gizbaros*, *Gizbari* supra Capita Classium, Capita Classium supra Capita Familiarum.

Hi varii ordines, & præsertim quidem quinque primi, erant instar perpetui Concilii quod regebat negotia ad Ministerium Templi pertinentia, aliaque quæ iis connexa erant.

Hi vocantur *Beth din shel Cohanim*, *Consessus*, seu *Consistorium Sacerdotum*, de quo in *Thalmude* Tract. *Chetuboth* hæc leguntur verba: אחת אלמנת ישראל ואחת אלמנת כהן כתבתה מנה בית דין של כהנים היו גובין ת' זוז לבתולה ולא מיחו חכמים בידם, *Perinde est an sit vidua Israelitæ, an vidua Sacerdotis, ejus dos & Muneh. Consistorium Sacerdotum petit* 400. *Zuzim pro virgine, nec Sapientes ipsis contradicunt*. Hoc potest confirmari loco *Maymonidæ*, qui referens quomodo mulieres post fluxus & puerperium afferrent pecuniam ad emendas turtures aut columbos, quam ponebant בשופר in Thesauro, ait, אין בית דין של כהנים עומדים משם עד שיכלו, &c. *Consistorium Sacerdotum inde non discedebat donec sumpsisset totam pecuniam, & obtulisset turtures ac columbos juxta summam pecuniæ*.

Perek. 1.

In Mechosere Chapparah, Per. 2.

Hos etiam credibile est esse eosdem cum iis qui dicuntur זקני כהונה, *Seniores Sacerdotii*, quibus Summus Sacerdos tradebatur a *Synhedrio*, ut eum præpararent Ministerio obeundo die Expiationis. Atque hi erant בולווטי *Consiliarii* Templi, de quibus alibi egimus.

Joma, Per. 1.

Præter hosce erant quindecim *Inspectores*, ממונין, vel Præfecti quindecim Collegiis, quorum varia erant ministeria.

Vide Shekalim, Per. 6. Maym. in Kele Hammikdash, Per. 7.

I. ממונה על זמנים, *Præfectus Temporibus*. Hic, aut aliquis ex ejus delegatis, cum tempus erat inchoandi cultus divini, alta voce clamabat: *O Sacerdotes, ad Ministerium vestrum. O Levitæ, ad vestrum Pluteum* (ad canendum.) *O Israelitæ, ad vestram stationem*: qua voce audita, unusquisque quod sui erat officii præstabat.

II. על נעילת שערים, *Præfectus claudendis januis*; juxta cujus mandata aperiebantur & claudebantur; & tuba canebat cum aperirentur. *Amarcali* aliquem huic curæ præficiebant; nam septem *Amarcali* habebant claves januarum septem Atriorum.

III. על השומרים, *Præfectus Custodum*. Hic vocabatur איש הר הבית, *Vir Montis Domus*. Unaquaque nocte circumibat Excubias Levitarum, ex quibus si quem dormientem deprehenderet, fustibus eum verberabat, & tunicæ ejus ignem injiciebat.

IV. על המשוררים, *Præfectus Cantorum*. Hic Cantores & Tubicines uniuscujusque diei designabat.

V. על הצלצל, *Præfectus Cymbalorum*. Ut præcedens præfectus erat Vocibus, Tubis, ac majoribus instrumentis; hic curam gerebat Concentus musici, in quo Cymbala adhibebantur, qui erat alterius generis, ut postea ostendam.

VI. על הפייסות, *Præfectus Sortium*, qui

qui sortibus unaquaque die tempore matutino designabat Sacerdotes, variaque eorum ad Altare ministeria.

VII. על הקינים, *Præfectus Avium*. Hic prospiciebat de turturibus & columbis, ut parati semper essent omnibus qui eos præsenti pecunia erant empturi, atque Thesaurariis rationem acceptæ pecuniæ reddebat.

VIII. על החותמות, *Præfectus Sigillorum*. Hæc Sigilla erant instar Tesserarum quæ hodie in aliquibus locis iis solent dari qui ad S. Cœnam admittuntur. Erant quatuor genera Sigillorum, vel Tesserarum, & inscripta iis erant quatuor vocabula: uni עכל *Vitulus*, alii זנר *Masculus*, alii גדי *Hœdus* alii חוטא *Peccator*.

Shekalim, Perek. 5.

Sic autem Sigillis istis utebantur. Qui oblaturus erat sacrificium, cui opus erat libamine, ibat ad Præfectum Sigillorum, qui inspiciens quodnam esset sacrificium, videbat quodnam libamen lege ei constitutum esset. Tum dabat ei Sigillum sive tesseram, cujus inscriptio conveniebat victimæ; & si foret Aries, dabat ei tesseram cum voce זכר *Mas*; si foret oblatio pro peccato, tum tradebat tesseram cui inscriptum erat חוטא *Peccator*: & sic de ceteris. Pro tessera autem accipiebat pretium libaminis quod requirebatur, alter vero accepta tessera abibat ad

IX. ממונה על הנסכים, *Præfectum Libaminum*, cui curæ erat parata habere omnis generis libamina, quæ unicuique statim traderet juxta tesseram quam afferebat; inde enim videbat quodnam foret sacrificium, & quod requireretur libamen, quod conveniens sacrificio illico suppeditabat. Vesperi Præfectus Libaminum & Præfectus Sigillorum rationem una inibant, ut viderent quid alter dedisset, alter vero accepisset.

X. על החילין, *Præfectus Ægris*. Sacerdotum Ministerium circa Altare pedibus nudis, & vestes quas gerebant leves, copiaque carnium quas comedebant, quod in iis regionibus admodum gratum non erat, efficiebant ut obnoxii essent Rheumatibus, Colicis doloribus, aliisque morbis. Eapropter constitutus erat vir Medicinæ peritus qui ægrorum curam gereret, & medicamenta ipsis præberet.

XI. על המים, *Præfectus Aquis*. Hujus erat curare ut Putei, Cisternæ & Aquæductus fierent ac conservarentur, ne in Templo & *Hierosolymæ* unquam esset aquæ penuria; ac præsertim ne deesset tribus festis cum totus *Israel* eo conveniret. *Nicodemus*, si idem sit *Nicodemus* de quo in *Thalmude*, videtur hujus rei curam gessisse; mira enim de eo in hanc rem refertur historia.

Avoth R. Nathan, Per. 6. Taanith, fol. 19.

XII. Præfectus eorum qui conficiebant Panem Propositionis.

XIII. Præfectus eorum qui conficiebant Thymiama.

XIV. Præfectus Artificum qui Vela conficiebant.

XV. Præfectus qui curam gerēbat Vestium Sacerdotalium.

CAPUT III.

De Summo Sacerdotio.

SUmmum Sacerdotium semper ad primogenitum hæreditate perveniebant. *Eleazar* enim factus est *Aaronis* primogenitus morte *Nadabi* & *Abibu*: quod bene observat *R. Solomo* in 1. *Paral.* 24. 1. *Nadab & Abibu mortui sunt sine filiis, ideoque Eleazar & Ithamar Sacerdotio functi sunt: nam*, ait ille, *si Nadab & Abibu reliquissent filios, hi habuissent Summum Sacerdotium, potius quam Eleazar & Ithamar. Ita cum Jozedek & Ezra essent filii Serajæ Summi Pontificis, solus Jozedek ei successit, non Ezra, quia Jozedek erat primogenitus.* Itaque primogeniti successive & recta linea erant Summi Sacerdotes in Familia *Aaronis*, quemadmodum ante Legem primogenitus uniuscujusque Familiæ vel Tribus solebat esse Sacerdos: unde *Chaldæus Interpres* in *Genes.* 49. 3. verba *Jacobi* sic in Paraphrasi sua exprimit: *Ruben, tu es meus primogenitns, & ad te pertinent tres portiones, Jus primogenituræ, Sacerdotium, & Regnum.* Ideoque cum *Simeon Justus* haberet duos filios *Shimei* & *Oniam*, & vellet *Shimei* Summo Pontificatu excludere, ejusque loco *Oniam* substituere, voti compos fieri non potuit, sed *Shimei* jus suum obtinuit; *Onias* vero in *Ægyptum* fugere coactus est, ubi magnificentissimum & celeberrimum ædificavit Templum.

R. Solom. in 1. Paral. 24.

Juchasin, fol. 15.

Hac successionis necessitate aliquando contigit Summum Sacerdotem minus fuisse aptum ei muneri, ut apparet tum ex aliis argumentis, tum ex eo loco Codicis *Joma*, ubi narrantur ante Expiationis diem quidam Seniores fuisse constituti qui Summo Sacerdoti adessent, & qui dicerent ei, *Domine Sacerdos Magne, tute leges ore tuo, forte oblitus es, aut forte non didicisti*. Paulo post sequitur: *Si Sapiens erat, exponebat; si non, Discipuli Sapientum exponebant coram eo. Si legendi peritus erat, legebat; si non, legebant coram eo.* Atque huc facit Proverbium vel Problema illud: ממזר ת״ח חשוב מכ״ג עם הארץ, *Eruditus licet nothus, majoris est pretii quam Summus Sacerdos ignarus.* Hinc

Per. 1.

Maym. in Thalmud, Thorah, Per. 3.

Hinc liquet munus ipſum potius typicum fuiſſe, quam perſonam.

Id. in Kele Mikdash, Per. 4.

II. Summus Pontifex inaugurabatur in munus ſuum a *Synhedrio* quod innungebat eum; vel cum defuit oleum, quod nullum fuit ſub ſecundo Templo, veſtiebat eum ſacris Summi Sacerdotis veſtibus. Si inungeretur, inungebatur per ſeptem dies continuos: ſi non inungeretur, quod omiſſum eſt cum ſacrum defuit oleum, induebatur octo veſtibus Sacerdotalibus per ſeptem dies continuos, atque hæc cæremonia vocabatur, מרובה בגדים, *Inauguratio per veſtimenta*.

Veſtes autem hæ erant.

I. כתונת, *Tunica*. Hæc erat proxima cuti, & conſtabat ſubtili lino, eratque operis teſſellati; inſtar veſtis ſtriatæ; unde vocabatur כתונת תשבץ, *Tunica teſſellata*, Exod. 28. 4. ut *Saulis* chlamys vocatur שבץ, 2. *Sam.* 1. 9. Talem unuſquiſque ex Sacerdotibus gerebat dum miniſtraret, abſque ullo diſcrimine, & ipſe Summus Sacerdos geſtaverat antequam ad eam dignitatem perveniſſet, cum ex ordinariis tantum eſſet Sacerdotibus. Cum iſtæ horum Sacerdotum tunicæ lineæ adeo eſſent detritæ, ut iis amplius uti non poſſent, eas lacerabant, atque inde conficiebant ellychnia in uſum lampadum Candelabri Aurei.

Thalmud Hieroſ. in Succah, Per. 5.

II. מכנסין בד, *Femoralia linea*, Exod. 28. 42. Cum dicitur teſſelata Tunica fuiſſe proxima cuti, id intelligendum eſt de humeris & ſuperiore corporis parte; neque enim ordinarii Sacerdotes veſtimentum gerebant craſſius teſſelato iſto induſio, ſic enim lineam iſtam Tunicam vocare poſſumus. Sed habebant præterea femoralia linea quibus inferiorum corporis partium tegeretur nuditas. Cum detrita erant, ea etiam lacerabant, indeque conficiebant ellychinia candelis quibus diebus feſtis utebantur, vel funes ad aquam hauriendam feſti Tabernaculorum magna & poſtrema die. Eidem etiam uſui adhibebant detrita Cingula.

III. אבנט, *Cingulum*. Erat longa faſcia linea; qua ſæpius corpus cingebant tum ſupra, tum infra mammas, partim ne frigerent, partim etiam ut eorum latera firmiora eſſent, ſi quod miniſterium difficilius eſſet obeundum. Summus Sacerdos par habebat reliquis Sacerdotibus cingulum.

IV. מעיל, *Pallium Ephodi*. Hanc veſtem ſolus Pontifex Maximus gerebat; & vocabatur *Pallium Ephodi*, quia *Ephod* id cingebat. Non habebat manicas, ut Induſium teſſelatum, ſed conſtabat duobus præcipue ſegmentis, quorum unum ante pectus pendebat, alterum a tergo. Collare hujus *Ephodi* erat ſimile collari totius loricæ, & caput ei inſerebatur. A collari inferius ſegmenta illa erant diviſa, ac Sacerdos inter ea hinc inde brachia exerebat. In infima ora ſegmentorum illorum erant in unoquoque triginta ſex tintinnabula aurea, cum Malis granatis operis Phrygii inter unumquodque crepitaculum, hoc eſt, ſeptuaginta duo crepitacula. Hoc Pallium erat ὑακίνθινος, ut tum *Joſephus*, tum *Phylo* teſtantur; ac ſic vertitur vox תכלת, ex qua materia, ut *Maymonides* ait, totum conſtabat, quam *Philo* vertit etiam ἀέρος ἐκμάγειον, *Colorem Aeris*.

Joſep. Ant. lib. 3. c. 8. Philo de Vita Moſis lib. 3. pag. apud me 519.

V. אפוד, *Ephod*. Hujus latitudo erat latitudo dorſi ab uno humero ad alterum, & pendebat a tergo ab axillis uſque ad pedes. Sub axillis erant duæ faſciæ quæ ad mammas uſque adducebantur, ubi connectabantur, quæque vocabantur חשב, hoc eſt, *artificioſum cingulum Ephodi*, quia iſtæ faſciæ, non ſecus ac *Ephod*, erant arte eximia ſubtili filo & auro confectæ. Erant etiam duo humeralia, quæ ambibant humeros Sacerdotis & ab antica parte cingulo, a poſtica *Ephodo* erant connexa, quod a tergo pendebat, quemadmodum vela mulierum, & ad pectus aliquatenus accedebat, ut ſemicinctia quorundam opificum, quæ ab humeris ad pectus uſque pendent. Duobus hiſce humeralibus erant inſerti duo berylli auro conſtricti, quibus erant inſculpta duodecim Tribuum nomina, ſex in dextro, ſex vero in ſiniſtro, quorum etiam literæ ita æqualiter diviſæ erant, ut in alterutro humerali eſſent viginti quinque, ideoque nomen *Joſeph* ſcriptum erat *Jehoſeph*, ut eſſet par numerus literarum; atque ita ſcribitur *Pſalm.* 81. 6.

Hiſce humeralibus impoſiti erant duo clavi aurei, unde pendebant duæ catenulæ, quæ Pectorale annectebant *Ephodo*, & tam arcte quidem, ut per ſe non poſſent ſeparari; ſi quis vero ea data opera ſeparaſſet, flagris cædebatur.

VI. חושן, *Pectorale*. Hoc erat aureum, quadratum, palmaris latitudinis, & duplex. Huic inſertæ erant duodecim gemmæ quatuor ordinibus, ita ut tres eſſent in unoquoque ordine. Hæ vocabantur *Urim & Thumim*, Exod. 28. 30. quorum ſepæ meminit Scriptura, & quæ reſponſis Dei, cujus voluntas per ea inquirebatur, erant celebria; quod qua ratione fieret, alibi diximus. In templo ſecundo fecerunt quidem Pectorale, & *Urim* ac *Thumim*, ſeu poſuerunt quidem gemmas in Pectorali, ſed nunquam Deum per eas conſuluerunt, quia Spiritus Prophetiæ tum diſceſſerat.

Maymon. ubi ſupra, Per. 10.

VII.

VII. מצנפת, *Tiara*, vel *Mitra*, ut vertit Græca verba *Philonis* Interpres *Anglus*, ubi dum loquitur de vestibus Summi Sacerdotis, inter alia, οὐδέποτε, inquit, ἀπομιτρῶται, *that in the service he never vvent vvithout the Miter*, nunquam Mitram deponet. Erat autem Πῖλος ἄκωνος οὐ διικνούμενος εἰς πᾶσαν κεφαλὴν, ἀλλ' ἐπ' ὀλίγον ὑπερβεβηκὼς μέσης. *Tiara*, ait *Josephus*, *sine corona, quæ per totum caput non porrigebatur, sed tantum paulo supra medium caput, quam capiti imponebat instar coronæ. Constabat lino, eratque veluti longa fascia, qua circum involvebat caput*. Circumplicabatur instar Tiaræ Turcicæ, sed carebat ea parte quæ summitatem capitis tegit, qua erat aperta, cingens tantum tempora, veluti corolla florea.

Philo de Profug. pag. apud me 364. Joseph. Ant. ubi supra,

VIII. ציץ, *Lamina aurea*, Exod. 28. 36. Hæc erat alligata fronti Tiaræ, eique hæc erant insculpta verba SANCTITAS DOMINO. *Atque inter hanc Laminam & Tiaram ponebat*, auctore *Maymonide*, *sua Phylacteria*.

Ubi supra, Per. 10.

Ita Summus Sacerdos splendidissimis & pretiosissimis vestibus indutus erat; munus ejus etiam eminentissimum & summæ dignitatis. Sed dignitas muneris in eo præsertim sita erat, quod esset typus *Summi Sacerdotis futuri*; cujus typi & antitypi explicatio tam copiose expressa est in Scriptura, & præsertim quidem in Epistola ad *Hebræos*, ut ei immorari necesse non sit. Addemus tantum testimonium viri alieni ab Evangelio, aut etiam adversarii Evangelii, qui tamen hac in re mire cum eo consentit. Is est *Philo Judæus*, quem antea laudavimus, qui postquam varia de Maximo Pontifice dixit, sic orationem suam claudit: Λέγομεν γὰρ τὸν Ἀρχιερέα, οὐκ ἄνθρωπον, ἀλλὰ θεῖον λόγον εἶναι, πάντων οὐχ ἑκουσίων μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀκουσίων ἀδικημάτων ἀμέτοχον. *Dicimus Summum Sacerdotem non esse tantum hominem, sed Verbum etiam Dei, omnium non voluntariorum duntaxat, sed & involuntariorum peccatorum expertem*. Si quis cupiat videre quam allegorice interpretetur significationem variarum partium vestium Pontificis Maximi de variis partibus Mundi, Aere, Terra, Aqua, Igne, potest eum adire fuse, pro more, de hisce omnibus differentem, Libro 3. *De Vita Mosis*, pag. apud me 519. 520. 521. ubi postquam multa inania fudit verba, tandem dictum hoc aureum profert, præferendum mille voluminibus, refertis cogitationibus quas antea edidit. Ἀναγκαῖον ἦν τὸν ἱερώμενον τῷ τοῦ κόσμου πατρὶ παρακλήτῳ χρῆσθαι τελειοτάτῳ τὴν ἀρετὴν υἱῷ πρός τε ἀμνηστίαν ἁμαρτημάτων καὶ χορηγίαν ἀφθονωτάτων ἀγαθῶν. *Necesse erat sacra facientem Patri mundi, perfectissimæ virtutis Filio ejus uti tanquam Mediatore, vel Advocato, ad obtinendam remissionem peccatorum, & largitionem copiosissimorum bonorum*.

Philo. ubi supra.

Id. pag. 321.

Qui semel inauguratus fuerat Summo Sacerdotio, eo munere per totam vitam fungebatur: Οὐ γὰρ ἄλλος γε τὶς ἀφῃρέθη, τὴν τιμὴν ἅπαξ παραλαβών. *Nemo enim exauctorabatur, ex quo semel eum honorem obtinuerat*, hoc est, nulla exauctoratione legali. Sed tandem pecunia & gratia eversum est id privilegium, cum intruderentur ac ejicerentur Summi Sacerdotes, prout alter alteri prævaleret: cujus rei *Gemara* in Tractatu *Joma* meminit, & *Josephus* variis in locis exempla profert.

Joseph. Antiq. lib. 15. cap. 3.

Summus Sacerdos in quibusdam nullo peculiari privilegio a populo distinguebatur. *Poterat esse testis in causis, & testimonium adversus eum ferri poterat, non secus ac contra quemlibet alium. Poterat esse Judex, & judicio subjici, ut alius quilibet*. Imo כ״ג שעבר עבירה שחייב עליה מלקות מלקים אותו בב״ר של ע״א כאשר מחוייבי וחזר לגדולתו, *Si commisisset peccatum, quod juxta Legem flagrum mereretur, Magnum Synhedrium eum flagellabat, & postea suæ dignitati restituebatur*. Ejus calceus exuebatur cum noluit suscitare semen fratri suo, quamvis per Legem hoc ei non liceret, quippe quæ vetabat Summum Sacerdotem ducere viduam; ejus uxor etiam absque liberis relicta poterat exuere calceum proximi affinis; & multa alia memorantur, in quibus Summus Pontifex in iis quæ ad Legis observationem pertinebant, nullo privilegio præ cæteris gaudebat, sed quibus non immorabimur, quia ad institutum nostrum non faciunt.

Sanhedr. Per. 2.

Maymon. in Biath Mikdash, Per. 4.

Sed erant etiam quædam in quibus distinguebatur a reliquo populo, non tantum respectu dignitatis muneris sui, (quo a reliquis Sacerdotibus distinguebatur) sed etiam respectu rerum quarundam civilium. Quicunque ex suis mortuus esset, non licebat ei prosequi funus, nec lacerare vestes propter mortuum: non poterat esse obvelatus, si alii obvelati essent; nec retectus, si alii essent retecti, sed contrarium semper observare debebat: dum alii solo insiderent, ipse sedili insidebat. Alia sunt multa similia quæ recensere tediosum esset.

Differebat a reliquis Sacerdotibus, quod esset supra eos omnes positus, quod inungeretur, & indureretur splendidissimis vestibus, & die Expiationis peculiare obiret Ministerium.

CA-

CAPUT IV.

De Successione Summorum Sacerdotum.

SECTIO I. *De Successione usque ad Ædificationem Templi.*

CAtalogus, seu Successio Summorum Pontificum a prima Sacerdotii institutione ad postrema tempora quorum meminit Vetus Testamentum, ita in Scriptura nobis exhibetur.

1. *Aaron*, Levit. 8. 7. *&c.*
2. *Eleazar*, Numer. 20. 28.
3. *Phineas*, Numer. 25. 13. *Jud.* 20. 28. Hunc *Eliam* fuisse pertinaciter contendunt Judæi.
4. *Abishua*,)
5. *Bukki*,)
6. *Uzzi*,) 1. Paral. 6. 5. 6.
7. *Zerujah*,)
8. *Merajoth*.) Hic Summum Sacerdotium a linea *Eleazaris* ad lineam *Ithamaris* translatum est.
9. *Eli* ab *Ithamare* oriundus, 1. *Sam.* 1. 9. & 2. 35. 36.
10. *Phinehas*, 1. Sam. 4.
11. *Abitub*, 1. Sam. 14. 3. & 22. 20.
12. *Abimelech*, vel *Abijah*, ibid.
13. *Abiathar*, 1. Sam. 22. 20. Hic ejectus fuit Summo Sacerdotio a *Solomone*, 1. Reg. 2. 26.

Temporibus horum Summorum Sacerdotum ex Familia *Ithamaris*, hæc fuit successio in linea *Eleazaris*.

Amarjah, 1. Paral. 6. 7.
Abitub,)
Zadok,) 2. Sam. 8. 17.

Cum porro dicatur in hoc ultimo loco, *Zadok filius Abitub, & Abimelech filius Abiathar erant Sacerdotes*, id debet intelligi ut quod habetur 1. *Sam.* 1. 3. *Hophni & Phineham fuisse Sacerdotes Domino*, hoc est, Principes Sacerdotum, & præcipuos præfectos Ministerio Sanctuarii, dum eorum pater *Eli* erat Summus Sacerdos. Sic initio Regni *Davidis Abiathar* erat Summus Sacerdos, eratque ex Familia *Ithamaris*; & cum Pontifex Maximus non posset perpetuo quotidiani cultus curam gerere, ideo *Zadok Eleazaris* nepos, & *Abimelech Ithamaris*, erant sub eo Principes Sacerdotum.

SECTIO II. *Summi Sacerdotes ab ædificatione Templi ad Captivitatem.*

Statim ac solio insedit *Solomon*, exegit Sacerdotio *Abiatharem*, utpote reum conspirationis *Adoniiæ*; ejusque loco substituit *Zadokum*; ac linea *Eleazaris* tum recuperavit Sacerdotium.

Zadoki filius fuit *Abimaaz*, 2. *Sam.* 15. 26. Hujus filius *Azariah*, qui filium habuit *Johanan*. 1. *Paral.* 6. 9. Hi sex omittuntur ab *Ezra* in recensione lineæ Sacerdotalis, *Ezr.* 7. cujus omissionis hanc possumus conjicere causam fuisse, quod nempe a tempore *Amariæ* domus *Eli* cœperit fungi Summo Sacerdotio, & ad tempus *Azariæ* filii *Johananis* non cœperit Ministerium Sacrum in Templo *Solomonis*.

Filius *Johananis* fuit *Azariah*. *Hic functus est Sacerdotis munere in Templo quod Solomon ædificavit Hierosolymæ*, 1. *Paral.* 6. 10. Sed quæritur quo tempore cœperit; an statim ac perfectum fuit Templum, an vero postea. Judæi vulgo contendunt hunc esse *Azariam* qui se opposuit *Uzziæ*, cum in Templum ingressus est ut Thymiama offerret, 2. *Paral.* 26. 17. 21. Et quia hic tam fortiter pro honore Sacerdotii contra Regem stetit, de hoc solo dici eum *functum esse Sacerdotis munere in Templo*.

Ulterius etiam procedit *Kimchi*, qui dicit hunc *Azariam* qui se *Uzziæ* opposuit, natum esse *Solomonis* tempore; adeo ut vitam ei tribuat ad minimum ducentorum annorum, quæ illis temporibus tam longæva esse non solebat. Sed si consideremus tempora Summorum Sacerdotum qui ei successerunt ad Captivitatem usque, satis liquebit hunc *Azariam* filium *Johananis* fuisse Summum Sacerdotem *Solomonis* tempore, & fato functum ac putrefactum multis annis antequam nasceretur *Uzzias*.

Hic *Azariah* genuit *Amariam*, ut discimus ex 1. *Paral.* 6. 11. *Amariah* autem hic fuit Summus Sacerdos temporibus *Jehosaphati*, 2. *Paral.* 19. 11. *Amariah* genuit *Abitub*, 1. *Paral.* 6. 11. Hic *Abitub* idem fuit ac *Jehojada*, 2. *Paral.* 23. 1. &c. & vocatur *Abitub Rector Domus Dei* 1. *Paral.* 9. 11. *Nehem.* 11. 11. propter auctoritatem quam ostendit in evehendo ad solium Rege *Joaso*, & in Reformatione instituenda.

Abitub generavit Zadokum 1. *Paral.* 6. 12. qui fuit socer Regis *Uzziæ*, 2. *Paral.* 27. 1. Zadok autem non fuit immediate filius *Abitubi*, sed tantum nepos; nam Zadok fuit filius *Merajoth* filii *Abitubi*, 2. *Paral.* 9. 11. qui *Merajoth* optime potest censeri idem ac *Zechariah*, filius *Jehojadæ*, qui fuit lapidibus obrutus in Atrio Templi, 2. *Paral.* 24. & dictus hic *Merajoth* propter magnam illam rebellionem populi contra Deum, Prophetam ejus & Templum; & omissus in linea

linea Sacerdotum, 1. *Paral.* 6. quia non considerabatur tanquam Summus Sacerdos, cum Sacerdotium ejus non fuerit longum, & mortuus sit tanquam Propheta.

Zadok genuit *Shallum*, 1. *Paral.* 6. 12. vel *Meshullam*, 1. *Paral.* 9. 11. quorum alteruter, seu pater, seu filius, sese opposuit *Uzziæ* cum voluit Thymiama offerre: sed potius crediderim hoc fecisse *Zadokum* Regis socerum, qui in ea historia vocatur *Azariah*, non secus ac Rex ipse. Aut ipse, aut *Shallum* vocatur etiam *Uriiah*, 2. *Reg.* 16. 10.

Shallum genuit *Hilkiam*, 1. *Paral.* 6. 13. Hic *Hilkiah* reperit Manuscriptum *Mosis* tempore Regis *Josiæ* 2. *Paral.* 34. 14.

Hilkiah genuit *Azariam*, 1. *Paral.* 6. 13. & 9. 11. *Ezr.* 7. 1.

Azariah genuit *Serajam*, 1. *Paral.* 6. 14. Hic *Serajah* genuit *Josedek* & *Ezram*, *Ezr.* 7. 1. Horum posterior fuit interfectus a *Nebucadnezare* cum expugnavit *Hierosolymam*, 2. *Reg.* 25. 18.

Jozedek major natu filiorum *Serajæ* abductus fuit *Babylonem*, 1. *Paral.* 6. 15. unde nunquam rediit. Atque sic habemus Summos Sacerdotes ad Captivitatem usque. Jam si retro oculos flectamus in ea tempora quæ percurrimus, non difficile erit colligere eum *Azariam* qui dicitur *functus munere Sacerdotis in Solomonis Templo*, 1. *Paral.* 6. 10. functum eo fuisse cum primum Templum ædificatum fuit, vel prima statim vice qua in eo sacra facta sunt, vel cum instauraretur cultus divinus, postquam *Solomon* Apostasiæ suæ pænitentiam egit.

Sectio III. *Summi Sacerdotes sub Templo secundo.*

Acturi de Summis Sacerdotibus post reditum ex Captivitate usque ad eversionem Templi, primo statim limine priusquam ulterius procedamus, afferendus nobis est locus *Thalmudis Hierosolymitani*, quod aliquid hac de re habet. *In primo Templo*, ait in *Joma*, *Summi Sacerdotes ministrabant, filio semper patri succedente; & illi fuere octodecim numero: sed in secundo Templo constituebant Summum Sacerdotem pro pecunia; & quidam dicunt eos se invicem interfecisse veneficiis, adeo ut quidam dicant fuisse octoginta Sacerdotes in eo spatio temporis, quidam unum & octoginta, alii duos & octoginta, alii tres & octoginta, alii quatuor & octoginta, alii quinque & octoginta.*

[Thalmud, Hieros. Per. 1. Joma.]

Ne immoremur in expendendo illo *octodecim* Sacerdotum numero, [qui aliquatenus convenit cum supra a nobis memorato, licet *R. Solomon* putet legendum esse *octo*] observabimus duntaxat inde nos in promptu habituros excusationem, si nequeamus tam accurate recensere personas post Captivitatem, quandoquidem, fatentibus ipsis Judæis, numerus ille adeo varius est & incertus, ut Doctores de eo inter se non consentiant, sed in varias abeant opiniones.

[R. Solom. in 1. Par. 6.]

I. JOSHUA filius *Jozedek*, [qui, juxta *Syriacam* pronunciationem, vocatur etiam *Jeshua*] parte mortuo, rediit ex Captivitate cum *Zorobabele*, & cœpit ac promovit ædificationem secundi Templi, & restitutionem populi in pristinum statum. Hic fuit Summus Sacerdos toto tempore *Cyri* & *Ahasueri*, & sub annis aliquot Regni *Darii*. Summum Sacerdotium, quod tum humile ac miserum videbatur, instauratum, ac in splendore constitutum, ei in visione oblatum est, *Zachar.* 3. Atque uti eodem nuncupabatur nomine, ita etiam figura erat Domini *Jesu*.

[Ezr. 2. 2. Hagg. 2. 2.]

[Hagg. 1. 1. &c.]

II. JOJAKIM, *Nehem.* 12. 10.

III. ELJASHIB, *Nehem.* 12. 10.

IV. JOJADA, *Nehem.* 12. 10. *Josephus* eum vocat *Judam*.

[Josephus Antiq. lib. 11. cap. 5. Antiq. lib. 11. cap. 7.]

V. JONATHAN, vel JOHANAN, *Nehem.* 12. 11. 22. *Josephus* vocat eum Ἰωάννην, & refert quomodo interfecerit fratrem suum *Jesum* in Templo, quem *Bagoses* Præfectus *Artaxerxis* Junioris volebat constituere Summum Sacerdotem: propter quod factum facinus *Bagoses* irrupit in Templum, & tributum imposuit quadraginta Drachmarum in unumquemque agnum qui in quotidiano sacrificio offerebatur.

[Id. ibid.]

VI. JADDUA, *Nehem.* 12. 11. 12. Habuit fratrem, cui *Manasses* nomen fuit. Is uxorem duxit *Sanaballetis* filiam; & propterea ejectus Sacerdotio, ac profugus, occasionem dedit ædificationi Templi in Monte *Gerizim*. *Jaddua* vero *Alexandro* occurrit sacerdotalibus indutus vestimentis, eumque iratum ad delendam *Hierosolymam* venientem solo adspectu placavit.

[Id. ibid. cap. 8.]

VII. ONIAS filius *Jadduæ*.

[Id. ibid. prope fin. & lib. 12. cap. 2.]

VIII. SIMON vel SIMEON *Justus*. Frequentissima est hujus viri mentio apud Scriptores Hebræorum, & res maximæ de ipso feruntur; ut quod fuerit vigesimus tertius qui Traditiones accepit; quod duas Vaccas rufas combusserit ut faceret lustrales cineres; quod fuerit ultimus ex CXX. viris Magnæ Synagogæ *Ezræ*; quod totius sui Sacerdotii tempore unam tantum acceperit *Nazirai* oblationem; quod unoquoque die Expiationis Angelus una cum ipso ingressus fuerit in Sancta Sanctorum

[Id. ibid. Juchasin, fol. 1. & fol. 13.]

ctorum, & cum ipso egressus fuerit, præter ultimam vicem qua eo ingressus est, & qua Angelus ingressus cum eo non exiit, unde cognovit se eo anno moriturum; quod eo moriente ignis Altaris valde elanguerit &c. Ajunt eum reliquisse duos filios, *Shimei* & *Oniam*, & voluisse successorem habere in Summo Sacerdotio *Oniam*, qui fugatur a fratre, profugit *Alexandriam*, ubi celeberrimum illud ædificavit Templum, &c.

Quidam putant hunc *Simeonem Justum* eundem fuisse cum *Jaddua*, & patrem habuisse *Josuam* vel *Jesum*, qui fratrem suum interfectorem habuit *Jonathanem*: verum hac de re disceptationem instituere animus non est.

Joseph. Antiq. lib. 12. cap. 2.

IX. ELEAZAR. Hic fuit *Simeonis* frater. Hic *Eleazar* misit Septuaginta Seniores, qui Legem in Græcam linguam verterent, ad *Ptolemæum Philadelphum*.

Id. ibid. cap. 3.

X. MANASSES *Eleazaris* patruus.

Id. ibid. ad fin.

XI. ONIAS filius *Simeonis Justi*, vir avarus, & qui cupiditate sua sibi iram *Ptolemæi Evergetæ* conscivit.

Id. ibid. cap. 4. ad fin.

XII. SIMON filius *Oniæ*.

XIII. ONIAS filius *Simonis*.

Id. ibid. cap. 6.

XIV. JESUS frater *Oniæ*; nam *Onias* reliquit quidem filium, sed puerum. Hic *Jesus* semet ipsum indigitavit *Jasonem*.

XV. ONIAS frater *Jasonis* vel *Jesu*, qui se vocavit *Menelaum*. Hic contendens cum fratre *Jasone*, advocavit *Antiochum Epiphanem*, & ipse valedixit Legibus & Religioni patriæ suæ. *Antiochus Hierosolymam* ingressus, evertit omnes Leges ac Religionem, & tantis calamitatibus affecit *Israelem*, ut similes ex quo populus erat nunquam sensisset ad id usque tempus, *Dan.* 12. 1. Vide & 11. 31. 32. *Macc.* 1. 14. 45.

Joseph. Antiq. lib. 12. cap. 7. Id. ibid. cap. 8. 1. Macc. 2. 1.

XV. Hæc desolatio quam *Epiphanes* induxit in Templum & Religionem effecit ut MATTATHIAS ex Classe *Jojarib*, quæ prima erat ex viginti quatuor Classibus, cum jam senex esset, surgeret ad defensionem Religionis, & liberationem patriæ suæ. *Chaldæus Paraphrastes* vocat eum Summum Sacerdotem, *Cant.* 6. 6.

Hic cœpit se extendere nomen ac fama Familiæ *Asmonæorum*, quæ apud omnes adeo celebris est Auctores. Huic Familiæ applicat *Chaldæus Paraphrastes* dictum illud *Annæ*, 1. *Sam.* 2. 4. *Infirmi accincti sunt robore. Anna*, inquit, *prophetat de Græcorum Regno, cum dicit, Arcus fortium fractus est; & de Familia Asmonæorum, quæ erat debilis, & in cujus gratiam signa & prodigia facta sunt, cum dicit, Infirmi accincti sunt robore*: Ita etiam *Thargum Cantici Canticorum* applicat septimum versum *Cap.* 6. ejus Libri, eidem Familiæ: *Sicut frustum mali Punici sunt tua tempora. Regnum*, inquit, *Asmonæorum Familiæ fuit plenum judiciis, ut malum Punicum*, &c.

Jam ne inquiramus originem vocis, quam reperimus *Psalm.* 68. 32. & quam Judæi magno consensu interpretantur *Summos Duces ac Principes*, *Mattathias* non diu prorogavit vitam, postquam pro devastata patria arma sumpsit, & curam belli reliquit filiis suis: inter quos

Joseph. Antiq. lib. 12. cap. 9. 10. &c. 1. Macc. 3. & 4. &c.

XVII. JUDAS [cognomine dictus *Maccabæus* ex initialibus hisce literis quæ in vexillo ejus legebantur, מכבי, hoc est, מי כמכה באלים יהוה, *Exod.* 15. 11. *Domine, quis similis est tibi inter potentes?*] suscepit tuenda jura populi sui, Legem, Religionem ac Fœdus; quod magnis victoriis obtinuit: sed tandem fuit interfectus.

Id. ib. cap. 15. 16. 17. 1. Macc. 7. 12. 13. 14. &c. & 9. 1. 5. 55. 1. Macc. 9. & 10. & 11. & 21. Joseph. Antiq. lib. 13. ad c. 11.

Hisce temporibus cum omnia perturbata essent tum in regione, tum in Religione, quidam ALCIMUS gessit nomen Summi Sacerdotis; & ex Sacerdotali quidem prole oriundus erat: ceterum criminibus & impietate similior Ethnico quam Summo *Israelis* Sacerdoti, multa perpetravit scelera, & horrenda tandem morte absumptus est.

XVIII. JONATHAN. Successit fratri suo *Judæ* in imperio exercitus, & factus Summus Sacerdos ab *Alexandro* filio *Antiochi*, multa egregia edidit facinora, & tandem a *Tryphone* est trucidatus.

1. Macc. 14. & 15. & 16. Joseph. ubi supr. c. 11. 12. & 13. Joseph. ubi supr. c. 18. Juchasin, fol. 14.

XIX. SIMON frater ei successit, vir etiam fortissimus, & instar fratrum, commodorum populi studiosissimus; sed per insidias a genero suo e medio sublatus est.

XX. JOANNES, dictus etiam *Hyrcanus*, vel *Hyrcanus Jannai*. Expugnavit *Samariam*, & diruit Templum *Gerizitanum*; interfecit multos Sapientes *Hierosolymæ*; fuit Summus Sacerdos per octoginta annos, ac *Sadducæorum* sententiam amplexus est.

Joseph. ib. cap. 9.

XXI. ARISTOBULUS ejus filius. Primus nomen Regium assumpsit.

Ibid. cap. 22. 23.

XXII. ALEXANDER. Gessit etiam Regium nomen, multa confecit bella, ac denique obiit febri quartana, qua per tres annos vexatus fuerat.

Ibid. cap. 24.

XXIII. HYRCANUS ejus filius Summus Sacerdos factus est: sed ejus mater *Alexandra Pharisæorum* auxilio Regnum administravit.

Lib. 14. cap. 4. 5. 6.

XXIV. ARISTOBULUS junior frater *Hyrcani* post mortem ipsorum matris *Alexandræ*, bellum fratri intulit, e solio eum ad privatam vitam deturbavit, Regnumque ac Summum Sacerdotium assumpsit.

Uterque conabatur sibi conciliare auxilium *Romanorum*, *Scauri*, & *Pompeii*. *Aristobulus* provocato quadam petulantia *Pompeio*, ei occasionem dedit expugnandæ *Hierosolymæ*, & Judæorum *Romano* jugo subjiciendorum, quod nunquam postea excutere potuerunt. *Pompeius* restituit Summum Sacerdotium *Hyrcano*, & abduxit *Aristobulum* filiumque ejus *Antigonum*, & duas filias, captivos *Romam*.

Ibid. cap. 10. XXV. ALEXANDER filius *Aristobuli* manus *Pompeii* effugit cum patrem & fratrem captivos *Romam* abduceret, atque in *Judæa* varios excitavit tumultus; & cum Regnum affectasset, a *Romano* Duce *Gabinio* bis oppressus est.

Ibid. cap. 21. & 25. XXVI. ANTIGONUS, alter *Aristobuli* filius, *Roma* elapsus venit in *Judæam*, & primum auxilio Regis *Tyri*, postmodum *Parthorum*, Summum Sacerdotium ac Potestatem *Hyrcano* eripuit, eumque in carcerem conjecit, aurem ei abscindi curavit, eaque mutilatione ineptum eum Summo Sacerdotio reddidit. Sed ut *Hyrcanus* auribus mutilatus fuerat, tandem *Antigonus* capite obtruncatus est *Antiochiæ* ab *Antonio* securi percussus, cum eum primum crucifigi, & virgis cædi jussisset. (Lib. 15. c. 1. Dion. Cassius, lib. 49.)

Joseph. lib. 15. cap. 2. XXVII. ANANELUS inferior Sacerdos *Babylone* ejectus factus est Summus Sacerdos ab *Herode*. Hinc iram concepit *Alexandra* filia *Hyrcani*, & uxor *Alexandri* filii *Aristobuli*; imo & *Mariamne Herodis* uxor quæ erat *Alexandræ* filia, quod inferioris sortis Sacerdos prælatus fuisset *Aristobulo Mariamnes* fratri & *Alexandræ* filio. Hæ mulieres variis artibus ac importunitate obtinuerunt Summum Sacerdotium *Aristobulo*, atque exauctorationem *Ananelis*. (Ib. cap. 2.)

Ib. cap. 3. XXVIII. ARISTOBULUS, juvenis raræ pulchritudinis, factus est Summus Sacerdos, cum annum ætatis decimum quintum non excederet: sed postquam Sacerdotio per annum aut paulo amplius potitus esset, *Herodes* curavit eum suffocari, cum lavaretur. Tum *Ananelus* iterum Summum Sacerdotium consequutus est.

Ib. cap. 12. XXIX. JESUS filius *Faventis*. Eum brevi exauctoravit *Herodes*.

Ibid. XXX. SIMON filius *Boethi*. Erat tantum Sacerdos; sed cum *Herodes* duxisset ejus filiam raræ pulchritudinis puellam, constituit eum Summum Sacerdotem.

Lib. 17. cap. 6. XXXI. MATTHIAS filius *Theophili*. *Herodes* exauctoravit socerum suum *Simonem*, quia putabat eum, ejusque filiam uxorem suam, sociare consilia cum filio suo *Antipatro*.

Ibid. 8. XXXII. JOZARUS, filius *Simonis* frater uxoris *Herodis*, *Matthia* ab *Herode* exauctorato.

Ib. cap. 15. XXXIII. ELEAZAR factus est Summus Sacerdos a Rege *Archelao*, exauctorato *Jozaro*.

Ibid. XXXIV. JESUS filius *Sie* expulit *Eleazarum*.

Lib. 18. cap. 1. XXXV. JOZARUS secundum. Eum locum occupabat cum descripta est *Judæa* a *Cyrenio*, Luc. 2. eo tempore quo *Christus* natus est; & cum populus jam jam esset rebellaturus, potius quam tributa *Romanis* penderet, persuasionibus suis eum in officio continuit.

Ib. cap. 3. XXXVI. ANANUS, remoto *Jozaro*, factus est Summus Sacerdos a *Cyrenio*.

XXXVII. ISMAEL promotus a *Valerio Grato*, ejecto *Anano*.

Ibid. XXXVIII. ELEAZAR filius *Anani*, pulso *Ismaele*, ab eodem *Grato* promotus, functus est Summo Sacerdotio anno unico.

XXXIX. SIMON filius *Kamith* ab eodem *Grato* constitutus est. *Thalmud Hierosolymitanum* vocat eum בן קמחית, & refert hanc de eo historiam. *In præparatione diei Expiationis, cum exiisset ut Regem alloqueretur, aliquantulum salivæ in vestes ejus decidisse, eumque polluisse; ideoque Judam ejus fratrem die Expiationis ejus loco vices Summi Sacerdotis obiisse, atque ita matrem eorum Kamith vidisse duos filios suos Summos Sacerdotes una die.* Habuit septem filios, qui omnes Summo Sacerdotio functi sunt; unde ortum est Proverbium: כל קמחה קמחא וקמחא קמחית סולת, *Omnis farina est farina; sed farina Kamchith est pollis*, in *Joma*, Per. 1.

Ibid. XL. CAJAPHAS, qui etiam vocabatur *Joseph*. Erat etiam ex iis quos promovit *Gratus*, qui omnes istas mutationes intra undecim annos fecit. Jam autem pervenimus ad tempora mortis Servatoris nostri, atque ad facinorosum hominem qui ejus criminis pars magna fuit *Annas* vel *Ananus*, qui ante quartam mutationem fuerat Sacerdos ante ipsum, dicitur fuisse Summus Sacerdos cum ipso, *Luc.* 2.

Ib. cap. 6. XLI. JONATHAN filius *Anani*, factus Summus Sacerdos a *Vitellio* loco *Cajaphæ*, quem exauctoravit.

Ib. cap. 7. XLII. THEOPHILUS frater *Jonathanis*, remoto *Jonathane*, ab eodem *Vitellio* factus est Summus Sacerdos.

Lib. 19. cap. 5. XLIII. SIMON, dictus etiam *Kantherus*, constitutus est Summus Sacerdos ab *Herode Agrippa*, *Theophilo* remoto. Hujus *Simonis* filiam duxit *Herodes*, & in mutationibus, quæ ab his temporibus tam frequentes fuerunt, exauctoratus est.

XLIV.

Ib. cap. 6.

XLIV. JONATHAN filius *Anani*, iterum restitutus ab *Agrippa*: sed optavit sibi substitui fratrem *Matthiam*, ut qui aptior esset Summo Sacerdotio quam ipse; quod fuit instar portenti eo tempore, quo ambiebatur tanta cupiditate Summum Sacerdotium.

Ib. cap. 7.

XLV. MATTHIAS, substitutus *Jonathani*.

XLVI. ALIONEUS, vel *Eliœnai* ab *Agrippa* constitutus loco exauctorati *Matthiæ*.

Lib. 20. cap. 1.

XLVII. JOSEPHUS filius *Kanei* promotus ab *Herode* Rege *Chalcidis*.

Ib. cap. 6.

XLVIII. JONATHAN trucidatus insidiis Præsidis *Felicis*.

Ibid.

XLIX. ISMAEL filius *Fabi*.

Ibid.

L. JOSEPHUS filius *Simonis*.

Ib. cap. 2.

LI. ANANUS filius *Anani* supra memorati. Hic erat *Sadducæus*. Interfecit *Jacobum* fratrem Domini nostri. Dicitur *Ananias* paries dealbatus, quem *Paulus* non agnovit pro Summo Pontifice, *Act.* 23. 3. 5.

Ibid.

LII. JESUS ab *Agrippa Chalcidis* Rege *Anano* substitutus. Fuit filius cujusdam *Gamalielis*.

Ibid.

LIII. MATTHIAS filius *Theophili*. Atque hic cœperunt bella Judæorum, quæ tandem eos pessumdederunt.

Hoc tempore tumultus & seditiones tantam confusionem induxerunt in Summum Sacerdotium, dum hic aut ille eligitur, vel exauctoratur, juxta libidinem factionum quæ potentiores erant, ut is confusum opus aggrederetur, qui susciperet Summorum Sacerdotum horum temporum Catalogum edere. Itaque cum perduxerimus eorum seriem ad ea tempora, quibus nullus amplius fuit tum in Ecclesia, tum in Republica ordo, & dignitas ac reverentia tanti muneris pedibus conculcata fuerit; contenti erimus eo numero quem retulimus, & ab ulteriori supersedentes inquisitione, transibimus ad alios ordines Sacerdotum, de quibus ex instituto nostro agere debemus.

CAPUT V.

Sagan, Katholikin, Immarkalim, & Gizbarim.

SECTIO I. SAGAN, סגן.

VOX *Sagan* raro occurrit in Scriptura; sed & nomen & dignitas notissima & frequentissima sunt apud Rabbinos. Palam est eum fuisse proximum dignitate Summo Sacerdoti, vel ejus Vicarium; sed in quibus & qua ratione vices ejus obiret, quæritur, & *Abraham* quidem *Zaccuth* disceptationem ex professo ea de re instituit. Conjectura duci potest circa hoc negotium ex Traditione quæ memoratur in Codice *Joma*; nempe imminente die Expiationis, quo Summus Sacerdos in Sancta Sanctorum ingressurus erat, מתקינין לו כהן אחר תחתיו שמא יארע בו פסול, *substituebant ei alium Sacerdotem, si quod vitium ei contingeret. Rabbi Jehuda dicit, Substituunt etiam aliam uxorem, si uxor ejus moriatur; quia dicitur. Et expiabit pro se, & pro domo sua, id est, uxore sua.* Jam autem quidam putant eum Sacerdotem qui constituebatur ut paratus esset, si quid contingeret Summo Sacerdoti quod eum ei Ministerio inidoneum redderet, ad vices ejus obeundas, vocatum fuisse *Sagan*. *Josephus* suppeditat nobis exemplum, quo liquet Ministerium diei Expiationis a Vicario peractum fuisse: sed hæc opinio usum τȣ̃ *Sagan* una tantum anni habdomade inducit, cum constet ex Judæorum monumentis, eum per totum annum munere suo functum esse. Ideo alii conjiciunt, τὸν *Sagan* fuisse eum qui proximus erat Pontifici Maximo, ejusque munus fuisse veluti Candidati Summi Sacerdotii. Ita *R. Salomo* vocat *Eleazarem* filium *Aaronis*, τὸν *Sagan*. Et *Thalmud Hierosolymitanum* observat; neminem pervenisse ad Summum Sacerdotium, nisi antea fuisset *Sagan*. Sed sunt duo argumenta quibus ea opinio oppugnatur. Primum est, Summos Sacerdotes, præsertim post *Herodis* tempora, ita constitutos fuisse ex arbitrio Præsidis *Romani*, ut credibile non sit tum observatum fuisse num qui creabatur *Sagan* fuisset necne. Alterum est, in toto Veteri Testamento, ubi successio ad Sacerdotium ordine fiebat & juxta Legem, & notum semper erat quis futurus esset Summus Sacerdos, nunquam occurrere mentionem aut nominis, aut muneris τȣ̃ *Sagan*, sed tantum 2. *Reg.* 21. 25. & *Jerem.* 52. 24. ubi mentio fit *Zephaniæ secundi Sacerdotis*, quem *Chaldæus Paraphrastes* vocat *Sagan*. Jam autem nisi hic esset filius *Serajæ*, quod nemo hactenus, quem equidem noverim, affirmavit, nunquam poterat ad Summum Sacerdotium pervenire, etiamsi Templum evasisset flammas, & desolationem *Babyloniorum*.

Juchasin, fol. 57.

Joma, Per. 1. ab initio.

Joseph. Antiq. lib. 17. cap. 8.

R. Solom. in Numer. 19.
Aruch in Sagan, & Juchasin, ubi supra.

Ut inveniamus quid esset iste *Sagan*, & qua in re situm ejus munus esset, observandum est eum vulgo vocari סגן הכהנים, *Sagan Sacerdotum*; quo titulo *Paraphrastes Chaldæus* ornat duobus locis citatis *Zephaniam*. Sic *Thalmud* in duobus locis Tractatus *Shekalim*, loquitur de *Anania qui erat Sagan Sacerdotum*. Alibi in eodem *Thalmude*, & aliis Scripto-

Shekal. Per. 3, & 4.

ptoribus Hebræis, hæ duæ voces conjunguntur, סגן הכהנים, *Sagan Sacerdotum*. Quæ locutio videtur indicare inter ejus munus, & inferiores ipso Sacerdotes, si æqualem non majorem, fuisse relationem, quam inter id, & Summum Sacerdotem, qui erat supra ipsum dignitate constitutus. Nec video qua ratione melius intelligi queat id munus, quam si concipiamus τῶ *Sagan* fuisse Vicarium Summi Sacerdotis, qui eo absente præesset, vel præsenti adjutor esset in negotiis ad Templum pertinentibus, & Ministerio Sacerdotum. Nam licet verum sit ejus officium in quibusdam respexisse personam Summi Sacerdotis, ut in tribus circumstantiis memoratis in *Thalmude Hierosylimitano*; attamen respiciebat etiam Sacerdotes ipso inferiores: unde *Maymonides* ait, כל הכהנים תחת יד סגן, *Omnes Sacerdotes sunt sub manu τῶ Sagan*. Cum Summo Pontifici præcipue incumberet munus & cura rerum sacrarum, idque esset maximi ponderis, cogebatur adjutorem aliquem habere id onus secum ferret, (imo etiam aliquando imbecillitas ac vecordia Summi Sacerdotis necessarium prorsus id munus efficiebat) cui etiam Sacerdotes inferiores eundem honorem, eandemque reverentiam exhiberent, ac Summo Sacerdoti ipsi. Vocabatur speciatim *Memoneh*, seu *Præfectus* quatuordecim Ordinum, de quibus antea diximus, quia tanquam Vicarius Summi Sacerdotis præerat toti Ministerio; & de hoc Præside nobis erit aliqua occasio loquendi, cum de ipso Ministerio verba faciemus.

Thalmud Hierosol. Per. 3. In Kele Mikdash, Per. 4.

Id. ibid.

Similiter antea observavimus, *Zadokum*, & *Abimelechum* dici fuisse Sacerdotes diebus *Abiatharis* Summi Pontificis, qui primus erat Præses, dum illi sub ejus auctoritate inferioribus præessent. Atque an *Cajaphas & Annas* possint hoc sensu dici fuisse Summi Sacerdotes simul, *Luc.* 3. 2. ita ut *Cajaphas* proprie dictus esset Summus Sacerdos, *Annas* vero ejus *Sagan*, (qui *Hananiah Sagan Sacerdotum* dicatur in *Thalmude*, ut antea notavimus) Doctorum esto arbitrium. Fui, fateor, in alia sententia, atque existimavi *Annam* vocari Summum Sacerdotem, utpote Sacerdotem & Principem *Synbedrii*; qua in re nimium credidi *Baronio*, viro Antiquitatum Christianarum multo peritiori quam Judaicarum. Sed jam inveni neminem unquam ejus nominis fuisse Principem *Synbedrii*; ideoque eo inducor ut credam hunc *Annam* vocatum Summum Sacerdotem, quia re ipsa eo munere functus fuerat, licet tum exauctoratum, & obtinentem munus τῶ *Sagan* sub *Cajapha*.

In Harm. Evang. in Not. ad Luc. 22.

Sectio II. KATOLIKIN, קתוליקין.

Aut ipse *Maymonides*, aut ejus Librarius, duplicem exhibuit hujus vocis lectionem. Nam in Opere quod inscripsit *Jad Hazakah*, legimus קתיקולין *Kathikolin*; in ejus vero Commentario in *Thalmudis* textum, legimus תילוקין, *Kathilokin*; atque ad hanc posteriorem lectionem magis accedit *Thalmud Hierosolymitanum*, aliique Judæi, qui vocem sic efferunt, קתוליקין, *Katolikin*, *Catholici*. *Glossa* interpretatur, ממנים על איצרות, *Præfectos Thesauris*. Et apud alios quidem Auctores occurrit aliquando ad significandum *præcipuos Thesaurarios*, aliquando vero *præcipuos Ministros*, seu amicos Principis. *R. Tanchuma* confert *Mosem* & *Aaronem*, respectu Dei, duobus *Kathlikin* (sic enim scribit קתליקין) Regis alicujus. Nam dum verba facit de mandatis Dei ad *Mosem* & *Aaronem*, quibus jussi sunt ire in montes *Hor* & *Nebo*, atque ibi mori, hanc profert Parabolam. *Cui rei hoc negotium est simile? Est simile Regi qui habet duos* Catholicos, *qui nihil faciunt præter voluntatem Regis. Unus eorum habet aliquam litem cum Rege; at Rex opus habet illo. Rex dicit, Quamvis hic sit in mea potestate, non contendam cum illo, sed id ipse cognoscet. Ita sanctus benedictus Deus dicit, Hi duo justi viri nihil unquam fecerunt quod non esset voluntati meæ consentaneum, eos jam e medio tollam, sed volo ejus rei eos certiores facere.* In hac comparatione sumit Katholikin pro præcipuis Principis Ministris, seu iis qui maxime apud eum gratia valent; sed non significat munus quo illi fungebantur. Sed alii Scriptores Hebræi Ærarii Præfectos fuisse ajunt, ut *Bamid Bar Rabba*, qui dicit, *Korah erat Catholicus Regis Ægypti, & habebat claves ejus thesaurorum*. Imo idem *Tanchuma* in alia Parabola hac voce juxta istam notionem utitur: dicit enim, *Est quemadmodum Rex qui fecit amicum suum Katholicum, & præfecit eum suis thesauris*. Katholiciani olim apud Jurisconsultos dicebantur *Rationum præfecti*, ut observatum est ab eruditissimo *Buxtorfio*.

Kele Mikdash, Per. 4. Gloss. in Thalmud Shekal. Per. 5. Ibid. in Gemara.

Jelammedenu, fol. 23. col. 1.

Vide Bux. torf. Lex.c. Thalmud, in voce.

Aruch in voce.

Non opus est nos curiosius in eorum munus inquirere. Duo erant viri qui amplissimo munere in Templo fungebantur, & quibus superiores erant tantum duo alii, nempe *Summus Sacerdos*, & *Sagan*. Et cum essent tres præfecti Gazophylacio Templi, ut statim videbimus, hi duo erant præcipui præfecti Ærario, qui rationem repetebant a tribus illis; quod non est absi-

absimile mori *Persarum*; apud quos cum essent 120. Provinciis totidem præfecti *Satrapæ*, erant tres summi Præsides supra alios constituti, quibus inferiores illi rationem administrationis suæ reddebant, *Dan. 6. 1. 2. Maymonides* brevem hanc tradit descriptionem horum *Catholicorum*. ממנין קתיקולין להיות לסגן כמו הסגן לכ״ג, *Constituebant Cathikolin ut essent τῷ Sagan, quod ipse Sagan erat Summo Sacerdoti*, Vicarii nempe ejus, adjutores, & dignitate ac honore proximi. Negotia Templi hæc duo præcipua erant, viz. *Ministerium Sacerdotale*, & *Administratio Thesauri*, seu pecuniæ quæ propter oblationes, aut aliis de causis in Gazophylacium afferebantur. Jam autem uti erant ordinarii Sacerdotes, qui quotidianum obibant Ministerium; ita erant inferiores Thesaurarii, qui accipiebant oblationes, & quicquid afferebatur in publicum Ærarium Templi. Quatuor viri autem, Summus Sacerdos, *Sagan* & duo *Catholici* utrisque præerant, & curabant Thesaurum ita administrari, ut nihil deesset Templi Ministerio, Ministerium vero illud convenienter obiretur.

Kele Mikdash, Per. 4.

Sectio III. *IMMARCALIN*, אמרכלין

Hisce possumus adjungere septem *Immarcalin*, (neque enim plures vel pauciores esse poterant) quorum qua in re situm esset munus, æque difficile est invenire, ac eorum de quibus jam egimus: hoc enim duntaxat suffragiis consentientibus ipsis tribuitur, quod gestarent claves septem Portarum Atrii, nec ullus posset eas aperire absque reliquis. Quidam addunt, *fuisse septem Conclavia ad septem Portas, in quæ recondebantur sacra vasa ac sacræ vestes, quorum hi septem viri ferebant claves, & curam gerebant.*

Thalmud. in Shekal. Perek. 5. Maym. ubi supra.

Vide Tosaph. ad Shekalim, cap. 5. & R. Solom. in 2. Reg. 12.

Chaldæus Paraphrastes in Legem, qui sub nomine *Jonathanis* editus est, utitur voce אמרכול in *Numer.* 1. & 7. 11. ad designandos Principes, seu Capita duodecim Tribuum, qui viri *Mosi* aderant in censu populi faciendo, quinque obtulerunt dona sua ad dedicationem Altaris. At *Levit.* 4. 15. eam adhibet ad significandos Seniores Tribuum, qui manus imposuerunt capiti victimæ pro peccato, quæ totius Congregationis nomine offerebatur. Similiter quicunque sit auctor *Paraphrasis Chaldaicæ* in *Canticum*, voce hac, *Cant.* 4. 3. significavit Principem vel Dynastam Regi dignitate proximum: nam hunc versum, *Labia tua sunt similia filo coccineo, & eloquium tuum gratiosum. Tempora tua sunt similia fragmini mali Punici intra comam tuam*, sic παραφράζει, *Labia Summi Sacerdotis fortia erant in precibus die Expiationis ante Dominum, & eorum abundantia immutabat peccata Israelis, quæ erant similia filo coccineo, eaque instar puræ lanæ dealbabat. Rex vero, qui erat Caput super eos, erat plenus judicio, quemadmodum malum Punicum*, בר מן אמרכליא וארכונין, *præter Nobiles & Rectores qui erant justi, nec erat malum in ipsis.*

Tharg. in Cant. 4. 3.

Similiter etiam in aliis locis *Chaldæi Paraphrastæ*, vox ea aliquoties usurpatur ad significandum virum in eximia aliqua dignitate constitutum; sed aliquando etiam designat munus aliquod peculiare. Sic *Jonathan*, cujus extat Paraphrasis in Prophetas, vertit Sacerdotes, Janitores, 2. *Reg.* 12. 10. כהניא אמרכליא, *Sacerdotes, Amarcalin*: quem in locum hæc observat *David Kimchi*: שומרי סף, *Custodes liminis, significat Custodes vasorum Domus; nam* סף *est nomen generale vasorum sacrorum. Jonathan interpretatur id Amarcalin: hi autem erant præcipui Thesaurarii, qui aliis præerant. Sic Onkelos vertit hunc locum, Eleazar filius Aaron erit Caput super Capita Levitarum*, Numer. 3. 32. אמרכלא דממנא, *Amarcal præfectus Principibus Levitarum.*

Kimchi in 2. Reg. 12. 10.

Ad rem nostram parum conducit observatio variæ scriptionis, & lectionis hujus vocis; quæ aliquando scribitur *Marcol*, & præsertim in *Hierosolymitano Thalmude*, in quo haud rarum est א *Aleph* e quibusdam vocibus tolli, unde pro *Eleazar* constanter habet *Lazar*] juxta quam scriptionem *Aruch* ejus etymologiam & significationem ex his vocibus deducit, מר על כל, *Dominus super omnia*. Aliquando scribitur *Amarcol*, alias *Immarcol*, vel *Immarcal*, quod a *Gemara* Thalmudica exponitur *Inspector omnium*, seu is juxta cujus mandata negotia Templi administrabantur. Verum quærimus quanam in re situm esset ejus munus; quod scriptio, vel notatio vocis nos nequaquam docet.

Consentiunt omnes *Amarcalorum* numerum septenarium fuisse, eosque gestasse septem claves juxta septem Portas Atrii. Sed hic nascitur quæstio, utrum nempe eorum esset munus perpetuum, an vero unaque hebdomade mutarentur, quemadmodum Classes Sacerdotum. Varia hæc utrinque afferri possunt argumenta. Si eis in perpetuum id muneris impositum non esset, quare numerantur inter Ministros Templi, quasi Ministri perpetui? Nam in mutatione Classium *Princeps Classis* numeratur quasi præcipuus;

stimentis albis, & non delebo nomen ejus de Libro Vitæ.

At hic non est indigna quæ referatur historia quam memorat *Suidas*, licet digna non sit quæ credatur.

Suidas in voce Ἰησοῦς.

Theodosius quidam Judæus tempore *Justiniani* Imperatoris narravit *Philippo* cuidam Christiano, qui eum ad Christianam fidem adduxerat, tanquam grande inter Judæos arcanum, ac nonnisi paucis notum: cum adhuc Templum staret, & *Christus* privatam vitam ageret, quendam Sacerdotem obiisse *Hierosolymæ*, principes vero Sacerdotum convenisse ad alium ejus loco eligendum: & dum varii varios nominarent, quendam Sacerdotem surrexisse, & nominasse *Jesum* filium *Josephi* fabri lignarii, quippe cujus singularis sapientia atque integritas ipsis notæ essent. Et cum nonnulli objecissent, *Josephum* non esse ex Tribu *Levi*, sed *Judæ*, nec proinde ejus filium Sacerdotio idoneum esse: responsum fuisse, eum ortum ex ea stirpe quæ adeo Leviticæ commista erat, ut posset admitti; ac tandem omnium suffragiis in demortui Sacerdotis locum successisse. Jam autem cum solerent eorum nomina qui ad Sacerdotium admissi fuerant in publicas tabulas referre cum nominibus consanguineorum, advocarunt matrem *Jesu*, (obierat enim *Josephus*) ut consanguinitatem ejus notam faceret: quæ cum dixisset ipsis, eum non habere in terris patrem, sed conceptum fuisse ex Spiritu Sancto, & dixisset quot fuissent testes qui suo partui aderant, sed se adhuc virginem esse; ipsi vero vocassent quosdam testes ex iis qui ejus adfuerant puerperio, & testimonium accepissent ab aliis mulieribus a quibus curaverunt eam inspici, ipsam adhuc virginem esse, nomen & consanguinitatem *Jesu* in Commentarios publicos retulisse hisce verbis: *Tali die talis obiit Sacerdos, filius talis viri & talis mulieris; ac communibus suffragiis ejus loco electus est Jesus filius Dei viventis ac Virginis Mariæ.* Atque hic Commentarius, ajebat historiæ narrator, cum *Hierosolyma* capta est, conservatus est cura atque industria alicujus ex Judæorum primariis, & *Tiberiade* asservatur. Et hanc historiam, inquit *Suidas*, habeo ab aliquo qui eam audivit a *Philippo*, cui relata fuerat.

Hanc historiam non expendemus, eam qualem invenimus narrasse contenti; sed redibimus ad Classes Sacerdotales. Judæi existimant, nec prorsus sine fundamento, ex viginti quatuor Classibus quæ inserviebant Templo primo, quatuor tantum rediisse ex Captivitate *Babylonica*; nempe Classes *Jedajæ*, *Harim*, *Pashur*, *Immer*. Has tantum *Thalmud Hierosolymitanum*, & *Thosaphoth ad Taanit*, recensent ex *Ezr.* 2. 36. 37. 38. 39. Sed *Thalmud Babylonicum* loco *Harim* nominat *Jojarib*; & Scholia in eum locum merito hunc scrupulum movent, quomodo *Pashur* facta fuisset una ex Classibus, cum inter eas antea non fuisset.

Thalmud Hierosf. ubi ante. Thosaph. ad Taan. Perek. 4. Thalm. Babylon. ibid.

Sed quomodo hæ quatuor Familiæ poterant efficere viginti quatuor Classes, juxta primam distributionem & Propheticam ac divinam constitutionem. Prophetæ, ajunt iidem Scriptores, qui erant inter filios Captivitatis, hanc invenerunt rationem eas in tot Classes distribuendi.

Fecerunt viginti quatuor sortes, & inscripserunt eis nomina viginti quatuor Capitum Classium illarum, & in pyxidem eas conjecerunt. Jedajah *eduxit quinque, quibus ipse additus sex effecit.* Harim *eduxit quinque, quibus ipse additus sex effecit.* Pashur *eduxit quinque, quibus ipse additus sex effecit.* Immer *eduxit quinque, quibus ipse additus sex effecit. Et hoc cum ipsis inierunt pactum Prophetæ, quamvis* Jojarib *rediret ex Captivitate, tamen eum non ejecturum Classem quæ ante ipsum erat.*

Hic autem est hujus Traditionis sensus; eos in educendis sortibus quibus inscripta erant nomina Principum veterum Classium, hoc tantum in animo habuisse, quæ nomina Classium ex unaquaque quatuor istarum Familiarum essent educenda videre, non vero ordinem Classium immutare, sed antiquam earum seriem intactam relinquere. Classis duntaxat *Jojarib* quæ antea prima erat, tum locum cessit *Jedajæ*; cujus rei hæc est ratio, quod *Jedajah* esset ex Summorum Pontificum Familia, oriundus a *Joshua filio Jozedeki*; atque eapropter primus locus ei est attributus, *Ezr.* 2. 36. *Glossa* quidem in *Thalmud Babylonicum* hanc dicit fuisse rationem: *In hac ipsorum nova constitutione unusquisque Classem suam sumere debebat, prout sors ejus trahebatur; & juxta ordinem quo sortes in manus extrahentium veniebant, suis hebdomadibus ministrabant.* Sed si hæc esset ratio, quomodo *Jojarib* æque non extraxisset sortes, ac *Jedajah*, cum eum præsentem fuisse Sacri Commentarii testentur? Si parum adeo interesse putabant, quis ordo esset inter Classes, quomodo in numero adeo consuetudinis observantes fuere, quandoquidem in prima Classium institutione unum æque ac alterum constitutum divina directione fuit? Cum *Lucas* Evangelista dicit *Zachariam* patrem *Joannis Baptistæ* fuisse *ex Classe Abiæ*, Cap. 1. 5. ref-

Glossa, ib.

respexit sine dubio ad ordinem Classis *Abiæ* prout constituitur, 1. *Paral.* 24. 10. tum enim *Abiæ* Familia non numerabatur amplius inter Classes; neque enim ulla ejus mentio fit inter Sacerdotes qui rediere ex Captivitate: ideoque Evangelista ait, non *Zachariam* fuisse ex ejus Familia, sed ex ejus Classe, hoc est, ex Classe quæ nomen ejus gerebat. Verum ad ordinem Classis quod attinet, vel respicit locum allatum Scripturæ, qui facile consuli poterat, ejusque verba debent ex eo exponi; vel ejus Classis ordo prorsus reperiri nequit.

Cum sic iterum divisæ essent Classes post Captivitatem, sed eodem ordine dispositæ ac olim, & numerosæ evasissent; על כל משמר ומשמר היה מעמד בירשלים, *unaquæque Classis* (ait *Mishnah* loco citato) *habebat stationem Hierosolymæ*. Quod *Hierosolymitana Gemara* ait exponit. *Traditio est fuisse* 2400. *in statione Hierosolymæ; dimidiam vero stationem fuisse Hierichunte. Et Hiericho quidem potuisset producere integram stationem; sed quia Hierosolymæ hunc concedere honorem volebat, dimidiam tantum producebat. Et cum aliqua Classis debebat ascendere Hierosolymam, dimidia Classis veniebat Hierosolymam ex provincia extra terram Israelis sita; dimidia vero Classis veniebat Hierichunte*. Quod *Gemara Babylonica* ita exprimit: *Erant viginti quatuor Classes in terra Israelis, & duodecim Hierichunte*.

Quod non dicitur quasi essent triginta sex Classes, sed quia viginti quatuor ita erant divisæ, ut dimidia pars uniuscujusque Classis perpetuo resideret *Hierosolymæ*, ac circa *Hierosolymam*, ut statim paratæ essent ad ministrandum, cum earum redibat ordo; reliquæ vero seu dimidia altera pars uniuscujusque Classis hinc inde sparsa erat: *Hierichunte* tantum & in locis vicinis magnus erat numerus uniuscujusque Classis qui ibi perpetuo degebat, ut alii *Hierosolymæ*. Cum tempus eorum Classis venerat, ascendebant *Hierosolymam* seu ut Fratres in Ministerium adjuvarent, seu ut victus ipsis compararent dum ministrabant. מתקנים לאחיהם *Parabant fratribus suis*, ait *Glossa* quædam in hunc locum; שיספו מים ומזו לאחיהם, *ut Fratres eorum haberent satis aquæ & victuum*, ait alia. Ad reliquos ejus Classis qui nec *Hierosolymæ* erant, nec *Hiericunte*, sed per regionem dispersi erant, quod attinet, ipsi una cum Levitis & Stationariis, qui ad eam Classem pertinebant, conveniebant in Synagogas suas, prout vicini erant, jejunabant, orabant & legebant Legem, & supplicationes instituebant, ut Fratrum Ministerium quod jam *Hierosolymæ* peragebatur acceptum esset. ישראל שבאותו משמר מתכנסין לעריהן. *Israel qui erat ejus Classis* [ait *Mishnah* loco jam allato] *una conveniebat in civitates suas, & jejunabat* &c. Ubi voce *Israelis* non intelliguntur *Israelitæ* vel Stationarii ejus Classis, quatenus contradistinguuntur a Sacerdotibus & Levitis; sed intelliguntur omnes Sacerdotes, & Levitæ, & Stationarii ejus Classis, qui sparsi erant per terram *Israelis*, quatenus distinguuntur ab iis qui ministrabant *Hierosolymæ*.

Ut unaquæque Classis erat divisa respectu loci & Ministerii; ita unaquæque etiam in varios gradus erat distincta.

I. Erat ראש המשמר, *Princeps Classis*, qui omnibus præerat, & repræsentabat virum illum eximium ex quo Classis nomen sumpserat. Dubium non est quin plerique horum Principum essent Adsessores *Magni Synhedrii*; & quamvis in negotiis ad Templum pertinentibus *Sagan*, *Katholikin*, *Immarcalin* & *Gizbarin*, de quibus jam dictum est, supra ipsos essent, in hoc tamen Summo Senatu omnes æquales erant; atque hi omnes simul juncti iidem sunt quorum ut Adsessorum ejus Consessus, sub nomine *Principum Sacerdotum* tam frequens mentio occurrit in Evangeliis.

II. Erat ראש בית אב, *Princeps Domus Patris*: nam Præfectus Classis ita eam dividebat in Domus Patrum, ut unaquæque Domus, vel Familia sua die ministraret. Qui autem erant in variis Familiis sub Principe Domus Patris vocabantur כהנים הדיוטים, ἱερεῖς ἰδιῶται, *Sacerdotes privati*.

Maymon. in Kele Mikdash

Hæ Classes Ministerium suum inchoabant Sabbathi die, & die Sabbathum proximum sequente abibant, 2. *Reg.* 11. 7. 2. *Paral.* 23. 4. ministrantes per unicam hebdomadem continuam; adeoque Ministerium earum bis intra annum redibat.

Ministerium uniuscujusque Classis ita erat divisum.

Thalm. Hierof. in Thosaph. ubi supra

In Classe quæ habebat quinque Domus patrum, tres ministrabant per tres dies, duæ vero per quatuor.

In Classe quæ habebat sex Domus Patrum, quinque ministrabant quinque dies, per biduum.

In Classe quæ habebat septem Domus Patrum, unaquæque sua die ministrabat.

In Classe quæ habebat octo Domus Patrum, sex serviebant per sex dies, duæ vero una die.

In Classe in qua erant novem Domus Patrum, quinque serviebant per quinque dies, quatuor vero per biduum.

Thosaph. ibid.

Dum aderant, licebat Sacerdotibus Classis vinum bibere noctu, non vero interdiu, quia poterat fieri ut Ministerium Fratrum esset gravius quam ut ab eorum Familia ferri posset: quod si eveniret, necesse illis erat his suppetias ferre; quod non potuissent si bibissent vinum. Sed ei Familiæ quæ ministrabat, non licebat vinum bibere, nec noctu, nec interdiu. Quicunque noverat Classem suam & Familiam, arcebatur a vino, ea tantum die qua Familia ad quam pertinebat ministerium. Qui noverat suam Classem non vero Familiam, (quæ diuturnitate temporis intercidisse potuerat) *is arcebatur a vino tota hebdomade.*

In quibusdam necessitatibus Sacerdotes ministrare poterant, licet essent immundi.

Maymon. in Biath Mikdash.

Omnis oblatio, seu pro Congregatione, seu pro privato quopiam, cujus tempus constitutum est, dispensat a Sabbato, & ab immunditia, sed quæ mortuo tantum contracta est. Exempli gratia, si tempus constitutum sacrificio cuipiam venisset, maxima autem pars Congregationis quæ offerret illud, esset mortuo polluta, ut 2. Paral. 30. 17. *vel Congregatio quæ offerret esset munda, sed Sacerdotes qui deberent offerre essent polluti; vel utrique essent mundi, sed vasa Ministerii ita polluta, attamen in hac immunditia offerri sacrificium oportuisset, ac mundi & immundi ex æquo adhiberi possent, omnesque Atrium ingredi. Sed qui sunt immundi alia quapiam pollutione, ut profluvio, tactu reptilis, sceleti, vel simili, non possunt adhiberi Ministerio, nec Atrium ingredi.*

CAPUT VII.

De Levitis.

SECTIO I. *De Janitoribus & Custodibus Templi.*

1. Paral. 25. & 26.

LEvitæ divisi erant in Janitores & Cantores; quæ officia mutare non licebat; nec aliorum consequi munera, aut Sacerdos fieri poterat ullus eorum.

Erachin, Per. 2. in Gemara.

Distributio Janitorum in viginti quatuor Classes non tam clare habetur in Scriptura, ac ejusmodi distributio Sacerdotum & Cantorum: horum enim Classes numerantur ac nomine appellantur, illorum non item. Attamen duo loca 2. *Paral.* 8. 14. & 1. *Paral.* 26. 17. 18. rem faciunt adeo probabilem, ut fere æque certo inde possit elici, ac distributio Sacerdotum & Cantorum ex iisdem Libris colligitur: *Et constituit juxta dispositionem David patris sui officia Sacerdotum in ministeriis suis, & Levitas in ordine suo ut laudarent, & ministrent coram Sacerdotibus, juxta ritum uniuscujusque diei; & Janitores in divisionibus suis per portam & portam.* In posteriore vero loco Principes Janitorum totidem numerantur, quot Principes aliarum Classium, nempe viginti quatuor. *Inter omnes Janitores*, ait *David Kimchi*, *erant viginti quatuor juxta numerum reliquarum Classium; sex ad latus Orientale, sex ad Septentrionale, sex ad Meridionale, in Asuppim duo & duo, hoc est omnino quatuor; quatuor ad Occidentale, & duo in Parbar; ecce quatuor & viginti. Rabbini nostri eos distribuerunt in viginti quatuor loca*, &c.

Kimchi in 1. Par. 26.

Munus Janitorum primum erat aperire & claudere Portas *Montis Domus*, & Atrii Mulierum, (diximus enim Sacerdotes curam in se suscepisse aperiendarum & claudendarum Januarum alterius Atrii) & adstare per totam diem ad Portas illas, ne quid parum Templo conveniens contingeret, aut quod officeret puritati, conservationi ac tranquillitati loci & Ministerii. Secundo, munus quodpiam Thesaurarii Scriptura Janitoribus imponit, cum essent ad Januas quas servabant quædam Gazophylacia de quibus fuse locuti sumus, ubi egimus de Portis & Ærariis. Ad eam partem quod spectat eorum muneris, cujus aliquando meminerunt Rabbini, & quam describunt hisce vocibus לחניף דלתות, seu sita esset in verrendis Portis & conservandis nitidis, seu in vertendis clavibus in Janúis minoribus, cum Valvæ majores erant clausæ; ea ita coincidit cum continua Portarum custodia, ut sit tantum hujus muneris pars, nec opus sit eam quasi separatum munus considerare.

Præter eam diurnam curam Janitorum ad Valvas Templi, alia erat æque magna aut etiam major ad Valvas & alia loca in Excubiis ad servandum Templum faciendis, quæ loca erant viginti quatuor. *Custodia Sanctuarii*, ait *Maymonides*, *erat præceptum affirmativum, quamvis non timerent nec hostes, nec fures: & præceptum de hac custodia præcipiebat eam fieri noctu. Qui autem servabant erant Sacerdotes & Levitæ; ut dicitur, Tu & filii tui tecum ante Tabernaculum Congregationis*, &c. Jam an Levitæ qui has agebant Custodias essent Janitores tantum, non vero etiam Cantores uniuscujusque Classis, cum ordo ejus redibat; posset quidem optime disputari, si operæ pretium esset in id inquirere: sed sive essent, sive non essent, Excubiæ erant viginti quatuor numero, quæ fiebant in viginti quatuor locis, tres erant Sacer-

Maym. in Beth Hab. bech. Perek. 8.

do-

dotum, una & viginti Levitarum. Primo erant Excubiæ ad unamquamque Portam Montis Domus; una ad Orientalem Portam *Shushan*, una ad Septentrionalem *Tedi*, duæ ad duas Meridionales Portas *Huldah*, una ad Occidentalem Portam *Coponii*. Erat etiam Custodia ad quatuor angulos magni spatii quadrati, adeo ut novem essent in eo muro qui ambibat sanctum solum. Tres aliæ Portæ in latere occidentali, una *Parbar*, & duæ *Asuppim*, non habebant, ut reliquæ, nocturnos vigiles, quamvis interdiu haberent Janitores; vel quia præceps earum descensus eas securas præstabat, vel quia aliqua alia ratione earum securitati consulebant. Secundo, circa murum qui Atria includebat erant duæ Excubiæ in duobus Orientalibus angulis, & Occidentalibus, omnes extra murum Atrii. Quinque etiam erant ad quinas Januas ex septem. Duæ illæ quæ Leviticas Excubias non habebant, erant *Janua Aquæ*, super qua erat Custodia Sacerdotum in Conclavi *Abtines*; & superior Janua τῦ *Corban*, prope quam Sacerdotes in Conclavi *Beth Mokadh* excubias agebant. Erat præterea Custodia Levitarum in Conclavi τῦ *Corban*, e regione Sancti Loci; alia in latere Meridionali e regione Veli; & alia pone Sanctissimum Locum. Janua *Mitsots* habebat Excubias Sacerdotum & Levitarum admodum vicinas. Quæ omnia loca facilius perciperentur inspectione Tabulæ Templi, ejusque ædificiorum, quam adornavimus, si unquam posset in lucem prodire.

Id. ibid.

Erat qui unaquaque nocte circumiret omnes istas excubias, qui dicebatur *Vir Montis Domus. Si quem inveniret in pedibus non stantem, dicebat ei, Pax tibi sit: sed si quem opprimebat dormientem, eum verberabat, & poterat ejus vestibus ignem injicere; adeo ut dicerent, Quis strepitus hic est in Atrio? Est strepitus Levitæ vapulantis, & cujus vestes uruntur, quia obdormivit in Excubiis. Rabbi Eliezer filius Jacob dicit, Aliquando invenerunt avunculum meum dormientem, & ejus vestes usserunt.* Porro seu hic *Vir Montis Templi* esset *Sagan*, ut quidam parum verisimiliter existimant, vel quispiam ex Classe excubias agente, eam in rem constitutus, ut putant *Maymonides* & *Bartenora*, seu quivis alius, videtur hæc combustio vestium ejus qui obdormiebat lucem fœnerari *Apocalyps.* 16. 15. *Beatus qui vigilat & custodit vestimenta sua.*

Ubi ante. In Midd.

SECTIO II. *De Cantoribus & Musica Templi.*

Jam ne immoremur ordini & divisioni Cantorum & Classium ipsorum, quarum fusa est descriptio 1. *Paral.* 25. nec Musicæ Templi in Lege fundamenta quæramus, quod *Gemaristæ* multis inquirunt in Tractatu *Eracbin*; agamus paucis de personis Cantorum, eorumque Cantu, seu Musica.

Erachin, fol. 11.

Maymonides nos docet Cantores fuisse Levitas & Israelitas simul, מהן לוין ומהן ישראלין מיוחסין המשיאין לכהונה שאין עולה על דוכן אלא מיוחס. Dixit in præcedentibus verbis Cantum Templi fuisse proprie altarum vocum, non instrumentorum, quia *fundamentum Cantus* istius, quo colebatur Deus, fiebat alta voce: עיקר שירה בקול, quod axioma sæpissime in *Thalmude* occurrit: attamen concludit alios voce, alios instrumentis cecinisse. *Et quidem ex iis*, inquit, *erant Levitæ, quidam illustres Israelitæ, qui affinitate erant conjuncti Sacerdotibus; nemo enim in pluteum Cantorum ire poterat nisi vir illustris.*

Maymon. in Kele Mikdash, Per. 3.

Misnah in Tractatu *Erachin* antea citato eadem utitur distinctione, & ita quidem quasi *Israelitæ*, de quibus Rabbinus noster, partem aliquam sustinuissent in instrumentorum Musica, non in vocum. Nam cum meminisset cantus Tubarum, & Musicæ aliorum instrumentorum, & rationis qua adhibebatur, ita concludit: *Hi autem* (nempe qui variis canebant instrumentis, de quibus proxime præcedentibus verbis locutus est) *erant servi Sacerdotum. Verba R. Meir. R. Jose ait, Erat Familia Pegarim, & Familia Tsipparjah* מעמעום *ex Emmaunte, quæ ad Sacerdotium assumebantur. R. Haninah, filius Antigoni, dicit, Erant Levitæ. Glossa* in hunc locum: *Erant Familiæ illustres, quarum filias duxerant Sacerdotes.* Tractatus *Succah* loquitur de iisdem Familiis, & dicit: *Erant ex Ai & Emmaunte* (scriptum hic est אמאם) & *Glossa: Erant illustres Israelitæ, quorum filiæ ac viduæ poterant nubere Sacerdotibus.*

Succah, Perek. 5. in Gemara

Itaque disceptatur utrum ad Musicam adhiberentur soli Levitæ; sed si qui alii adhiberentur, debebant quam proxime esse propinqui Sacerdotio, affinitatibus & aliis dispositionibus, & cum quam poterant proxime sese Sacerdotibus conjunxerant, non admittebantur ad jungendas voces Musicæ Vocali, quæ proprie constituebat cantum & cultum divinum, sed tantum ad Instrumentalem Musicam. Si quis vir probus & pius, vel affinitate Sacer-

cerdotibus conjunctus, deditus Muſicæ, & orationibus ad Deum ſic fundendis (quod uſitatiſſimum erat) obtuliſſet ſe ad conjungendam peritiam & devotionem ſuam Choro Templi, non rejiciebatur, ſed licebat ipſi cum inſtrumento ſuo inter eos eſſe qui inſtrumentis canebant; at non poterat ſeſe iis adjungere qui alta voce utebantur; hoc enim pertinebat ad ſolos Levitas. Ita dicitur 2. *Sam.* 6. 5. *David autem & omnis Iſrael ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris, & tympanis, & ſiſtris, & cymbalis.*

Ad numerum Cantorum alta voce canentium quod attinet, nunquam erat minor duodenario; talis enim erat numerus uniuſcujuſque Claſſis, cum diviſi ſunt in Claſſes ſuas, 1. *Paral.* 25. ſed poterat numerus quantum libebat augeri, juxta diſertam Traditionis regulam: *Non oportet eſſe pauciores duodecim Levitis in pluteis: ſed ei numero ſemper addebant.* Et cum filiis Levitarum nulla alia occaſione licebat Atrium ingredi, licebat tum cum Levitæ canerent, & una cum illis canere, modo non aſcenderent in pluteos, nec ſuperiora aſpicerent, ſed ſtarent in pavimento ad pedes parentum ſuorum. Hujuſce rei mandatum deſumebant ex hiſce verbis, *Ezr.* 3. 9. *Tum ſtetit Joshua cum ſuis filiis,* Kadmiel *& filii ejus,* &c. *Et canebant ſimul per Claſſes,* &c. Hoc etiam hac ratione firmant, דהני קטי קלייהו והני עב קלייהו, *quia vox horum erat exilis, aliorum vero altior; hi acutum tonum, alii graviorem ſequebantur, qua ratione pleniorem & ſuaviorem efficiebant Muſicam.*

Erachin, ubi ſupra.
Gloſſa, ib.
Gemar. ib.

Inſtrumenta quibus utebantur vel flatilia erant, vel pulſatilia. Primum inſtrumentum flatile conſiderandum, erat Tuba, cujus miniſterii ad Altare mentio fit 2. *Paral.* 7. 6. & 29. 26. & variis aliis in locis, in quibus ejus uſus tribuitur Sacerdotibus, non Levitis: nam certe non pertinebat ad Concentum, ſed audiebatur cum finiebat Concentus, ut ſtatim videbimus.

Numerus Tubarum non erat *infra binarium, nec ſupra centum & viginti.* Ratio ob quam non erant pauciores duabus, petita eſt ex præcepto, *Num.* 10. 2. *Fac tibi duas Tubas.* Nec erant plures centum & viginti, quia plures non fuerant cum inchoaretur cultus divinus in Templo, 2. *Paral.* 5. 12.

Dominus juſſerat *Numer.* 10. 10. *Si quando habebitis epulum & dies feſtos, & Calendas, canetis tubis ſuper holocauſtis,* &c. Hinc petebatur mandatum & neceſſitas Muſicæ Templi, cujus hæc erat ratio.

Qui Tubis canebant erant Sacerdotes; talis enim fuerat prima inſtitutio, *Sacerdotes filios Aaronis Tubis uſuros,* Numer. 10. 8. 1. *Paral.* 15. 24. Nec cum hac parte Sacri Miniſterii fungebantur, Levitis juncti erant in pluteis, vel ipſis proximi, ſed ad alterum latus Altaris ſtabant, & Tubis canebant, facie ad inferiora Atrii converſa, ut Levitæ contra faciem ad ſuperiora obverſam habebant, ſed ita ut utrique reſpicerent Altare. *Duo Sacerdotes ſtabant ad Menſam Adipis,* שולחן חלבים, *manu gerentes duas argenteas Tubas,* ut ait *Miſnah Thalmudica* in loco citato in margine. Duorum meminit Sacerdotum, quia erat minimus Tubarum numerus quo ſolerent uti: ſi vero plures eſſent, ſtabant in eodem loco amplius occupantes ſpatium, ſcilicet in Occidentali latere graduum Altaris; ibi enim, ut ſuo loco obſervatum eſt, collocata erat *Menſa Adipis.*

Tamid, Per. 7.

Cantus Tubæ primum erat unius tenoris & longus, deinde fractus & tremulus, tum iterum longus & uniformis ſonitus. Hos ſonitus Judæi vocant תקיעה תורעה תקיעה, quod in compendiis ſcripturæ ſic exprimunt תת׳ת. Sacerdotes juxta *Mishnam* modo laudatam, תקעו והריעו וקעו *canebant, fractum ſonum edebant, canebant;* liceat enim ſic ea verba vertere, donec plenius oſtendam quid ſignificent.

Sacerdotes nunquam Tuba canebant quin tres hoſce ſonitus exprimerent, atque inde orta eſt diſputatio quæ aliquoties in *Thalmude* occurrit; quot circiter vicibus Tuba caneret quotidie ad Altare. Sic habet generalis Traditio: אין פוחתין מכ״א תקיעה במקדש ולא מוסיפין על מ״ח, *Numquam paucioribus vicibus canunt in Sanctuario quam viginti una, nunquam pluribus, quam una & quadraginta.* Sed quidam rem ita exprimunt, *Nunquam eos cecinisse minus quam ſeptem vicibus, nunquam magis quam ſexaginta.* Ratio autem dujus diſcriminis, quod revera nullum eſt, hæc eſt, quod alii habeant tres iſtos diſtinctos Tubæ ſonitus pro uno, & alii exiſtimaverint tres eſſe diverſos.

Erachin, Perek. 2. in Miſh. & Succah, Per. 5. Gemar. ib. Thalmud, Hieroſol. in Succah, Per. 5. & Gemar. Babylon. in Erach. Per. 2. Thalm. Babylon. in Succah, ubi ſupr. in Gemar. fol. 53. & Gloſſ. ib. & Gloſſ. in Erachin, ubi ſupr.

Judæi exprimunt tres iſtos diverſos ſonitus, quos uno flatu edebant, hiſce vocibus: תרועה באמצע ופשוטה לפניה ולאחריה *Claſſicum in medio,* (*Anglica* enim noſtra Verſio תריעה, *Num.* 10. 5. vertit *an Alarm, Vatablus,* vero *Vocem infractam*) *atque ante & poſt ſonitus uniformis:* quod Chriſtiani Scriptores ſæpe exprimunt voce *Taratantara,* quamvis hæc vox videatur fractum ſonum ante & poſt collocare, in medio planum, contra ordinem deſcriptionis Judæorum.

Se-

Secundum flatile inſtrumenta erat חליל *Chalil*, vel אבוב *Abub*, Fiſtula, Lituus, vel quodpiam ſimile inſtrumentum, de quo non multum laborarim, Judæi in hac hiſtoria ita illud aliquatenus deſcribunt. *Rabbini noſtri tradiderunt fuiſſe Abub vel Fiſtulam in Sanctuario.* [*Gloſſa* ſignificat *Abub* & *Chalil* idem fuiſſe inſtrumentum] *Erat lævis, tenuis, ex arundine, & erat ibi a diebus uſque Moſis. Rex juſſit illam auro obtegi; ſed tum ſonus ejus tam ſuavis ac antea non erat: at aureo tegmine ablato, ſonus æque ſuavis ac antea evaſit.*

Gemar. in Erachin, ibid. & Aruch in אבוב.

Hac autem *Fiſtula*, ſeu quodcunque aliud inſtrumentum volueris, non canebant quotidie ad Altare, ut Tuba & aliis inſtrumentis quæ memoravimus, ſed duodecies in anno ea utebantur. *Non erant pauciores duabus Chalil, vel Fiſtulis*, ait Thalmudica Traditio, *nec plures erant duodecim. Duodecim autem anni diebus canebant fiſtula ad Altare, nempe cum immolabatur primum Paſcha*, (vel Paſcha in primo menſe) *& cum immolabatur ſecundum Paſcha*, (ſecundo menſe) *primo die feſto hebdomadis Paſchalis, feſto Pentecoſtes*, (Levit. 23. 21.) *& octo diebus feſti Tabernaculorum. Canebant autem fiſtula non ænea, ſed arundinea, quia ſuavis erat hujus ſonus. Et unica tantum fiſtula Concentus clauſula conſtabat, quia ejuſmodi clauſula eſt jucundiſſima. Nam unica fiſtula* (ait *Gloſſa*) *clauſulam canebant, poſtquam reliquæ deſiiſſent; etenim ea fuit melior methodus, quam ſi omnes ſimul finiiſſent. Hæc Muſica τȣ̃ Chalil adhibebatur tempore oblationis; ac Levitæ quidem canebant τὸ Hallel alia voce, omnibus memoratis diebus duodecim; ſed aliis diebus alia adhibebant inſtrumenta, & ordinariam Muſicam.*

Erachin, ubi ſupra, in Mishn.

Illa alia inſtrumenta, quibus perpetua & quotidiana Muſica conſtabat, erant hæc tria, נבל כנור צלצל, *Nebbel*, *Kinnor*, & *Tſeltſel*; & hæc varie erant diſtributa inter filios trium Muſices Magiſtrorum, *Aſaph*, *Eman*, & *Jeduthun*, 1. *Paral.* 15. 19. 20. 21. Hæc tria inſtrumenta ſimul memorantur (niſi quod loco צלצל eſt vox מצלתים, quæ idem ſignificat) 1. *Paral.* 16. 5. & 25. 1. *Nehem.* 12. 27. &c. 2. *Paral.* 29. 25.

In inquirendo accurate cujuſnam generis eſſent hæc inſtrumenta, & recenſendis variis circa illa Scriptorum ſententiis multum temporis conſumeremus, ac omnibus tentatis, tandem in conjectura acquieſcere nos oporteret, & concludere tantum poſſemus, fieri poſſe ut hoc hujus generis eſſet, illud alterius; audacius enim & difficilius eſſet quicquam certo definire. Itaque eorum deſcriptionem deſumemus tantum ex *Joſepho*, qui ſine dubio ſæpiſſime Muſicæ Templi adfuit, & qui ea inſtrumenta ita deſcripſit, ut ſatis ſuperque iis ſatisfacturus ſit, qui potius quærunt tempus, ordinem ac rationem hujus Muſicæ, quam Concentum ipſum.

I. נבל vertit Νάβλα, & ſic definit: Ἡ δὲ Νάβλα δώδεκα φθόγγȣς ἔχȣσα τοῖς δακτύλοις κρȣ́εται. *Nabla duodecim tonis conſtans digitis pulſatur.*

Joſeph. lib. 7. cap. 10. pag. apud me 216.

II. כנור ait eſſe Κινύραν, quam ſic deſcribit: Ἡ μὲν Κινύρα δέκα χορδαῖς ἐξημμένη τύπτεται πλήκτρῳ. *Cinnyra decem chordis aptata pulſatur Plectro.*

III. צלצל vel מצלתים vertitur ab eo Κύμβαλον, de quo genere inſtrumenti hæc habet: Κύμβαλά τε ἦν πλατέα καὶ μεγάλα χάλκεα. *Cymbala ſunt lata & magna inſtrumenta ænea.*

In quæ hæc obſervare poſſumus, I. נבל & כנור, quæ *Anglica* noſtra Translatio conſtanter vertit *Harps* & *Pſalteries*, fuiſſe fidibus conſtantia inſtrumenta, quæ flatu non commovebantur, ut ea de quibus antea diximus.

II. Quamvis fides in utroque inſtrumento eſſent, fuiſſe aliquod inter ea diſcrimen: primo, quod alterum arcu ſeu plectro pulſaretur, ut noſtræ *Violæ* ſolent, alterum vero digitis, ut *Pandura* & *Luta*: ſecunda, quod *notæ* ſeu toni alterius interpunctionibus diſtinguerentur, alterius vero variis fidiculis; ſic enim voces φθόγγοι & χορδαὶ intelligi & diſtingui debent: tertio, quod Nablium haberet duodecim chordas quæ efficiebant duodecim varios tonos [ut in *Clavecymbalis* noſtris toni non fiunt interpunctionibus, ut in *Lutis*, ſed unaquæque chorda eſt diverſi toni.] Cinnyra vero haberet quidem decem chordas, ſed toni varii fierent interpunctionibus. Itaque juxta hanc *Joſephi* deſcriptionem, ſi modo admittatur, transferam *Nebel* Anglice *an Harp*, *Lyram*, quia variæ chordæ ſuos varios tonos faciunt, & pulſatur digitis; qua in re cum *Harpis* noſtris convenit. *Kinnor* aſſimilabo noſtris *Violis*, quæ punctis diſtinctæ ſunt, & pulſantur arcu ſeu plectro, transferamque *Violam*. *Rabbi Juda dicit, Kinnor Sanctuarii habuit ſeptem chordas, ſed diebus Meſſiæ habebit octo: ut dicitur, Magiſtro in Sheminith, vel in octava chorda mundi futuri.*

Gemar. in Erach. ubi ſupra.

III. צלצל, quod *Anglica* noſtra Verſio, οἱ LXX. *Pſalm.* 150. *Joſephus* in verbis allatis, vertunt *Cymbala*, videtur nec flatile, nec pulſatile fidibus inſtrumentum fuiſſe, ſed magnum inſtrumentum æneum cujus verberatione ſonitus audiebatur ut Tympanorum. *Erat magnum*

gnum & latum instrumentum æneum, ait *Josephus*, Ac *Thalmudici* hanc de suis Cymbalis habent historiam. *Erat Cymbalum* צלצל *in Sanctuario, & constabat ære, ejusque suavis erat sonus. Fractum est, & Sapientes advocarunt Artifices Alexandria, qui id refecerunt; sed sonus non erat tam suavis ac antea. Sustulerunt quod additum fuerat ut reficeretur, & sonitum edidit æque suavem ac antea*. Non poterant esse plura in Odeo uno Cymbalo, atque hoc videtur gravissimum sonum edidisse, quippe quod capacius est & magis sonorum. Ad hoc instrumentum alludit Apostolus 1. ad *Cor.* 13. 1.

Ibid. fol. 10.& Thalmud. Hierosol.in Succah, fol. 55.

Maym. in Kele Mikdash, Per. 3.

Non erimus curiosiores in inquirenda forma & natura hujuscemodi instrumentorum Musicorum, quandoquidem disquisitio nostra versatur circa ipsum cantum; hoc tantum addam, Nablia non potuisse pauciora esse duobus in Odeo, nec plura senis; Cinnyras, vel Violas, non fuisse pauciores novenis, sed plures pro arbitrio potuisse addi. Itaque Odeum ad minimum habebat novem Violas, duas Harpas, & unum Cymbalum. Jam Musicam ipsam audiamus.

Erach. Perek. 2. in Mishn. Thosaph. in Erach. Per. 2.

I. Tubæ canebant suum תּתּת *Taratantara* (sic enim cum aliis loquemur) unoquoque tempore matutino, cum Atriorum Januæ aperirentur, præsertim Valvæ Orientales, seu *Nicanoris*. Hoc autem quamvis non niteretur literali aliquo præcepto, tamen justa ratione fiebat, ut Levitæ & Stationarii cognoscerent tempus esse veniendi ad suos pluteos, & ministeria; utque audiens populus *Hierosolymæ*, posset venire in Templum: Tubæ enim idem præstabant ac Campanæ ad eos ad cultum divinum vocandos. Postea non amplius audiebantur Tubæ ad sacrificium usque matutinum.

Succah, Per. 5. in Mishn. Maym. ib. Gloss. ib.

II. Concentus non inchoabatur usque ad effusionem liquoris oblationis. Est notissima inter Rabbinos Regula Traditionis, quæ sic habet: אין אמר שירה אלא על היין, *Nullus dicit canticum nisi post vinum oblationis: nemo enim canit nisi præ lætitia cordis; quapropter non canunt nisi tempore oblationis, & quidem post effusionem vini, quod Deum & Hominem lætificat*, ut *Jud.* 9. 13. *Thamid* ubi quotidianus cultus describitur, narratur Summus Pontifex, cum sacrificium offerre vellet, venisse ad gradus Altaris una cum *Sagane* dextræ adstante; cum erat in media graduum parte, *Sagan* eum dextra prehendens sursum trahebat; tum primus qui allaturus erat partes sacrificii, ejus caput & pedes attingebat, secundus ejus humeros, reliqui reliquas partes, & ipse pro arbitrio ipsis imperabat, &c. Cum circumiturus esse Altare, ut ejus cornua sanguine adspergeret, incipiebat ab angulo qui Euro-notum respiciebat, inde ibat ad Euro-aquilonarem, inde ad eum qui Caurum spectabat, & in Australi desinebat. *Dabant ei vinum oblationis, quod effundebat. Sagan erat ad cornu Altaris mantile manu gerens. Duo Sacerdotes stabant ad Mensam Adipis, gestantes duas argenteas Tubas quibus canerent. Veniebant & stabant ad Ben Arza, alter a dextra, alter a sinistra. Ille* [Summus Sacerdos] *se inclinabat ut effunderet vinum oblationis, & Sagan commovebat suum mantile; tum Ben Arza pulsabat suum Cymbalum, & Levitæ Cantum incipiebant*. Hinc possumus intelligere locum illum 2. *Paral.* 29. 27. *Et cum cœpit Holocaustum, Cantus Domini cœpit cum Tubis & instrumentis*, nempe cum vinum sacrificii effusum fuisset; nam eo usque imperfecta erat oblatio, quia unumquodque Holocaustum debebat habere oblationem placentæ & vini, alioqui non erat rite peractum, *Num.* 15. 5. Atque hæc potest esse ratio ob quam, quicquid narrent Judæi, Musica non inciperetur ante oblationem vini: nempe illi expectabant donec perfecta esset oblatio; ea vero perfecta inchoabant.

Erachin in Gemar. ubi sup. fol. 11. Gloss. ibid. Gloss. in Pesachin, cap. 6. fol. 64. Tham. Per. 7.

III. Psalmi qui ordinarie canebantur hi erant. Prima hebdomadis die, *Psalm.* 24. *Terra est Domini*, &c.

Secunda die, *Psalm.* 48. *Magnus est Dominus*, &c.

Tertia. *Psalm.* 82. *Deus stetit in congregatione potentum*, &c.

Quarta, *Psalm.* 94. *Deus ultionum Dominus*, &c.

Quinta, *Psalm.* 81. *Exultate Deo adjutori nostro*, &c.

Sexta, *Psalm.* 93. *Dominus regnavit*, &c.

Die Sabbati canebatur *Psal.* 91. cujus titulus est, *Psalmus Cantici die Sabbati.*

Thamid, ubi supra. Rosh Hash. fol. 31. Maym. in Thamid, Per. 3.

Hi erant ordinarii & constituti Psalmi, quos canebant Cantores & Musici unaquaque die hebdomadis. Rationem electionis variorum Psalmorum in varios dies hebdomadis, tradit *Gemara* in Tractatu *Rosh Hashanah*, & *Glossa* in Tractatu *Thamid* in hunc sensum.

Prima die hebdomadis canebant Psalmum, *Domini est terra*, &c. *Quia prima die hebdomadis Creationis, Deus possedit mundum, eum possidendum dedit, & gubernavit.*

Secunda die canebant Psalmum, *Magnus est Dominus*, &c. *Quia ea die Dominus divisit sua opera, aquas, & regnavit in ea.*

Tertia die canebant Psalmum, *Deus stetit in congregatione potentum*, &c. *Quia*

ea

ea die terra apparuit, super qua sunt judicium & judices; & sua sapientia retexit terram, & constituit mundum sua intelligentia.

Quarta die canebant Psalmum, *Deus ultionum Dominus*, &c. *Quia quarta die fecit Solem, Lunam & Stellas, & ultionem de iis sumet qui illa colunt.*

Quinta die canebant Psalmum, *Exultate Deo adjutori*, &c. *Propter varietatem creaturarum quæ factæ erant ea die ad laudandum nomen ejus.*

Sexta die canebant Psalmum, *Dominus regnavit*, &c. *Quia sexta die Deus finem imposuit operibus suis, fecit hominem, qui intelligit gloriam Creatoris, & Deus gubernavit omnia sua opera.* Hæc habent illi.

IV. Cæterum Cantores dum canerent hos Psalmos, unumquemque dividebant in tres partes, & Pausas inter eas satis longas faciebant, post quas rursus incipiebant canere. Has Pausas *Thalmudici* vocant פרקים, & dicunt eas fuisse בנעימת קול להפסיק, *intermissiones in vocali Musica; & cum cessarent voces, instrumenta etiam cessasse, & ita in unoquoque Psalmo Musicam fecisse tres intermissiones.*

V. In istis intermissionibus Tubæ canebant, & populus colebat Deum על כל פרק תקיעה ועל כל תקיעה השתחויה, *In unaquaque Pausa*, ait *Thalmud*, *erat sonitus Tubæ, & ad unumquemque sonitum prostratio.* Sonitus Tubæ, ut ante diximus, erat *Taratantara*, quandoquidem ita eum vocare placuit, nec unquam aliter Tuba canebant: primo erat sonitus clarus & simplex, deinde infractus, ac tandem clarus & simplex. Ita semel supra vigesies Tuba audiebatur; ter cum aperirentur Atriorum Portæ, novies in oblatione matutina, & novies in vespertina; nempe ter canebat in tribus Musicæ Pausis, & tres erant memorati sonitus quoties audiebatur. Videmus itaque Tuba nunquam se Odei Concentui conjunxisse, sed tum tantum cecinisse cum silebat Odeum.

Hic erat Cantus, & hi fuere Psalmi qui ordinarie per totum annum canebantur; sed quibusdam diebus erant peculiares Psalmi & Cantus, ac Tubæ etiam extra ordinem audiebantur, præter sonitus memoratos.

I. In Præparatione Sabbati Tubæ bis canebant præter ordinem, nempe semel, editis semper tribus sonitibus τȢ *Taratantara*, ut populus moneretur abjicienda esse omnia opera; atque iterum ad distinguendum diem profestum a festo quod tum inchoabat.

Succah, Per. 5.

II. Sabbatis adjiciebatur alterum sacrificium quotidiano, juxta mandatum *Num.* 28. 9. 10. Tempore adjectitii hujus sacrificii Levitæ canebant *Mosis* Canticum ex *Deut.* 32. *Audite cœli*, &c. sed totum una vice non canebant, verum dividebant in sex partes, quarum unam unoquoque Sabbato canebant, & ita intra sex Sabbata illud absolvebant, atque iterum eodem modo incipiebant. Sic canebant matutino tempore cum adjectitium offerretur sacrificium; sed vespertini sacrificii hora canebant Canticum *Mosis* petitum ex *Exod.* 15. Atque hæc observatio de Canticis *Mosis* unoquoque Sabbati die decantatis, facit ad illustrationem *Apocal.* 15. 3. ubi Sancti dicuntur *canere Canticum Mosis servi Dei*, quia tum pervenerunt ad æternum Sabbatum, *victoria reportata de Bestia, deque ejus imagine & charactere, & numero ejus nominis, gestantes manibus citharas Dei.*

Maym. in Thamid, Per. 6.

Præterea tempore adjectitii sacrificii, & Cantionis Sabbati, Sacerdotes tribus vicibus Tuba canebant, ut in ordinaria Musica facere solebant; & Cantores interea, ut alias, Pausam faciebant.

Succah, ubi supr.

III. In sacrificio adjectitio, quod in primam anni diem institutum fuerat, *Num.* 29. 1. 2. &c. quæ vocabatur Festum Tubarum, quia tum Tubæ significabant initium anni, Levitæ canebant Psalmum 81. *Exultate Domino adjutori nostro*, &c. Si autem prima dies anni incideret in quintam hebdomadis, qua juxta institutum ordinem is Psalmus cani debebat, bis eum recitabant, semel in quotidiano sacrificio, semel in addititio; sed in alterutro incipiebat a *vers.* 6. *Removi humerum ejus ab onere*, &c.

Rosh Hashan. ubi supra, & Maym. ubi supra.

IV. Vespertino sacrificio prima anni die canebant Psalmum 29. *Vox Domini concutiens desertum*, &c. Si prima dies anni in Sabbatum incideret, Psalmi primæ diei anni canebantur, & erant loco Psalmorum Sabbati.

V. Paschate & aliis temporibus, uti dictum est, canebant τὸ *Hallel*, cujus descriptionem ad eum locum ubi de Paschate agendum nobis erit, differemus.

SECTIO III. *De Stationariis, vel Israelitis Stationem in templo agentibus.*

Ut erant viginti quatuor Classes Sacerdotum, totidemque Janitorum & Cantorum; ita erant viginti quatuor Classes *Israelitarum ad agendam Stationem.* Hoc quidem est nomen ignotum Scripturæ, res vero ipsa non videtur fundamento ex Scriptura petito carere, nec ipsi Stationarii institutione indidem hausta.

Erant duo Axiomata circa ſacrificia, ex quibus tanquam præmiſſis concluſio de Stationariis deducitur : hæ nempe. I. Nullius offerri poterat ſacrificium, niſi ipſe adeſſet & adſtaret; quod in utroque *Thalmude* tanquam indubitatum Axioma habetur : אין אפשר שיהיה קרבנו של אדם קרב והוא אינו עומד על גביו, *Nullius poteſt offerri ſacrificium, niſi ipſe adſit.* Atque hinc fiebat ut cum mulieribus alias ſemper interdictum eſſet ingredi Atrium *Iſraelis*, attamen cum mulier quæpiam ſacrificium habebat offerendum pro ſeipſa, admitteretur in Atrium, cogente neceſſitate ſacrificii : אין נריאת אשה בעזר אלא בשעת מלבנו בקבר, *Nulla mulier conſpiciebatur in Atrio, niſi tempore oblationis ſuæ*; tum ea poterat in eo eſſe, imo etiam ſacrificio eam adeſſe oportebat. Cujus rei ratio petitur ex eo præcepto, quo is qui habebat Holocauſtum offerendum, tenebatur ipſe illud adducere ad Sanctuarium; ſi autem eſſet Aries, vel Agnus, oportebat ejus ipſum capiti manus imponere, *Levit.* 1. 3. & 3. 2. 8.

Vid. Thalmud utrumque in Taanith Per. 4. Maym. in Kele Mikdash Per. 6. Thoſaph. in Erach. Per. 2.

Aben Ezra in Lev. 1.

II. Erant quædam ſacrificia totius *Iſraelis*, ſeu univerſæ Congregationis, & præſertim תמידין קרבניהון של כל ישראל, *perpetua ſacrificia erant totius Iſraelis*, ideoque Agni quotidiani ſacrificii publicis ſumptibus ex Theſauro Templi comparabantur pro tota Congregatione.

Thalmud. Hieroſ. in Peſach. Per. 3.

Jam autem impoſſibile erat totum *Iſraelem* adeſſe ſacrificiis quæ fiebant pro toto *Iſraele*; adeoque neceſſarium erat quoſdam eligi qui alios repræſentarent, qui loco totius *Iſraelis* adeſſent unicuique ſacrificio, quod offerendum erat pro tota Congregatione. Et quia tales perpetuo debebant adeſſe quotidiano ſacrificio quod ejus generis erat, & moleſtum fuiſſet iiſdem hominibus ſemper adeſſe; conſtituerunt viginti quatuor Claſſes iſtorum אנשי מעמד, *Stationariorum*, æque ac Sacerdotum & Levitarum, ut præſentia vicibus hujuſcemodi ordine ſuccedentibus facilior & tolerabilior eſſet, cum alii etiam Miniſtri Templi eadem de ratione in Claſſes eſſent diviſi. Judæi exiſtimant ejuſcemodi Stationes ab antiquis Prophetis inſtitutas fuiſſe. *Antiqui enim Prophetæ*, ait *Maymonides*, *juſſerunt eligi ex Iſraele viros probos ac religioſos, eoſque Nuntios eſſe Iſraelis, ut adſint ſacrificiis; atque hi vocantur* אנשי מעמד, *Viri Stationis : & diviſerunt eos in viginti quatuor Claſſes, juxta numerum Claſſium Sacerdotum & Levitarum; & unicuique Stationi erat Præfectus aliquis quem vocabant Præfectum Stationis.*

Maym. ubi ſupra.

Hi Stationarii in unaquaque Claſſe imitabantur Sacerdotes & Levitas. Qui degebant *Hieroſolymæ*, aut in vicinia, cum ipſorum venerat hebdomas, præſto erant ut Stationi ſuæ adeſſent; qui vero longius diſtabant, congregabantur in varias Synagogas ſuas, jejunabant & orabant, ac legebant aliquam Legis particulam; quia licet nimium diſtarent, volebant tamen conjungere cultum ſuum cum cultu Fratrum qui *Hieroſolymæ* erant Miniſterio ſuo occupati, & pro iis Deum orare. Jejunabant ſecunda, tertia, quarta & quinta die hebdomadis, & ſex diebus legebant Hiſtoriam Creationis quæ *Geneſ.* 1. & 2. continetur, in partes diviſam, quarum unam quotidie legebant. Nolebant jejunare prima hebdomadis die, quia nolebant ex hilaritate Sabbati continuo in jejunium decidere; nec volebant ultima hebdomadis ante Sabbatum die jejunare, ne hilaritatem Sabbati immediate præcederet jejunium. Sed ei ſolenni officio impendebant quatuor dies intermedios, ad proſperitatem Fratribus ſuis qui erant *Hieroſolymæ*, & eorum Miniſterio obtinendam.

Taan. Per. 4. Maym. ubi ſupra.

Stationarii qui erant *Hieroſolymæ*, perpetuo cultui divino aderant in Templo, cum peragendus erat, exceptis quibuſdam temporibus, quibus aliquandiu abeſſe ipſis licebat. Propter duos fines præſertim aderant.

Primo, erant Congregatio repræſentativa pro toto populo, cum offerretur quotidianum ſacrificium, quod erat totius *Iſraelis*, & cum publicus cultus ac cæremoniæ peragerentur. Adeo erant Judæi circa hoc negotium, de habenda ſufficiente Congregatione ſacris præſente, ſeduli, cum publicæ adminiſtrarentur cæremoniæ, ut in Synagogis ſuis nollent habere publicas preces, aut Legem legere, niſi ſaltem decem adeſſent. Multo magis requirebatur ſufficiens Congregatio quæ adeſſet Templi Miniſterio, quod totum populum reſpiciebat, eique peragebatur, præter Sacerdotes qui eo fungebatur. Erat ibi ſacrificium bis in die; bis etiam ad minimum Lex legebatur, Preces quater fundebantur; & conveniens fuiſſet, ſi fieri potuiſſet, totum adeſſe populum : quod quia fieri non poterat, conſtituerunt has Claſſes Stationariorum, qui eſſent Deputati totius populi, & univerſam ræpreſentarent Congregationem. Fuiſſet manifeſtus ſacrarum cæremoniarum contemptus, ſi cum quotidie adminiſtrarentur, nemo ex populo adfuiſſet ut fortaſſe contigiſſet ut tandem negligerentur a populo, ſi ejus arbitrio relictum fuiſſet adeſſe, vel abeſſe, prout viſum eſſet. Ideoque ad antevertendum manifeſtum illum contemptum, qui inde pro-

Megillah, Per. 4. Maym. in Tephillah Per. 11.

provenire poterat, & ut semper esset aliqua populi Congregatio, hæ Stationariorum Classes constitutæ sunt; adeo ut si pietas alios ex populo ad Templum non alliceret, saltem hi certo adessent repræsentativi homines. ועמידתן שם לתפלה ולתחנה ולבקשה ולקרות בתורה נקרא מעמד, *Atque hæc eorum præsentia precibus, supplicationibus & orationibus, & lectioni Legis vocabatur Statio.*

Secundum eorum munus, vel saltem quorundam ex ipsis, erat curare, quatenus populum repræsentabant, ut ii ex populo qui immundi fuerant, & jam puri veniebant ut expiationem suam haberent, brevi expedirentur, & negotium cujus causa venerant. Hoc observatur in Tract. *Thamid*, ubi refertur, cum pulsaretur *Migrephah* (de quo postea) ab iis qui in Sacrum Locum venerant ad offerendum Incensum, Præfectus Stationis eos duxisse ad Portam *Nicanoris*, ut eorum expiatio fieret.

Thalmud Per. 5.

Quidam existimant hos Stationarios homines, quatenus totam Congregationem repræsentantes, manus imposuisse quotidiano sacrificio quod offerebatur pro toto populo. Aliquando & ipse in hac fui sententia; sed postea comperi Judæos affirmare *neminem imposuisse manum victimis totius Congregationis, duobus casibus exceptis. Unus erat cum emittendus erat Hircus emissitius; alter cum imponenda erat manus Juvenco qui immolabatur pro tota Congregatione, cum præ ignorantia peccaverat, & res fugiebat totam Congregationem. Tum juxta Traditionem ipsius Mosis, manus imponebantur hisce victimis pro tota Congregatione.* Itaque erant varia sacrificiorum tempora, quibus licebat Stationariis abesse, licet sacra fierent pro tota Congregatione. *Illi nunquam Stationem agebant tempore sacrificii matutini per octo dies festi Dedicationis; nec vespertino sacrificio, iis diebus quibus quotidiano additum erat alterum sacrificium.*

Maymon. iu Corban. Per. 3.

Id. ibid. Thalmud. in Taan. Per. 4.

Hi Stationarii ea hebdomade non poterant a Tonsore tonderi, aut lavare vestes suas, quia priusquam Ministerium suum inchoarent, hoc factum esse oportuit.

CAPUT VIII.

De Judæorum Sacrificiis & Oblationibus.

Ritus sacrificiorum varii hi fuerunt fines.

I. Fuerunt instituti ut essent typi & μνημόσυνα magni illius sacrificii *Christi*, quod offerendum erat pro peccatoribus.

II. Ut ostenderent quid commeruissent peccatum & peccator, mortem nempe & ignem, dum mortem & combustionem victimæ oculis ingerebant.

III. Ut agnoscerent *Israelitæ* omnia sua bona a Deo manare, dum tenebantur ex omnibus facultatibus suis aliquid ei offerre.

IV. Ut iis temporibus ritum seu cæremoniam sacram constituerent, qua omnes testarentur se a Deo pendere, & verorum credentium fides ad *Christi* duceretur perpessiones.

V. Ut essent signa pœnitentiæ, & expiationis pignora.

Oblationes porro erant animalium, vel aliarum rerum.

Animalium tantum hæc quinque genera offerebantur, Juvencus, Agnus, Hircus, Turtur, Columbus. Aliæ oblationes erant Decimæ, Primitiæ, Similago, Vinum, Oleum, Thymiama, Sal, &c.

Sacrificia animalium erant vel קדשי הקדשים, *Sanctissima Sacrificia*, vel קדשים קלים, *Sacrificia inferioris sanctitatis*, juxta distinctionem Judæorum. Quæ *Sanctissima* vocabant, erant *Holocausta*, *oblationes pro peccato*, *Oblationes pro delicto*, & *Pacifica Sacrificia* totius Congregationis. *Inferiora Sacrificia* erant Pacifica Sacrificia privatorum, Agni Paschales, Primitiæ, & Decimæ.

Quædam oblationes erant זבחי חובה *Sacrificia debiti*, quibus tenebantur; aliæ זבחי נדבה *Sacrificia voluntaria*, quia sponte sua offerebant.

Sectio I. *Holocausta.* עולות.

Quæritur inter eruditissimos Judæorum, quænam esset occasio Holocaustorum, & quam ob causam deberentur. Atque hanc omnem litem huc redire comperi: ea nempe fuisse ad expiandas impias animi cogitationes, ut oblationes pro peccato & pro delicto actiones ipsas malas expiabant: vel ad expiandas violationes affirmativorum præceptorum, quemadmodum aliæ expiabant violationes negativorum. *Rabbi Akibah rogatus quid Holocaustum expiaret. Ea quibus constituta erat aliqua pœna, &c. seu pertinerent ad affirmativa, seu ad negativa præcepta ad quæ aliquod affirmativum referretur.* Et *corpus bestiæ*, ait *Aben Ezra*, *quod offertur ad expiandum id quod in cor ascendit, vocatur* עולה, *ut oblatio pro peccato, vel pro delicto vocatur* חטאת & אשם. Quem in sensum etiam *Jonathanis* Paraphrasis habet in verba hæc *Levit. 6. 9. Hæc est lex Holocausti*, &c. *Hæc est lex Holocausti, quod adhibetur ad expiandas cogitationes cordis.* In quæ verba Hebraica *Glossa* Marginalis hoc habet interpretamentum:

Tosaph. in Menachoth Per. 10.

Ab. Ezr. in Levit. 1.

Scriptum est in Vajikrab Rabbah, Holocaustum adbibitum non fuisse, nisi propter cordis cogitationes : atque hoc innuitur hisce verbis : העולה על רחכם היה לא תהיה, *Quod ascendit in animum vestrum non erit*.

Holocausta erant ex quinque memoratis animalibus, eaque offerendi hæc fuit ratio.

Ibid.

Si Holocaustum esset Juvencus, poterat sumi ab octo diebus & superius, uti etiam fieri poterat in Agnis & Hœdis. Oportebat eum esse masculum, quia Holocaustum cum esset nobilissima omnium oblatio, juxta *Aben Ezram*, requirebat nobiliorem sexum.

I. *Debebat adduci in Atrium* ab eo qui pro se offerri cupiebat : Lex enim diserte eum jubet *offerre oblationem suam coram Domino*, Levit. 1. 3. Jam autem phrasis *coram Domino*, intelligebatur a Porta *Nicanoris* introrsum. Et adducere victimam intra Atrium tam severæ ac inviolabilis erat obligationis, ut mulieres, quæ alioquin omnino arcebantur Atrio, si victimam adducerent, necesse haberent in hoc ingredi, ut jam antea innuimus.

Thalmud Hierosol. in Sotah, Per. 1. Thosaph. in Erach. Per. 2.

II. *Offerentem oportebat manum imponere capiti victimæ dum vivebat*, Levit. 1. 4. *Omnibus victimis quæ a quopiam privato offerebantur, seu deberentur, seu spontaneæ essent, oportebat ipsum imponere manum dum vivebant, exceptis tantum Primitiis, Decimis, & Paschate*. Hæc impositio manuum ritus erat quo hominis peccata veluti transmittebantur in victimam pro ipso morituram; & cujus morte imminente, agnoscebat se mortem commeruisse ; eratque adeo typus impositionis peccatorum nostrorum *Christo*, & emblema pœnitentiæ.

Maym. in Corbanoth Per. 3.

Circa impositionem manuum varias habent Traditiones, ut I. *Eam fieri debuisse in Atrio*, adeo ut si manus imposuisset victimæ qui eam adducebat, antequam esset in Atrio, impositionem iterari oporteret; si vero offerens esset extra Atrium, sed intro manus protenderet, & victimæ intra Atrium manus imponeret, id sufficeret : quod etiam circa Leprosum observabatur in Porta *Nicanoris*. II. *Dominus victimæ manus ipse imponere debebat*, nec licebat id per alium facere : quod est intelligendum de singulorum victimis; nam in quibusdam sacrificiis pro tota Congregatione, erant Deputati, seu Vicarii, qui iis manus imponebant, ut modo observatum est. III. *Si plures una sacrificium idem offerrent*, (ut fieri poterat) *oportebat unumquemque sigillatim manus victimæ imponere*. IV. Quæritur inter Doctores Hebræos, num imponerent ambas manus, an vero alterutram, nec desunt qui in utramque partem abierint : sed omnes eo deveniunt, ut dicant seu una, seu utraque imponeretur, offerentem *eas totis viribus* & summo conatu *imponere debuisse*. *Thargum Jonathanis*, qui unam tantum manum impositam fuisse contendit, habet, *Imponet dextram omnibus viribus* : *Maymonides* vero qui utramque vult impositam fuisse, *Debebat*, inquit, *imponere ambas manus, idque quam maxima vi poterat*. V. Locus in quo stabat offerens ordinarie, erat locus in quo victimæ immolabantur ad locum Annulorum, adeoque hac occasione *Israelita* poterat & debebat ingredi Atrium Sacerdotum. VI. Hoc autem sic fiebat : victima ita collocabatur, ut offerens facie Occidenti obversa manus ei imponeret inter cornua: confitebatur peccatum suum super oblatione pro peccato, delictum suum super oblatione pro delicto, & super Holocausto fatebatur transgressionem suam contra affirmativa simul & negativa præcepta, ejusque confessio hisce vocibus constabat : *Peccavi, perverse feci, rebellis fui, sic & sic feci ; sed pœnitet me coram te, atque hoc sit mea expiatio*. Statim edita confessione, victima immolabatur.

Id. ibid. & R. Solom. in Lev. 1.

Thosaph. in Menachot. Per. 10. & Maym. ubi supra.

III. Immolatio victimæ ordinarie & juxta leges, erat muneris Sacerdotalis ; sed tamen ab alio etiam aliquando fieri poterat, vel si ab alio facta fuisset, legitima habebatur. Nam cum Lex dicat, *Immolabit Juvencum coram Domino, & Sacerdotes filii Aaronis offerent sanguinem, & aspersionem ex eo facient*, Levit. 1. 5. quasi distinguens eum qui interficit Juvencum, & Sacerdotes qui sumunt sanguinem, Hebræi Doctores non inepte observarunt, שחיטת הקרשים כשירה בזרים אפי׳ קדשי הקרשים, *Immolatio victimarum a peregrinis licita erat, imo etiam sanctissimorum sacrificiorum, cum erant privati cujuspiam, vel totius Congregationis*. Et in hæc verba : *Et Sacerdotes filii Aaronis afferent sanguinem*, Traditio docet recepta, hinc proprie munus Sacerdotale incepisse. Vide 2. *Paral*. 30. 16. 17.

Maymon. in Biath Mikdash. Per. 9. & in Corbonoth Per. 5. & R. Solom. in Levit. 1.

IV. Excoriatio immolatæ victimæ non erat ita Sacerdotali muneri annexa sed peregrinus, vel qui non erat Sacerdos, eam peragere poterat. Hoc *Maymonides* loco laudato affirmat. *Excoriatio victimæ*, inquit, *divisio ejus in partes, & comportatio ligni ad Altare a peregrinis licitæ erant*. Hoc præsertim fiebat Paschatis tempore, & in aliis festis, cum Agni Paschales & aliæ victimæ tot erant, ut Sacerdotes pares non essent iis immolandiis & ex-

excoriandis; ſed quicunque eas immolaſſet aut excoriaſſet, ſemper ſoli Sacerdotes adſperſionem ſanguinis faciebant.

Cum numerus victimarum excoriandarum nimius non erat, eas cruribus appendebant ex uncis affixis inferioribus columnis, quas alibi deſcripſimus, & trabi huic rei aptatæ: ſed tempore Paſchatis, cum plures eſſent victimæ quam ut eo loco contineri poſſent, duo viri accipiebant craſſiorem baculum, cujuſmodi plures erant eo in loco in uſum hunc, eoque humeris impoſito inde ſuſpendebant Agnum, quem inter duos illos viros ſtantes excoriabant. *R. Eliezer* dicit, *Si Paſcha incideret in Sabbatum*, (qua die non ita licebat baculos geſtare) *quiſpiam manus imponebat humeris alterius, alter vero ſimiliter ejus humeris manus imponebat, atque ex eorum brachiis pendebat Agnus, quem ita excoriabant*. Omnes pelles ſanctiſſimorum ſacrificiorum, hoc eſt, Holocauſtorum, oblationnm pro peccato, Oblationum pro delicto, pertinebant ad Sacerdotes, & Sacerdotes quidem Claſſis miniſtrantis eas hebdomade ſua ſale condiebant, atque inter ſe præparatione Sabbati dividebant: ſed pelles aliarum victimarum pertinebant ad offerentes, ſeu dominos victimarum.

Ibid. ſect. 9.

V. Adſperſio ſanguinis fieri debebat antequam victima eſſet excoriata: hæc enim erat conſuetudo, & quidem conſentanea legi, אין מפשיטין אותן עד שיזרק הדם *Non excoriabant eas priuſquam ſanguis eſſet adſperſus*: nam in Lege prius mentio adſperſionis ſanguinis fit, quam excoriationis, *Levit.* 1. 5. 6. Ritus hujus adſperſionis ſanguinis in Altare plures, ejuſque circumſtantiæ variæ erant; earum præcipuas ordine commemorabimus.

Primo, ſanguis qui adſpergendus erat, vaſe vel diſco ſacro excipi debuiſſet, non alio quovis cujuſpiam vaſculo, conſtantiſſimum eſt & juſtiſſimum Axioma: קבול דמן בכלי שרת, *Exceptio ſanguinis debet fieri vaſe cultui divino conſecrato*.

Vide Zevach. Per. 5 per totum. Ibid. Per. 2. ab init.

Secundo, varia hominum genera non poterant excipere ſanguinem adſpergendum; & ſi exciperent, pollutus fiebat, I. Exterus, vel qui non erat Sacerdos. II. Sacerdos lugens, אונן, in cujus Familia aliquis illa die mortuus erat: nam *quicunque habebat mortuum in ſuis ædibus, tota illa die qua mors contigerat vocabatur lugens*, אונן. III. Qui pollutus fuerat, ita ut teneretur ea die abluere veſtes antequam Sol occidiſſet. IV. Qui in longiori pollutione fuerat, & cujus expiatio nondum rite peracta erat. V. Sacerdos qui non habebat omnes veſtes ſacras quas gerere tenebatur. VI. Incircumciſus. VII. Immundus. VIII. Qui ſederat vel ſteterat in re quapiam dum exciperet ſanguinem, alia a pavimento Atrii: nam dum erant in Sacro Miniſterio non licebat ipſis ſtare in ullo vaſe, pelle, vel pede ſocii, ſed debebant ſtare in ſolo pavimento. IX. Qui manu ſiniſtra ſanguinem exceperat, a quibuſdam illicitum feciſſe cenſetur, quamvis aliter alii ſentiant.

Gloſs. in Miſnajoth ibid.

Tertio, cum in medio Altari inter baſin & ſummas partes eſſet linea rubra, ſanguis quorundam ſacrificiorum debebat infra lineam effundi, quorumdam ſupra; ſi autem qui ſupra adſpergi debebat infra adſperſus eſſet, aut contra eveniſſet, illicitum putabatur contigiſſe.

Zevach. ibid.

Quarto, adſperſio ſanguinis Holocauſtorum, Oblationum pro delicto, & Pacificarum, fiebat eodem modo, hoc nempe modo: Sacerdos qui ſanguinem ad Altare ferebat, debebat eo Altare adſpergere infra lineam rubram, & quidem *juxta figuram Græci Gamma*, ſeu hanc formam Γ. Ita habet Traditio in *Gemara* Tract. *Zevachim* modo laudati: atque hoc ſignificat *Maymonides*, cum dicit debuiſſe hoc eſſe כמין גם. Sic interpretantur Scholia marginalia *Thalmudis*: *Debebat ire ad angulum Altaris, & ita jacere ſanguinem, ut ſimul duo latera Altaris tingeret; & ita ex vaſe ſanguinem effundere, ut duo latera Altaris ſimul madefaceret*: quod modo laudatus Scriptor ſic planius exprimit: *Debebat ſanguinem illum duabus adſperſionibus ex vaſe effundere in duo latera Altaris, nempe ad angulum Euro-aquilonarem, & oppoſitum qui Libanotum reſpiciebat; eumque oportebat cavere ut ita angulo ſanguinem adſpergeret, ut utrumque ſimul latus Altaris attingeret tanquam Gamma*, (*ſic* Γ.) *ita ut ſanguis duabus adſperſionibus quatuor tingeret Altaris latera*. Hoc nempe vult, Sacerdotem ſtantem ad Orientale latus Altaris prope Euro-aquilonare latus, & ita e vaſculo emittere ſanguinem, ut pars ejus tingat Orientale latus ad quod ſtat, pars alia Septentrionale. Idem faciendum ipſi erat cum ſtaret ad Occidentale latus prope latus quod Noto-zephirum reſpicit, nempe ita projicere ſanguinem, ut latus Occidentale ad quod ſtabat, & Auſtrale madefierent. Sic exiſtimabant ſe paruiſſe præcepto, quo jubebantur *ſanguinem adſpergere circa Altare* Levit. 1. 5. & 3. 8. Quod reliquum erat ſanguinis effundebant in baſin Altaris ad Auſtrale latus. Hinc poteſt intelligi obſcura illa phraſis, quæ frequentiſſime occurrit in Judæorum Scriptis, cum loquuntur de adſperſione ſanguinis victimarum: *Hoc vel illud ſacrificium debet*

Maymon. in Corbanoth. Pereck. 5.

Maimon. ubi ſupra.

habe.

habere duas adſperſiones, *quæ ſunt quatuor* : רמז טעון שתי מתנות שהן ארבע. Adſperſionem ſanguinis vocant מתנה *Dationem*; & ſanguis quarumdam victimarum debebat habere ארבע מתנות, *quatuor Dationes*, vel aſperſiones, in quatuor nempe Altaris angulos: aliarum vero duas tantum habere debebat, cum duo anguli Altaris tingebantur, ut diximus: ſed hæ duæ adſperſiones æquivalebant quaternis, quia omnia latera adſpergebantur, ea ratione quam modo deſcripſimus.

Statim agemus de adſperſione ſanguinis quæ in ſacrificiis pro peccato in cornua Altaris fieri ſolebat, deque extraordinaria allatione ſanguinis Agni Paſchalis ad Altare, ubi ad Tractatum de Paſchate devenerimus.

Thamid. Per. 4.

VI. Agnus immolandus, ut ex quotidiano ſacrificio exemplum mutuemur, vinciebatur ita ut anteriora & poſteriora ejus crura colligarentur, & ita jacebat capite ad Meridiem obverſo, facie vero ad Occidentem. Qui eum immolabat ſtabat ad Orientale ejus latus, facie Occidentem reſpiciente. Interficiebat eum, alius vero excipiebat ſanguinem, eumque adſpergebat; & tum ſuſpendebat eum ex uncinis humilium columnarum, ubi incipiebat vellus detrahere. Eum excoriabat uſque ad pectus, quo cum pervenerat, caput ipſi abſcindebat, & dabat id alteri, qui ei accipiendo conſtitutus erat & ad Altare deferebat. Abſcindebat crura, eaque dabat alteri; deinde eum prorſus excoriabat. Tum cor e corpore evellebat, & ſanguinem eo contentum abjiciebat; ſecabat duos humeros, & eos tradebat ei qui id miniſterium obire debebat; abſcindebat dextrum crus una cum teſticulis; aperiebat prorſus corpus Agni, & adipem educebat, ac deponebat in loco mactationis; evellebat viſcera, atque ea lavanda cuipiam dabat; qui primum ea probe lavabat in Conclavi Ablutionis, & iterum ea nonnihil abluebat ad Menſam Marmoream; tum accipiebat cultrum, & dividebat pulmones & jecur, ſed nondum avellebat; pectus abſcindebat, illudque ei dabat qui auferre debebat; pergebat per dextrum latus quod dividebat, atque inde deſcendebat ſecundum ſpinam dorſi, & renes abſcindebat, ſicque ad alias particulas procedebat. Qua ratione hæc omnia fierent, fuſe habetur in Tractatu & Capite ſupra in margine laudatis; ſed non eſt inſtituto noſtro adeo neceſſaria, ut in eam tempus & laborem noſtrum impendamus. Eruditus lector eam in ipſis fontibus leget, quæ hic non erudito tædioſa nimis videretur.

Maymon. in Corban Perek. 6.

VII. Varii Sacerdotes manibus gerentes varias diviſæ victimæ partes, veniebant ad gradus Altaris, atque ibi depoſitas partes illas ſaliebant. Hoc enim diſerte Lex juſſerat, *Levit.* 2. 13. *Cum omnibus tuis oblationibus offeres ſalem*. *Atque hoc mandatum ſedulo obſervabatur : nihil enim quod non ſalſum erat*, *veniebat ad Altare*, *niſi vinum oblationis*, *ſanguis adſpergendus*, & *lignum quod comburebatur*. *Atque in tribus locis ſale utebantur; in Conclavi Salis ſaliebant pelles victimarum; in gradibus Altaris earum membra ſaliebant;* & *in ſumma Altaris parte ſaliebant ſimilam*, *oleum* & *thus*, Levit. 2. 2. & *pleraque Holocauſta*, & *Holocauſta avium*. Phraſi ex hac typica lege ſumpta utitur Servator, ad ſignificandum unumquemque debere eſſe conditum Verbo Dei, quod vocat *ſaliri igne*, Marc. 9. 49. nam Verbum vocatur *ignis*, Deuter. 33. 2. *Jerem.* 5. 14. & 20. 9. & 24. 29. 1. *Cor.* 3. 13. &c. Et cum dicit, *Unuſquiſque ſalietur igne*, *non prædicit aliquid futurum*, *ſed oſtendit quid ab omnibus requiratur*, *nempe ut Verbo incorrupto conditi ſeſe Deo conſecrent*.

Id. in Iſſure Mizbeah. Perek. 4.

Beza in locum.

Membra victimæ ſalita Sacerdos qui erat oblaturus tollebat & in Altare ferebat, & confuſe ea projiciebat in ignem. Primum reſecabat nervum qui contrahitur, & miſcebat eum cineribus; tum omnia membra in cumulum abſque ordine in ignem conjiciebat. Nam quamvis Lex juberet membra ordine igni imponi, *Levit.* 1. 8. & quamvis ſolerent ita in igne victimam collocare, ut ſervarent membra ejus eundem ſitum qui inter ea erat dum viveret, quantum fieri poterat, nempe capite omnibus præpoſito, additis pone humeris & anterioribus partibus, & reliquis ordine ſuo; attamen cum primum in ignem ea conjicerent, exiſtimabant ſe aliquid in Lege reperiſſe quo jubebantur carnem ſpargere, quemadmodum adſperſerant ſanguinem; ideoque confuſe membra primum projiciebant, deinde ea ordine collocabant, atque ita comburi curabant.

SECTIO II. *Oblationes pro peccato.* חטאת

Lex de oblationibus pro peccato non diſtinctius deſcribit occaſionem eorum, niſi quod dicit eas oblatum iri *pro peccatis ex ignorantia commiſſis adverſus præcepta Domini*, *circa res quæ non debent fieri*, Levit. 4. 2. 13. 22. 27. unde patet eas oblatas fuiſſe pro peccatis ignorantiæ adverſus præcepta negativa. Sed He-

Hebræi Doctores eas ad ea peccata ignorantiæ adversus præcepta negativa, quæ si commissa fuissent a sciente & prudente, commeruissent Excisionem, plerique restringunt. אין חטאת באה אלא על שזדונו לאו וכרת ושגגתו חטאת, *Oblatio pro peccato non offerebatur*, ait *R. Solomo*, *nisi pro re quæ si a sciente & prudente commissa fuisset, merebatur Excisionem; sed ex ignorantia commissa requirebat oblationem pro peccato*. Ita in Thalmudico Tractatu *Kerithuth*, postquam enumeratæ sunt triginta sex violationes ejusmodi præceptorum, quibus contrahitur reatus Excisionis, sic concluditur: כל אלו חייבים על זדונם כרת ועל שגגתו חטאת *Hæc omnia a sciente ac prudente commissa merentur Excisionem; sed admissa præ ignorantia requirunt sacrificium pro peccato*. *Quicunque ex ignorantia*, ait *Maymonides transgreditur aliquod negativum præceptum, in quo est actio qua contrahitur reatus Excisionis, tenetur offerre oblationem pro peccato; & qui transgreditur affirmativum præceptum, quo jubetur afferre oblationem pro peccato, propter suum errorem; & quævis transgressio cujus voluntaria commissio meretur Excisionem, commissa præ ignorantia requirit oblationem pro peccato*. Ulterius aliquanto procedit *Aben Ezra*; sed quantum comperio, solus: dicit enim oblationem pro peccato fuisse *pro peccato ignorantiæ contra negativum præceptum; quod si a prudente & sciente commissum fuisset, merebatur Excisionem, vel Flagellationem*. Non video reliquos ejusdem Gentis Scriptores cum eo sentire circa illud additamentum *Flagellationis*; varia enim erant peccata quæ non Excisione, sed Flagellatione solum plectebantur: omnes enim uno consensu assignant oblationem pro peccato iis ignorantiæ peccatis, quorum voluntaria perpetratio puniebatur Excisione. Ratio hujus eorum limitationis respicit naturam transgressionis: nam cum numerent 365. præcepta negativa, juxta numerum dierum anni, attamen numerum oblationum pro peccato exæquant quadraginta tribus præceptis, iis ignorantiæ peccatis oblationem pro peccato præscribentes, quæ proxima erant iis peccatis quæ summe erant periculosa, sed quæ ignorantia emolliebantur.

R. Solom. in Lev. 4.

Kerithuth, Per. 1.

Maymon. in Shegag Per. 1.

Ab. Ezra in Levit.

Maym. in Præf. ad Jad Chazach. Id. in Shegag. Per. 1.

Verum quidem est esse quasdam oblationes pro peccato quæ nominatim præscribuntur, quæ non possunt proprie referri ad id genus de quo loquimur, qualis fuit oblatio pro peccato in consecratione *Aaronis*, *Levit. 9. 2.* pro muliere cum purificaretur, *Levit. 12. 6.* pro Leproso cum mundaretur; vix enim hasce oblationes possumus adscribere peccato cuipiam ignorantiæ adversus negativum aliquod præceptum, cujus spontanea violatio mereretur Excisionem. Sed videntur potius oblata fuisse hæc sacrificia ad majorem cautionem; ut, si forte ei peccato subjacerent ignari, ut fieri poterat, expiarentur. Itaque erant admodum affinia *oblationibus pro delicto*, quo nomine oblatio pro peccato venit, *Levit. 5. 6.* Sed ubi Lex præscribit regulas circa oblationes pro peccato, nulla nominatur peculiaris transgressio, sed hæc tantum generalis præceptio traditur, eas oblatum iri pro iis qui imprudentes adversus negativum aliquod præceptum peccassent: itaque ad eas oblationes peculiaribus peccatis præscribendas, consentaneum rationi erat eas imponi iis peccatoribus ex ignorantia, quorum peccatum, si spontaneum fuisset, inter Deum & Hominem maximum creasset dissidium, cujus sublatio finis erat Sacrificii. Unum atque alterum sumamus exemplum, ut melius intelligantur quæ dicta sunt: deinde ad varia veniemus genera *oblationum pro peccato*.

Merebatur Excidium voluntaria violatio hujus præcepti, *Non operaberis septima die*. *Quinam est reus propter opus factum die Sabbati? Si prudens ac sciens hoc fecit præ superbia, reus est Excisionis; sique testes id manifestum facerent, debebat lapidibus obrui: sed si præ ignorantia hoc fecisset, tenebatur præscriptam pro peccato oblationem offerre, cum ipsi postea quid fecisset innotescebat. Et per totum Tractatum de Sabbato*, verba sunt *Maymonidæ*, *quotiescunque dicitur*, *Quicunque hoc vel illud fecit est* חייב ἔνοχος *reus*, *significatur* חייב כרת, *reus Excisionis: si adsit testis, & res manifesta sit, reus est lapidationis: sed si præ ignorantia hoc fecit*, חייב חטאת, *reus est sacrificii pro peccato*.

Idem in Shabbath, Per. 1.

In immunditia ingredi Sanctuarium aliud erat peccatum quod Excisionem merebatur, & contrarium erat frequenti illi prohibitioni, ne quis immundus eo veniret. Si quis immundus prudens ac sciens eo iret præ superbia, fiebat reus Excisionis. Si adesset testis qui testaretur illum superbe & scienter hoc fecisse, mulctabatur Verberibus Rebellionis, ut observatum est. Si vero imprudens hoc fecisset, tenebatur afferre suam oblationem; quæ oblatio aliquatenus quidem differebat ab oblatione pro peccato quæ alias offerri solebat, sed tamen ejus occasio consentanea erat occasioni cæterarum oblationum, quarum quælibet erat חטאת קבועה, *præscriptum sacrificium pro*

pec-

peccato alicujus bestiæ, vel alterius rei; illa vero erat קרבן עולה ויורד, *Oblatio ascendens & descendens*, hoc est, majoris vel minoris pretii, juxta facultates ejus qui eam offerebat; si dives esset, aliquam pecudem adducebat; si pauper, turtures, vel columbos, vel *Ephæ* partem decimam similæ afferebat. Hisce exemplis satis apparet quomodo se gererent in reliquis triginta sex, vel quadraginta quatuor (in totidem enim dividuntur triginta sex) circa voluntariam Legis violationem pœnamque ei constitutam; & circa imprudentem transgressionem, eique præscriptam oblationem.

Kerithuth Per. 1. Glossa, ib.

Jam, ut veniamus ad distinctionem oblationum pro peccato, erant vel oblationes pro tota Congregatione, vel pro privatis, *Levit.* 4. 3. 13. 22. Sed cum loquimur de oblatione pro tota Congregatione, potest esse aliqua in terminis æquivocatio; utrum nempe intelligatur totius populi corpus, an vero solum *Synhedrium Magnum*, quod totum *Israelem* repræsentabat. Huic difficultati respondemus, ea voce utrumque significari.

Primo enim, Hircus qui pro peccato offerebatur Expiationis die, offerebatur pro tota Congregatione, *Levit.* 16. 15. de quo postea agemus; atque hoc possumus sumere pro toto populo individue sumpto.

Secundo, Juvencus offerebatur pro peccatis totius Congregationis, cujus mentio fit *Levit.* 4. 13. qui a Judæis vulgo vocatur *Juvencus pro re occulta* דבר העלם, quia in Textu allato dicitur, *Et res sit abscondita oculis Congregationis*. Hoc in negotio *Synhedrium* & populus una comprehenduntur; & ita quidem, ut *Synhedrium* prius per ignorantiam peccasset, populus vero posterior ejus errore in peccatum delapsus esset. *R. Solomon* rem ita exprimit. *Per Congregationem Israelis significatur Synhedrium, & per rem absconditam significatur illud errasse in docendo circa Excisionem aliquam in Lege, hanc vel illam rem esse licitam, ut juxta ejus decretum egerit Congregatio*. Sed *Maymonides* rem fusius & clarius sic explicat. *In aliqua re per ignorantiam commissa homines tenebantur offerre oblationem pro peccato constitutam, si Magnum Synhedrium errasset in suo decreto, & docuisset id esse licitum quod interdictum erat, & populus errasset per ejus determinationem, & rem commisisset ea determinatione nixus, & postea cognosceret Synhedrium se errasse. Ecce Synhedrium tenetur offerre oblationem pro peccato propter errorem suum in decreto suo, quamvis ipsum rem non commisisset; quia actiones Synhedrii dijudicantur non ex eo quod facit vel non facit, sed ex ejus decretis*. Et ad reliquum quidem populum quod attinet, *oblatione expiabatur, quia nitebatur Synhedrii decretis. Jam quodnam offerebatur sacrificium? Si errassent circa aliquam Excisionem*, (excepta Idololatria) *unaquæque Tribus Juvencum offerre debebat*: ita unusquisque absolvebatur, & unus Juvencus pro tota Tribu oblatus eam expiabat, & *Synhedrium* etiam quod omnes repræsentabat Tribus. Ad simile quippiam respiciebat *Thargum Jonathanis*, cum versum quarti Cap. *Levitici* quindecimum sic vertebat. *Duodecim Seniores Congregationis qui regendis duodecim Tribubus præpositi sunt, imponent manus suas capiti Juvenci*. Ubi *Glossa* marginalis reprehendit *Rab* & *Rabbi Solomonem*, quod existimarent pauciores imposuisse manum capiti Juvenci. *Non sum in sententia*, inquit, *vel τȣ̃ Rab, vel Rabbi Solomonis, quorum unus dicit tres, alter vero quatuor imposuisse manus: res enim manifesta est ex eo quod scriptum est*, Et Seniores Congregationis imponent manus suas; *quod significat Seniores totius Congregationis: resque etiam inde apparet, quia tota Congregatio peccavit; quare autem tres aut quinque tantum manus suas imponerent? Sed erant duodecim, scilicet uniuscujusque Tribus unus*. Quibus in verbis licet videatur dicere unum fuisse Juvencum, ut & *Thargum*, in quod hoc scriptum est Scholium, de uno tantum loquitur; attamen apparet ex aliis ejusdem Gentis Scriptoribus, fuisse duodecim Juvencos; & quo fundamento eos ad eum numerum augeant, cum Scriptura de uno tantum loquatur, mox dicemus.

R. Solom. in Levit. 4.

Maym. in Shegagah, Per. 14.

Tharg. Jonath. in Levit. 4.

Gloss. marg. ib.

Tertio, si *Synhedrium* errasset in negotio Idololatriæ; deque ea aliquid decrevisset quod non licebat jure, & populus juxta ejus pronunciata egisset, ac etiam errasset; tum Juvencus & Hircus offerebantur pro peccato uniuscujusque Tribus, cum contingebat errorem cognosci: atque hoc colligunt ex *Numer.* 15. 24. hac ratione: Si erraveritis, nec observaveritis hæc omnia præcepta. *Quodnam est illud peccatum quod violat omnia præcepta? Est nempe Idololatria, rumpit jugum, transgreditur fœdus, & aperit faciem*, vel est impudens in peccato. Et cum dicatur *Levit.* 4. 14. *Tum Congregatio offeret* הקריבו הקהל, hæc verba distributive interpretantur, tum hoc in negotio, tum in superiori: *Unaquæque Congregatio offeret*, hoc est, unaquæque Tribus; atque ita in allato casu erant duodecim Juvenci, in hoc vero posteriori præter Juvencos, duodecim Hirci. Hi vulgo

R. Solom. in Num. 15.

Maymon. ubi supra.

vulgo vocantur in Judæorum Scriptoribus, שעירי עבודה זרה, *Hirci Idololatriæ*; Juvenci vero, *Juvenci Holocauſti*: non quod alii Juvenci, qui alias ob cauſas, præter Idololatriam, offerebantur, non comburerentur; ſed quia hac ratione diſtinctio fiebat inter פרהעלם דבר, הצבור *Juvencum Cangregationis propter rem abſconditam*, & פרים נשרפים, *Hircos Congregationis propter Idololatriam*.

Sanguis horum Juvencorum mactatorum vel pro peccato occulto, vel pro Idololatria, deferebatur in Locum Sanctum, atque ibi Sacerdos immiſſo in ſanguinem digito, eum ſepties adſpergebat verſus Velum. Tum exibat, & eo Altaris cornua tingebat, reliquum ad Altaris baſin effundebat. Adipem comburebat in Altari; ſed pellem, caput, crura, inteſtina & ſtercus comburebat extra Caſtra. Eodem modo ſe gerebat erga Hircos.

Thoſaph. in Corban. Per. 6.

Chriſtus victima noſtra, qui ſemetipſum in expiationem peccati obtulit, frequenter in Scriptura comparatur victimæ quæ pro Congregatione offerebatur, quia mortuus eſt pro toto ſuo populo; & victimæ quæ mactabatur pro peccato, quia obiit ad averruncandam maledictionem & exciſionem. Vocatur *Agnus Dei*, *Joann.* 1. 29. ubi ſit alluſio ad Agnum quotidiani ſacrificii, quod pro tota Congregatione offerebatur. Dicitur *factus peccatum pro nobis*, id eſt, oblatio pro peccato, *quamvis peccatum non noſſet*, 2. *Cor.* 5. 21. Aſſimilatur etiam iis ſacrificiis ubi ſanguis victimæ pro peccato fuſus inferebatur in Sanctuarium, & corpus comburebatur extra Caſtra, *Hebr.* 13. 11. Hæc combuſtio victimarum extra Caſtra non modo erat figura paſſionis *Chriſti* extra Portam, ut obſervat Apoſtolus; ſed & victimæ combuſtio & *Chriſti* paſſio extra Portam, ſignum fuit eum mori pro populo quem habebat inter Gentiles, qui erant veluti extra *Iſraelis* Caſtra; allatio vero ſanguinis in Sanctuarium ſignificabat eum appariturum, & perpetuo coram Domino oblaturum meritum ſanguinis ſui in expiationem peccatorum Congregationis ſuæ.

Oblationes pro peccatis ſingulorum hæc erant. I. Oblatio pro peccato Summi Sacerdotis, Juvencus die Expiationis, *Levit.* 16. 6. cujus ſanguis deferebatur intra Velum, *verſ.* 14. & caro extra Caſtra comburebatur, *verſ.* 27.

II. Juvencus Summi Sacerdotis, propter aliquid quod fieri non debebat commiſſum ex ignorantia, *Levit.* 4. 3. Sanguis hujus Juvenci inferebatur in Sanctuarium; ejus vero caro & pellis, &c. comburebantur extra Caſtra, *verſ.* 11. Hic Juvencus vocatur ab Hebræis Scriptoribus, פר הבא על כל המצוות, *Juvencus qui offerebatur propter omnia præcepta. Et quidam dicunt ejuſmodi oblationem pro peccato quotannis offerri debuiſſe* quæ ut erat expiatio pro ipſo, ita, ut obſervat *Baal Turim*, animum reliquis addebat ad confitenda peccata ſua. *Lex præcipit*, inquit, *oblationem pro peccatis Summi Sacerdotis publice in loco cinerum comburi, ne quiſquam præ pudore refugeret fateri peccatum ſuum: ecce enim Summus Sacerdos peccaverat, confitebatur peccatum ſuum, & oblationem pro peccato offerebat.*

Maymon. ubi ſupra. Ab.Ezr. in Levit.4.

Baal Turim in Levit.4.

III. Erat oblatio pro peccato Principis, *Levit.* 4. 22. Hœdus, *verſ.* 23. Cornua Altaris ejus ſanguine tingebantur, adeps comburebatur in Altari, & caro comedebatur, *verſ.* 25. &c.

IV. Erat etiam oblatio pro peccato privati cujuſpiam, *Levit.* 4. 27. Ovis vel Capella. Ungebantur ejus ſanguine cornua Altaris, adeps comburebatur, & caro comedebatur a Sacerdotibus.

Hæc erant varia ſacrificia pro peccato quæ offerri debebant, quædam ex diſerto Legis mandato, alia ex generali regula expiandi peccati involuntarii, quotieſcunque innoteſceret. Jam autem ut plenius intelligantur ritus ac cæremoniæ oblationum pro peccato, varias haſce earum circumſtantias obſervare poſſumus.

I. Locus & ratio offerendi, mactandi, & imponendarum manuum victimæ eadem erant ac in Holocauſtis.

II. Circa ſanguinem qui inferebatur in Locum Sanctum, ſic ſe Sacerdos gerebat. *Juvenci qui comburebantur, & Hirci qui comburebantur extra Caſtra, dum mactabantur, & adſpergebatur eorum ſanguis,* [in Altare Holocauſtorum] *Sacerdos intrabat, & ſtabat intra Altare Aureum & Candelabrum. Altare erat ante ipſum, immittebatque in ſanguinem digitum ſuum, & ſepties adſpergebat ſanguinem verſus Sancta Sanctorum; & quoties digitum immittebat ac adſpergebat, ſanguine etiam Altaris cornua inungebat.*

Thoſaph. ubi ſnpra.

III. Sanguis qui non inferebatur in Sanctuarium madeſaciebat cornua Altaris Holocauſtorum, & aliqua etiam pars ejus ſanguinis qui referebatur ex Sanctuario: cujus rei hi erant ritus.

Sacerdos aſcendebat per gradus Altaris, & dextrorſum circumibat Altare, incipiens a cornu quod Euro-notum reſpiciebat, immergebat indicem dextræ in ſanguinem qui vaſculo continebatur, eumque adſpergebat verſus cornu; deinde abſtergebat digitum in margine diſci, & ſan-

Maymon. ubi ſupr. Per. 5. Thalmud, in Zevach. Perek. 5.

sanguinem qui remanebat in digito sic tollebat; deinde veniebat ad cornu Euroaquilonare, atque eandem cæremoniam repetebat, & idem faciebat in reliquis duobus cornubus. Atque hic erat sanguis qui effundebatur supra rubram lineam quæ medium Altare circumibat; & solus quidem sanguis oblationum pro peccato digito adspergebatur.

IV. Cum dicitur reliquus sanguis *effusus fuisse ad basin Altaris*, intelligendum id factum fuisse ad Meridionale vel Septentrionale latus, quia in angulo qui Noto zephyrum respiciebat erant duo foramina in quæ influebat sanguis, de quibus diximus in descriptione Altaris. Quidam ita distinguunt sanguinis effusionem, ut dicant quod effundebatur in Sanctuario id effusum fuisse ad Occidentale latus; quod vero ibi effusum non fuerat, effundi solitum ad Meridionale. Sed *R. Simeon* dicit *utrumqua effusum fuisse ad Occidentale latus, & effluxisse per canalem subterraneum, quo deducebatur ad Vallem Cedron, & vendi solitum hortulanis*, qui solum inde pinguius reddebant. *Sed Rabbi Meir asserit Sapientes dicere, nullum ejus fuisse usum.*

Thos saph. ubi ante.

V. Hirci & Juvenci qui extra Castra comburebantur, in partes scindebantur cum pelle, & injiciebantur in ignem, iisdem adhibitis ritibus quibus Holocausta igni Altaris imponebantur.

Maymon. ubi supr. Per. 1.

VI. Oblationes pro peccato quæ non comburebantur extra Castra, comedebantur a Sacerdotibus, postquam adeps in Altari oblatus fuerat, *Levit. 6. 25. 26.* & *10. 17.* & edebant quidem in Atrio. Corruptis temporibus incusantur Sacerdotes, quod in Ministerio suo nullam pietatis rationem haberent, sed tantum ventrem implerent, quem instar Dei colebant. *Comedunt peccatum* (id est, oblationes pro peccato) *populi mei, & ponunt corda sua in iniquitate eorum.* Hos. 4. 8.

SECTIO III. *Oblationes pro Delicto.* אשם.

Ita oblationes pro delicto, tum quoad rem ipsam, tum quoad oblationis causam & occasionem, consimiles erant oblationibus pro peccato, ut gemellæ videantur, & subtilior sit ac difficilior earum distinctio. Nam ut sacrificia pro peccato offerebantur propter aliquid commissum in præceptum negativum; ita & hæc: ut illa offerebantur pro peccatis ex ignorantia commissis; ita & hæc: ut illa respiciebant periculum Excisionis; ita etiam hæc. Est tamen aliquod inter ea discrimen, & tale quidem, ut oblationes pro delicto essent tantum gradu distinctæ a prioribus.

Erant duum generum: erat אשם תלוי, *Oblatio pro peccato dubio*, & אשם ודאי, *Oblatio pro peccato certo.* Et ita quidem vocabantur non respectu oblationis ipsius, quasi dubitaretur an esset oblatio, necne; sed quia in causa oblationis poterat esse dubitatio aliqua, vel certitudo.

Maym. in Corban, Per. 9.

אשם תלוי, *Oblatio dubia*, vel *suspensa*, hæc enim est propria vocis Hebraicæ significatio, creditur a quibusdam Judæis Scriptoribus ita vocata fuisse, quia suspendebat ei qui delictum commiserat pœnam debitam: לפי שתלה ומגין עליו מן היסורים *quia suspendebat & tutum præstabat eum a debitis castigationibus*. Quod licet verum sit, attamen vera phraseos etymologia ex generaliori sensu petenda est; quia nempe est suspensio judicii & dubitatio circa rem propter quam est oblatio. Est historia in Tractatu *Kerithuth*, *de Baba Ben Buta, eum quotidie, excepto postridie diei Expiationis, per totum annum obtulisse dubiam hujuscemodi oblationem pro delicto. Et aliquando dicebat, Per hoc Templum, si mihi liceret, talem oblationem ea etiam die offerrem: sed dicunt mihi, Expecta donec veneris in aliquam dubitationem. Et Sapientes dicunt, Non offertur* אשם תלוי, *suspensa oblatio, nisi pro tali delicto, quod scienter ac prudenter commissum merebatur Excisionem, & imprudenter requirebat oblationem pro peccato.*

Gloss. in Misnajoth in 8.

Kerithuth Perek. 6. sect. 3.

Consonat postremis hisce verbis alius ejusdem Tractatus locus, ubi enumeratis triginta sex transgressionibus quæ merebantur Excisionem, sic concluditur. *Unum horum commissum prudenter ac scienter meretur Excisionem; si imprudenter, oblationem pro peccato requirit: si ignotum sit, dubiam oblationem pro delicto.*

Hisce testimoniis apparet *oblationes pro peccato*, & has *dubias oblationes pro delicto* adeo affines fuisse, ut posterior deberi non existimaretur, nisi & altera debita censeri posset; ut una offerretur pro re commissa imprudenter, altera vero pro re imprudenter commissa & ignota. Præcipua earum differentia hac in re sita erat: oblatio pro peccato erat pro re imprudenter commissa adversus unum e negativis præceptis, & tum demum cognita; oblatio vero pro peccato erat pro re commissa quidem, sed ita ut dubitaretur an præceptum esset ea actione violatum. Qui adhuc ignorabat utrum transgressus esset necne, attamen tenebatur offerre oblationem pro delicto, quæ, ut antea dictum est, tutum eum præstaret a pœna Excisionis. Quod si semel resci-

reſciret ſe violaſſe præceptum aliquod, quod Excisionis pœna ſancitum eſſet, tum tenebatur offerre ſacrificium pro delicto. *Thalmudiſtæ* in hoc caſu hæc proferunt exempla.

Ibid. Per. 2. Thoſaphoth in Kerithuth Per. 2.

Qui comedit adipem, (adipem ſcilicet inteſtinorum, qui in omnibus ſacrificiis offerri debebat) *ſi id fecerit prudens ac ſciens, debebat excidi; ſi imprudens, debebat offerre ſacrificium pro delicto ſtatim ac noſcebat quid feciſſet*. Sed caſus de quo quæritur hic eſt: vir quiſpiam menſæ accumbens, cui appoſitus erat adeps quem comedi nefas erat, & alius adeps qui comedi poterat; poterant enim comedere adipem bovinum, vel vervecinum, licet non liceret inteſtinorum adipem comedere: vir, inquam, ille comedit ex uno adipe, nec novit ex quo: credit ſe comediſſe ex eo adipe quem fas eſt comedere; ſed fieri poteſt ut comederit ex eo quem deguſtare non licet. Quia autem fieri poteſt ut ſit reus violati præcepti, tenetur offerre ſuſpenſam oblationem אשם תלוי, quamvis ignoret an peccaverit, necne.

Gloſſ. in Miſnai. ubi ante.

Qui prudens & ſciens concubuerat cum ſorore, debebat excidi; qui vero imprudens, debebat offerre oblationem pro pecca to ſtatim ac noverat quid feciſſet. Verum hic eſt caſus de quo agimus: cujuſpiam uxor & ſoror ſunt una in eodem lecto. Ille concumbit cum una ex iis, credens eſſe uxorem ſuam; ſed fieri poteſt ut fuerit ſoror. Propterea tenetur offerre oblationem pro delicto dubiam, quia dubium eſt an tranſgreſſus fuerit. Atque hoc oblationis genus hoc reſpectu vocatur *dubium vel ſuſpenſum*, quia dubitabat qui eam offerebat, utrum foret reus necne: ideoque reatus & pœna quibus obnoxius eſſe poterat veluti pendebant.

Thoſaph. ubi ſupra.

Varia hujuſcemodi exempla poſſunt afferri; ſed unum tantum atque alterum addemus verbis Auctoris *Thoſaphtæ*. *Sunt duo viri ſimul; unus eorum peccat, ſed uter ſit ignoratur. Rabbi Joſe dicit, utrumque debere dubiam oblationem pro delicto offerre, & confiteri. Qui comedit fruſtulum adipis inſtar oleæ, vel fruſtulum carnis inſtar oleæ, quæ tamdiu ſervata eſt antequam ſacrificaretur, ut fœteret; vel fruſtulum reliquum ex ſacrificio inſtar oleæ, vel fruſtulum inſtar oleæ cibi immundi imprudens, debet offerre ſacrificium pro peccato. Sed ſi dubitat num comederit necne, tum tenetur oblationem pro delicto offerre. Qui concumbit cum ſua ſorore, vel patris, vel matris, vel uxoris ſorore, vel fratris, vel patris uxore, vel muliere ſeparata, tenetur offerre ſacrificium pro peccato*: ספק בא ספק לאבא מביא אשם תלוי *ſad ſi dubitet num fecerit necne, debet offerre dubiam oblationem pro peccato. Viri uxor & ſoror ſimul ſunt, & ipſe concumbit cum alterutra, ſed utra ſit ignorat. Habet duas uxores, una earum eſt in ſua ſeparatione, altera non item; concumbit cum alterutra, ſed utra fuerit ignorat. Ipſi apponitur adeps, & aliquid reliquum ex ſacrificio; comedit ex alterutro; ſed utrum fuerit ignorat. Eſt Sabbatum & dies Expiationis; laborat alterutra, ſed utra fuerit neſcit. R. Eliezer judicat eum offerre debere ſacrificium pro peccato; ſed R. Joſhua eum abſolvit. Jam vero R. Joſe dicit, quamvis R. Joſhua ipſum ab oblatione pro peccato abſolvat, tamen eum cenſet offerre debere dubiam pro delicto oblationem.*

Hiſce exemplis ſatis apparet, quidnam eſſet אשם תלוי, ſi audiamus Doctores Hebræos: ſed ut res manifeſtior fiat, poſſumus una cum illis ulterius procedere. Quiſpiam comperiebat fieri poſſe ut peccaſſet, quamvis prorſus incertum eſſet ipſi utrum peccaviſſet necne; tamen conſcientia tenebatur dubiam hanc oblationem pro delicto offerre, quia fieri poterat ut peccato teneretur, ut in exemplis allatis videre eſt. Sed hic non ſubſiſtunt: ſi teſtis adeſſet qui diceret certo eum comediſſe ex adipe interdicto, concubuiſſe eum cum uxore ſua dum ſeparata eſſet, aut cum ſorore, vel quippiam ſimile; nondum convictus erat rem ita ſe habere, ſed adhuc dubitabat, atque in ea dubitatione tenebatur offerre *dubiam oblationem pro delicto*; quia licet certum eſſet eum peccaſſe, adhuc tamen ipſi dubium erat: ſed quotieſcunque convinceretur ſe revera deliquiſſe, tum tenebatur offerre *ſuam oblationem pro peccato*. Itaque *dubia oblatio pro delicto* gradu differebat ab *oblatione pro peccato*, & reſpiciebat ea præcepta quæ Excisione ſancita erant; ſed cum dubium erat utrum delictum eſſet commiſſum, hæc dubia ſeu ſuſpenſa oblatio debebat offerri ut vitaretur Exciſio, cujus imminebat periculum. Vide, *Levit.* 5. 17.

אשם ודאי, *Certa*, vel *manifeſta oblatio pro delicto* ita vocatur, quia Lex diſerte eam præcipit, tum reſpectu victimæ, tum reſpectu perſonarum & occaſionum propter quas offerri debebat; hæque erant quinque.

Thoſaph. ubi ſupra. Thalm. in Zevachin, Per. 5. Maym. in Shegagah, Per. 9.

I אשם גזילה, *Oblatio propter rem ſubreptam*, vel injuſte partam, aut poſſeſſam, cujus fit mentio *Levit.* 6. 2. 3. 6.

II. אשם מעילה, *Oblatio pro ſacrilegio*, cujus eſt mentio *Levit* 5. 16.

III. אשם שפחה חרופה *Oblatio pro-*

pter servam, de qua lex extat *Levit.* 19. 20. 21.

IV. אשם נזיר, *Oblatio Nazirai*, *Numur* 6. 12.

V. אשם מצורע, *Oblatio Leprosi*, *Levit.* 14. 12.

Ritus porro horum sacrificiorum iidem erant ac ritus *sacrificii pro peccato*. Victimæ mactabantur, excoriabantur, viscera educebantur abluebantur, saliebantur, & comburebantur, ut victimarum pro peccato oblatarum; & caro comedebatur a Sacerdotum filiis in Atrio. In adspersione duntaxat sanguinis aliquod erat discrimen: nam cum sanguis oblationis pro peccato imponeretur cornubus Altaris, in sanguine horum erant שתי מתנות שהן ארבע, *duæ adspersiones, quæ erant quatuor*, hoc est ut supra diximus, in duos angulos Altaris, juxta figuram literæ *Gamma*. Victimarum pro peccato oblatarum sanguis adspergebatur supra lineam rubram quæ medium Altare circumambibat; harum vero infra, ut sanguis Holocaustorum. Inter reliqua *Nazirœorum* Aries pro delicto oblatus, ex minimorum sacrificiorum numero habebatur, vel קדשים קלים, cum reliqua omnia venirent in censum קדשי קדשים, *sanctissimarum oblationum*; & cum hæc mactarentur ad Septentrionale Atrii latus illud in Meridionali mactabatur. Priora a filiis duntaxat Sacerdotum comedebantur in Atrio; posterius ab aliis & in Urbe ipsa poterat comedi.

Zevach. ubi supra.

Comestio sanctissimarum oblationum in Atrio vulgo vocatur a Judæis אכילת לפני מן הקלעים, *Comestio intra Cortinas*; in qua loquutione respiciunt ad Atrium Tabernaculi, quod Cortinis undique cingebatur. Nam, ut intra Cortinas illas erat spatium quod vocabatur *Castra Domini*; (Castris *Levi* extra positis) ita a Janua *Nicanoris* introrsum quicquid erat Castra Domini reputabatur; Castra vero Levitarum spatium illud quod erat a Janua illa usque ad Portam Montis Templi. Erat autem disertum mandatum, quo oblationes omnes comedere jubebantur Sacerdotes una cum filiis in Loco Sanctissimo, id est, in Atrio, *Numer.* 18. 10. *Ezech.* 42. 13. *David Kimchi* in posteriorem locum hæc verba habet: *Sanctissimæ oblationes edebantur intra Atrium Israelis interius, atque hoc vocabatur emphatice Atrium; & erat ille Sanctus Locus ad comedendas res sanctissimas, si ita ferret animus. Sed in Atrio Sacerdotum, quod erat intra Atrium Israelis, erant Atria Sacerdotum, & ibi comedebant res sanctas*. Quo in loco rerum sanctissimarum comestionem intra arctiores limites cogit, quam vel necesse est, vel reliqui ejus Gentis Doctores faciunt. Invenit etiam ædificia & Conclavia Sacerdotibus intra Atrium Sacerdotum, quæ nisi sint Conclavia Templo annexa, concipi non possunt, nec a quoquam ibi unquam deprehensa sunt. Ut præceptum coercebat Sacerdotes intra circuitum Atrii, dum res sanctas comederent; ita optime videatur locus cibi capiendi juxta tempestatem anni, & commoditatem constitutus fuisse, æstus tempore intra claustra quædam sub dio, frigoris vero in Conclavibus quæ erant intra Atrium, ut *Gazith*, *Mokadh*, *Nitsots*, vel in aliquo ex Conclavibus Templo annexis.

Kimch. in Ezech. 42.

Apparet ex Traditione circa eorum comestionem, eos ad res sacras comedendas non accubuisse mensæ, nisi noctu, nec ullum tempus prandio constitutum fuisse, sed cœnæ tantum באכלים עד חצות. Hinc commune natum est *Thalmudistarum* dictum: *Poterant comedere ex iis usque ad mediam noctem*; serius illicitum erat. In Tractatu *Berachoth*, notatur id tempus quasi hora qua tenebantur Sacerdotes recitare vesperi Phylacteria sua. *A quo tempore repetebant vesperi Phylacteria sua?* Respondetur, *A tempore quo Sacerdotes ibant ut comederent suas oblationes*. Utrum autem Sacerdotes eo usque jejunarent necne; utrum Christiani in *Agapis* suis consuetudinem conviviorum Templi sint imitati; utrum eorum jejunium coram Domino esset figura beatæ societatis Sanctorum in cœlis, qui vident faciem Dei, non hic disquiram, sed lectori discutiendum relinquam.

Berach, Per. 1. Sect. 1.

Inter hasce oblationes quarum meminimus, Juvencorum, Hircorum, Arietum & Agnorum, omittendum non est similes fuisse avium oblationes. Atque ex omnibus quidem avibus duo tantum genera licita erant, Turtures & Columbi, & eorum semper paria offerebantur. In lingua Thalmudica vocantur קינים, *Nidi*, de quo titulo & argumento est Tractatus in Thalmudico Codice; atque ordinarie emebantur in Templo, *Joann.* 2. 14. Mulieres præsertim, quamvis non solæ, hoc oblationis genere delectabantur. Nam casus circa earum immunditiem, effluvium sanguinis, partus & abortiones tam frequentes erant, (præter vota & libera dona) ut ejuscemodi oblationes ad incredibilem numerum excrescerent. Unum exemplum instar omnium nobis erit.

Mulier, ait Tractatus *Kerithuth*, *quæ dubitat de quinque partibus* (simul) *& quinque fluxibus*, *tenetur offerre unam oblatio-*

Kerithuth Perek. 1.

tionem, & potest comedere ex sacrificio, nec ulla præterea oblatio pro ea debita est. Habet quinque partus certos, & quinque fluxus certos, tenetur offerre unam oblationem, & potest edere ex sacrificio; sed debet pro reliquis. Hoc aliquando contigit: Columbæ Hierosolymæ veniebant uno denario auri. Rabban Simeon filius Gamalielis dixit, Per hoc Templum, nolo dormire hac nocte donec argenteo denario veneant. Ivit in Synhedrium, & hoc decretum fecit: Mulier quæ habet quinque apparentes partus, & quinque apparentes fluxus, tenetur unam oblationem afferre, & potest comedere ex sacrificiis; & nihil debet pro reliquis. Ita ea die pretium columbarum ad semi-denarium devenit.

Juchasin, fol.60.

Ratio offerendarum harum avium hæc fuit. Si in Holocaustum venirent, Sacerdos ascendebat per gradus Altaris, & illud circumibat, atque ad angulum qui Euronotum respiciebat caput illis avellebat, eas aperiebat, & sanguinem ad latus Altaris effundebat; saliebat capita quæ avulserat, & jaciebat in ignem, extrahebat viscera, & ea conjiciebat in acervum cinerum; saliebat aves, & eas in ignem projiciebat. Si afferrentur in oblationem pro delicto, avellebat eis caput, ad latus Altaris sanguinem adspergebat, & reliquum ad basin effundebat; nec quicquam aliud peragendum supererat, sed Sacerdos eas aves sibi sumebat ad eas comedendas. Verum in adspersione sanguinis harum avium, seu in Holocaustum offerrentur, seu in oblationem pro peccato, ritu utebantur plane diverso & contrario ritui quem adhibebant in adspersione sanguinis pecudum: nam sanguis pecudum adspergebatur infra lineam rubram quæ Altare circumibat in Holocautomatibus; in sacrificiis vero pro peccato, supra lineam: sed ad hasce aves quod attinet, sanguis earum, cum offerebantur in Holocaustum, supra adspergebatur; cum in oblationem pro peccato, infra.

Zevach, Per. 6.

Kinnim, Per. 1.

SECTIO IV. *Pacificæ Oblationes.* שלמים.

Non opus est nos diu quærere rationem & etymum nominis sacrificiorum pacificorum, (ut quidam fecerunt, qui existimarunt ea sic dicta esse, quod essent *causa pacis Mundo, Altari, Sacerdotibus, & Offerentibus*) si tantum ea opponamus κατ' ἀντίθεσιν iis oblationibus de quibus antehac diximus; nomenque eorum a natura per se manifesta fient. Holocautomata, oblationes pro peccato & delicto offerebantur pro peccatis commissis, & reatu quopiam cui offerens subjacebat, vel subjacere poterat: sed pacifica sacrificia propter ejusmodi reatum, peccatum, aut suspicionem, non offerebantur, sed propter duo meliora & innocentiora, scilicet propter beneficium aliquod a Deo impetratum, vel propter votum ac liberam devotionem.

R. Solom. in Lev. 3.

Atque huc forte respiciebant Septuaginta Interpretes, cum שלמים transtulerunt θυσίας σωτηρίας, *sacrificia liberationis*, vel salutis.

Vox שלום, unde venit שלמים *Pacificæ Oblationes*, significat, ut notum est, vel *pacem*, vel *prosperitatem*, & ad hanc duplicem significationem possunt referri sacrificia pacifica. Quædam enim ex iis offerebantur pro pietate, & tanquam liberæ oblationes, ad conservandam, vel ambiendam pacem cum Deo; aliæ vero instar gratiarum actionis, propter prosperitatem, vel beneficia jam impetrata; aliæ instar votorum ad prosperas res ac beneficia in posterum obtinenda. Atque hæc divisio pacificorum sacrificiorum in *oblationes ad gratias agendas, spontaneas, & votivas*, nititur lege *Levit.* 7.

Primum agemus de quibusdam pacificis sacrificiis extraordinariæ naturæ, & veluti heteroclitis. Hæc erant *pacifica sacrificia Ethnicorum*, quæ in ipso Templo offerebant. Mons Domus vulgo vocatur a Christianis Scriptoribus *Atrium Gentilium*, ut antea dictum est; nam in eum poterant venire Ethnici, & afferre secum oblationes quæ offerebantur, non secus ac ipsorum *Israelitarum* sacrificia. Huc alluditur in *Apocalypsi*, ubi Angelo metienti Templum, præcipitur ne metiatur exterius Atrium, sed illud relinquat, quippe quod concessum erat Gentilibus *Apocal.* 11. 2. De hisce sacrificiis ab Ethnicis oblatis hanc nobis Traditionem profert *Maymonides*: *Accipiebant tantum ab Ethnicis Holocautomata; quia dicitur, A manu filii exteri non offeretis panem Dei vestri. Accipiebant etiam Holocautomata avium ab Ethnicis, quamvis etiam essent Idololatræ; sed non accipiebant ab iis pacificas oblationes, nec farinam, nec oblationes pro peccato ac delicto. Similiter etiam Holocautomata non accipiebant ab Ethnicis, nisi offerrentur instar spontaneorum, vel votivorum sacrificiorum. Cum Ethnicus afferebat oblationem pacificam, offerebant eam tanquam Holocautoma, quia Ethnicus quendam habet affectum erga Cœlum,* id est, Deum. *Si vovisset pacifica sacrificia, & daret ea Israeli, ut Israel per ea expiaretur, Israelitæ ea comedebant non aliter ac si forent sacrificia Israelitæ; si ea daret Sacerdotibus, ea comedebant Sacerdotes. Ab Apostata Judæo*

Maymon. in Corban Per. 3.

dæo qui in Idololatriam delapſus erat, & data opera profanaverat Sabbatum (בפרהסיה, ἐν παῤῥησίᾳ) *nulla accipiebant ſacrificia, nequidem Holocautoma quod accepiſſent ab Ethnico*.

Hac in relatione videtur quidem ſibi contradicere, cum ait & negat eos accepiſſe ſacrificia pacifica ab Ethnicis; ſed manifeſto apparebit eum optime ſibi conſtare, ſi hæc obſervemus. I. Eos non recuſaſſe accipere ſacrificium ab Ethnico, quia ea oblatione oſtendebat ſe bene affectum eſſe erga Deum לבו לשמים, & aliquam in ſe eſſe pietatem. II. Tamen nolebant ab eo accipere oblationem pro peccato, aut pro delicto, quia non ſubjacebat iis legibus quibus ejuſmodi oblationes innitebantur. III. Nec etiam volebant oblationem farinæ, aut pacificam oblationem ab eo accipere, eo ſenſu ſumptam, ſeu tanquam pacificam oblationem, quia oportebat offerri cum ea panem; prohibitum autem erat offerri ab extero panem Dei. IV. Sed quodvis ſacrificium quod offerebat Ethnicus, offerebatur ab ipſo alterutra harum notionum quibus ſubjacet oblatio pacifica; erant ſcilicet vel ſpontaneæ oblationes, vel vota: ſed non poterat offerri tanquam pacifica oblatio, ſed tantum tanquam Holocautoma, quia offerebant illud ad teſtandam pietatem ſuam in Deum, non ut comederetur ab *Iſraelitis*. V. Sed ſi præ amore *Iſraelis*, ad cupiendam ei proſperitatem afferret pacificum ſacrificium proprie ſic dictum, hunc in finem, ut eſſet expiatio inter Deum & *Iſraelem*, tum fiebat pacificum ſacrificium *Iſraelis*, & poterat offerri tanquam oblatio pacifica, & comedi ab *Iſraelitis*: vel ſi præ amore Sacerdotum tunc miniſtrantium afferret illud ut eſſet expiatio inter Deum & illos Sacerdotes, tum mutabatur natura ſacrificii, & fiebat oblatio pacifica Sacerdotum, qui eam offerre & comedere poterant.

Jam ut redeamus ad oblationem pacificam *Iſraelitarum*, erat vel totius Congregationis, vel privati cujuſpiam. Oblationes pacificæ totius Congregationis erant tantum duo Agni, qui ſemel quotannis offerebantur, & quidem tempore Pentecoſtes, *Levit.* 23. 19. Hi mactabantur, excoriabantur, ſanguis eorum adſpergebatur, viſcera comburebantur, & caro edebatur a filiis Sacerdotum in Atrio, uti oblationes pro peccato: nam hæ tantum oblationes pacificæ cenſebantur קדשי הקודשים *ſanctiſſima ſacrificia*, cum reliquæ eſſent קדשים קלים, *ſacrificia minus ſancta*.

Idem ubi ſupra.

Per. 1. Id. ibid. Per. 9. & Thalm. in Zevach. Per. 5.

Pacificæ oblationes privatorum triplices erant. I. *Pacificæ oblationes quæ offerebantur ſine pane*; tales erant oblationes quæ offerebantur pro *Haggigah* & *Simchah*, vel in lætitiæ ſignum, tribus ſollennibus anni feſtis. Quamvis autem offerrentur ſine pane, & Ethnicis propriæ videantur, quippe qui non violarent illam exceptionem Legis, qua vetabatur panis exteri offerri; attamen ab Ethnico non poterant offerri, quia non tenebatur tria feſta obſervare, nec in iis lætitiam teſtari.

Vide R. Solom. in Levit. 21. 20.

II. *Pacificæ oblationes quæ offerrebantur cum pane*, quarum mentio fit *Levit.* 7. ubi ampla eorum habetur deſcriptio. Hæ pacificæ oblationes potuerunt eſſe Juvenci, Hœdi, Agni vel Oves, & Capræ, *Levit.* 3. Occaſio hujus oblationis, ut antea dictum eſt, erat vel gratiarum actio, vel ſpontanea pietatis teſtificatio, vel votum. *R. Solomon* eam reſtringit ad gratiarum actionem propter occaſiones quales memorantur in *Pſalm.* 107. præſertim liberationem ex tempeſtate inter navigandum, ex periculis itineris in deſerto, ex morbo & carcere, על נס שנעשה לו, *in teſtimonium miræ alicujus vel illuſtris liberationis, ac gratiæ acceptæ*; vel; ut loquitur *Aben Ezra*, propter liberationem ex aliquo periculo. Quo in Commentario oblationes actionis gratiarum reſtringunt ad ſingulares & extraordinarias occaſiones, quia oblatio Decimarum, Primitiarum, &c. erant gratiarum actiones propter ordinarias ac communes gratias. Nec tamen abnuo quin pacificæ oblationes aliquando reſpexerint communes omnibus gratias & proſperitatem, puta valetudinem, conſolationem in liberis, ſucceſſum in negotiis, & ſimilia. Ad pacificas oblationes quod attinet, quæ offerebantur ex voto, vel ſpontanea pietate, ut variis nitebantur fundamentis, aliæ nempe mera pietate, aliæ vero conditione quapiam; ita Judæi obſervant ſi oblationes votivæ mortuæ eſſent, vel ſurreptæ, alias earum loco debuiſſe offerri: ſepoſitæ vero ad ſpontaneum ſacrificium, ſeu mortuæ eſſent, ſeu ſurreptæ, eos qui eas ſepoſuerant non obligatos fuiſſe ad ejuſmodi ſubſtitutionem.

R. Solom. in Lev. 7.

Aben Ezr. ibid.

Kinnim, Per. 1.

Hæ oblationes pacificæ de quibus nobis ſermo eſt, immolabantur in parte aliqua Atrii, ſed plerumque in Meridionali latere, & ſanguis earum aſpergebatur ut ſanguis Holocautomatum, שתי מתנות שהן ארבע, nempe bis in formam τῦ Gamma, quod duabus adſperſionibus fiebat in quatuor Altaris latera. Pectus victimæ pacificæ, & dexter humerus debebantur Sacerdoti qui eam offerebat, ut & pars aliqua panis vel placentarum

Zevach. Per. 5. Sect. 5.

tarum quæ una offerebantur. Atque hoc vulgo vocatur a Rabbinis מורם, *Muram*, hoc est, quod sibi ex sacrificio Sacerdotes sumebant. Pectus agitabatur coram Domino, & ad hunc ritum offerentem oportebat ingredi in Atrium Sacerdotum, ut manum suam ritui conjungeret. Ratio vero agitationis hæc erat: Sacerdos deponebat pinguedinem in offerentis manibus, atque adipi imponebat pectus & dextrum humerum; hisque rursus imponebat renes, & reticulum jecinoris, ac si esset oblatio gratiarum actionis, omnibus imponebat aliquantum panis; tum supponebat manus suas manibus offerentis, & eas commovebat huc illuc, sursum & deorsum, & semper quidem versus Orientem. Post hanc agitationem saliebat viscera, & in Altari ea comburebat; & Sacerdos quidem sibi sumebat pectus & humerum agitatum, reliqua vero habebat possessor victimæ, quæ comedi debebant. Licitum erat ei qui adduxerat victimam pacificam, partem suam comedere in quocunque vellet *Hierosolymæ* loco: atque ita *Thalmudicorum* dictum, quod hoc in negotio sæpe occurrit, debet intelligi: נאכלין בכל העיר, *reliqua comedebantur* (non in omni civitate, sed) *per totam Civitatem*. Atque hoc est unum ex privilegiis quibus *Hierosolyma* præ cæteris urbibus gaudebat, quod res minus sanctæ possent in ea comedi, non in ulla alia. Plerunque elixabant pacificas suas oblationes in Templo ipso, & in angulo quidem quopiam Atrii Mulierum, ubi in descriptione Templi observavimus fuisse locum elixationis hanc in rem. Vide 2. *Paral.* 35. 13. Idem antea factitabant *Silunte*; qua in re filii *Eli* malitiam suam ostenderunt, qui cum debuissent contenti esse pectore & humero, induxerant consuetudinem immittendæ furculæ tridentis in lebetem in quo elixabantur pacificæ oblationes, & sumere quicquid educeret, 1. *Sam.* 2.

Pisk. Thos. in Midd.

Kelim. Per. 1. Sect. 8.

Pacifica oblatio gratiarum actionis comedebatur ipsa die; sed votiva, vel spontanea poterat crastina die comedi, *Levit.* 7. 1. 10. atque hac in re Sacerdos & offerens eidem subjacebant legi, & tota utriusque familia, uxores, liberi, servi, poterant ex ea comedere. Et offerens quidem, si vellet, partem suam poterat in Templo comedere; Sacerdos, si ita liberet, *Hierosolymæ*. Ethnici etiam hasce oblationes pacificas & comestiones in Templo imitabantur, 1. *Cor.* 8. 10.

III. Erat tertia oblatio pacifica privati, nempe איל נזיר, *Aries Nazirœi*, ut vulgo vocatur, de quo lex habetur *Num.* 6. 17. Cujus oblationis hi erant ritus. Mactabatur, sanguis adspergebatur, educebantur viscera, dexter humerus & pectus separabantur, & reliquam carnem *Nazirœus* elixabat in angulo Atrii Mulierum, in loco dicto *Conclave Nazirœorum*. Deinde sumebat Sacerdos elixatum humerum Arietis, & decimam partem panis qui simul oblatus fuerat, & agitatum humerum, ac pectus, & viscera, quæ omnia imponebat manibus *Nazirœi*, quibus suas supponebat, atque iterum omnia agitabat; quæ in ipsius usum tanquam pars sua cedebant, exceptis solis visceribus, quæ in Altari comburebantur, *Nazirœus* reliqua habebat.

SECTIO V. *Oblationes Panis & Oblationes Vini*. מנחה & נסך

Erant duodecim genera oblationum farinæ vel panis: tria totius Congregationis, & novem privatorum. Tria totius Congregationis hæc erat.

Maymon. in Corban Per. 2. Thalm. in Menachoth Per. 6.

I. *Duodecim Panes Propositionis*, qui unoquoque Sabbato coram Domino ponebantur, *Exod* 25. 30. *Levit.* 24. 5. 6. 7. & ablati a Sacerdotibus comedebantur.

II. *Homer primitiarum messis*, Levit. 23. 10. Erat hordei, quod ex fructibus omnibus primum maturum erat. Atque inter duodecim erat tantum una alia oblatio hordeacea, reliquæ omnes erant frumenti. Hic manipulus huc illuc, sursum ac deorsum agitabatur coram Domino; deinde partim offerebatur, partim comedebatur. *R. Solomon* hanc rationem affert hujus agitationis, si modo admitti potest. *Unaquæque agitatio*, inquit, & *huc illuc*, *sursum*, *deorsum*: & *agitatio quidem huc illuc*, *erat ad averruncandos malos ventos*; *agitatio vero sursum & deorsum erat ad cobibendos malos rores*.

R. Solom. in Lev. 13.

III. *Duo panes agitati*, qui offerebantur festo Pentecostes, *Levit.* 23. 17. Novem oblationes panis privatorum hæ erant.

I. חביתין, *Quotidiana oblatio Summi Sacerdotis.*

II. מנחת חנוך, *Oblatio initiationis*, quam unusquisque Sacerdos manu sua offerebat cum primum munere fungebatur.

III. מנחת חוטא, *Oblatio peccantis*. Hæc erat oblatio pauperis, qui debuisset quidem oblationem pro peccato offerre, sed præ paupertate non poterat. Non possum non observare locum in *Misnah* & in *Thosaphta*, ubi sermo est de *oblatione peccantis*, *pauperis Sacerdotis*, מנחת חוטא של הכהנים, qui nempe præ paupertate non poterat afferre oblationem pro peccato; unde apparet quam paupe-

res

res quidam ex ipsis essent, licet alii divites essent & opulenti.

IV. מנחת קנאות, *Zelotypiæ oblatio* mulieris suspectæ, *Num.* 5. 15. Erat hæc ex hordeo.

V. מנחת סולת, *Oblatio pollinis non cocti*.

VI. מנחת המחבת, *Oblatio cocta in patella*.

VII. מנחת המרחשת, *Oblatio cocta in sartagine*.

VIII. מנחת מאפה תנור, *Oblatio cocta in furno*.

IX. רקיקין, *Liba*.

Jam autem præter hæc nomina, legimus etiam מנחת גויים ונשום מנחת נסכים, quæ sunt tantum diversa nomina oblationum quas memoravimus; res enim ipsæ non differunt. Cum Ethnicus quispiam offerre volebat oblationem panis vel farinæ cum cautionibus allatis, erat oblatio illa una ex jam memoratis: oblatio etiam quæ cum vino offerebatur, erat una ex iis quas modo diximus: sed distinguuntur hisce nominibus, tantum propter hasce circumstantias, non propter rei ipsius discrimen.

Ad conficiendas ac offerendas hasce panis vel farinæ oblationes, hæ fuerunt præcipuæ & generaliores regulæ.

I. Nullam oblationem constituram minori farinæ copia quam est decima pars *Ephæ* quæ non multum differebat a decima parte nostri modii, [Anglice *Bushel*] & Logo olei, hoc est, paulo plus quam triginta unciis. Porro tot decimæ partes *Ephæ* poterant offerri quot vellet offerrens, ita ut non essent plures quam 60. in uno vase, & unicuique conjungeretur Logus olei; sed nullam oblationem oportebat esse infra decimam farinæ partem quam *Ephah* continet, nec infra Logum. Hæc decima pars *Ephæ* vocabatur *Homer*, Exod. 16. 37.

II. Cum oblatio erat ex quatuor coctilium generibus, ut plurimum faciebant decem placentas ex una decima parte *Ephæ*, quæ si plures essent, ex unaquaque decima parte totidem faciebant placentas. Summi duntaxat Sacerdotis oblatio in duodecim placentas dividebatur; & cum hæc placentæ coctæ erant, unaquæque earum in duo frusta dividebatur, & duodecim partes offerebantur matutino, duodecim vespertino tempore.

III. Quædam oblationes requirebant simul & oleum & thus; quædam oleum, non vero thus; quædam thus, non vero oleum; aliæ nec thus nec oleum. Quæ requirebant simul thus & oleum hæ fuerunt: oblatio ex simila non cocta, quatuor genera coctilium, oblatio Summi Sacerdotis, oblatio initiationis Sacerdotum, *Homer* primorum fructuum, oblationes Ethnicorum & mulierum. Oblatio panis vel farinæ conjuncta cum oblatione vini, requirebat oleum, sed non thus. Panis Propositionis requirebat thus, sed non oleum: at peccatoris oblatio, & oblatio suspectæ uxoris neutrum habebant.

IV. Omnes oblationes quæ fiebant in vase, habebant tres effusiones olei in orbem: oblatio similæ non coctæ מנחת סולת, non immittebatur vasi, nisi prius injectum fuisset oleum; postea iterum in farinam effundebatur oleum, & una miscebantur; quo facto in vas sacrum conjiciebantur, in quo ad Altare afferebantur. Ibi oleum iterum infundebat, & omnibus superinjiciebatur thus. Ita in oblationibus quæ patella vel sartagine coctæ fuerant, oleum in vas injiciebatur, postea simila, oleum denuo; atque hæc inter se commista & cocta in frusta dividebantur, in quæ effundebatur tertio oleum, & denique injiciebatur thus. Quæ fiebant & coquebantur instar liborum, oleo inungebantur, & unctio illa fiebat כמין כי, *juxta figuram literæ Chi*, ut loquitur textus Thalmudicus, cum *Glossa* habeat, *juxta formam Græci Kappa, & Hebraici Theth; qualis est divisio inter pollicem & indicem; hoc est, ita infundebat oleum in eas, ut fluens hinc & illinc, in duas partes dividerentur*.

Ibid. Per. 6. Sect. 3.

V. Ex quibusdam oblationibus Sacerdos farina manum implebat, eamque conjectam in Altare comburebat, reliquam vero sibi habebat comedendam. Quædam oblationes hujuscemodi prorsus comburebantur, nec ex eis quicquam ad Sacerdotem redibat. Hæ autem sunt ex quibus sublato pugillo, reliqua Sacerdotis erant: oblatio ex simila non cocta, cocta in furno, oblatio Ethnicorum & mulierum, *Homer* primorum fructuum, oblatio peccatoris, & oblatio zelotypiæ. Sed ex oblatione Summi Sacerdotis, & initiationis Sacerdotum, & oblatione quæ offerebatur cum vino, nihil auferebat Sacerdos; omnia Altare consumebat.

Ibid. Sect. 1. 2.

VI. Ratio offerendarum harum oblationum hæc erat. Afferebatur oblatio in argentea vel aurea patina, in qua miscebatur, unde Sacerdos eam imponebat vasi sacro, ubi eam consecrabat, & adspergebat oleo & thure. Tum abibat, eamque ferebat ad cornu Altaris quod Euro-notum respiciebat, stans ad Meridionale latus ejus anguli. Cum posuisset thus ad alteram partem, manum implebat ex altera in quam oleum infuderat, & ponebat in medio alio vase sacro;

Tosaph. in Menachoth Per. 1.

cro; tum colligebat thus & superimponebat, ferebatque id ad summum Altare, ubi salitum conjiciebat in ignem, reliquiis sibi servatis.

Oblatio ejusmodi quæ offerebatur cum quotidiano sacrificio, conjunctam habebat oblationem vini, quod & fieri solebat in variis aliis sacrificiis, *Numer.* 15. Porro vini oblati copia major vel minor erat juxta sacrificium, ut ibi præscribitur. Hoc neque miscebatur, neque infundebatur igni, ut oblatio farinæ vel panis in eum conjiciebatur; sed effundebatur ad basim Altaris, ut sanguis. Et cum vinum oblationis quæ quotidiano conjuncta erat sacrificio, effusum erat; tum incipiebat Musica Templi, ut observavimus.

R. Salom. in Numer. 15.

Erat oblatio farinæ quæ quotidie matutino sacrificio conjungebatur; attamen observandum est tempus vespertini sacrificii, 1. *Reg.* 18. 29. Rursus tempus sacrificii duntaxat vocari *Minchah*, (quo nomine oblatio farinæ aut panis vocabatur) non vero tempus matutini sacrificii potius designatur nomine oblationis farinæ aut panis, quam nomine sacrificii ipsius, *Dan.* 9. 21. cujus rei ratio non caret difficultate, quæ etiam non minor est fere in inveniendo aliquo qui conjecturam aliquam hanc in rem attulerit. An prius esset quod privatorum oblationes solerent horis pomeridianis offerri, vel quod Thymiama vespertinum offerretur eodem tempore quo oblatio, quod in matutino sacrificio non fiebat, an vero posterius esset propter varietatem rerum quæ erant in oblatione, non in ipso sacrificio; vel quod completum non esset sacrificium, donec oblatio addita fuisset, judicandum erudito lectori relinquimus.

Habemus jam ergo brevem descriptionem naturæ & rituum sacrificiorum Hebræorum: nam quod attinet ad oblationem Primitiarum & Decimarum, non erat adeo diversa a memoratis, ut necesse sit seorsim de iis agere; de Paschali autem sacrificio mox agemus. Duo tantum supersunt inquirenda circa sacrificia; nempe primum, quomodo hæc sacrificia pro peccato, & pro delicto, atque Holocautomata solverentur, uti vidimus quibus de causis deberentur. Nam forte reus poterat eos sumptus detrectare, quamvis probe nosset se debere sacrificia pro quopiam peccato vel delicto, & velle parcere sumptui Agni vel Hædi; denique existimare melius eam servari pecuniam quam pendi, modo servando pecuniam periculum omne evaderet. Duæ in hoc negotio erant cautiones, *Conscientia* & *Pœna*, quorum si prior non valeret, posterior succedebat, modo notum esset peccatum. Qui aliquos conscientiæ stimulos sentiebant, & Religione aliqua ducebantur, vel sui ipsorum rationem habebant, nullo alio ad offerendum sacrificium egebant incitamento, cum noverant se peccasse. Et duplex quidem ratio eos urgere poterat; prima, obedientia erga divina mandata quæ id præcipiebant; secunda, expiatio peccati sui, quam qui parebant, eo sacrificio obtinebant. Sed si reus nec conscientia, nec Religione duceretur, sed mallet pecuniæ suæ parcere, quam Deo obsequentem se gerere aut expiare peccata; si testes prodirent, & dicerent eum hoc commisisse peccatum vel delictum, tum non poterat melius sibi consulere quam seponendo sacrificium; alioquin erat obnoxius pœnæ, donec expiaretur reatus. Si peccasset præ ignorantia adversus negativum aliquod præceptum, cujus spontanea violatio eum subjecisset Excisioni, & postea certior factus peccati sui, hoc sacrificium offerre abnueret, quod propter tale peccatum debebatur, contemptus hic & recusatio graviorem reddebant offensam, ita ut voluntarium jam videretur peccatum, cum recusabat propter ignorantiæ peccatum expiationem quærere. Si vocaretur in judicium ut hujus rei rationem redderet, & testis adesset qui eum convinceret, oportebat eum se purgare, vel ad oblationem damnari. Confer *Matth.* 8. 4. Sed quantum quidem hoc ab ipsorum libera pietate pendebat, quæ si vera in quopiam esset, non opus erat ulteriore incitamento, hæc Gens tanto rituum suorum zelo flagrabat, & peccata quæ merebantur Excisionem tam arcto ambitu claudebantur, tam manifesta erant, tamque erat difficile adversus ea præ ignorantia peccare, ut omissio debitorum sacrificiorum fere semper præcaveretur alterutra harum rerum, zelo, aut manifesta peccati designatione, præsertim si adjudicatur, quæ vulgo obtinuit, opinio de expiatione peccatorum per sacrificia *ex opere operato*. Litera Legis dicebat *eum qui sponte sua offerret*, Levit. 1. 3. & tamen *Rabbi Solomon* in locum illum observat, *docere quod urgeret eum* כופין אותו, *an vellet, annon. Sed Textus dicit, Oportet eum id facere sponte sua. Quomodo ergo? Urgebant eum donec diceret, Volo.*

R. Solom. in Levit. 1.

Secundum dubium circa hæc sacrificia respicit tempus quo offerebantur. Eum qui procul *Hierosolyma* vivebat quid oportebat facere cum in peccatum lapsus erat quod requireret sacrificium? An oportebat eum statim illuc contendere, ut offerret sacrificium illud? An oportebat eum omnibus relictis, magnis sumptibus, præter victimæ sumptus, iter *Hierosolymam* su-

fuſcipere? Cautio in hoc negotio hæc erat, eum qui reus oblationis alicujus erat poſſe ſolutionem ejus differre ad proximum feſtum ex tribus illis ſolennibus, quibus omnes oportebat apparere coram Domino *Hieroſolymæ*. Itaque & labor & ſumptus itineris refundebantur in id generale præceptum, ſe ter in anno ſiſtendi coram Domino, nec neceſſe erat ſingulos propter privatas occaſiones eo contendere. Hoc unum conſtituebant ex 248. præceptis affirmativis, quæ ex Lege hauriebant: להיבא כל הקרבנות שיש על האדם בחוב או בנדב ברגל ראשון שפגע בו, *Hominem allaturum omnes oblationes quas debet, vel ſponte vovit, proximo ſolenni feſto*. Itaque uti Dominus conſtitutis ſolennibus feſtis Vere & Æſtate commoditatem populi in eo univerſali cultu reſpexit; ita hac lege unicuique cavebatur ad peculiarem devotionem & pietatem quod attinet. Atque hujus praxeos & præcepti conſtituebant fundamentum *Deuter*. 12. 5. 6. *Ad locum quem elegerit Dominus Deus veſter de cunctis Tribubus veſtris, ut ponat Nomen ſuum ibi, & habitet in eo; venietis. Et offeretis in illo Holocauſta & victimas veſtras*. &c. *octo*, ait *Baal Hatturim*, *nominantur hic, prout octies occurrunt voces* coram Domino *in Lege de tribus feſtis*. Atque ita conatur exponere hunc locum juxta eum ſenſum de quo hic nobis ſermo eſt, per Maſſoræ collectionem Arithmeticam ſolet: ſed qui ſerio agunt, referunt itinera illa ad offerendas privatas victimas, ad univerſalia illa totius *Iſraelis* itinera, exponuntque hoc præceptum, *quærendi & videndi habitationem Domini*, de præcipuis illis & diſerte mandatis itineribus. Juxta hanc expoſitionem & praxin *Chaldæus Paraphraſtes* intelligit quod dicitur *Elcanah* ex urbe ſua veniſſe *Siluntem* ad adorandum & ſacra facienda, ומימים ימימה. 1. *Sam*. 1. 3. reddidit enim hæc verba, מזמין מעד למעד, *a tempore feſti ad feſtum alterum*. Quæ autem hoc in negotio eſſent exceptiones, an & quibus de occaſionibus ſacrificia iſta debita poſſent differri poſt proximum feſtum; an vero qui erant viciniores *Hieroſolymæ*, poſſent ſi vellent, venire aliis temporibus cum ſuis donis, non tanti ſunt ut inquirendo immoremur.

Maymon. in Præf. ad Jad.

Baal Hattur. in Deut. 12.

CAPUT IX.

Modus & adminiſtratio quotidiani Sacrificii.

AD Septentrionale latus Atrii Templi prope angulum qui Caurum reſpiciebat, uti ſuo loco obſervavimus, amplum erat ædificium quod vocabatur *Beth Mokadh*, *Conclave Ignis*, vel *Domus Combuſtionis*. Ratio nominis hæc erat, quod in eo Conclavi hyeme perpetuus eſſet focus noctu & interdiu. Interdiu quidem in gratiam Sacerdotum, ut ſe calefacerent, cum Miniſterio ſuo functi fuerant; noctu vero propter Excubias quæ ibi agebantur; hic enim erat præcipuus locus ex tribus in quibus erant Cuſtodiæ Sacerdotum. Hic excubias agebant Seniores Domus Patrum ſuorum, & pendentes gerebant Atrii claves ipſis commiſſas ab *Amarcalinis*. Si aliquantulum dormire cuperent, erant ſcamna Conclavi circumpoſita, in quibus cubare poterant & dormire. Juniores vero Sacerdotes qui ibi erant cum illis, (ſemper enim nonnulli aderant) cum volebant dormire, cubabant in ipſo ſolo, & ſacras veſtes in quibus miniſtrare ſoliti erant, capiti inſtar pulvinaris ſupponebant, & in ordinariis veſtibus dormiebant.

Verum circa tempus matutinum, cum Præfectus Miniſterio venturus erat, abluebant ſe aqua, & ſacras veſtes induebant, & paratos ſe venienti ſiſtebant. Hoc habebant Axioma circa ablutionem ad Miniſterium obeundum; אין אד׳ נכנס לעזרה לעבודה אפי״ טהור עד שיטבול, *Hominem, quamvis eſſet mundus, attamen non potuiſſe in Atrium ire ad miniſtrandum, donec ſemet ipſum aqua abluiſſet*. Hanc in rem habebant ſua balnea in variis Conclavibus, quædam in uſum Summi Sacerdotis, quædam in uſum aliorum Sacerdotum, quæ omnia in deſcriptione noſtra obſervavimus. Cum ſemel ſe tempore matutino abluiſſent, non opus erat ablutionem iterari ea die, niſi foricas peterent; ſed manus & pedes tantum abluebant, cum urinam emiſerant, & quotieſcunque venirent in Atrium ad miniſtrandum, id repetebant, quantumvis ſæpe exirent & redirent. Ad hanc conſuetudinem videtur alludere Servator, *Joann*. 13. 10. *Qui lotus eſt non indiget niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus*. Tandem Præfectus veniens pulſabat oſtium, quod ipſi aperiebant. Quiſnam hic eſſet, ſeu Præfectus Sortibus, ſeu ipſe *Sagan*, non diſceptabimus. *Maymonides* ait fuiſſe Præfectum Sortibus: ſed *Thalmudici* diſputant de tempore quo veniret; quæ diſputatio notatu indigna non eſt. *Qua hora*, ait Tractatus *Thamid*, *veniebat Præfectus?* Sic reſpondetur: *Non ſemper eodem tempore: aliquando tempore Gallicinii, aliquando circa id tempus, ante vel poſt*. Quæ incertitudo temporis, & promptitudo Sacerdotum qui ſemper ad eum exci-

Thalmud in Jom. Per. 3.

Maym. in Thamid, Per. 6.

Thamid. Per. 1.

excipiendum parati erant, adeo accedunt ad verba Servatoris, *Marc.* 13. 35. ut si non ad hanc consuetudinem allusit, attamen possint optime hinc illustrari.

Ibid.

Ex hoc Conclavi *Beth Mokadh* ibant per ostium minus in Atrium, manibus gerentes candelas: & statim ac ingressi fuerant, se dividebant, & dimidia quidem eorum pars ibat circa Templum per spatium muris clausum, ad Occidentale & Meridionale latus Atrii, altera vero circa Septentrionale & Orientale latus: & utraque conveniebat in *Pistorum Conclave*, quod erat ad sinistram *Portæ Nicanoris*, quo cum convenissent, quærebant a se invicem, *an satis recte omnia*: ac respodebant, *Recte*. Deinde vocabant *Pistorem* ad suum munus, ut faceret חביתין *placentas* in oblationem Summi Sacerdotis.

SECTIO I. *Modus quo jaciebant sortes ut suum unicuique assignaretur munus.*

Deinde Præfectus vocabat eos ad jaciendas sortes, ad constituendum quodnam unicuique assignandum foret munus. Hoc faciebant in ædificio *Gazith*, in eo nempe Conclavi quod erat intra Atrium. Pars enim ædificii erat intra Atrium, atque hæc sæpe erat instar *Cappellæ Templi*; altera vero erat intra חל חל *Chel*, & hic sedebat *Magnum Synhedrium*.

Maymon. in Tham. Per. 4.

Cum eo venissent omnes in orbem stabant, & numerum ministraturorum pro arbitrio definiebant, ut quadraginta, sexaginta, centum virorum, prout videbatur. Tum Præfectus Sortibus sumebat pileum alicujus ex iis, eique iterum imponebat, atque hinc dicebat, *Incipiam numerare. Nunc tollite digitos vestros*. Tunc attollebant alii digitos suos, unum, duos, aut tres, ut libebat: deinde incipiebat ex eo cujus pileum sumpserat, & numerabat digitos qui in orbem erecti erant. Is cujus digitis numerus respondebat, is erat in quem sors incidisse existimabatur, atque ipsi incumbebat id peculiare ministerium, propter quod sortes jactæ fuerant.

Joma, Per. 2.

Prima sortium jactio erat ad definiendum quis Altare Holocautomatum esset cineribus purgaturus. Solebant currere & certatim id ministerium arripere; & qui primus adesse poterat Altari, primus id aggrediebatur; Sed præterquam quod ea consuetudo irreverens esset, aliquid quod aliquando contigit effecit ut *Synhedrium* constituerit ordinem ut id reverentius & tranquillius fieret. Nempe Sacerdos quidam qui nimium morabatur in hoc negotio, dejectus fuit a gradibus Altaris ab alio, & sibi crus effregit. Hinc decreverunt sortes definituras quisnam id esset facturus; atque hoc fuit primum munus quod sortibus designabant; is cui numerus conveniebat, eo fungebatur.

SECTIO II. *Purgatio & præparatio Altaris Holocautomatum.*

Maymon. in Tam. Per. 2.

Qui sorte acceperat munus purgandi Altaris Holocautomatum, quæ sors prima omnium jaciebatur, ut ministerium illud ante omnia obiretur, socios suos relinquebat in Conclavi *Gazith*, & prius ablutis ad Lavacrum manibus & pedibus ad ministerium suum abibat.

Id. ibid. Per. 2.

Struebantur perpetuo tres ignes super Altari. Primus erat magnus ignis, qui fiebat ad consumendas victimas: secundus minor, qui ad latus ejus struebatur, unde accipiebant prunas deferendas in Locum Sanctum ad comburendum Thymiama: tertius nullam aliam in rem fiebat, nisi ut in Altari ignis conservaretur perpetuus. Rationem afferunt hujus numeri ignium, cui non immorabor. Jam autem qui Altare cineribus purgaturus erat, primo sumebat ignitabulum argenteum, quod in hunc usum reponebatur ad latus Occidentale Altaris, & ad summum Altare iens, hinc inde dispergebat carbones, & suum ignitabulum implebat prunis, & descendebat cum hisce ad pavimentum, quo cum venisset, obvertebat faciem sua ad Septentrionem, & sic conversus ibat usque ad latus Orientale graduum Altaris, & ibi deponebat prunas in cumulum ad gradus, in loco in quo etiam deponebant viscera avium, & cineres quibus purgatum erat Altare Aureum.

Cum Sacerdotes videbant eum descendisse ex Altari, festinabant, & abluebant manus & pedes, & sumentes uncinos in eum usum destinatos, invertebant partes hesterni vespertini sacrificii, si quid nondum esset consumptum, ad latera Altaris; quæ si non possent illas continere, in gradibus Altaris eas reponebant. Deinde undique cineres converrebant ad medium Altare, congerebantque eos in magnum cumulum, atque inde implebant, quantum poterat, magnum vas quod dimidium *Homer* continebat, & vocabatur פסכתר *Pesachthar*; deinde hos cineres amovebant, relicto tamen modico cinerum cumulo, quem vocabant *Tappuahh*. Cum magnum illud vas cinerum demiserant, alii Sacerdotes in minoribus vasibus eos avehebant extra Civitatem, eos-

eosque deponebant in loco quopiam, in quo quam minime possent a vento dispergi: atque hi cineres in nullum usum adhiberi poterant.

Hanc Altaris purgationem quotidie incipiebant sub Auroram, sed in tribus solennibus festis multo citius incipiebant, & die quidem Expiationis a media nocte. Ablatis cineribus ignem struebant, & primum struebant maximum ignem ad cumburendas victimas, quem vocabant מערכה גדולה, *struem magnam*, idque nonnihil ad Orientale latus Altaris. Secundus ignis qui accendebatur ad parandas prunas propter Thymiama, constabat tantum lignis ficulnis, & ad angulum Meridionalem exstruebatur, ut quam proximus esset loco in quo Sacerdos in gradibus Altaris stabat, & prunæ commodius auferri possent. Ad tertium ignem quod spectat, qui accendebatur ut perpetuus ignis in Altari conservaretur, in quavis parte Altaris ex æquo struebatur. Præter autem lignum quod maximo igni imponebant, addebant duos stipites, quam in rem singularem afferunt Traditionem, cum victima Altari imposita erat, quæ matutino quidem tempore ferebatur & imponebatur ab uno Sacerdote, in vespertino vero sacrificio a duobus. Ita structo igni imponebant iterum partes hesterni sacrificii vespertini: atque ita descendebant & redibant ad Conclave *Gazith*; ubi Præfectus iterum eos ad sortes jaciendas vocabat.

Erant præterea ttedecim ministeria peculiaria, quæ singulis viris erant assignanda, ut immolatio victimæ, adspersio sanguinis, purgatio Altaris Aurei, præparatio Lucernarum, translatio membrorum victimæ ad gradus Altaris, &c. quorum primum sorte attribuebatur, eadem ratione quam antea descripsimus; reliqua ordine eis tribuebantur qui juxta ipsum stabant, prout erant circa ipsum dispositi. Illi ergo alium numerum colligebant iterum, tollebant digitos suos, & ipse numerabat. Is cujus digitis convenit numerus, I. Constituitur ad mactandam victimam. II. Qui stat juxta ipsum, ad excipiendum & adspergendum sanguinem. III. Proximus, ad purgandum Altare Thymiamatis. IV. Sequentem oportet parare Candelabrum & Lucernas. V. Sequentem afferre caput & crura victimæ ad gradus altaris. VI. Sequentem afferre geminos humeros. VII. Sequentem uropygium & pedes. VIII. Sequentem pectus, gurgulionem, & exta. IX. Sequentem duos renes. X. Sequentem intestina. XI. Sequentem oblationem farinæ vel panis XII. Sequentem oblationem Summi Sacerdotis. XIII. Sequentem oblationem vini. Ita tredecim hæc diversa munera tredecim viris attribuebantur, primum sorte, reliqua juxta ordinem quo stabant Atque hæc erat secunda sortitio.

Utebantur præterea duabus sortitionibus, scilicet ad attribuendum munus offerendi Thymiamatis, & transferendorum membrorum victimæ a basi Altaris ad summum Altare, & igni imponendorum, sed hæ sortitiones paulo serius fibeant. Ratio autem ob quam numerabant digitos aut manus in sua sortitione, hæc fuit; quia nempe existimabant non oportere *Israelitas* numerari in suis personis, sed aliquo alio modo: cujus opinionis etiam rationem afferunt, sed quam hic prosequi non patitur institutum nostrum.

Qui dimittebantur, nec sorte, nec standi ordine accipiebant ullum ex memoratis muneribus, deponebant Sacerdotales vestes, exceptis tantum lineis femoralibus, & occupabantur in servilibus ministeriis, qualia sunt depromere vasa quæ usui esse debebant, auferre cineres quibus purgata fuerant Altaria, & similia.

SECTIO III. *Mactatio matutini Sacrificii. Lucernarum, & Altaris Thymiamatis præparatio.*

Deinde Præfectus dicebat ipsis: *Ite & videte num sit tempus mactandi quotidiani sacrificii*. Unus aut alter ibant ad fastigium alicujus ex ædificiis quæ erant circa Templum, & cum dicerent esse plenam diem, ברקאי, *Est plena dies*. *Sed*, inquiebat Præfectus, *an cœlum splendescit in Hebron?* Respondebant, *Splendescit*. Tum reponebat, *Ite & quærite Agnum ex Conclavi Agni*; Obsequebantur, & quamvis antea lustratus fuisset Agnus, ut sciretur an ullo vitio laboraret, illum iterum ad candelæ lucem expendebant; sed non poterant eum mactare nisi ad lumen diurnum. Semel tamen ut, referunt *Thalmudici*, decepti fuerunt luce Lunæ, & crediderunt esse diem, adeoque matutinam victimam noctu mactarunt.

Thalmud in Tham. Per. 3. & in Jom. Per. 3.

Is qui sorte acceperat munus mactandi Agni, & eum eduxerat ex *Conclavi Agni*, eum adducebat ad *Locum Annulorum*, ubi solebant victimæ mactari, & reliqui qui debebant adspergere sanguinem: ac ferre membra ad Altare, eum sequebantur, & expectabant tempus exsequendi muneris sui. Alii petebant Conclave in quo asservabantur vasa sacra, & inde depromebant nonaginta tria vasa aurea

aurea & argentea, quæ omnia die usui esse debebant; in quorum uno aquam bibendam Agno porrigebant, quia existimabant inde fieri ut melius excoriaretur.

Seniores qui gestabant claves Portarum Atrii, cum videbant adesse tempus, curabant eas aperiri; & cum utriusque Atrii ultima aperiretur Porta, tuba canebat & monebat Levitas & Stationarios officii sui. Tandem valvæ Templi ipsius aperiebantur, ut ingredi possent bini illi viri quibus imposita erat cura parandi Altaris Aurei, & reficiendarum Lucernarum, qui eam in rem secum sumebant duo aurea vasa, quorum alterum vocabat טני *Teni*, & alterum כוז *Choz*.

Statim ac auditus erat strepitus qui in aperiendis Templi valvis edebatur, is qui debebat mactare victimam eam mactabat: & quantum fieri poterat, qui purgabat Altare Thymiamatis, id purgabat dum victima immolabatur. Et dum adspergeretur sanguis, qui reficiebat Lucernas, quaspiam tum parabat.

Ratio purgandi Altaris Thymiamatis hæc erat. Sacerdos sumebat patinam auream *Teni*, eamque deponebat ante Altare, & manus cineribus & carbonibus plenas in eam exonerabat, ac reliqua etiam in eam converrebat. Relinquebat ibi patinam, & exibat.

Sic vero reficiebantur Lucernæ. Erat magnus lapis positus ante Candelabrum, in quo cæsi erant tres gradus, per quos ascendebat qui Lucernas erat refecturus. Earum Lucernarum quæ extinctæ erant sumebat ellychnium & oleum, & alia reponebat, accendebatque eas ad alias Lucernas quæ nondum extinctæ erant. Eam tantum quam vocabant *Occidentalem Lucernam*, si extincta esset, oportebat accendi ab igne desumpto ex Altari victimarum.

Occidentalis Lucerna נר מערבי non erat ex septem Lucernis quæ Occidentem maxime spectabat, sed omnium media: atque sic vocabatur, quod ita disposita erat ut Occidentem respiceret versus *Sancta Sanctorum*; reliquæ vero sex ad hanc conversæ essent.

Ad Lucernas quod attinet, quæ etiamnum accensæ erant, eas resecabat, reficiebat, & augebat novo oleo. Et sic quidem faciebat in quinque Lucernis hoc diei tempore, neque enim septenas omnes simul reficiebat. Quod cum peregisset, deponebat auream patinam *Choz* in secundo gradu in quem ascenderat, & sic exibat.

Interea temporis adspergebant sanguinem, pellem detrahebant victimæ, eam in partes varias dissecabant, quas varii qui constituti erant ad eas ad gradus Altaris deferendas, eo devehebant, & salitas ibi relinquebant; quo peracto, redibant ad Conclave *Gazith*, quod erat ipsis quasi *Cappella* ad preces fundendas.

SECTIO IV. *Publicæ Preces*, *Phylacteria*.

Postea Præfectus eos vocabat ad preces, quos sic incipiebant. *Tu amasti nos, Domine Deus noster, æterno amore. Magna & multa misericordia nos prosequutus es, o Pater noster & Rex noster, propter Patres nostros qui fiduciam in te posuerunt, & quos docuisti statuta vitæ. Esto etiam in nos gratiosus, o Pater noster, o Pater misericordiarum, o summe misericors, miserere nostri. Pone in cordibus nostris cognoscere, intelligere, parere, discere, docere, observare, facere & implere omnia verba Legis tuæ in amore; illumina oculos nostros Lege tua, & fac ut corda nostra adhæreant tuis præceptis; unito corda nostra amori & timori Nominis tui.*

Tham. Per. 4. Maym. in Tham. Per. 6. Seder Thephilloth.

Recitatis hisce precibus, recitabant decem præcepta, deinde vero sua Phylacteria.

Meminit Scriptura Phylacteriorum, *Matth.* 23. 5. & ea constabant quatuor Sectionibus Legis inscriptis geminis Pergamenis, quæ Pergamenæ perpetuo ab ipsis circumferebantur, quasi μνημόσυνα observationis Legis, & signa manifesta pietatis. Ideoque vocabantur Græce *Phylacteria*, ἀπὸ τοῦ φυλάττειν, *servare*, *observare*, Hebraice *Thephillin*, seu *Preces*.

Hæ autem Sectiones Legis iis erant inscriptæ.

I. *Exod.* 13. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.
II. *Exod.* 13. 11. 12. 13. 14. 15. 16.
III. *Deuter.* 6. 4. 5. 6. 7. 8. 9.
IV. *Deuter.* 11. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21.

Ratio & cautiones adhibendæ in scribendis hisce sententiis in variis columnis, Pergamena, atramentum quibus utendum erat, fuse docet Auctor citatus in margine; nec ea descriptione hic lectori fastidium creabo. At non possum omittere, rationem propter quam hæ Legis sententiæ scribebantur, potius quam aliæ, quæ nempe hæc fuit; quia in unaquaque harum Sectionum occurrunt hæc dicta *Hæc verba erunt Totaphoth*, seu *frontalia inter oculos eorum*, seu *memoriale inter oculos eorum*, aut, *vincient eam super manibus suis*. Itaque locus in quo gestabant binas hasce Pergamenas erat sincipitis inferior pars quæ est

Vid. Maymon. in Thephillin, Per. 1. & 2. & Buxt. Lex. Thalmud. in פלל.

est interciliis proxima, & lævum brachium: unde *Tanchuma* occasionem sumpsit explicandi juramenti Dei *per validum suum brachium*, de juramento per *Phylacteria*.

Tanchuma, fol. 6. col. 3.

Dubito utrum universa Gens hisce Phylacteriis usa fuerit, an vero ii soli qui *Discipuli Sapientum* vocabantur, qui jactabant majorem cognitionem, zelum, ac studium Legis quam vulgus. Ajunt Judæi Scriptores, licet *Sadducæi* non admitterent *Pharisæorum* Traditiones, eos tamen gestasse Phylacteria æque ac *Pharisæos*, & tantum ab hisce de loco dissensisse in quo gestari deberent. Sed ad quæstionem quod attinet, utrum agricolæ, opifices, & reliqua plebs gestarent Phylacteria, æque ac Legis Studiosi & Doctores, est inter alia argumenta locus *Maymonidis* qui rem dubiam reddere possit. Verba faciens de iis quæ cuipiam licitum facere possunt transire juxta Synagogam dum preces habentur, nec tamen in eam ingredi, hoc inter alia habet: *Si in ipso cernerentur Phylacteria, tum signum erat eum non neglexisse Legem*; & quamvis tum propter aliquam rationem prætergrederetur Synagogam, Phylacteria ejus ostendebant id eum non facere præ pietatis defectu, sed quopiam negotio alio trahi.

Juchasin.

Maymon. ubi supra.

Licet vulgus hujusmodi Phylacteria non ferret ut eruditi, attamen tum eruditi, tum ineruditum vulgus tenebantur recitare quotidie matutino tempore & vespertino quæ Philacteriis continebantur sententias. *Imo opifices qui erant in cacumine arboris, vel in fastigio structuræ cujuspiam*, (domum erigentes vel reparantes) *tenebantur ibi ad hanc recitationem cum tempus diei venerat*.

Thalm. in Berachoth Per. 2.

Hæc recitatio vulgo vocatur ab Hebræis קריאת שמע, *Keriath Shema*, *Lectio Shema*, quia harum Sectionum una incipiebat hisce vocibus, שמע ישראל, *Schema*, *audi Israel*, &c. *Deuter.* 6. 4. quæ quamvis prima inter quatuor non occurrat in Libro Legis, nec prima omnium in istis Pergamenis scripta esset, prima tamen recitabatur: cujus rei ratio hæc affertur; quia continet primum & fundamentum omnium officiorum, nempe *amorem Dei*.

Tempus τȣ̃ *Keriath Shema*, seu recitationis matutinæ sententiarum quæ Phylacteriis continebantur, ita in Traditionibus Judæorum definitur: *Quo tempore diei recitabant horis matutinis Phylacteria sua? Nempe ab eo tempore quo quis distinguere potest inter cæruleum & album*. R. Eleazer dicit, *Inter cæruleum & viride, imo usque ad Solis ortum*. R. Josua dicit, *Usque ad tertiam horam. At quo tempore ea recitant vesperi? Nempe ab eo tempore quo Sacerdotes ibant ad comedendas oblationes suas usque ad finem primæ Custodiæ* &c.

Ib. Per. 2.

Porro præter hasce recitationes vespertinas & matutinas, quibus tenebantur omnes ex Traditionibus, putabant magnæ pietatis esse eas recitate hora mortis. Ita dicitur unus ex decem Martyribus Regni (sic enim vertere liceat הרוגי מלכות) recitans Phylacteria sua interfectus & canibus objectus. Utque de posterioribus temporibus loquamur, *Josephus* Sacerdos in varia Historia *Turcarum*, *Judæorum* & *Christianorum*, Libro rarissimo, describens stragem ortam a militibus *Rubræ Crucis* qui sub *Gothofredo Bullionensi* ad sacrum bellum profecti erant contra Judæos in *Germania*, sæpius dicit hosce vel illos Judæos moribundos, imo infantes in matrum suarum ulnis, recitasse suum *Keriath Shema*, seu Phylacteria, & ea recitantes expirasse.

Lib. 1. ad ann. 1096.

SECTIO V. *Thymiamatis combustio, & reliquæ Preces.*

Circa tempus offerendi Thymiamatis extat hæc Traditio: קטורת של שחר היתה קריבה בין דם לאיברים של בין הערביים בין איברים לנסכים, *Mane inter sanguinem & menbra suffiebat, vesperi inter membra & libamina*. Ad hoc officium offerendi Thymiamatis iterum sortes jaciebant, ad eum designandum qui illo fungi deberet; & idem etiam faciebant ad designandum eum qui ex ascensu ad Altare membra victimæ delaturus ea ibi deponeret.

Joma, Per. 3.

Qui sortitione acceperat munus offerendi Thymiamatis, accipiebat discum argenteum: cui impositum thuribulum thure plenum: alius sumebat alium discum, atque ad fastigium Altaris ibat, unde aliquot prunis acceptis descendebat. Hosce duos oportebat ingredi Templum, & qua ibant vas erat ingens, aut instrumentum, aut quocunque alio nomine vocemus, (*Migrephah* מגרפה appellabant) quod pulsatum edebat sonitum tantum, ut hyperbolice dicant Judæi, neminem audiri potuisse loquentem *Hierosolymæ* cum pulsabatur. Erat instar campanæ qua notum faciebant quid tum ageretur. Et tribus quidem hisce inserviebat ejus pulsatio. I. *Quicunque Sacerdos sonitum ejus audiebat, cognoscebat Fratres suos mox ad celebrandum cultum divinum ingressuros, festinabatque & veniebat* II. *Quicunque Levita eum audiebat, cognoscebat Fratres suos Levitas ire ad canen-*

Tham. Per. 5.

nendum. III. *Princeps Stationis audiens sonitum ejus, adducebat eos qui cum immundi fuissent nondum purificationem acceperant, ad Portam Nicanoris ut ibi purificarentur*.

Porro duo viri ingressuri in Templum ad offerendum Thymiama, pulsabant τῇ *Migrephah* cum prope transirent, erat enim inter Altare & Porticum; ut omnibus ministraturis indicarent jam tempus esse inchoandi Ministerii. Cum ascenderent gradus, duo illi qui prius designati fuerant ad purgandum Altare Thymiamatis & reficiendas Lucernas, præcedebant. Qui purgaverat Altare ingrediebatur, & sumebat suum discum *Teni*, Deoque adorato abibat Qui antea refecerat quinque Lucernas, duas reliquas reficiebat, sumebat suum discum *Coz*, adoratoque Deo abibat. Qui ingressus erat cum prunis post præstitum leve ministerium in disponendo thure, altero relicto exibat.

Qui ibi solus relictus erat ad offerendum Thymiama, nondum id accendebat, donec Præfectus Ministerii clara voce ex Atrio moneret eum incipiendum esse: imo etiamsi esset ipse Summus Sacerdos, attamen non incipiebat donec audivisset vocem Præfecti clamantis, *Offer*; & statim ac signum hoc datum erat, quicunque erant in Atrio a Templo recedebant, & reliquas fundebant preces.

SECTIO VI. *Reliquæ Preces*.

Præter recitationem Decalogi & Philacteriorum, de quibus antea egimus, habebant tres aut quatuor orationum formulas, qui recitabant matutini Ministerii tempore. Primam vocabant אמת ויציב, *Emeth* & *Jatsib*, quia incipiebat duobus hisce vocabulis, & referebatur ad Phylacteria. Hæc autem erat. *Veritas & stabilitas, firmum & tutum, rectum & fidum, & amatum, & amabile, & delectabile, & reverendum, & terribile, & gloriosum, & ordinatum, & acceptum, & bonum & pulchrum est Verbum tuum in sæcula sæculorum. Veritas æterni Dei, Regis nostri, Rupis Jacobi, clypei salutis nostræ in sæcula sæculorum. Firmus est, Nomen ejus est firmum, & ejus thronus stabilitus, & ejus Regnum & veritas constitura in æternum*, &c.

Tham. ubi supra.

Secunda vocatur a *Thalmudicis*, עבודה *Avodah*, sed a *Maymonide*, רצה *Retseh*, qui tamen consentiunt in ipsa oratione; unum duntaxat ex hisce nominibus desumptum est ex prima voce, alterum vero ex præcipua quapiam. Hæc autem fuit formula: *O Domine Deus noster, acceptus tibi sit populus tuus Israel, ejusque preces. Instaura Ministerium ad oraculum Domus tuæ. Accipito Holocautomata Israelis & eorum preces in amore, cum complacentia; & cultus Israelis populi tui perpetuo sit tibi gratus*. Denique hæc orationis erat clausula: *Laudamus te qui es Dominus Deus noster, & Deus Patrum nostrorum, Deus omnis carnis, noster Creator, Opifex omnis creationis, benedictio & laus sit magno & sancto Nomini tuo, quia tu protexisti & conservasti nos: protege & conserva nos, & captivitatem nostram fac reducem ad Atria Sanctitatis tuæ*, &c.

Tertia oratio ita concepta erat: שים שלים, *Da pacem, benignitatem, & benedictionem, gratiam, misericordiam & commiserationem nobis & universo populo tuo Israelis. Benedicito nobis, o Pater noster, imo nos omnes instar unius vice vultus tui; nam in luce vultus tui, tu, o Domine Deus noster, dedisti nobis Legem vitæ, & misericordiam amoris, & justitiam, & benedictionem, & commiserationem, & vitam, & pacem. Placeat tibi benedicere populo tuo Israeli omni tempore. In libro vitæ, cum benedictione & pace, & sustentatione fac ut memoremur & scribamur coram te, nos & omnis populus tuus Israelis*.

Quarta oratio recitabatur die Sabbati instar benedictionis, pronuntiatæ ab ea Classe quæ exibat, erga eam Classem quæ ingrediebatur, hisce verbis: *Qui facit habitare Nomen suum in hac Domo, faciat habitare inter vos pacem, fraternitatem, amorem & amicitiam*. Confer 2. *Cor*. 13. 10.

Cum autem videatur inter Thalmudicos Scriptores esse aliqua dubitatio circa tempus harum precum, incertum aliquatenus relinquunt an recitarentur immediate ante Thymiamatis oblationem, vel ipso oblationis tempore; sed rem clare docet *Lucas* Evangelista, qui dicit *multitudinem preces fudisse ipso tempore Thymiamatis*, Cap. 1. 10. Ipsa etiam *Thalmudis* Scholia ajunt preces hasce fuisse *preces populi*, excepta duntaxat ultima.

Postquam hæ preces absolutæ erant, is qui sorte debebat membra victimæ ad Summum Altare ferre, eaque ibi deponere, hoc officio fungebatur eo modo qui antea indicatus fuit; nempe primo ea sine ordine in ignem projiciens, deinde ea iterum sumens & ordine disponens.

Hisce peractis, Sacerdotes, præsertim qui fuerant in Sanctuario, (gerentes vasa

ſa ſacra quibus uſi fuerant) ſtantes in iis gradibus quibus aſcendebatur in Porticum, elatis manibus benedicebant populo. Confer *Luc.* 1. 22.

Ne immoremur longis Judæorum diſceptationibus de illa manuum ſublatione, benedictio quæ pronuntiabatur ea erat quæ extat *Num.* 6. 24. 25. 26. Attollebant manus ſupra capita expanſis digitis, atque unus verbo tenus hanc benedictionem recitabat, quam alii repetebant poſt eum, & pro una benedictione omnes haſce recitationes habebant, (ſed in Synagogis tres numerabant) & poſtquam abſolverant, populus reſpondebat, *Benedictus Dominus Deus, Deus Iſraelis, ab æternitate in æternitatem.*

Ibid. & Maymon. ubi ſupra. Tamid, Per. 4. Maym. in Thephill. & Bircoth Cohanim, Per. 14. & 15.

Poſt hanc benedictionem offerebatur farinæ oblatio, quam ſequebantur חביתין placentæ Pontificis Maximi, & denique libamen, ſeu vinum. Tum incipiebat Muſica ac Symphonia de qua ſupra diximus; & quotieſcunque intermittebatur, canebant Tubæ, & populus inclinato corpore Deum adorabat, & poſt ultimam pauſam Muſicæ abibat.

Hi erant divini cultus in Templo matutinis & veſpertinis horis ritus, niſi quod veſperi leve erat diſcrimen; nempe quod non ſortirentur varia munera, ſed ii quibus matutino tempore obtigerant, iis fungerentur. Ad oblationem duntaxat Thymiamatis jaciebant ſortes inter eos ex Familia quæ ea die miniſtrabat, qui nunquam hactenus Thymiama obtulerant: ſed ſi contingeret omnes eo munere functos fuiſſe, tum qui mane id ſorte obtinuerat, eo etiam veſperi fungebatur. Similiter veſpertina Thymiamatis combuſtio paulo ſerius fiebat quam matutina, ut antea innuimus: fiebat enim inter depoſitionem membrorum victimæ ſupra Altari, & oblationem vini; ita ut combuſtio Thymiamatis & publicæ preces coinciderent τῷ *Mincha*, ſeu farinæ oblationi. Sacerdotes etiam inter benedicendum populo, quibuſdam diebus in veſpertino Miniſterio non attollebant manus, ut matutino; & ratio quare id non facerent affertur, argumentumque diſceptatur initio *Cap.* 4. Tract. *Taanith*; ſed majus lectori tædium, quam emolumentum pareret.

CAPUT X.

Ratio qua in Templo Deum colebant.

SAnctitas loci & æquitas hujus legis, *Vos reverebimini Sanctuarium meum*, merito requirebant ab iis qui eo adoraturi veniebant, ut ſancte ac pie ſe ibi gererent: unde quemadmodum Lex omnem impuritatem inde arcuerat, ita Magiſtri Traditionum multa vetuerant quæ Lex non nominavit; qua in re, ut alibi ſolent, percolarunt culicem, & deglutiverunt camelum. Nulla erat ipſis religio facere & permittere ut Domus precum eſſet forum mercatorium & ſpelunca latronum; & tamen minoris momenti peccata ſevere interdicebant. Juxta hanc in minutiis ſeveritatem,

I. לא יכנס אדם להר הבירה במקלו, *Nemo poterat ingredi Montem Domus cum ſuo baculo*. Videbatur indecorum inferre arma in locum illum pacis, aut eo uti tanquam loco itineri deſtinato, qui debebat eſſe quietis; aut in eo loco inniti ullo baculo, in quo Deo innitendum erat. Ex hac conſuetudine factum eſt ut Dominus vendentes & ementes ex Templo fuſte non expulerit, ſed flagro funiculorum, cum non liceret eo fuſtem inferre. Atque hæc erat mira contradictio in ea Religione, quod liceret ad mercatum in Templi Montem pecus deducere, non liceret vero eo baculum inferre. Attamen *Vir Montis Domus* per totum Montem ire poterat cum baculo ſuo, nam חבט במקלו percutiebat baculo, ut ait *Maymonides*, Levitas quos in excubiis ſuis dormientes offendebat.

Berachoth Per. 9. Zavim, Per. 1. Gemar. Maym. in Beth Hab. bechirah, Per. 7.

II. או במנעל שברגליו, *Nec quiſquam ingredi poterat cum calceis in pedibus ſuis*. Hanc prohibitionem deducebant ex hiſce verbis ad *Moſem* & *Joſuam*, *Exod.* 3. *Joſ.* 5. *Detrahe pedibus tuis calceos*, &c. Sub hac prohibitione & praxi continetur ea doctrina quæ exprimitur a *Paraphraſta Chaldeo*, Eccleſ. 5. *Attende ad pedes tuos cum ingrederis Domum Dei. Tu, fili hominis, attende ad pedes tuos cum ingrederis Sanctuarium Domini ad orandum, ne illuc eas cum peccatis tuis pœnitentia non ablutis*, &c. *Ne ſis inſtar ſtultorum qui offerunt pro ſuis peccatis, nec a malis operibus convertuntur.*

Ibid.

Targ. in Eccl. 5. 1.

Licebat Montem Domus ingredi cum Sandaliis, licet cum calceis vetitum eſſet: ſed Levitæ ad ſua pulpita ad canendum, nec Sacerdotes ad miniſtrandum in Atrium ire poterant niſi nudis omnino pedibus.

Erach. Perek. 2. in Gemara.

III. או באפונדתו, *Nec quiſquam poterat ingredi Montem Domus cum ſua pera circa ſe*. Vox אפונדה vel פנודה a quibuſdam exiſtimatur veſtimentum levius quod reliquis ſuperinjiciebatur, quod Græcis, a quibus deſumptam vocem putant, vocatur ἐπενδύτης, *Joann.* 21. 7. ſed verti eam *peram*, ad clariorem hujus prohibitionis explicationem, quibuſdam rationibus adductus, quas poſtea afferam, cum

cum unam aut alteram prohibitionem recensuero.

IV. או באבק שעל רגליו, *Nec poterat quisquam ingredi cum pulvere pedum suorum*; sed oportebat eum aut ablui, aut excuti, *& ingredientem respicere ad pedes suos cum ingrediebatur Domum Dei*. Hac prohibitione includi doctrinam omnium cogitationum & affectuum mundanorum exuendorum, cum colendus est Deus, nemo non videt.

V. או במעות הצרורין בסדינו, *Aut cum pecunia ei alligata in crumena*. Verba Servatoris nostri cum misit Apostolos ad concionandum, sunt adeo hisce prohibitionibus affinia, ut plus quam probabile sit eum huc allusisse, *Matth.* 10. 9. 10. Ideoque verti אפונדה *peram*, & סדין *crumenam*, quia hæc duo vocabula quibus utitur Servator noster, non modo ea apte exprimunt, sed data opera hanc in rem adhibita videntur. Atque ad defendendam prioris vocis interpretationem, duo nobis suppetunt argumenta. I. Quia vox תרמלה, qua *Syrus* Interpres utitur ad vertendam vocem Græcam Πήρα in loco citato, aliquando a *Thalmudicis* usurpatur conjunctim cum iis vocibus, quibuscum conjuncta hic est vox אפונדה: ut במקלו ותרמילו, *cum baculo suo & pera*; מקלו מנעלו ותרמילו, *baculus ejus, & calcei & pera*. II. *R. Nathan* hoc modo interpretatur hanc vocem: *Erat genus vestis quæ reliquis superinjiciebatur, in qua erant multa loca consuta, in quibus ponebant aliquid quo uterentur* cum sese offerret occasio. Itaque erat genus quoddam semicinctii, in quo erant varii loculi, seu sacculi, in quibus necessaria recondebant, uti nunc in sacculis nostris recondimus; & quod facile assumere aut ponere poterant, prout occasio ferebat: Et quemadmodum in eo semicinctio erant sacculi; ita in zona qua cingebant tunicas subjectas, habebant suam crumenam, *Matt.* 10. 9. Eorum zonæ ordinarie erant ex lino quod significat vox סדין, (extraordinarium enim erat cum zona ex corio incedere, uti factitarunt *Elias* & *Joannes Baptista*) atque in hisce zonis solebant asservare pecuniam quam secum gerebant cum iter faciebant, vel negotii cujuspiam causa, in quo pecunia requireretur, exibant. Verum ingredientibus Montem Templi non licebat in ea pecuniam gerere. Itaque non licebat eo venire cum ullo mundano apparatu, sed quicquid ejusmodi erat, dum ibi commorabantur, seponi oportebat, quippe qui essent in loco in quo (utpote piæ cuipiam lectioni incumbentibus) omnes cogitationes ac occupationes mundanæ abjiciendæ erant. Hinc facile intelligimus quam misera arte vitam sustentaret Claudus ille qui eleemosynam petebat ad *pulchram* Templi *Portam*, *Actor.* 3. cum ibi nulla gereretur pecunia; & cum *Petrus* & *Joannes* responderunt, *Aurum aut argentum non habemus*, videntur idem dixisse quod omnes qui illac transibant dicebant. Verum multa pecunia inferebatur in Templum, licet in crumena non gestaretur; dabant enim pecuniam suam Sacerdotibus, qui eos adjuvabant in emendis pecunia illa victimis; vel dabant pecuniam Gazophylacio pauperum, sed eam manu gerebant. Atque fieri potest ut ad hanc consuetudinem alludat phrasis Hebraica notissima, Offeret *prout manus ejus inveniet*.

Shabb. Perek. 2. fol. 31. Jevamoth, fol. 132. Aruch in אפונדה.

VI. Ingressos Montem Domus a quatuor hisce cavere oportebat.

1. אסור לרוק בכל הר הבית. *Interdictum erat spuere in toto Monte Domus: sed si cui necessario spuendum esset, cum oportebat in aliquo vestis suæ angulo expuere*. Nec tamen religioni sibi duxerunt spuere in faciem ejus qui major erat Templo, *Matth.* 26. 67. Erat via *Hierosolymæ* quæ vocabatur *Via superior*, in qua immundum habebatur exscreare, quod nullo alio in loco *Hierosolymæ* obtinebat.

Maym. ubi supra.

Shekal. Per. 8.

2. לא יקל את ראשו כנגד שער מזרחי, *Ullo gestu irreverentiam monstrante, uti licebat*, præsertim *ante Portam Nicanoris*; nam e regione opposita erat frontispicio *Templi*: atque illiciti irreverentiæ actus habebantur ridere, jocari, lascivius colloqui, ac multo magis si qui immodestiores essent.

3. לא יעשה הר הבית קפנדריא, *Non licebat Montem domus facere locum per quem transiretur*, ad eundem alio; quod nec licebat facere in Synagoga. Ita si negotiorum causa ab una parte Urbis ad alteram transeundum esset, non licebat transire per Montem Templi, quamvis illac via brevior esset, sed circumeundum erat; eo enim non licebat ire אלא לדבר מצוה, *nisi ex occasione Religionis*.

Maym. in Thephilla Per. 1.

4. הנכנס בעזרה יהלוך בנחת, *Ingredientem in Atrium oportebat lento passu ire* ad eum locum in quo substituturus erat, ibique oportebat eum se gerere, quasi in præsentia Domini, in omni reverentia & timore.

VII. אין מתפלל אלא מעומד, Ingressum jam ad orandum & ad spectandos ritus sacros qui fiebant in Atrio, I. *Oportebat stare*, nec sedere, aut jacere, aut ulli rei inniti: nam præter legem illam qua cavebatur ne quis sederet in Atrio, quam mox considerabimus, non tantum erat

Id. ibid. Per. 5.

erat consuetudinis, sed officii etiam stantem orare ubicunque preces funderentur. Vide *Matth.* 6. 5. ubi *Christus* eos arguit quod *amarent stantes orare in Synagogis, & in angulis viarum*. Ipsæ eorum Traditiones hæc verba confirmant tum quoad locum, tum quoad gestum. *Sunt octo*, ait *Maymonides* in loco supra in margine citato, *quæ scire oportet orantem, ut ea observet; nempe, stare, faciem versus Templum obvertere, componere corpus, componere vestes, locum suum aptare, vocem suam regere, inflexo corpore adorare. Non debet orare nisi stans;* (exceptis ægris aut infirmis) *& si sit in navi, vel in curru, stet si possit.* Undecimo Capite ejusdem Libri loquitur de precibus in viis fusis tempore jejuniorum, vel quibusdam aliis diebus cum Synagoga non admitteretur. II. Quod attinet ad compositionem corporis inter orandum, hanc legem eorum Traditio præscribit. *Debet stare pedibus juxta se invicem æqualiter positis, oculos dejicere, cor vero sursum tollere, manibus pectori impositis, ita ut sinistra sit sub dextra: & oportet eum stare tanquam servum coram Domino suo, cum omni reverentia & timore.* Quod oculos dejicerent, id sumpserunt ex iis Scripturæ locis, ubi præ pudore quis negat se audere oculos in cœlum attollere propter peccata. Ad has consuetudines respicit Parabola Publicani, *Luc.* 18. 13. Imo ipsi Sacerdotes populo benedicentes, nec in cœlum oculos attollebant, nec populum intuebantur, sed oculos in humum demittebant; uti nec populo licebat eos contra intueri.

VIII. אין ישיבה בעזרה אלא למלכי בית דויד בלבד, Quantumvis diu stetissent, ac stando defessi essent, attamen non licebat in Atrio sedere aut Sacerdotibus, aut populo. Notissimum est apud Scriptores Hebræos Axioma: *Nemini licuisse sedere in Atrio, nisi solis Regibus Domus Davidis.* Quamvis *Kimchi* quosdam citet qui hoc privilegium Regibus eximunt, & tribuunt Summo Sacerdoti. *Midras Tillin* ingeniose accommodat hanc sessionem solius Regis, & reliquorum omnium stationem, dispositioni Congregationis cœlestis, *ubi magnus Rex sedet, omnes præsentes stant ejus imperiis attenti.* Sed alii Rabbini inepte ajunt hoc creasse maximum metum *Jeroboamo*, eumque ita apud se loquentem inducunt: *Certum est nullam esse Sellam in Atrio, nisi Regibus ex Domo Davidis: ideoque statim ac videbunt Roboamum sedentem, me autem stantem, inde colligent, si essem Rex, me sessurum,* &c. Propter hanc receptam Traditionem,

Kimch. in 1. Sam. 1. & Levit. Gershom, ibid.

Midras Tillin in Psal. 1. ab initio.

R. Sol. & D. Kimch. in 1. Reg. 12.

Magnum Synhedrium quod convocabatur in Conclave *Gazith*, quod erat in Australi muro Atrii, non sedebat in ea Conclavis parte quæ erat intra Atrium, sed in altera parte quæ erat ἐν τῷ *Chel*. Fuse suo loco hoc Conclave ejusque situm descripsimus.

Maymon. in Beth Habbech. Per. 5.

IX. לא יעמוד כראש מגולה, *Non licebat orare capite aperto. Nec Sapientes, eorumque Discipuli*, ait Auctor noster, *unquam orabant nisi capite tecto*. Ita *R. Nathan* referens historiam *Nicodemi* orantis & petentis pluviam in magna necessitate; & narrans quomodo bis ea de causa oratum iverit, hujus circumstantiæ diserte meminit: התעטף, *Velum suum sumpsit*, atque ingressus oravit. Judæi conferunt apparitionem Domini in Monte *Sinai* nube involuti, cum *Angelo Ecclesiæ*, vel Ministro Congregationis *velo suo obtecti*, כשליח צבור עטוף. Sacerdotes tiaras suas constanter gerebant dum erant Ministerio occupati, unde non videntur illo capitis tegumento contenti cum oraturi erant, sed alterum præterea integumentum capiti injecisse. Hanc eorum consuetudinem docet Apostolus, 1. *Cor.* 11. 4.

Id. in Thephillah. ubi supr. Avoth R. Nathan, Per. 6.

Maym. in Jo edech Thorah, Per. 1.

X. Situs corporis cum Dominum adorarent, erat vel כריעה, *inflexio genuum*, vel השתאויה, *prostratio in humum*. De hoc posteriori gestu corporis sæpius Hebræi loquuntur, cum tamen juxta strictam vocis significationem raro esset in usu. Solebant quidem aliquando in humum procumbere; sed pro hoc gestu corporis plerumque adhibebant magnam corporis inflexionem: hoc enim habebant Axioma, *Eam prostrationem non convenire unicuique, sed iis tantum qui se viros justos esse nossent, ut Josue.*

Idem ubi supra.

XI. Absoluto cultu suo, abeuntes nefas ducebant Altari tergum obvertere, ideoque retrorsum ibant donec exiissent Atrio; & cum pervenerant ad eam partem quæ dicebatur *Mons Domus*, non sibi fas esse putabant per eandem Portam exire per quam ingressi erant: qua de re alibi egimus.

Id. in Beth Habbech. Per. 7.

CAPUT XI.

De Populi comparitione in tribus Festis.

MAgnum *Synhedrium* toti Genti notas faciebat Neomenias, quibus possent scire quo die celebranda essent menstrua festa, & anniversaria. Quamvis autem *Magnum Synhedrium* satis esset peritum ad cognoscendam noctem qua Nova Luna apparitura erat, attamen de re nullum judicium ferebant, nisi prius haberent testimonium duorum virorum qui si-

Maymon. in Kidd. Hhodesh, Per. 1.

significarent se vidisse Novam Lunam; ab ejus enim apparitione inchoabant mensem. Hinc fiebat ut multi *Hierosolymæ* eam in rem invigilarent, qui conspecta Nova Luna, abibant ut testimonium ejus rei perhiberent. Erat locus in Urbe dictus בית יעזק, *Beth Jaazek*, Atrium lapideo muro circumdatum, in quo excipiebantur, examinabantur, & ad convivium vocabantur, ut animus iis adderetur, qui tam necessarium perhiberent testimonium. Non pertinet ad institutum nostrum curiose inquirere in ea quæ in iis quorum admittebatur testimonium requirebantur, quomodo & quando venirent, an possent testari se Lunam vidisseo eo tempore quo a membris *Synhedrii* conspici poterat, & quomodo ipsi *Synhedrii* Assessores Novæ Lunæ testimonium inter se perhiberent, aliaque ejuscemodi. Ideoque iis prætermissis, observabimus tantum quemadmodum Atrium illud designatum erat ad statuendas & declarandas Neomenias, ita etiam eos semet ipsos constrinxisse, ut judicium non ferrent, nisi auditis duobus testibus, ut etiam in aliis judicialibus negotiis.

Rosh Hash. Per. 2. Aruch in יעז.

Gloss. in Maym. in loc. cit.

Duo primi testes, si validum esset eorum testimonium, ea vice inserviebant, nec ulterius inquirebant; (etiamsi cum omnibus testibus collocuti sint, volebant enim in eam observationem iis animos addere) vel si duo primi non essent fide digni, cum alii duo auditi credebantur, currebant, ut tota regio quamprimum Neomeniæ diem cognosceret.

Itaque hoc primum faciebant. Noctu (postquam ex testimonio duorum istorum definierant diem ante quem nocta præcedente conspecta fuerat Nova Luna) jubebant aliquem curriculo contendere ad Montem *Oliveti* cum fasciculo ligni maxime combustibilis, & alia materia, quam ibi accendebat & varie agitabat, donec alium videret similiter facientem in aliquo colle; & sic reliqui. Ita per totam regionem res brevi spargebatur. *Imo*, ajunt *Talmudici*, *ibat a Monte Oliveti ad Sartaba, a Sartaba ad Gryphena, a Gryphena ad Chevaron, a Chevaron ad Beth Baltin; atque hic non desinebat tædam agitare, donec videret totum locum Captivitatis simlilibus refertum.*

Rosh Hashan. ib.

Incolæ regionis, conspectis hisce tædis; cognoscebant Novam Lunam apparuisse nocte præcedente, & *Synhedrium* definiisse diem præteritam esse primam Lunæ, atque hinc postea numerabant. Verum videntur experientia didicisse eam rationem satis tutam non esse, quandoquidem poterant decipi, & reipsa decepti aliquando fuerant משקלקלי האפיקורוסים והכותים *a prophanis Epicuræis & Cuthæis*, aut aliis Gentis hostibus, qui similes tædas aliquando incendebant ut eos fallerent. Ideoque aliam viam quæsiverunt ad Neomenias significandas, missis nempe per totam regionem nuntiis; quo labore eos liberasset accuratum Calendarium, quod æque certo, & certius etiam Neomenias designasset, quam ipsi hac ratione faciebant aut facere poterant, propter ejus in variis incertitudinem.

Ib. Per. 1.

Nuntii propterea mittebantur tantum septem anni mensibus, nempe

I. Mense *Nisan*, ut populus sciret veram diem Paschatis.

II. Mense *Ijar*, propter secundum Pascha, vel Pascha secundi mensis.

III. Mense *Ab*, propter festum nonæ diei.

IV. Mense *Elul*, propter initium anni quod in mensem sequentem incidebat: nam *Elul* plerumque erat *mensis vacuus*, seu viginti novem dierum; atque ita cognita prima die mensis *Elul*, poterant observare trigesimam diem tanquam primam *Tisri*, seu anni. Si vero trigesimam diem nec Luna conspecta, nec *Magni Synhedrii* decreto comperirent esse primam mensis, ut tutius agerent, sequentem eligebant diem.

V. Mense *Tisri*, propter diem Expiationis, & festum Tabernaculorum.

VI. Mense *Cisleu*, propter festum Dedicationis.

VII. Mense *Adar*, propter festum *Purim*.

Sparsa per totam regionem definitione trium dierum ad celebranda festa Paschatis, Pentecostes, & Tabernaculorum, Lege tenebantur constitutis temporibus *Hierosolymam* ire, ut festum ibi celebrarent. Comparitio eorum vocabatur ראיה *Raajah*; festum vero, seu publica hilaritas, vocabatur חגיגה *Chagigah*. Se sistebant in Atrio Templi prima festæ hebdomadis die, & tenebantur offerre victimas pro sua comparitione; pacificas vero oblationes pro *Chagigah*, seu festo, quæ vocabantur שלמי שמחה, *Pacificæ Oblationes lætitiæ*.

Quidam hujus comparitionis immunes erant, & servi nondum manumissi, surdi, muti, amentes, mutili, immundi, incircumcisi, decrepiti, ægri, debiliores, & qui pedibus iter facere nequibant, & infantes qui non poterant ascendere in Montem Domus manu a parente deducti.

Chagigah, Per. 1.

Et quemadmodum providentia non sine miraculo eorum Familias tutabatur cum ad festa abierant, (& reliquerant domi tantum mulieres, pueros & aliquot servos) ita res non erat multo miraculo mi-

minor, quod tanta hominum multitudo victus & hospitia *Hierosolymæ* reperire posset. Atque hoc *Thalmudici* quasi portentum aliquod observant, de quo hoc habent. *Decem miracula*, inquiunt, *ostendebantur Patribus nostris in Sanctuario. Nulla mulier abortum fecit propter odorem carnis victimarum. Nemo unquam Hierosolymæ cespitavit: nec unquam cecidit quisquam Hierosolymæ: nec unquam contigit abortus Hierosolymæ: nec quisquam unquam alteri dixit, Non inveni Hierosolymæ ignem ad quem torrerem Agnum meum Paschalem: nec dixit unquam quisquam alteri, Non inveni lectum Hierosolymæ in quo cubarem: nec unquam quisquam dixit alteri, Meum hospitium est nimis arctum Hierosolymæ*, &c.

Aboth R. Nathan, Per. 34.

CAPUT XII.

De ritibus celebrationis Paschatis.

Magnum & mysticum Paschatis Sacramentum tam copiose describitur, historiaque ejus institutionis tam fuse habetur *Exod.* 12. ut ad hanc quidem quod attinet supervacuum sit quicquam dicere. Sed postremis temporibus, iis præsertim quibus Servator vixit, tantopere auctæ erant Traditiones, & tantopere differebant ritus ab illis qui in *Ægypto* præscripti erant, eosque multitudine superabant; ut longa opus sit descriptione & investigatione, ut accurate describantur. Itaque hic ex Traditionibus & monumentis Judæorum sigillatim eos persequemur; idque eo libentius, quod varia Novi Testamenti loca alludant ad circumstantias quas addititias vocamus.

Primum igitur incipiemus a discrimine quod observant Judæorum Doctores inter Pascha *Ægypto*, & postremis temporibus Reipublicæ celebratum, quod *Thosaphta* in Tractatum *Pesachin* ita describit.

Thosapht. in Pesach. Per. 8.

Pascha Ægyptiacum sumpserunt decima die, mactaverunt decima quarta, nec propterea fuerunt rei Excisionis: posterioribus temporibus propterea rei fuissent Excisionis;

De Paschate Ægyptiaco dicitur, Ipse & vicinus sumant Agnum: sed non est sic dictum de Paschate in posterioribus generationibus. Sed dico, inquit R. Simeon, dictum est de Paschate in futuris temporibus; idque quia homo non sinet proximum vicinum Pascha sumere cum altero: nam dicitur, Melior est vicinus proximus, quam frater remotus.

In Paschate Ægyptiaco non tenebantur adspergere sanguinem & pinguedinem in Altare: sed aliter se res habet in Paschate posteriorum temporum.

De Paschate Ægyptiaco dicitur, Imponetis ex sanguine duobus postibus, & superiori limini: sed sic res se non habet in posterioribus Paschatibus.

In Paschate Ægyptiaco dicitur, Nemo vestrum limine ædium suarum exibit ad matutinum tempus: sed sic non fuit in sequentibus generationibus.

Pascha in Ægypto ab unoquoque domi mactatum fuit: sed posteriora Paschata uno in loco mactavit Israel.

Ubi comederunt Pascha in Ægypto, ibi etiam pernoctare debuerunt: sed posterioribus temporibus comedebant id in uno loco, & pernoctabant in alio.

Attamen Pascha in Ægypto celebratum, & sequentia unum fuerunt Pascha: quicunque habebat servos incircumcisos, & ancillas non baptizatas, non licuit iis Pascha comedere: sed dico, ait R. Eliezer filius Jacobi, Scriptura loquitur duntaxat de Paschate in Ægypto.

In hisce Pascha in Ægypto, & sequentibus temporibus celebrata similia erant.

Pascha Ægyptiacum erat in tribus domibus: ita & sequentia Paschata.

Pascha Ægyptiacum erat Agnus electus ex grege, masculus sine macula, anniculus: sequentia etiam talia erant.

De Paschate Ægyptio dictum est, Nihil ex eo relinquetis ad matutinum tempus: idem etiam sequentibus temporibus observabatur.

R. Josi Galilæus dicit. Dico fermentum in Ægypto interdictum tantum fuisse in unam diem.

Pascha Egyptiacum requirebat Canticum: ita & Paschata posterioribus temporibus.

Ita Judæi conferunt primum Pascha cum sequentibus: quo in loco, priusquam ad alia veniamus, hæc observanda occurrunt.

I. Ubi dicitur, ad Pascha *Ægyptiacum* quod attinet, nullum fuisse Excisionis reatum, hoc dicitur conferendo relationem institutionis primi Paschatis in *Ægypto*, *Exod.* 12. cum renovatione præcepti Paschatis in deserto, *Numer.* 9. Nam cum Deus instituit primum Pascha, fit quidem aliqua mentio Excisionis *Exod.* 12. 15. sed non dicitur diserte, *Qui non observabit Pascha exscindetur*; quod diserte habetur in iteratione præcepti illius, *Numer.* 9. 13.

II. Ubi dicitur *Pascha in Ægypto fuisse in tribus domibus, & similiter etiam Pascha posterioribus temporibus*; id non debet ita intelligi, quasi ita Agnus dividi deberet, ut in tribus ædibus pars ejus aliqua comederetur, hoc enim est contrarium præcepto, *Exod.* 12. 46. sed plures Familias potuisse convenire ad come-

medendum Agnum, idque tum in *Ægypto*, tum posterioribus temporibus.

Primum præceptum circa hanc anniversariam cæremoniam erat, *sumere Agnum decima die, & servare eum usque ad decimam quartam*, Exod. 12. 3. 6. Quod an perpetuum foret præceptum, an vero in solum tempus Paschatis *Ægyptiaci*, quæritur. *Aben Ezra* dicit esse rem dubiam: sed *R. Solomon* diserte definit, id respexisse tantum tempus *Ægyptiaci* Paschatis: quod licet in quapiam circumstantia verum esse possit, an sit prorsus verum, disputari potest. Dubium quidem non est, quin posterioribus temporibus unusquisque Agnum suum sumpserit, ut in *Ægypto* factum fuerat; sed aliquatenus dubium est, utrum hoc eodem modo fieret. Probabile admodum est, quemadmodum Sacerdotes sumebant agnos in quotidianum sacrificium quatuor ante diebus quam offerrentur; ita etiam eos curasse populo agnos suppeditari, & sumpsisse eos in foro quatuor ante diebus, ac selegisse aptos & convenientes præcepto. Nam cum Lex diceret, eos carere debere macula, & eorum Traditiones adeo accurate enumerent ea vitia, quæ ajunt esse septuaginta tria; non potuisset fieri quin Lex, & Traditiones, quas pluris faciebant quam ipsam Legem, violarentur, si unusquisque sumpsisset sine examine Agnum suum in foro *Hierosolymitano*. Sacerdotes hisce temporibus intulerunt mercatum ovium & boum in Templum, ubi postquam prius elegissent ex foro agnos & juvencos sacrificio aut Paschati idoneos, carius eos vendebant; atque ita populo inservientes emolumento suo studebant: unde Servator noster inter cauponationes quas iis exprobat, dicit *eos fecisse Domum Orationis speluncam latronum*. Ita quicunque vellet poterat secum afferre Agnum suum *Hierosolymam*, aut cum huc pervenerat emere. Utrum fecerit Servator noster ultimo suo Paschate, non dicunt Evangelia: sed posterius fecisse probabile est. Vide *Luc.* 22. 8, *Joann.* 13. 29.

Ezra in Exod. 12. R. Solom. ibid.

Maym. in Issure Mizbeah.

Idem in Corb. Pesach.

Vide Abarban. in Exod. 12.

Existimant quidam Judæi, eos qui sumebant Agnum decima die, & servabant ad decimam quartam, illum alligasse ad pedem lecti, ut semper oculis eorum obversaretur ad videndum num esset legitimus, & ad animum revocandum quod erant acturi: Sed quicquid esset in hoc negotio, aliisque memoratis circumstantiis, non debemus omittere observare, quam bene *Agno Dei*, vero Paschati, cujus sanguini æterna deberetur liberatio responderet hæc figura Agnorum decima die sumptorum; quandoquidem ea ipsa die asello insidens *Hierosolymam* ingressus est, & obtulit semet ipsum ut sumeretur in illud sacrificium, cujus sex postea diebus fuit victima ad expianda peccata nostra. Vide *Joann.* 12. 1. 12.

SECTIO I. *Investigatio Fermenti*.

Proxima cura quæ iis incumbebat ad Pascha quod attinet, erat ut abstinerent ab omni usu fermenti Paschatis tempore, ita ut eo tempore quo Agnus Paschalis mactabatur, nullum intra ipsorum ædes inveniretur. Lex in hoc præcepto severissima erat, quippe quæ Excisionem id violantibus denunciabat. Vide *Exod.* 12. 18. 19. & 13. 7. *Levit* 23. 6. *Numer.* 28. 17.

Relationem quæ intercedebat huic legi cum liberatione *Ægiptiaca Abarbanel* ita exponit. Dicit nempe, eam in hoc sitam fuisse, quod significaret festinationem qua exierant ex *Ægypto*, ita ut satis temporis eis non fuisset ad expectandum panis fermentationem, *Exod.* 12 39. Addit præterea, *in calidis illis regionibus panem plus quam diem unum servari non potuisse, nisi fermentatus esset*; adeo ut id præceptum panis azymi eos posset docere quomodo a divina providentia pendendum esset, quandoquidem jubebantur omittere ordinariam & notam rationem conservandi panis, & se extraordinariæ ac incertæ rationi committere, duntaxat propter præceptum divinum, ita Verbo Dei homines vivere edocendi.

Abarbanel in Exod. 12. fol. 151.

Judæi ut severum hoc observarent interdictum, אור לארבעה עשר בודקין את החמץ לאור הנר, *Decima quarta dum erat adhuc aliqua lux, curabant inquiri fermentum ad lucem candelæ*. Hæc est eorum Traditio, in qua per *lucem decimæ quartæ diei* Scholiastæ dicunt intelligendam esse *decimam quartam diem sub vesperam cum nox appetebat & candelæ accendendæ erant*. Titulus de Paschate Hebraice & Hispanice etiam, sed literis Hebraicis, interpretatur, אין אינטראדה די קאטורזי דיל מיז די ניסן, *En entrada di quatorze del mex de Nisan: Initio decimæ quartæ diei mensis Nisan quærebant fermentum in omnibus iis locis in quibus uti solebant fermento*, (in horreis & stabulis, aliisque similibus locis non opus erat quæri) *etiam in foraminibus, idque non ad lucem Solis aut Lunæ, aut lampadis, sed cereæ candelæ* הנר של שעוה *id est*, קון קנדילה די סירה, *con candela di cera*. Ac ratio ob quam utebantur candela potius quam alio lumine, erat quia aptior erat ad quærendum in foraminibus & angulis,

Thalmud. in Pesach. Per. 1.

R. Solom. & Gloss. R. Alphes in Pesach. Perek. 1. Maym. in Hhamets umatsah, Per. 2.

Seder Haggadah Shel. Pesach. fol. 1. R. Alphes, ubi supra.

&

Thosaph. in Pesach. Per. 1.

& quia Scriptura loquitur de inquirenda *Hierosolyma* cum candelis.

Seder Haggadah ubi supra.

Cum aderat vespera decimæ quartæ diei, quæ ab occasu Solis incipiebat, quicquam eis facere non licebat, nequidem studere Legi, donec hanc perquisitionem obsolvissent. Itaque lectiones Sacræ multæ non erant ea vespera, ne id operis impedirent.

Maymon. ubi supra. Ibid. ubi supr. cap. 3. & Seder Haggadah ubi supra.

Priusquam quærere inciperent, brevem hanc fundebant oratiunculam: *Benedictus esto tu, o Domine Deus noster, Rex æterne, qui sanctificasti nos tuis præceptis, & jussisti nos ejicere fermentum.* Nec post recitatam hanc oratiunculam licebat colloqui, sed inquisitio statim incipienda erat: tum quicquid inveniebatur fermenti in pyxidem aliquam conjiciendum erat, vel suspendendum in ejusmodi loco ad quem nullus mus posset accedere. Deinde hæc verba recitabant, quibus nullum esse fermentum declarabat כל חמירא דאיכא ברשותי דחמיתיה וולא חמיתיה ליטבל ולהיות כעפרא דארעא, *Omne fermentum quod est intra possessionem meam quod vidi, vel non vidi, nullum sit, aut sit tanquam pulvis terræ.*

SECTIO II. *Quæ fierent pomeridianis horis diei Paschatis.*

Diem ipsam Paschatis Novi Testamenti Scriptores vocant *Diem primam Azymorum*; Judæi vero, ערב פסח, *Paschatis Præparationem*. Hanc aliqua pars populi totam festam habebat, & ab omni corporeo opere per totam abstinebat; alii ad meridiem laborabant, reliquas horas festas agebant.

Thalmud in Pesach. Per. 4.

Thalmudici referunt in *Galilæa* totam diem festam actam fuisse, nullo opere facto a matutinis horis usque ad vesperam; sed in *Judæa* ad meridiem usque laborasse incolas: quod mirum videri queat in hominibus Paschatis adeo observantibus, & *Galilæis* negligentioribus observatoribus Legis. Sed ratio ejus rei est, quia qui in *Galilæa* illa die erant, nihil circa Pascha agendum habebant, nisi quod de eo meditabantur, & in honorem ejus a labore abstinebant. Sed qui erant in *Judæa* matutinis horis *Hierosolymam* ascendere poterant, vel aliquod opus habebant ad Paschatis apparatum pertinens, vel aliquid expediendum, ut Paschalem hebdomadem commodius transire possent.

In loco *Thalmudis* modo allato est disceptatio circa quietem observandam ea die, de qua jam nobis sermo est, unde apparet dissensisse Scholas *Shammai* & *Hillelis*, utrum & nocte præcedente quiescere deberent: sed tandem eo res redit, ut dicatur licitum esse absolvere ea quæ incepta fuerant decima tertia die ut decima quarta absolverentur; imo etiam laxior licentia conceditur, nempe ubi mos esset per totam diem a labore abstinere, ibi quiescendum esse; & ubi obtinebat consuetudo laboranti usque ad meridiem, ibi consuetudini obsequendum.

Sed quicquid hac in occasione facerent, seu quiescerent ante meridiem, seu operi incumberent, hoc non erat omittendum, nempe ædibus suis fermentum ejicere; quod uti quæsitum oportuerat nocte præcedente, ita non licebat hac die domi habere. Lex quidem circa hunc laborem indicat decimam quintam diem ad eum suscipiendum, quasi satis esset eo defungi sub vesperam decimæ quartæ diei, *Exod.* 12. 18. 19. Sed Judæi non inepte observant, ejectionem fermenti lege fieri debere antequam id adesset tempus quo id comedere nefas erat. *Nam cum dicitur, Prima die fermentum ædibus vestris ejicietis; Traditione docentur prima die intelligi decimam quartam. Atque hujus rei argumentum desumitur ex eo quod in Lege scriptum est. Non mactabis sanguinem sacrificii mei cum fermento; hoc est, non mactabis Pascha dum adhuc superest fermentum: jam autem mactatio Paschatis erat decima quarta die tempore pomeridiano.*

Maymon. in Hhamets umatsah, Per. 2.

Pesach. Per. 2. in Mishn. Ibid. Per. 1. in Gemara.

Itaque hac decima quarta die matutinis horis poterant comedere panem fermentatum, & tradere avi cuipiam aut pecudi, aut peregrino vendere; sed accurata definitio certi temporis non est sine controversia: *R. Meir dicit, Poterant comedere quinque primis horis fermentum, sed debebant comburere sexta ineunte. R. Judah dicit, Poterant id comedere totis quatuor horis, & debebant suspendere per totam quintam, sexta vero comburere.* Quam controversiam ita dirimit *Maymonides*. *Licebat comedere fermentum decima quarta die usque ad finem quartæ horæ, sed non licebat comedere quinta; attamen eo uti poterant. Verum qui comedebat hora sexta, cædebatur Verberibus Rebellionis; & qui comederat initio septimæ, virgis cædebatur.*

Ubi supr. Perek. 1.

Mirum igitur fuit spectaculum circa horam duodecimam, quando unusquisque conspectus fuit, aut comburens, aut demergens, aut in ventum spargens fermentum; (hisce enim rationibus utebantur ad id ædibus suis ejiciendum, atque hoc præceptum & consuetudo per totam regionem obtinebant) cui hisce verbis veluti valedicebant. *Omne fermentum quod est intra meam possessionem, quod vidi,*

vel

vel quod non vidi, quod ejeci, vel quod non ejeci, nullum esto, sit tanquam pulvis terræ.

Sectio III. *Tempus mactationis Paschatis.*

Circa diem celebrationis Paschatis, multis verbis non opus est ad eam constituendam; tam clare enim constituta est decima quarta dies post Novilunium, ut nihil possit esse clarius: ideoque cum aggredimur agere de tempore mactationis Paschatis, non est animus verba facere de die mensis, quæ notissima est, sed de tempore diei, quod non est ita perspicue notatum.

Seder Haggadah ubi supra. Tosaph. in Pesach. Perek. 1. ad med.

Tosaphta quidem in Tractatum *Pesachin* refert *Cuthæos aliquando Pascha suum observasse una die antequam Israelitæ id facerent, aliquando una die post*: ubi vox *Cuthæos* est ambigua, cum apud *Thalmudicos* modo *Samaritanos*, modo *Christianos* significet. Verum huic rei non immorabimur. Nec desunt Christiani qui existimaverint, *Christum* ejusque Discipulos una die Pascha Judaicum antevertisse, propter id quod habetur *Joann.* 18. 28. ubi cum *Christus* ad *Pilatum* in Prætorium deductus fuisset, (quod contigit postquam *Christus* Pascha comederat, ut satis testantur reliqui Evangelistæ) dicuntur Judæi non ausi ingredi Prætorium, *ne pollueruntur, sed ut possent comedere Pascha*. Huic hallucinationi hic nihil reponam præter verba *Maymonidis*; occasionem enim erroris animadvertere postea poterimus. *Est affirmativum præceptum*, inquit, *mactare Pascha decima quarta die mensis Nisan tempore pomeridiano: mactabant autem hanc in rem duntaxat agnos, aut hædos, & quidem masculos anniculos; & mulieres, æque ac viri, huic præcepto subjiciebantur. Qui præ superbia hoc præceptum violaverat, & prætermiserat decimam quartam diem sine oblatione, nisi immundus esset, aut longinquo itineri implicitus, erat reus Excisionis: sed si præ ignorantia præceptum violasset, absolvebatur. Non mactabant Pascha nisi in Atrio, ut & reliquas oblationes sanctas: imo iis temporibus quibus licita erant excelsa loca, non offerebant Pascha in privato loco excelso, sed in publico*, (hoc est, in Templo) *& qui in privato offerebat virgis cædebatur*. Ex quibus verbis si observetur pœna qua afficiebantur qui prætermittebant decimam quartam diem, & quæ obligatio esset mactandi Paschalis Agni in Atrio, absurdissimum apparebit cogitare ullum *Israelitam* ante constitutam diem celebrare Pascha aggressum esse. Quid facerent *Samaritani* in Monte suo *Gerizim* non quæritur; sed cuipiam Judæo celebrare Pascha *Hierosolymæ* (nullibi enim nisi hoc in loco celebrari poterat) ante proprium ac constitutum tempus, non licuisset sine manifesto periculo, cum hoc e diametro pugnaret cum Lege & Traditionibus; nec videmus *Christum* unquam ulla ratione accusatum fuisse quasi Pascha illegitima die celebrasset.

Maimon. in Corban. Pesach. Perech. 1.

Verum ut hoc omittamus, quod certe nimis manifestum est quam ut in controversiam vocari possit, (vide *Luc.* 22. 7. 8.) & veniamus ad tempus diei quo Pascha mactabatur, hæc duo prætermittenda sunt Axiomata. I. *Non licuisse mactare Pascha ante meridiem*: cujus rei ratio facilis est, nempe quia Lex diserte jubet id mactari inter duas vesperas, *Exod.* 12. 6. II. *Quotidianum sacrificium vespertinum mactandum fuisse antequam inciperent mactare Pascha*: cujus rei ratio hæc est, quod extraordinarius ritus ordinarium & constantem antevertere non deberet. *Postquam combusserant Thymiama vespertini sacrificii, & postquam refecerant Lucernas, tum incipiebant mactare Pascha, & purgabant ad finem usque diei. Horas autem sic dividebant: mactabant quotidianum sacrificium hora octava & dimidia: sed in præparatione Paschatis id mactabant hora septima & dimidia, & offerebant hora octava & dimidia, seu dies esset profesta, seu Sabbatum. Si præparatio Paschatis incideret in præparationem Sabbati, quotidianum sacrificium mactabatur hora sexta & dimidia præterita, & offerebatur septima hora & dimidia præterita, & Pascha post ipsum.*

Id. Ibid.

Id. Ibid.

Thalm. in Pesach. Per. 5.

Præceptum erat tum circa Pascha, tum circa vespertinum sacrificium, ea immolatum & oblatum iri בין הערבים, *inter duas vesperas*, Exod. 12. 6. & 29. 39. מלה קשה, *Dura expressio*, ait *Aben Ezra*, qui molliorem interpretationem non affert. Existimat enim unam vesperam esse cum Sol occidit, alteram vero cum nox plane advenit, quod contigit, ut ait, post unam horam & quadraginta quinque minuta a Solis occasu. Itaque vult quotidianum sacrificium hoc tempore mactatum fuisse: & quamvis omnes Agni Paschales non possent intra hoc spatium mactari, putat tamen præceptum fuisse mactari eos *inter duas vesperas*, quia plerique tum mactabantur, licet omnes non possent. Non immorabor ostendendo quam parum verisimilis sit hæc opinio, quandoquidem is qui eam protulit tandem cogitur redire ad vulgarem sententiam, qua prima vespera dicitur inci-

Ab Ezra in Exod. 12.

incipere cum Sol a verticali puncto ad occasum declinat, altera vero ab ipso occasu Solis. Juxta hanc interpretationem mactabant & offerebant vespertinum sacrificium exacte in medio tempore pomeridiano (scilicet in Æquinoctio hoc fiebat) a dimidia hora post secundam, ad dimidiam post tertiam; adeoque duæ horæ & dimidia edebantur postquam Sol declinare cœperat, ad tempus quo mactabant, & duæ horæ & dimidia a tempore quo offerebant usque ad occasum Solis.

Extraordinaria sacrificia aliquando mutationem aliquam efficiebant in quotidiano tempore; nam cum hoc semper prius offerri deberet, ut tempus sufficeret aliis offerendis, aliquando citius solito id offerebant una hora, aliquando duabus, ut ex Traditionibus citatis videre est. Atque hoc præsertim fiebat Paschatis causa, cum ingens agnorum numerus mactandus esset. Ordinarium igitur tempus incipiendæ mactationis Paschatis, erat circiter post elapsam a secunda dimidiam horam per reliquum tempus pomeridianum. Si autem Pascha incideret in præparationem Sabbati, (hoc est, in diem Sabbatum præcedentem) hora una citius incipiebant, ut facilius expedirent negotium suum antequam Sabbatum inciperet.

SECTIO IV. *Paschales Societates.*

Priusquam mactarent Agnum Paschalem, constituebant numerum eorum qui eum una comesuri essent: nam אין שוחטין את הפסח אלא למנויו, *non mactabant Pascha nisi in numerum certum personarum*. Atque hæc cautio nitebatur *Exod.* 12. 4. Itaque dum adhuc viveret Agnus, certo constituebant qui & quam multi simul conjungendi essent ad eum comedendum; nec poterat cædi, nisi in certam & consentientem societatem. Si quis ex societate quapiam cujus numerus jam constitutus erat, se subducere vellet, oportebat id eum facere priusquam mactaretur Agnus; postea enim integrum non erat. Unaquæque harum societatum vocabatur חבורה, σύναξις vel φρατρία, nec numerus certus erat, sed aliquando major, aut minor juxta comestionem, secundum præceptum, *Unusquisque juxta comestionem suam*. Ubi senes erant, aut ægri, aut homines non multi cibi, plures erant; alioqui pauciores. Is cui ultimum frustum tradebatur, ad minimum tantum carnis quanta est olea accipere debebat; alioquin in numero comedentium non censebatur: sed poterant tot convivæ simul convenire, quot erant partes in Agno oleæ magnitudinem æquantes; hoc enim sufficiebat.

Maym. in Corban. Pesach. Per. 2.

R. Solom. in Exod. 12.

Licet porro mulieres directe Lege non tenerentur ter in anno, ut masculi, se sistere coram Domino, attamen quædam ministeria tum eas obire oportebat, quibus fiebat ut illuc cum viris irent, præsertim ad celebrationem Paschatis, ad quam disertis præcepti verbis obstringebantur: *Tota Congregatio Israelis id mactabit*: ואחד איש ואחד אישה חייבין במצוה זו, *Et viri & mulieres ex æquo tenebantur hoc præcepto*. Jam autem in formandis ejuscemodi societatibus ad comedendos Agnos, cavebant ne totæ constarent mulieribus & servis, aut servis & pueris, ne quid levius aut indignum gravitate ritus illius committeretur: aut ne constarent tantum senibus, vel ægris, ne superessent reliquiæ contra præceptum, *Nihil ex eo relinquetis usque ad matutinum tempus*: aut ne constarent Proselytis, vel pueris tantum, quia non poterant pro rei gravitate loqui de memorandis illis rebus quæ in Paschate commemorari debebant. Sed societas poterat constare tantum mulieribus, aut tantum servis; sed ordinarie integræ Familiæ conjungebantur, viri, uxores, liberi, servi, omnes simul. Societas Servatoris nostri ipso & duodecim Discipulis constabat, *Matth.* 26. 20. *Luc.* 22. 14.

Maymon. ubi supra.

SECTIO V. *Mactatio Paschatis.*

Paschales Agni in tribus Congregationibus mactabantur, הפסח נשחט שלש כתות. Hujus moris & praxis fundamentum quærunt in verbis hisce institutionis; *Totus cœtus Congregationis Israelis eum mactabit*: ubi quia tria sunt vocabula *Cœtus*, *Congregatio*, *Israel*, mactationem Paschatis in tres Congregationes dividebant.

Pesachin. Per 5.

Non pauciores esse debebant in unaquaque Congregatione triginta hominibus: attamen invenerunt rationem ex quinquaginta hominibus, si plures non essent, faciendarum trium triginta hominum Congregationum. Nempe ex illis quinquaginta viris triginta ingrediebantur Atrium, in quo solo licebat Pascha mactare; deinde cum Agnos suos mactaverant, decem ex iis exibant, & decem ex iis qui foris steterant ingrediebantur; quo iterum facto, dum Agni mactarentur semper aderant triginta.

Vide Gemar. ib. in Thalmude utroque. R. Solom. in Exod. 12. Maym. in Corban. Pesach. Per. 1. Gemar. Babyl. in Pesach. fol. 64.

Verum hæc cautio erat tantum necessitatis causa inventa, nempe si ejusmodi casus contineret ut essent tantum quinquaginta Agni offerendi, vel præsentes tantum quinquaginta viri; nam unaquæque Paschalis societas per unum tantum

ex

ex convivis mactandum mittebat Agnum, qui non mactabatur nisi ad minimum adessent quinquaginta ; sed plerumque unaquæque trium istarum Congregationum implebat Atrium.

Prima Congregatio ingrediebatur donec Atrium plenum esset ; postea Portæ claudebantur, & dum Agnorum mactatione occupati erant, Levitæ & Tubicines canebant. *Est Traditio*, ait *Hierosolymitanum Thalmud*, *Cum quotidianum sacrificium oblationem liquidam conjunctam haberet, tempore oblationis liquidæ tuba canebant : sed in Paschate quod non habebat liquidam oblationem, tuba canebant cum mactabatur*. Hoc etiam Scholia *Babylonici Thalmudis* disertius exprimunt. *In mactatione Paschatis vigesies septies canebant tuba, nam Pascha in tribus Congregationibus mactabatur*, &c.

Thalm. Hierosl.in Pesach. Per. 5.

Gloss. in Succah, fol. 54.

Hic porro Cantus qui fiebat inter mactandum Agnum, vocabatur *Hallel* הלל, ut Scholia ad eundem locum testantur ; & *Maymonides* fusius, *Toto tempore quo mactabant & offerebant, Levitæ recitabant τὸ Hallel : si absolverant τὸ Hallel, nec Congregatio perfecerat, iterabant illud ; & si secunda vice absolvissent, antequam Congregatio perfecisset, tertio id incoabant*.

Maymon. ubi supra.

In Judæorum Scriptis sæpissime mentio occurrit hujus *Hallel* seu *Hymni*, sic enim vertere possumus ex *Matth.* 26. 30. & distinguunt in *majorem*, & *minorem* seu *communem Hallel*. Posterius hoc vocant etiam *Ægyptiacum Hallel*, quia specialius canebatur in memoriam liberationis ex *Ægypto*, constabatque Psalmis 113. & sequentibus ad 118. inclusive. De quorum usu & electione tres aut quatuor eorum Traditiones afferemus.

I. *Hierosolymitanum Thalmud* habet hanc in Tractatu *Pesachin* narrationem. *R. Jacob Bar Aba nomine R. Jasa dixit, Vis est data voci Mosis, & vox ejus per totam Ægyptum ad iter quadraginta dierum pervenit. Et quid dixit ? Una Congregatio ex tali loco ad talem locum, & altera Congregatio ex tali loco ad talem locum. Et hoc mirari non debes : nam si pulvis, cujus non est natura eundi, dicitur ivisse per totam Ægyptum*, Exod. 9. 9. *multo magis potest vox diffundi, cujus est natura eundi. R. Levi dicit, Et quemadmodum vis data fuerat voci Mosis, ita etiam vis data est voci Pharaonis, quæ pervenit per totam Ægyptum ad iter quadraginta dierum. Et quid dixit ? Surgite, abite a populo meo ; nam uti tempore præterito fuistis Pharaonis servi, ab hoc tempore vos oportet esse servos Domini. Inde ea bora dicunt*, Laudate vos Dominum, laudate eum vos servi Domini, *Psalm.* 113. *nec amplius servi Pharaonis*.

Thalmud Hierosl.in Pesach. Per. 5.

II. *Maymonides* in suo Tract. *Megillah & Chanuchah*, seu de festo *Purim* & *Dedicatione*, dicit : *Consuetudo dicendi τὸ Hallel diebus primorum Sapientum sic erat: Princeps eorum qui debebat legere τὸ Hallel post recitatam precem sic incipiebat, Hallelujah ; & universus populus, respondebat, Hallelujah. Pergebat & dicebat, Laudate, servi Domini ; & populus respondebat, Hallelujah*, &c. *Et sic deinceps, donec respondissent centum viginti tribus vicibus, qui est numerus annorum Aaronis. Cum porro qui legebat venerat ad initium Psalmi cujuspiam, ut cum legebat*, Cum Israel exiit ex Ægypto ; *populus repetebat & dicebat*, Israel, &c. *Sed cum dicebat*, Et domus Jacob ab externo populo; *populus respondebat, Hallelujah ; & ita deinceps, donec venisset ad hæc verba*, Amo Dominum, quia audivit vocem meam, *quæ populus repetebat*, &c.

Maymon. in Megillah, &c. Per. 3. & Gloss. in Succ. fol. 38.

III. Hæc recitatio τȣ̃ *Hallel* creditur a Judæis instituta fuisse a Scribis ; & ratio ob quam hi Psalmi eligebantur, fuit quia inchoantur vel finiuntur per laudes Dei ; & quia non modo ingentia testimonia Dei benignitatis in *Israelem*, ut indicatur loco laudato *Hierosolymitani Thalmudis*, sed etiam varia alia maximi momenti continent : nam *Hallel*, ut ajunt, *quinque res memorat, exitum ex Ægypto, divisionem maris, legislationem, resurrectionem mortuorum, & sortem Messiæ*.

Maymon. ubi supra. Vid.Kimc. in 1. Paral.

IV. *Hoc Hallel dicebatur octodecim diebus in anno & una nocte, nempe dum mactaretur Pascha, festo Pentecostes, octo diebus festi Tabernaculorum, & octo diebus festi Dedicationis, & nocte Paschatis*. Cum ejus recitatione & τοῖς *Hallelujah* a populo repetitis confer *Apocal.* 19. 1. 3. 4. 6.

Thalm. in Pesach.fol. 118. Maymon. ubi supra, & Thalm. utrumque in Succah.

Præter hoc *Hallel*, quod *Ægyptiacum* vocabant, occurrit frequens mentio *Hallelis magni* הלל גדולה, de quo hæc historia habetur in Tract. *Thaanith*. *Constituerant festum in Lod*, (vel *Lyddæ*, Actor. 9. 35. idque propter pluviam qua maxime egebant) *& pluvia decidebat pro illis ante meridiem. R. Tarphon dixit ipsis. Ite, comedite ac bibite, & festum diem agite. Ibant, comedebant, bibebant, & veniebant vesperi, & recitabant magnum Hallel*. Postmodo observabimus, eos constanter inter comedendum Pascha *Hallel* vulgo sic dictum recitare solitos, & aliquando etiam *magnum* adjecisse. Cum agemus de tempore quo hoc recitabatur, tum quid fuerit *magnum Hallel* observabimus.

Thaanith Per. 3.

Jam, ut redeamus ad mactationem Paschatis, cum *Hallel* a Levitis tertia vice cantatum esset, plerumque absoluta erat mactatio, nec iterum Hymnum illum inchoabant. Itaque hæc verba quæ sæpe occurrunt apud Judæos de hoc argumento agentes, אם שנו שלושו אף על פי שלא שלשו מימיהם, debent sic exponi, *Si iterum cecinissent, tertio incipiebant, quamvis non absolverent tertiam vicem, in omnibus suis diebus*; nam priusquam absolvissent, absolutum erat negotium, & tum illi desinebant.

Pesach. Per. 5.

Cum prima Congregatio absolverat, exibat ex Atrio cum mactatis & pelle denudatis Agnis, (quomodo iis pellem detraherent mox observabitur) & aliquandiu manebat *in Monte Domus*. Hac eadem ratione reliquæ duæ mactabant Agnos suos.

Non modo mactabantur Agni in Atrio, sed etiam sanguis a Sacerdotibus adspergebatur, qui a mactationis loco usque ad Altare ordine stabant, & mactatorum Agnorum sanguinem alter alteri tradebant, qui sic sine ulla confusione ad Altare ocyus deferebatur, ubi supra Altaris basin effundebatur. Ii quorum erant Agni iis pellem detrahebant, quos ex vecte duorum virorum humeris imposito suspendebant, sibi vicissim id officii præstantes. Detrahebant viscera, excrementisque ablutis, ea disco imponebant, saliebant & in ignem Altaris conjiciebant. Denique expeditis tribus hisce Congregationibus, Sacerdotes, quod valde necessarium erat, Atrium abluebant.

Si Paschatis mactatio incideret in diem Sabbati, non abstinebant tamen ab ullo horum operum, nequidem ab Atrio abluendo; habebant enim Axioma a Traditione: שאין אסור שבות במקדש, *Nulla est probibitio circa quietem Sabbati in Sanctuario:* h. e. ad quietem ad cujus observationem alii tenebantur, Sacerdotes in Templo obstrictos non fuisse: quo respicit Servator, *Matth.* 12. 12. Jam autem quamvis interficerent, excoriarent, atque aperirent Paschales Agnos die Sabbati, non licebat tamen eos in hospitia *Hierosolymam* deferre nisi exacto Sabbato. Sed cum prima Congregatio quod agendum habebat in Atrio absolverat, exibat & morabatur in Monte Domus; secunda egressa stabat ἐν τῷ *Chel*; & tertia in Atrio manebat ad finem usque Sabbati, quo exacto, ad societates suas Agnos deferebant. Cujus rei ratio hæc fuit, quia mactatio & oblatio Paschatis nitebantur diserto Legis præcepto, quo certum tempus iis constitutum erat, quod prætermittere non licebat, quamvis esset dies Sabbati; sed portatio Agni in hospitium non adeo urgebat, quin posset differri donec Sabbatum finitum esset.

CAPUT XIII.

Ritus Judæorum in comedendo Paschate.

EST quidem extra fines quos nobis præscripsimus, id quod populus domi agebat redux e Templo, intra cujus ambitum hanc nostram dissertationem continere voluimus: attamen quia comestio horum Agnorum tam sanctus erat ritus, & historia ultimi Paschatis a Domino observati, omnium animos convertit ad considerationem rituum qui tum adhibebantur, non dubito quin lector facile hanc mihi condonaturus sit digressionem, in qua magnæ illius cæremoniæ circumstantias varias & multiplices sigillatim referam.

Thalmud, in Pesach. Per. 7.

I. Ut omittamus in torrendo Agno supervacaneos ritus, ut quod eum veru ex ligno mali granati transfigerent, quod in os immissum per posteriora exibat, primam circumstantiam quæ in ejus comestione occurrit haurire possumus ex hac Traditione: ערבי פסחין סמוך למנחה לא יאכל אדם עד שתחתך, *Vesperi statim a Mincha, nemo comedet Pascha, donec tenebrescat*. Hinc duo discimus. Primum, Paschale convivium initum non fuisse ante noctem: quæ consuetudo videtur niti Lege quæ præcipit *comedi carnem Agni ea nocte*, Exod. 12. Ita etiam debent intelligi verba hæc, *cum venisset vespera*, sedit cum duodecim Discipulis, in historia Paschatis a Servatore observati. Secundo, eos jejunasse per aliquantulum spatium antequam ad convivium accederent. *Circa tempus Minchæ*, ajunt Scholia in hanc Traditionem, *significat paulo ante vespertinum sacrificium, & ab eo tempore non licebat quicquam edere, ut possent edere Azymum panem præceptum cum appetitu, in honorem præcepti.*

Ib. Per. 10.

R. Alphes & R. Solom. & R. Sam. in locum.

Thalm. ubi supra. Gemar. Hierof. in Pesach. in loc.

II. Non comedebant Pascha nisi sedendo: עני שבישראל לא יאכל עד שיסב, *Ne pauperrimus quidem Israelis comedet donec sederit. R. Simeon* (*in Hierosol. Gemara*) *nomine R. Josua filii Levi dicit, Licet quantitas carnis ad magnitudinem olivæ accedens sufficeret ad observandum præceptum ei qui Pascha comedere debebat, hunc tamen oportuisse sedentem comedere* מיסב: hinc dicitur *Jesus sedisse* cum duodecim Discipulis. Porro non sedebant tunc temporis, quemadmodum mensæ assidemus hodie, aut quemadmodum ipsi alias sedere solebant; sed peculiarem tum corporis

ris statum observabant. Attamen solent de eo loqui quasi sederent. *Quam differt,* inquiunt, *hæc non ab omnibus aliis noctibus? nam omnibus aliis noctibus comedimus* בין יושבין בין מסובין, *aut sedentes, aut jacentes; sed hac nocte omnes sedemus jacentes*. Hic duæ voces יושבין & מסובין, quæ significant *assidere mensæ*, in tam diversa notione sumuntur, ut sibi invicem opponantur. Simili modo opponuntur in Tract. *Berachoth: An assidebant mensæ* היו ישבין*? Unusquisque gratias agebat pro se.* היסבו *An jacebant? Unus gratias agebat pro omnibus. R. Nathan* putat discrimen quod intercedit inter duas hasce voces in horum alterutro situm esse, quod היסבו significet sedentes in orbem circa cibum; sed ישבו significare unumquemque recta linea sedisse. *Vel hæc altera interpretatio*, inquit, *potest afferri, eos sedisse propter aliquod aliud negotium,* (non proprie cœnandi causa) *& cibus tum ipsis apponebatur, ut unusquisque pro seipso gratias ageret. Sed* היסבו *significat eos sedisse eo animo ut comederent, non alterius cujuspiam negotii causa; & tum unus pro omnibus gratias agebat*. Verum apparet ex *Maymonide*, aliisque *Thalmudistis*, discrimen fuisse in ratione sedendi, non in occasione. *Ratio sedendi quæ vocatur* היסבה *Hajesibba, non requiritur a muliere; sed si sit mulier nobilis, tum ab ea requiritur. Atque hæc ratio sedendi requiritur in Paschate a filio coram patre, & a servo coram hero; sed Discipulum coram Doctore non oportet sedere, nisi Doctor hoc ei permittat. Status autem corporis jacentis in latus dextrum, aut in collum, aut in faciem, non est hic corporis status*. Sed jacebant in latus sinistrum, ut ipse alibi significat, ubi dicit: *Oportet eum exhaurire calices suos vini jacentem in latus sinistrum*. Thalmudici Scholiastæ sic breviter statum illum corporis describunt: במיטה ועל השולחן, *in lecto & ad mensam*.

Maym. in Nos. Hag.

Berachot, Per. 6.

Aruch in סוב.

Maym. in Hhamets umats.

Vulgo mensæ in lectis jacentes accumbebant, & in aliis quidem conviviis sedebant ut nos sedemus erecto corpore; vel cum liberius convivari volebant & expeditiores esse, insidebant lectis, & cubito sinistro mensæ imposito jacebant, atque hoc statu corporis, aut quovis alio indifferenter utebantur. Sed nocte Paschatis putabant se teneri cœnare eo jacentium statu; cujus rei hanc rationem reddunt ipsi: *Utebantur hac* היסבה*, seu hoc jacentis statu, in memoriam libertatis suæ. Et R. Levi dicit, Quia mos est servorum stantes comedere, ideoque nunc edunt* מסובין *sedentes & jacentes, ut ostendant se esse ex servitute assertos in libertatem*. Et alibi: *In unaquaque generatione tenetur unusquisque se gerere in Paschate, quasi ipse liberatus fuisset ex servitute Ægypti*, &c. *Ideoque inter cœnandum ea nocte tenetur edere, bibere, sedere in statu libertatis*.

R. Solom. in Pesach. Per. 10. Thalm. Hieros. ib. in Gemara.

Mishnah ibid. & Maymon. ubi supra.

Propter hanc rationem alias sæpe eo modo discumbebant, sed necessario ad eum tenebantur ea nocte; qui tamen corporis status valde differebat ab eo qui præceptus & observatus fuerat primo Paschate in *Ægypto*, quo ederunt *renibus cinctis, pedibus calceis indutis, scipionibus in manu, & festinanter*, Exod. 12. 11. Atque uti putabant libertati suæ convenire ita jacere, quiescere, cubitoque capite subnixo mensæ secure incumbere; ita etiam ut idem expressius significarent tibias ita disponebant, ut iis insiderent pedibus a tergo prominentibus, ut *Luc.* 7. 38. & quantum poterant eum statum corporis observabant qui remotissimus esset a servorum ministeriis paratorum statu, & libertati quam maxime conveniret. Ex hac consuetudine accumbendi interpretabimur locum illum de dilecto *Jesu* Discipulo, *qui in gremio Jesu jacebat*, Joann. 13. 23. & *ad pectus Jesu*, Joann. 13. 25. & 21. 20. est enim manifesta differentia in phrasibus Græcis, ἀνακείμενος ἐν κόλπῳ, & ἐπιπεσὼν vel ἀναπεσὼν ἐπὶ τὸ στῆθος: quod cum Translationes quædam neglexerint, aut non expresserint, lectori crassas injecerunt cogitationes, *quasi Joannes in ipsius sinu contra omne decorum sterteret, ut ab imperitis pingi accubitus ille consuevit*. Sed hac ratione discumbebant. *Jesus* mensæ incubabat capite sinistro cubito suffulto, facie & pectore a mensa ad latus obversis; *Joannes* vero secundum *Jesum* eodem corporis statu discumbebat, dorso obverso *Jesu* pectori vel gremio, cui tamen adeo vicinus non erat ut dorso tangeret pectus *Jesu*, sed tanto intervallo relicto, quanto opus erat *Jesu* ut posset commode dextera uti, eaque cibos in mensa appositos sumere. Reliqui eodem modo discubuerant. Hoc in negotio sine ulla ratione quidam existimarunt eos in longa serie lecto ita incubuisse, ut alter alterius pectori inniteretur; aut si accubuerunt mensæ ita densos discubuisse, ut unius dorsum alterius pectus tangeret, quod obstitisset quominus uti possent manu ad capiendos cibos. Relicta erat inter eos commoda distantia, ac Discipulus Domino amatus admodum proprie dicitur jacuisse in ejus gremio, quia jacebat ante pectus ejus, ita ut quotiescunque *Christus* brachium attolleret, intra ejus, ut ita dicam, amplexum esset. Sed cum *Petrus* ei signo innuit ut quæreret quis futurus esset proditor

Vide Bez. in Joann. 21.

ditor, tum ἀνέπεσεν ἐπὶ τὸ ϛῆθος, ita dorſo incubuit, ut ejus humeri pectori *Jeſu* inniterentur; qui ſtatus corporis commodiſſimus erat ad colloquendum ſubmiſſa voce.

III. Poſtquam ita diſcubuiſſent, unuſquiſque calicem vini bibebat, ut diſcimus ex eorum Libris Ritualibus. *Ordo obſervandarum rerum in decimam quintam noctem præceptarum*, ait *Maymonides*, *hic erat, primo miſcebant calicem unicuique, & unus gratias agebat, ac bibebant*. Qua in re ſequitur Thalmudicum textum, qui in Tractatus *de Paſchate*, loco ſupra in margine citato, idem refert eodemque ordine.

Maymon. ubi ſupra. Per. 8.

Inter varios cibos qui una comedebantur cum Agno Paſchali, de quibus ſuo ordine loquemur, præcipui erant *panis* & *vinum*, quæ hoc in negotio quanti facerent hac in re oſtendebant, quod quomodocunque in reliquo convivio corpus diſpoſuiſſent, inter bibendum vinum & comedendum panem neceſſario ratione deſcripta (quæ emblema libertatis fuit) ſe componebant. Hoc docet Scriptor modo laudatus in hac Traditione: אימתו צריכין היסבה כשע׳אכילת כזית מצה ובשתיית ד׳ כוסות, *Quando neceſſarium eſt eos uti Hajeſibba? Eo ipſo tempore quo comedunt azymum panem ad magnitudinem olivæ, & bibunt tres ſuos calices vini. Reliquo tempore convivi cum alia ederent aut biberent, ſi eo corporis ſtatu jacerent, hoc quidem laudabile erat, ſed ad Paſchatis eſſentiam non pertinebat*. Quod Gemariſtæ & Scholia ita interpretantur: *Panis azymus requirit Hajeſibbam, ſed herbæ amaræ non requirunt*: מרי לה תרי כסי קמאי צריך היסבה תרי כסי בתראי לא צריך, *Dicunt enim de hac re duos priores calices requirere Hajeſibbam, duos poſteriores non item*.

Id. ibid. Per. 7.

Gloſſa, ib.

Diſerto mandato tenebantur ad comeſtionem panis azymi hoc tempore, *Exod.* 12. 18. ſed potum vini adjecerunt generali principio nixi: *Quia oportebat virum laute excipere uxorem & liberos ut in hoc convivio hilares eſſent. Qua autem re eos exhilarabat? Vino*. Atque adeo erant in hoc negotio ſeveri, *ut vel pauperrimus Iſraelis teneretur bibere quatuor calices vini hac nocte*, etiamſi eleemoſynis victitaret: ac *ſi non poſſet aliter tantum vini ſibi comparare, vel ſi ſatis eleemoſynarum non acciperet ad habendos quatuor calices, oportebat eum vendere vel oppignerare tunicam ſuam, aut operam ſuam conducere pro quatuor vini calicibus. Gemariſtæ* inquirunt quare quatuor calices requirantur potius quam alius numerus? atque rem ita dirimit *Hieroſolymitanum Thalmud. Quodnam eſt fundamentum quatuor calicum? R. Jochanan nomine R. Benajah dicit, Ut pari numero ſint cum verbis quæ adhibentur in Iſraelis redemptione*: והוצאתי והצלתי ונאלתי ולקחתי, *Et eduxi, & liberavi, & redemi, & ſumpſi. R. Joſuah filius Levi dicit, Ut pares eſſent numero calicibus Pharaonis, de quibus in hiſce locis*: Pharaonis calix erat in manu mea, &c. *Geneſ.* 40. 11. *R. Levi dicit, Ut eſſent pares numero quatuor Monarchiis*, Dan. 7. *Et noſtri Rabbini dicunt, Ut eſſent pares numero quatuor calicibus ultionis quos ſanctus benedictus Deus propinabit Gentibus mundi*. Vide *Jerem.* 25. 15. & 51. 7. *Pſalm.* 75. 9. *Pſalm.* 11. 6. *Similiter Deus propinabit Iſraeli quatuor calices conſolationis*, *Pſalm.* 16. 5. & 23. 5. & 116. 13.

Thalm. Hieroſ. ubi ſupra.

Thalm. Hieroſ. ubi ſupra. R. Sam. ibid.

Thalm. Hieroſ. ubi ante.

In hiſce quatuor vini calicibus ſedulo obſervabant certam quandam menſuram & mixturam. *Proportio vini non poterat* minor eſſe רובע רביעית, decima ſexta parte Hini, præter aliquantulum aquæ quod miſcebatur; ſi enim non admiſcuiſſent aquam, credidiſſent aliquid eſſe omiſſum in recta hujus cæremoniæ obſervatione: ארבע כוסות האלו צריך למזוג, *Hoſce quatuor calices*, ait Auctor in margine laudatus, *oportebat neceſſario miſceri*. Thalmudicus Titulus ubi de hoc ritu agitur, quotieſcunque loquitur de quopiam ex quatuor hiſce calicibus vini delato ad eum qui inſerviebat ἐν τῇ *Haggadah*, utitur hac phraſi: מזוגין לו *Ipſi miſcebant*. Eſt inter eos Axioma receptiſſimum quod a *Rabb* in Gemara traditur: שתאן חו ידי יין יצא ידי חירות לא יצא *Quicunque bibit quatuor hoſce calices ex mero, officio quidem functus eſt circa potum vini, ſed non functus eſt circa libertatis ſignificationem*: neque enim temperabant vinum ſobrietatis cauſa, æque ac ut vinum gratius redderent. Atque hæc ratio a *Maymonide* affertur, cum dicit *Vinum oportere miſceri, nempe ut ejus potus gratior eſſet, & quidem juxta generoſitatem vini, atque animum potoris*. Itaque ſignum aliquod libertatis ſe tum putabant edere, quam tunc temporis oſtentare conabantur bibendo vinum mixtum, quod gratius erat.

Maym. in Hhametsumatſ. Per. 7. & Gloſſ. ibid.

Peſachin. ubi ſupra.

Cum ad eos ferretur primus quatuor calicum poſtquam diſcubuiſſent, unus ex ſocietate (Paterfamilias ſi unica eſſet familia; vel ſi plures eſſent, idoneus aliquis eam in rem electus quem vocabant קורא הגדה, *Recitatorem Haggadæ*, vel verborum Paſchalium) gratias agebat ſupra vinum, & id exhauriebat. Gratiarum actio vinum & diem reſpiciebat. Scholæ *Hillelis* & *Shammai* diſceptabant

de

de horum duorum ordine, utrum nimirum antecedere deberet. Sed quodcunque prius esset, (neque enim operæ pretium est istam disputationem prosequi) ita erat concepta gratiarum actio de vino: *Benedictus esto tu, o Domine, qui creasti fructum vitis*; & ad diem quod spectat, hæc adhibebantur verba: *Benedictus esto propter hanc bonam diem, & propter hanc sanctam convocationem, quam dedisti nobis ad lætitiam & recreationem. Benedictus esto tu o Domine, qui sanctificasti Israelem & tempora.*

Thalm. in Berachoth Per. 6. Maym. in Birk. Maz.

IV. Deinde unusquisque convivarum abluebat manus; in quem ritum Recitator *Haggadæ* hæc dicebat verba: *Benedictus esto tu, o Domine Deus noster, qui sanctificasti nos præceptis tuis, & præcepisti nobis ablutionem manuum.* Solebant hac nocte bis manus abluere, cum alias semel tantum manus abluerent; ac debebant extraordinarios hosce ritus observare, & de iis colloqui dum cœnarent, utentes hisce verbis inter alia: *Quantopere differt hæc nox ab omnibus aliis noctibus! aliis enim abluimus tantum semel, hac vero bis.* Utuntur voce מטבילין *mergentes*, ad exprimendam hanc manuum ablutionem, hac enim ratione tunc se abluebant. Tractatus *Jadajim*, & *Thosaphta* ibi nos docent duplicem eos habuisse abluendarum manuum rationem, *Netisa*, & *Tebilah*, vel affusa manibus aqua, vel immissis manibus in aquam. Atque duas hasce ablutiones, præter allatum, duobus discriminibus distinguunt *quod qui immisisset manus in aquam non teneretur eas exsiccare, cum teneretur qui aquam iis affuderat: hunc oportebat attollere manus, ita tamen ut aqua non deflueret supra ejus carpum, nec in manus rediret ne eas immundas redderet*: (sed guttatim decidebat, quod vocatur πυγμῇ νίψαι, *Marc.* 7. 3.) *Sed qui immiserat manus suas in aquam non opus habebat eas tollere*, &c. Hic dicebatur מטביל את ידיו, *immergens manus suas*; qui effundebat aquam in manus. נוטל את ידיו, *lavans manus*: attamem sæpe utraque hæc ablutio eodem nomine appellatur נטילת ידים, *Netillat jadajim.*

Id. in Hha. mets, &c. ubi ante.

Thalm. in Jadajim, Per. 2. Thosapht. ibid.

V. Postquam abluerant, dapes in cœnam paratæ mensæ imponebantur, erantque variorum generum; nam præter Agnum Paschalem, & panem azymum, & amaras herbas, quæ diserte comedi præceperat Deus, ad minimum duas alias patinas habebant, aliquando tres, quas ex Traditionis præscripto adjecerant. Omnes hasce patinas sigillatim lustremus.

I. Erant duo vel tres placentæ azymi panis, de numero enim non constat, quarum comestionem adeo necessariam existimabant, ut infantes & ægri ad eam tenerentur; qui si non poterant siccum panem deglutire, liquore aliquo eum imbuebant, ut tantum saltem quanta est oliva comederent. Sani vero & valentes per totam diem non multum debebant comedere, ut possent vesperi azymum avide deglutire, & multi quidem propterea per totam diem jejunabant. Abstinere præsertim eos oportebat ab azymo, ut in Paschali cœna eum orexi comederent; qui secus fecisset, *Rebellionis Verberibus* obnoxius erat.

Vid. Glos. ad Maym. ubi ante.

II. Herbæ quibus utebantur erant quinque generum: חזרת *Lactucæ*, עלישין *intyba*, תמכא *cichoreum*, הרחבינה *beta*, מרור *marrubia*, aliæque similes, quarum quædam oxybapho aptæ, aliæ amaræ. Poterant esse aut virides aut siccæ, sed neque elixæ, neque sale conditæ. Generalis & genuina ratio ritus hujus erat, ut in memoriam revocarent amaram servitutem quam in *Ægypto* servierant. Sed conjectura cujusdam *Hispani* Judæi quem citat *Aben Ezra*, singularitate sua digna est quæ huc transferatur. *Unus*, inquit, *ex Sapientibus Hispaniæ dicit, Optime notum est humiditatem magnam esse in terra Ægypti propter aquas fluvii; & quia non habent ibi pluvias, ideo aer perpetuo est humidus. Quod cum ita sit, solebant in omnibus pastionibus edere herbas amaras & sinapi. Et quamvis Ægyptius habuisset tantum unum frustum cibi, habebat tamen semper in mensa herbas amaras in quas immitteret cibum suum, quod erat remedium contra aeris humiditatem. Sed adhærebimus judicio Veterum Patrum nostrorum, qui exposuerunt nobis hasce herbas amaras esse memoriale istius loci*, Faciebant eorum vitas amaras, *Exod.* 1.

Vide R. Salom. in Exod. 12.

Ab. Ezr. in Exod. 12.

III. Paschalis Agnus tostus apponebatur; femora, viscera, ut cor, jecur, &c. a quibusdam putantur corpori immissa una cum eo tosta fuisse: sed alii aliqua ratione corpori annexa fuisse existimant, adeo ut extra eum torrerentur.

Pesach. ubi supra.

IV. Præter tres hasce patinas panis, carnis & oxybaphi, a Lege diserte præscriptas, quosdam alios cibos apponi sibi curabant, priusquam inciperent Paschalem Agnum comedere, ut ad satietatem usque ederent. Putabatur enim esse *præceptum, ut quisque ex Paschate comederet ad satietatem; ideoque si quis pacificas oblationes decima quarta die obtulisset, ex iis primum comedebat, & postea comedebat carnem Paschatis, ut ea se satiaret. Tum si non amplius comedisset quam quanta est oliva, officio suo functus erat. Hæ decimæ quartæ diei oblationes pacificæ* ita voca-

Maym. in Corban. Pesach. Per. 8.

vocantur, ut distinguantur a pacificis *Hagigæ*, vel hilaritatis festi; ad hasce enim oblationes Lege tenebantur, & ordinarie debebant offerri post comestionem Paschatis: illæ vero erant gratiarum actionis & votorum causa, aut oblationes spontaneæ, quas in hoc tempus offerre differebant, ut postquam Altare & Sacerdotes quod suum erat acceperant, aliquid haberent quo convivium Paschale inchoarent. Itaque hic erat discus unus præter eos qui a Lege fuerant præscripti. *Thalmudici* duas alias memorant patinas, quæ si Templo stante adhibebantur, videntur fuisse loco oblationum pacificarum in iis societatibus a quibus nullæ oblatæ fuerant. Vocabant has patinas, שני תבשילין, *duas eli xas dapes*. *Mishnah* in eo Capite Tractatus *Pesachin* toties laudati, habet: *Apponebant ipsi panem azymum amaras herbas, charoseth & cibos elixos in duabus patinis*; nec distinguit harum tempus ab aliarum tempore quas simul memorat, licet distinctum esset sine dubio iis temporibus de quibus loquimur. In *Gemara* hanc in rem sunt hæc verba: *Est præceptum apponere ipsi herbas amaras, azymum, & duos cibos elixos. At hi duo cibi elixi quinam erant? R. Hona dicit, Jusculum & orysa. Ezechias dicit, Pisces & ova. R. Joseph dicit, Duo genera carnis requirebantur, unum in memoriam Paschatis, alterum in memoriam Hagigæ*. Cum hoc postremo consentit *Maymonides*, nam utitur iisdem verbis; sed addit, בזמן הזה, *Hoc tempore mensæ imponebant duo genera carnis*, &c. quibus verbis innuit dubium esse an hæc consuetudo Templo stante obtineret, an vero postea invecta fuerit. Rem anxie non investigabo. *Thalmudici*, quantum video, & Legis periti putant eam Templo stante obtinuisse; nec videtur *Maymonides* verbis allatis tam significare post excidium Templi hanc consuetudinem invectam fuisse, quam tunc temporis libenter alias patinas non apposuisse Judæos. Nam dum stetit Templum, pacificæ oblationes erant in usu, & adhibebantur in Paschali cœna, duo vero cibi elixi tum apponebantur cum prorsus carebant pacificarum victimarum carne, quod rarum erat. Sed postea ubi nullæ amplius fuerunt oblationes; coacti fuerunt duas hasce patinas adjicere. Lector ipsum adeat in *Hhamets*, &c. Per. 8. neque enim res est tanti, ut multum intersit quæ verior videatur sententia.

Aruch in חרוסת. Maymon. Corb. Pesach. Per.

V. Habebant etiam patinam cujus crassum erat condimentum, quam vocabant חרוסת, *Charoseth*, plenam dulcibus & amaris cibis, ut *dactylis*, *ficubus*, *uvis*, *aceto*, &c. in memoriam argillæ quæ eorum Patres in Ægypto occupaverat. *Utebantur Charoseth*, ajunt *Thalmudici*, *quamvis præceptum non esset. R. Eliezer ex R. Zadoko ait, est præceptum. Præceptum; quare? R. Jochanan dicit, Est in memoriam argillæ, ideoque miscent varia genera dulcium & amararum rerum cum aceto, ut argilla ex omni rerum genere mixta erat*. Patina in quam *Christus* immisit frustum quod *Judæ* porrexit, a multis creditur fuisse hoc condimentum *Charoseth*; quod admitti facile posset, si probatum fuisset eam cœnam Paschalem fuisse; quod affirmatum quidem est, sed nunquam probatum.

8. Haggadah Shel. Pesach.

Maym. in Hhamets, ubi supra.

VI. Mensa instructa, Recitator *Haggadæ* aliquantulum ex herbarum oxybapho sumebat, & postquam benedixerat Deo propter creationem fructuum soli, in aliquam patinam (quæ fuerit non constat) id immittebat & ad minimum olivæ magnitudinem comedebat; quod faciebant & reliqui convivæ. Hæc autem immersio & comestio herbarum non censebatnr illa comestio herbarum amararum quam Lex præcipit, ideoque tantum adhibebatur hic ritus ut pueri mirarentur extraordinarium hoc convivii initium, & excitarentur ad quærendum unde ortum duceret. Utque admiratione magis percellerentur convivæ, vix hoc oxybaphum degustaverant, cum omnes patinæ statim amovebantur a Recitatore, & secundus calix vino plenus ipsi offerebatur. Hic pueri rituum rationem inquirere incipiebant; vel si non essent liberi, uxor percunctabatur: sed nemine interrogante, sponte ita ordiebatur: *Quam hæc nox differt ab aliis omnibus noctibus! Nam aliis omnibus fermentatum & azymum panem ex æquo comedimus; hac vero tantum azymum. Omnibus aliis comedimus quaslibet herbas, hac vero herbas amaras: Aliis omnibus comedimus carnem aut tostam, aut in operta olla coctam, aut elixam; hac vero tantum tostam. Omnibus aliis semel tantum manus lavamus; hac vero bis. Omnibus aliis edimus aut sedentes, aut jacentes, prout videtur, hac vero jacentes sedemus*. Tunc juxta ætatem pueri eum alloquebatur. Si esset valde juvenis, nec posset res paulo difficiliores intelligere, ei dicebat: *Eramus omnes servi ut hæc ancilla vel servus qui adstat; sed hac nocte Deus nos redemit & in libertatem asseruit*. Sed grandiori puero, & reliquis convivis narravisset omnia miracula in *Ægypto* facta, & rationem liberationis, & omnia Dei in Gentem beneficia, ut paucis docent *Thalmudici*: מתחיל בענות ומסיים בשמח ודורש מארמי אובר אבו עד כל

Gloss. ibid.

Pesach. ubi supra.

כל הפרשה כלה, *Incipiebat ab eorum calamitatibus, & exponebat ab eo loco,* Syrus periturus erat Pater meus, *usque ad finem Sectionis*; hoc est, juxta Scholia, ab Idololatria *Terah*, & tempore quo Patres eorum erant trans flumen; deinde narrabat eorum servitute in *Ægypto*, miracula in eorum liberationem facta, Legislationem a Deo, & consecrationem *Israelis* in populum Dei; præsertim immorabatur *Deuter.* 26. 5. 6. locumque fusius deducebat, & qui prolixior erat majorem laudem accipiebat.

Ibid. Tum patinæ quæ ab eo remotæ fuerant, iterum apponebantur, & dicebat: *Hoc est Pascha quod edimus, quia Dominus transiit supra domos Patrum nostrorum in Ægypto.* Et manu herbas amaras attollens: *Hæ sunt*, inquiebat, *amaræ herbæ quas comedimus, ut recordemur Ægyptios vitas Patrum nostrorum in Ægypto amaras fecisse.* Et manu similiter azymum tollens: *Hic est azymus panis*, inquiebat, *quem concedimus, quia massa Patrum nostrorum non habuit tempus fermentandi, antequam Dominus seipsum revelaret, & nos redimeret a manu Ægyptiorum. Ideoque tenemur ei gratias agere, eum glorificare, laudare, extollere, honorare, magnificare qui fecit propter Patres nostros & propter nos omnia hæc miracula, qui nos a servitute ad libertatem, a tristitia ad hilaritatem, a luctu ad festum, a tenebris ad magnam lucem, afflictione ad redemptionem transtulit. Ideoque nos oporret ei dicere Hallelujah, Laudate Dominum, laudate servi Domini, laudate nomen Domini,* &c. Inde recitabat 113. & 114. Psalmos, & hac oratione claudebat recitationem: *Benedictus esto, o Domine Deus noster, Rex æterne, qui redemisti nos & redemisti Patres nostros ex Ægypto, & deduxisti nos ad hanc noctem ad edendum azymum panem & amaras herbas.* Tunc ille & tota societas secundum vini poculum bibebant.

Maym.ubi supra. VII. Hoc peracto, iterum manus abluebat, recitata brevi illa oratione de qua antea. Deinde capiebat duas azymas placentas, alteramque in duo frusta fractam integræ imponebat, additis gratiarum actionibus ad Deum *qui educit panem ex terra.* Non εὐλογήσας ἔκλασε, gratiis actis frangebat; (juxta ordinem quem *Christus* observat *Matth.* 26. 26. *Marc.* 14. 22. *Luc.* 22. 19. 1. *Corinth.* 11. 24. tum enim *Christus* ulterius in cœna processerat quam jam processimus) sed κλάσας εὐλόγησε, post fractionem gratias agebat. Neque enim poterat juxta Judæorum Traditionem integris, sed tantum fractis placentis gratias agere; cujus rei hanc rationem reddunt, quod esset panis paupertatis & afflictionis; pauperes autem non habeant integrum panem ad gratias agendas, sed satis habent eas agere super fragmentis. Hinc originem ducere videtur phrasis *Panem frangere.*

Hic non prosequar disputationem quæ inter Hebræos Scriptores de numero harum placentarum, an essent duæ vel tres: quidam enim stant pro uno ex hisce numeris, ali pro altero. Crediderim utramque sententiam esse veram, modo de variis temporibus statuatur: nam ante Templi excidium, de qua ætate jam agimus, duæ tantum erant in usu, ut potest ex optimis ævi monumentis colligi; sed posterioribus temporibus, seu respicerent triplicem Gentis divisionem, in Sacerdotes, Levitas & Laicos, seu tres placentas quas captivus liberatus propter libertatem suam offerre tenebatur, *Israel* autem Paschate ex servitute liberatus fuerat. Majoris est momenti breviter inquirere quid vocarent אפיקומן, *Aphicomen*: circa quam vocem duas contrarias sententias ab Hebræis defendi credi possit. *Misnah* Thalmudica hanc habet Traditionem: אין מפטירין אחר הפסח אפיקומן, *Non dimittebant societatem post Pascha cum Aphicomen.* Attamen pervulgatum est intes eos dictum: אחרת פורס לשנים ושאר חצית לאפיקומן *Frangebat unam placentarum in duo frusta, & dimidiam relinquebat ad Aphicomen.* Verum hæc ἀντιφωνία inter duo hæc Axiomata conciliabitur, si referantur ad diversa tempora, quemadmodum antea ad numerum placentarum quod attinet fecimus. Vox *Aphicomen* in eorum dialecto significat ultimam patinam quæ ipsis in conviviis apponebatur refertam nucibus, pomis aliisque bellariis quibus claudebant cœnas suas cum videbatur; sed talibus non utebantur in cœna Paschali: cujus rei ratio erat, quia ultimum cibum sibi esse volebant Paschalis Agni carnem, qui tanquam præcipuo cibo convivium clauderent. *Postremo*, ait *Maymonides*, *edebat carnem Paschalis Agni ad minimum magnitudine olivæ, & postea nullum prorsus degustabat cibum. Sed nunc edit ex pane azymo ad magnitudinem olivæ, & nihil postea degustat*: hoc est, dum Templum stabat & habebant Paschales Agnos quos comederent, hic erat ultimus cibus quem degustabant; sed posterioribus temporibus, cum non uterentur Agnis, claudebant convivium azymo pane loco Agni, & postea nihil poterant edere. Idem in sequentibus confirmat hisce verbis. *Est ex verbis Scribarum*,

Vid. Maymon. ubi supra. Vide Buxtorf. Lex. Thalm. in אפיקמן. Gloss. in Maym. loc. cit.

Pesach. Per. 10. Halac. 8.

Gloss. in Maym. ubi supra.

rum, quod nihil edunt post azymum, nec crustula, nec nuces, nec quicquam simile; sed si comedant azymum panem, & postea alios cibos, aut fructus, eos oportet redire & comedere azymum postremum ad magnitudinem olivæ, atque ita claudunt cœnam.

Cum omnium postremus azymus panis comedebatur, fractæ in duas partes placentæ pars asservanda cuipiam ex societate tradebatur πρὸς τὸ *Aphicomen*, seu ultimum frustum : ונותנה תחתה מאה, *& eam mantili supponebat*. Sed & altera dimidia pars, & (si illa satis non esset) altera etiam placenta asservabatur. Si vero non asservarent τὸ *Aphicomen*, Præses convivii, seu *Haggadæ Ricitator*, frustum sumebat, idque involvebat herbis amaris, & in crassum condimentum immittebat, ac gratias agens, *Benedictus esto*, inquiebat, *tu, o Domine Deus noster, Rex æterne, qui sanctificasti nos præceptis tuis, & præcepisti nobis comestionem azimi panis* : quibus dictis edebat, ut & reliqui convivæ. Est aliqua disceptatio inter Traditionis Magistros, utrum panis & herbæ deberent separatim comedi, an vero simul convoluta; & memorant quidem aliquem hac de re dissensum inter *Hillelem*, ejusque sequaces : sed controversiæ diremtio nullius est momenti. Si ea separatim edebant, separatim gratiæ agebantur; si simul, gratiarum actiones memoratæ sufficiebant.

Maym. ubi ante.

VIII. Postea veniebant ad comestionem carnis, cum eo usque nihil comedissent præter panem & herbas. Primum Præses convivii gratias agebat : *Benedictus esto tu, o Domine Deus noster, Rex æterne, qui sanctificasti nos tuo præcepto, & præcepisti nobis comedere sacrificium*. Hac recitata oratiuncula, comedebant decimæ quartæ diei *Hagigam*, aut pacifica quæ ea die obtulerant, & hisce quidem constabat præcipua pars convivii. Deinde iterum gratiæ agebantur : *Benedictus esto tu, o Domine Deus noster, Rex æterne, qui sanctificasti nos tuo præcepto, & præcepisti nobis comestionem Paschatis*. Tum comedebant carnem Paschalis Agni, unusquisque ad minimum magnitudinem olivæ : quo peracto, Præses iterum manus abluebat, & gratias, quasi post cœnam, agebat super tertio calice quem hauriebant hoc tempore. Atque hoc in momento contigit prima actio *Christi*, de qua mentio fit postremo ejus Paschate. *Matthæus* & *Marcus* quidem meminerunt ejus verborum dum ederent : *Unus vestrum prodet me*, &c. *Imo unus ex duodecim qui mecum manum in discum immittit*, &c. *Matth.* 26. 21. ad 25. *Marc.* 14. 18. ad 21. (hoc omnino videtur factum eo tempore quo azymum & amaras herbas immiserunt in crassum condimentum *Charoseth*) Et *Lucas* refert etiam hæc verba, *Desiderio desideravi comedere hoc Pascha vobiscum*, &c. *Luc.* 22. 15. 16. sed prima ejus peculiaris actio cujus mentio fiat, est quæ habetur *Luc.* 22. 17. Hic erat tertius calix Cœnæ; sed est præterea alius cujus mentio postea in eadem historia occurrit.

Id. ibid.

Traditiones Judæorum quod hoc in tempore in convivio fiebat sic exprimunt : ואחר נוטל ידיו ומברך ברכת המזון על כוס שלישי ושותהו, *Et postea* (cum comederat carnem Agni Paschalis) *abluebat manus suas*, & *recitabat benedictionem cibi* (seu quasi post cœnam gratias habebat) *super tertio calice, & hunc exauriebat*; vel brevius : מזגו לו כוס שלישי ומברך על מזונו, *Miscebant ei tertium calicem, & gratias agebat super eo.*

Id. ibid.

Hic porro calix vocabatur ab iis *Calix benedictionis*, ut apparet hisce aliisque loquutionibus quæ in Traditionum Magistris sæpe occurrunt : *Multi ex nostris eruditis* גאונים *putant unumquemqae horum quatuor calicum requisivisse peculiarem benedictionem vel gratiarum actionem : sed quidam alii putant benedictionem tantum necessario adhibendam fuisse in primo calice, & calice benedictionis*. Ita habet *Scholiastes in Maymonidis* Tractatum sæpius laudatum in hac Paschalium rituum descriptione, in initium Cap. 8. Sub finem Scholiorum in idem Caput afferuntur verba eruditi cujuspiam, quibus juvamur ad intelligendum quinam ex quatuor calicibus esset *Calix benedictionis*. Ejus hæc sunt verba : אסור למיכל מידעם אחר מצה ולא, למשתי לבי כסא דברכה וכסא דהלילה, *Interdictum est quicquam comedere post panem azymum*, (nempe iis temporibus quibus nulli amplius Agni comedebantur) *sed non bibere ullum poculum præter poculum benedictionis, & poculum Hallel*: quæ verba paulo clarius explicat hisce haud multo post sequentibus : שתי ב' כוסות של יין אחר המצה כסא דברכת המזון וכסא דהלילה, *Bibit duos calices post azymmum panem, calicem benedictionis post cibum, & calicem Hallel, & tertium calicem, si velit, magni Hallel*. R. Alphes : כמה מעלות טובות כוס הברכה, *Variæ eximiæ prærogativæ in Calice benedictionis*. R. Mordeçai : כוס הברכה צריך שיעור, *Calix benedictionis necessario habet mensuram suam*.

Gloss. in Maym. ubi supra.

Ibid.

R. Alphet in Pesach. R. Mordecai in Pesach. Per. 10.

Ratio propter quam tertius calix nomine *Calicis benedictionis*, potius quam cæteri, insigniebatur, est partim quia erat ברכת המזון, *Benedictio*, vel *gratia-*

rum

rum actio post cibum, quasi claudens convivium; at præsertim ut distingueretur a primo calice, nam super utroque peculiares gratiarum actiones recitabantur. Magna est disputatio inter Thalmudicos Doctores, utrum super quatuor calicibus ex æquo recitaretur gratiarum actio; quæ tamen tandem eo redit, ut maxima pars suffragiorum constituat, *gratias peculiariter actas super primo calice, & super Calice benedictionis, super primo calice & tertio*, ut alibi vocatur. Vide & *Gemaram* in Caput multoties laudatum, ubi sæpius fit mentio hujus calicis in Parabola quæ ibi habetur.

Pisk. Pesach. fol. 137. Ibid. sub 138.

Apostolus utitur hac phrasi, *Calix benedictionis*, de calice Cœnæ Dominicæ verba faciens, 1. *Cor.* 10. 16. ubi non tantum alludit ad consuetudinem & loqutionem de qua jam nobis sermo est; sed etiam ex eo quod dicit in hoc & sequenti Capite, videntur Christiani judaizantes in Ecclesia *Corinthia* Paschalem hunc ritum valde insequuti fuisse cum Sacramentum acciperent; ut quod antea cœnarent, & tantum vini biberent, ut quidam ebrii essent, 1. *Cor.* 11. 21. 22. Atque in convivii fine habebant panem & vinum Cœnæ Dominicæ, ut in Paschali convivio habebant panem azymum, & Calicem benedictionis.

Quemadmodum Apostolus ad eorum consuetudinem & loquendi modum ibi alludit; ita etiam Servator noster convenienter eorum praxi loquitur, cum sumpto tertio hoc calice, seu *Calice benedictionis*, jubet Apostolos eum *inter se distribuere*. Nam quatuor calices qui hauriebantur in Paschali cœna ebibebantur a viris, fœminis, pueris omnibus ex æquo. *Rabbini nostri*, ajunt *Gemaristæ*, *tradunt quatuor hosce calices debere continere quartam partem mensuræ Hin, pariter viris, mulieribus & pueris* Et quoniam modo diximus in Ecclesia *Corinthia* quosdam ebrios fuisse antequam Sacramentum acciperent, unum atque alterum locum Thalmudicum observemus qui lucem aliquam huic rei fœnerari possunt, licet contraria primo adspectu continere videantur. Habent Traditionem hisce verbis conceptam: בין כוסות הללו אם רוצה לשתות ישתה, *Si quis velit bibere inter hosce calices, potest, modo non bibat inter tertium & quartum. Hierosolymitana Gemara* disceptans quare id liceat inter primum & secundum, vel secundum & tertium, non vero inter tertium & quartum; quæstionem hac ratione solvit, nimirum factum id fuisse *ne inebriarentur*. Sed inde iterum validissima nascitur objectio, quomodo hoc inebriationem impedire posset? Huic miserum hoc reponunt responsum, *Quia vinum inter edendum non inebriat hominem, sed tantum post convivium*. Nisi Religio obstitisset ne experimentum hujus Axiomatis capere vellent, non dubitarem quin multi ebrii fuissent in Paschalibus cœnis ubi calices erant exhauriendi, æque ac in Eucharistica Cœna Ecclesiæ *Corinthiæ*. Et cautio quidem quam iidem Traditionis Magistri afferunt paulo post, rem valde suspectam reddit: *An aliquis dormit in Paschali convivio, & iterum expergiscitur? Experrectus non poterat iterum edere. An plures ex societate dormiunt? Possunt iterum edere experrecti. An omnes dormiunt? Non possunt edere. R. Jose dicit, Si tantum capite nutent aut dormitent, possunt excitati comedere; sed si in somnum prorsus soluti fuerint, non possunt.*

Pesach. ubi supra in Gemara.

Thalm. Hierof. ib. in Gemar.

IX. Jam devenimus ad quartum calicem qui vocabatur כסא דהלל, *Calix* τȣ̃ *Hallel*. גומר עליו את ההלל ואומר עליו ברכת השיר, *nam finiebat Hallel ad eum & tum dicebat benedictionem Cantici*. Inceperat τὸ *Hallel* Convivii Præses ad secundum calicem, nam absolvebat *Haggadam*, seu liberationis narrationem, recitatione 113. & 114. Psalmorum. Confer 1. *Cor.* 11. 26. Nunc incipiebat recitationem Psalmorum 115. ad 118 hos enim sex Psalmos complectebatur τὸ *Hallel*, ut modo observatum est.

Pesach. ubi supra in Mishna.

Benedictio Cantici erat Oratio seu Benedictio quam recitabant postquam τὸ *Hallel* absolutum fuerat, de qua est aliqua disputatio inter *R. Judam* & *R. Jochanan* in *Gemara*, altero contendente eam fuisse quandam Orationem cujus nomen edit, altero aliam. Sed *Scholiastæ* in hunc locum docent eos non tam contendere de ipsis precibus, quam de earum ordine, seu utra prior recitaretur. Ipsi has fuisse contendunt, & hoc ordine recitatas.

Ibid. in Gemara.

O Domine Deus noster, omnia opera laudent te, & Sancti tui, & justi qui faciunt voluntatem tuam, & populus tuus Domus Israel, omnes cum clamore. Laudent te, benedicant, magnificent & glorificent & canant nomen gloriæ tuæ cum honore & canant nomen gloriæ tuæ cum honore & celebratione, ad memoriam Regni tui; nam bonum est laudare te, amabile est canere Nomini tuo. E sæculo in sæculum Deus es. Benedictus esto tu, o Domine Rex, qui debes extolli laudibus. Amen.

Hæc denique erat clausula: *An me omnium viventium benedicant Nomini tuo, o Domine Deus noster: & spiritus omnis carnis glorificet & extollat memoriam tuam.*

Ibid.

Nam

Nam in sæculum tu es Deus, & præter te non habemus Regem, Redemptorem, aut Servatorem, &c.

Hic ordinarie finis erat totius convivii. (vide *Matth.* 26. 29.) Attamen habent Judæi Traditionem, si velint posse bibi quintum calicem, ea lege ut super eo magnum *Hallel* recitetur. Sed quid erat *magnum Hallel*? *R. Juda* dicit, *A verbis, Confitemini Domino*, &c. *ad hæc, Super flumina Babylonis*, &c. hoc est, *Psalm.* 136. *R. Jochanan* dicit, *A Cantico graduum ad verba hæc, Super flumina Babylonis;* hoc est, a *Psal.* 120. ad 137. *R. Ababar Jacob* dicit, *A verbis, Nam Dominus elegit sibi Jacob*, Psalm. 135. 4. ad *Super flumina Babylonis*, &c. Psalm. 137. 1. Ita disputant in *Gemara* in Tract. *Pesachin*, & in Tract. *Erachin* videntur ulterius procedere, & addere huic Cantico Psalmum 105. adeoque, ut eruditissimus *Buxtorfius* observavit, aliquando longius, aliquando brevius id faciunt.

Jam ut in pauca verba ritus hujus descriptionem contrahamus, sedebant quasi jacentes, incipiebant bibere calicem vini, quo sanctificabant diem; abluebant manus; mensa instruebatur; primu oxybaphum aliquod comedebant; porrigebatur secundus calix, super quo recitabatur *Haggadah*, & *Psalm.* 113. & 114. deinde calicem ebibebant. Iterum abluebant manus; azymus panis frangebatur & benedicebatur: quidam comedebant herbas amaras cum salso condimento; deinde edebant carnem pacificarum victimarum, & carnem Agni. Postea abluebant manus, accipiebantque tertium calicem vini, seu calicem benedictionis, super quo gratias (quasi post cœnam) agebant, quibus actis eum ebibebant. Denique quartum accipiebant vini calicem, super quo recitabant τὸ *Hallel*, quod sequebatur una aut altera oratiuncula; ac sic peractus erat ritus.

Hæ sunt cæremoniæ solennis istius Cœnæ, quas si lector conferat cum actione Servatoris nostri in ultimo Paschate, facile videbit primum occurrere mentionem tertii calicis seu *Calicis benedictionis*, quem jubet Discipulos inter se dividere. Deinde aliquantulum azymi panis sumit, gratiis actis eum frangit, & dat comedendum instar sui corporis ab eo tempore, eodem sensu ac Paschalis Agni caro quam modo comederant, eo usque corpus ejus fuerat. Et qui ordinarie vocabatur *Calix* τȢ *Hallel*, hunc sumit & jubet esse calicem Novi Testamenti in suo sanguine; canit cum Discipulis *Hymnum*, seu *Hallel*, & hoc decantato abit in Montem *Oliveti*.

CAPUT XIV.

SECTIO I. *De solennitate & ritibus primæ diei in hebdomade Paschali. De Haggigah & Pacificis Sacrificiis hilaritatis.*

DIES proxime sequens Paschalem festa erat, & sine opere servili instar Sabbati transigebatur, & vocabatur etiam Sabbatum, *Levit.* 23. 6. 7. 15. Ea omnes masculi se sistere debebant in Atrio Templi, & secum Holocautoma offerre pro illa comparitione, duplicem vero victimam pacificam, alteram in solennitatem, alteram in temporis hilaritatem. Oblatio pro comparitione vocabatur *Corban Raajah*, quam debitam fuisse colligunt ex verbis *Exod.* 23. 15. quæ tamen si negligeretur a quopiam, id conscientiæ ejus permittebatur, nec ulla pœna ipsi infligebatur; quia licet violasset præceptum negativum, attamen nihil proprie commiserat, sed omiserat tantum quod sui officii erat.

Thalm. in Hagigah, Per. 1.
Maym. in Hagigah, Per. 1.

Pacificæ oblationes in solennitatem vocabantur *Hagiga*, & debebant esse ex pecudibus, juvencis aut ovibus. Ideo 2. *Paral.* 30. 24. & 35. 7. 8. mentio fit *juvencorum & boum ad Pascha*: & *Deut.* 16. 2. extat præceptum *de immolando Paschate de ovibus & bobus*: quod non potest intelligi de eo quod erat comedendum decima quarta die, nam diserte dicitur debere eligi ex agnis, vel hœdis, *Exod.* 12. 5. sed debet explicari de iis pacificis oblationibus offerendis propter temporis solennitatem. Atque hoc est quod *Joannes* Evangelista vocat *Pascha*, Cap. 18. 28. comederunt enim Paschalem Agnum nocte præcedente.

Existimabant se Lege teneri tum apparere tribus solennibus festivitatibus, & solvere oblationes tunc debitas, tum etiam hilariter se gerere & conviviis se invicem excipere, propter id quod dicitur, *Lætaberis coram Domino*, &c. *Deut.* 16. 11. 14. & Ideoque utebantur vino in Paschali cœna, uti antea observatum est, & offerebant alias oblationes pacificas præter *Hagigam* in solennitate Paschatis, & vocabant eas שלמי שמחה, *Pacificas Oblationes lætitiæ*. Et oblatione quidem duorum horum generum pacificarum oblationum videntur existimasse se simul solvere oblationem pro comparitione debitam; hisce enim oblatis non poterant censeri vacui coram Domino comparuisse. Ita *Levi Gershon* interpretatur locum de *Elkana, venisse eum quotannis ab urbe sua* Silun-

R. Levi Gershom in 1. Sam. 1.

Siluntem ad sacrificandum Domino, de ejusmodi pacificis victimis.

Tempus oblationis harum victimarum proprium existimabant primam diem festi, & conabantur ea expediri ut citius domum redire possent; attamen perinde habebatur quacunque die offerretur.

Prima hac die festi, cum deberent esse occupati sua comparitione, & oblatione horum sacrificiorum ad festum celebrandum & testificationem lætitiæ dandam, ostenderunt ultimo Domini Paschate se in aliis animum habuisse; hac enim die Dominum vitæ cruci affixerunt.

Circa hæc judicia, condemnationes & supplicia, quamvis aliquatenus sint a nostro argumento remota, liceat mihi per lectorem duas aut tres eorum Traditiones afferre.

Maym. in Sanhedr. Per. 6.

I. אין מתחילין את דינין בלילה, *Non poterant incipere ulla judicia ea nocte, nec admittebant ullos testes ea nocte; sed judicia debebant interdiu duntaxat haberi.*

Thalm. in Sanhedr. Per. 1.

II. *Judicium falsi Prophetæ pertinebat tantum ad Magnum Synhedrium 71. virorum.* Hinc *Hierosolymæ* blaspheme accusarunt Servatorem nostrum quasi Pseudo-Prophetam, *Joann.* 18. 19. *Luc.* 23. 2. Atque huc referuntur Domini verba, *Luc.* 13. 33.

Ib. Per. 1.

III. *Non plectebant morte Seniorem qui peccaverat contra determinationem Magni Synhedrii, nec in Synhedrio quod erat in ejus urbe, nec in eo quod erat Jabneæ; sed eum deferebant ad Magnum Synhedrium Hierosolymitanum, & servabant eum usque ad festum proximum, quo eum plectebant; juxta id quod dicitur, Ut omnis populus videat & timeat*, &c.

SECTIO II. *Secunda dies Paschalis hebdomadis. Collectio & oblatio τῦ Homer Primitiarum.*

Prima & ultima dies hujus festæ hebdomadis vocabantur ימים טובים, *Bonæ Dies*, nec earum observatio multum differebat ab observatione Sabbati. Vide *Levit.* 23. 7. 8. &c. Medii dies vocabantur מועד קטן, *Moed Katon*, seu *Minor Solennitas*; in quibus licet tam arcta abstinentia ab omni opere non observaretur, ac *diebus bonis*, attamen inter eos & reliquos dies ordinarios aliquod constituebatur discrimen, & varia Traditiones illicita faciebant quæ alias licita erant. Ad Ministerium quidem Templi quod attinet, ordinarie plus erat operis faciendum & plura sacrificia offerenda, quam ordinariis diebus, propter pacificas oblationes debitas, aut ad id tempus reservatas, quæ non poterant omnes aliis diebus expediri, sed maximam partem hisce diebus offerebantur, adeo ut Sacerdotes majorem tum haberent circa Altare occupationem.

Thalm. in Moed Katon. Per. 1. &c.

Hac die de qua jam nobis sermo est, secunda nempe Paschalis hebdomadis, quantacunque esset oblationum copia, nunquam omittebatur oblatio & agitatio manipuli Primitiarum coram Domino. Lex hujus rei erat *Levit.* 23. 10. 11. *Cum ingressi fueritis terram quam ego dabo vobis, & messueritis segetem, feretis manipulos spicarum primitias messis vestræ ad Sacerdotem, qui elevabit fasciculum coram Domino, ut acceptabilis sit pro vobis altera die Sabbati & sanctificabit illud.* Ubi per vocem *Sabbati* non est intelligendum Sabbatum proprie dictum, sed primam diem Paschalis hebdomadis, de qua diximus, quæ adeo solennis erat ac festa. Ita *Paraphrastes Chaldæus* & varii Judæi interpretantur.

Ritus circa collectionem & oblationem Primitiarum Manipuli fuse describitur in *Tosaphta ad Menachoth*: *R. Israel dicit, Homer vel Manipulus primitiarum, si incideret in diem Sabbati*, (proprie nempe sic dictam, ut contigit ea die qua Dominus noster in sepulcro remansit) *veniebat in tribus Seah: sed si in aliam diem, in quinque. At Sapientes dicunt, Seu Sabbato, seu alia die, perinde erat, veniebat in tribus Seah. Aba Saul dicit, Sabbati die colligebatur ab uno viro, & una falce, atque in uno cophino: sed alia die metebatur a tribus viris in tribus cophinis, & tribus falcibus. Primitiarum Manipulus veniebat ex Valle Cinerum ad torrentem Cedron*, &c. *Cum dies ejus agitationis incidebat in Sabbatum dispensatio Sabbati datur ad eum metendum. At quomodo hoc fiebat? Quos Synhedrium eam in rem miserat, ii exibant sub vesperam festi*, (primæ diei Paschalis hebdomadis) *capiebant cophinos & falces*, &c. *Exibant die festa cum tenebrescere inciperet, & multi una cum iis exibant. Cum nox plane advenerat, unus iis dicebat, Hoc Sabbato, hoc Sabbato, hoc Sabbato; in hoc Cophino, in hoc Cophino, in hoc Cophino. Rabbi Eliezer filius Zadok dicit, Hac Falce, hac Falce, hac Falce. Unumquodque ter repetebatur. Et respondebant ipsi, Recte, Recte, Recte, metam; & tum jubebat eos metere. Et quare sic faciebant? Propter Baithusæos*, (Sadducæos) *qui dicebant collectionem Manipuli primitiarum non esse in fine festæ diei. Eum metebant, & injectum in cophinum ferebant in Atrium, & agebant per ignem, ut observarent præceptum farris tosti. Verba R. Meir: Sed Sapientes dicunt id non* ita

Thosaphr. ad Menachoth, Per. 10.

ita intelligendum esse, sed fuisse vas concavum plenum foraminibus, ita ut ignis posset id penetrare in Atrio, & ventus in hoc flabat; (in quo ponebant statim triticum, ut exsiccatum posset mola conteri) *& ponebant triticum in mola, ut decimam partem inde educerent*, &c. *Aliquis sumebat decimam partem, & infundebat in eam oleum & thus, & miscebat atque agitabat ea, & sumptum Manipulum imponebat Altari; & reliqua erant Sacerdotis ad ea comedenda. Statim ac Homer oblatum erat, exibant & inveniebant plateas Hierosolymæ plenas farina & tosto tritico: quod non erat ex mente Sapientum. Verba R. Meir. Sed sapientes dicunt fuisse hoc ex mente Sapientum; nam statim ac Homer oblatum erat, novum far licitum erat.*

SECTIO IV. *Festum Pentecostes.* עצרת

Ab hac die & cæremonia, oblatione nempe τȣ̃ *Homer* Primitiarum, incipiebant nnmerare septem hebdomadas Pentecostes. Hæc dies prima numerabatur, & proxime sequens septem hebdomadas completas, quæ quinquagesima erat, erat Pentecoste, ut ipsum nomen docet. Initium numerabatur ab oblatione Primitiarum tritici, quia huic festo intercedebat aliqua relatio cum altero. Oblatio primi Manipuli messem veluti auspicabatur; festo vero Pentecostes absoluta messe gratias Deo agebant novis oblationibus: illa ipsis licitum fiebat falcem in segetes immittere; in hac vero oblationes offerebant ex farre collecto & in horrea conjecto. Ideoque hæc solennitas aliquando vocatur in Scriptura *Festum Messis*, Exod. 23. 16. aliquando *Festum Hebdomadum*, Deuter. 16. 10. propter numerationem septem hebdomadum a Paschate ad hoc festum; aliquando *Pentecoste*, quia erat quinquagesima dies a Paschate, *Actor.* 2. 1. ut etiam a Judæis vocatur יום חמשים, *quinquagesima dies*.

Maymon. in Thalm. Per. 8.

Sed plerumque in suis Scriptis hoc festum vocant עצרת, *Atsereth*, ut *Chaldæus Paraphrastes*, Numer. 28. 26. licet *Abarbanel* observet hoc solum festum in Scriptura non vocari *Atsereth*. Vox proprie significat *interdictionem* sive *probibitionem*; & ab hac significatione desumpta est notio *festi*, quippe quo interdictum est omne opus, 2. *Reg.* 10. 20. *Joel.* 1. 14. *Amos.* 5. 21. Verum an hoc festum ita a Judæis κατ' ἐξοχὴν vocetur, quia eo tempore *detinebantur pluviæ*, cum media esset messis tempestas; an quia *oblatio Primitiarum interdicta erat* ad id tempus; vel quia *festa hilaritas messis adhuc coercebatur*, nec adhuc plena erat; vel aliqua alia de caussa, anxie non disquiram. Attamen quidam Rabbini nonnulla habent quæ videntur pro alterutra posteriorum rationum facere; *Maymonides* enim refert, *nullas Primitias oblatas fuisse ante* עצרת *Pentecosten, quia dicitur*, Festo messis Primitiæ laborum tuorum. *Si quis afferret Primitias, eas non admittebant, sed seponebant usque ad Pentecosten*. Baal Hatturim: *Nullus erat sermo de Hilaritate in Paschate, quia primi fructus erant adhuc in agro; sed in* עצרת *seu Pentecoste, cum triticum maturum erat, & vinum in racemis, mentio fit Hilaritatis*, Deuter. 16. 11. *sed in festo Tabernaculorum, cum omnia in apothecas collecta essent, tum bis mentio fit Hilaritatis*, Deuter 16. 14. 15.

R. Solom. in Lev. 23. Abarban. in Lev. 3.

Maymon. in Biccur. Per. 2.

Baal Turim, in Deut. 16.

Hæc autem fiebant solenni ritu in hoc festo. I. Omnes masculi comparebant coram Domino, ut in festo Paschatis & Tabernaculorum. II. Debebant offerre duas placentas coctas cum fermento ex novis frugibus. Et si quæratur quare tum adhiberetur fermentum, quod in Paschate adeo diserte interdictum erat; quidam Hebræi idoneam hanc proferunt rationem, quia hæ placentæ offerebantur propter panem quem ordinarie comedebant; (erant enim hæ Primitiæ frumenti) sed Paschalis panis erat in commemorationem festini discessus ex Ægypto, quo tempore non potuerant expectare donec fermentaretur massa, *In Paschate poterant tantum dicere* הך מצה, *Hic est azymus panis*: ובעצרת הך מצה וחמץ, *Sed in Pentecoste, Hic est panis azymus*, (propter oblationem placentarum ordinariarum) *& fermentatus etiam*, propter oblationem duarum placentarum Pentecostalium, ut loquuntur *Gemaristæ* hac de re. Hæ posteriores placentæ quadratæ fiebant, longæ septem palmos, latæ quatuor, & crassæ quatuor.

Exod. 23. 16.

Jerem. 23. 16. 17.

Abarban. ubi supra.

Thalm. Hieros. in Succah. Per. 5.

III. Cum hisce offerebantur etiam septem agni, unus juvencus, & duo arietes in Holocautomata, hœdus unus in oblationem pro peccato, & duo agni in pacificam oblationem. Hi duo agni erant solæ oblationes pacificæ quas offerebat Congregatio, & solæ recensebantur inter oblationes sanctissimas.

Cum hi agni essent *oblationes pacificæ*, debebant agitari, nam in hanc rem disertum est præceptum, *Levit.* 23. 20. & ritus hi adhibebantur. Sacerdos primum agitabat agnos vivos; deinde eos mactabat, & pelle detracta, pectus & humeros eorum sumebat, & prope placen-

Maymon. ubi supra.

centas ea deponebat, submissaque manu omnia simul sursum, deorsum, hinc inde & versus Orientem agitabat. Postea comburebat eorum viscera, & Sacerdotes reliquam carnem comedebant. Ad placentas quod attinet, Summus Sacerdos unam sumebat, & altera dividebatur inter omnes Classes quæ tum aderant.

Non tam multitudo aut solennitas sacrificiorum hujus diei, licet multa & solennia essent, populum universum alliciebat, quam commemoratio rei quam festum secum involvebat, nempe Legis quæ eo tempore ex Monte *Sinai Israeli* tradita fuerat.

Hac die canebatur τὸ *Hallel*, ut antea observatum est, & magnum illud linguarum donum Discipulis *Christi* conspicuo miraculo concessum est.

CAPUT XV.

De Ministerio diei Expiationis

INstitutionis hujus festi, de quo fuse agitur *Levit.* 16. occasio fuit quod *Moses* hac ipsa die, post tria diversa quadraginta dierum jejunia, descendit ex Monte, impetrata Dei in *Israelem* pace & reconciliatione, attulitque secum novas Tabulas, & plenam instructionem ad erigendum Tabernaculum, & publicum cultum inter *Israelitas* constituendum

Jom. Per. I.

Septem diebus ante diem Expiationis, jubebant Summum Sacerdotem secedere ex propriis ædibus in Conclave פרהדרין *Parhedrin*, ne forte contingeret ejus uxorem in sua separatione esse, eumque inde fieri immundum per septem dies, adeoque illius diei Ministerio fungi nequiret.

Maym. in Jom. hacipur. Per. I.

Alium etiam constituebant Sacerdotem ejus vices obiturum, si forte aliqua immunditie fieret ut munere suo ea die fungi non posset, ne divinus cultus non obiretur

Unaquaque die ex hisce septem imponebant ei munus adspergendi sanguinis quotidiani sacrificii, comburendorum ejus membrorum, offerendi Thymiamatis, reficiendarumque Lucernarum, ut melius assuefactus esset illis ministeriis cum illa dies venisset

Tertia die & septima eum adspergebant cineribus Vaccæ rufæ, ne forte imprudens mortuo pollutus esset.

Constituebant ei aliquot Seniores *Synhedrii* qui ipsi prælegerent titulum & ordinem Ministerii ejus diei, & dicebant ei, *Domine Pontifex Maxime, lege tu ipse; potest fieri ut oblitus fueris, vel ut non didiceris.*

Præparatione diei Expiationis, hoc est, die præcedente matutinis horis eum deducebant ad Portam Orientalem Atrii, atque ibi juvencos, arietes, & agnos coram ipso transire curabant, ut melius quid sui esset officii videret.

Postea Seniores *Synhedrii* eum tradebant Senioribus Sacerdotibus, qui deducebant eum in Conclave *Abtines*, ut ibi disceret quomodo tractandum esset Thymiama. Tum eum ita adjurabant: *Domine Pontifex Maxime, nos sumus nuntii Synhedrii, tu es noster & Synhedrii nuntius, te adjuramus per eum qui fecit Nomen suum habitare in hac Æde, ut nihil quicquam mutes in iis quæ tibi diximus*. Atque ita illi flentes abibant.

Ratio hujus solennis adjurationis erat, quia *Sadducæi* invenerant doctrinam, & quidam ausi fuerant uti praxi contraria Traditioni Veterum, nempe incendere Thymiama, & fumans extra Velum ita inferre Loco Sanctissimo. *Adjurabant eum* (inquit *Thalmud Hierosolymitanum*) *propter Baithusæos, qui dixerunt, Thymiama incendatur extra, deinceps intro inferatur. Quidam ita fecit; & quum exiisset, aliquis Patrem alloquebatur hisce verbis, Vos quidem omni vitæ tempore hunc ritum quæsivistis, nunquam tamen rite illum peregistis, antequam hic ita peregerit. Ille respondit, Quanquam jam diu quæsivimus, tamen juxta Sapientum placita fecimus, & mirabile erit, si iste qui taliter fecerit, postea diu vivat. Et ferunt illum brevi postea mortem obiisse: nempe intra triduum.*

Vid. Thalmud Hierosol. in Joma, Per. I. Juchasin. fol. 15.

Cum advenisset vespera, non permittebant ei edere nisi admodum parce, ne copia cibi soporem nimium ei conciliaret, neque enim licebat dormire metu nocturnæ pollutionis; sed per totam noctem, si eruditus erat, legebat & interpretabatur Scripturam iis qui aderant; si eruditus non esset, quispiam alius hoc præstabat, præsertim ex *Ezra*, *Jobo*, *Daniele* & *Paralipomenis*, ea loca quæ apta erant ad eum afficiendum & parandum ad hoc Ministerium.

Glossa in Jom. in Thalm. Per. I. Kerithuth, Per. I.

Cum dies illucebat, (quo tam arctum erat jejunium, ut quicunque ederet aliquid, aut opus quodpiam faceret, Excisionis pœnæ obnoxius esset) Summus Sacerdos se ad Ministerium comparabat. Primum ordinarias vestes deponebat, & aqua se abluebat; quod fiebat hac die in Conclavi *Happarvah*. Linteum inter eum & populum ne ab hoc cerneretur, pendebat, se mantili abstergebat, ac sacras Summi Sacerdotii vestes induebat; lavabat manus ac pedes, mactabat quotidianum sacrificium, comburebat ejus mem-

Midd. Per. 5.

Maymon. ubi supra. Per. 4.

membra, offerebat Thymiama, peragebat totum Ministerium ordinarium diei illius. Idem præstabat respectu juvenci & septem agnorum extraordinarii sacrificii. Hisce peractis, iterum manus ac pedes abluebat.

Deinde iterum deponebat vestes sacras, in balneo se abluebat, lineas induebat vestes constitutas *Levit.* 16. 4. & peculiaribus diei Ministeriis defungebatur: ac primum quidem ibat ad proprium suum juvencum, *Levit.* 16. 6. qui erat inter Templum & Altare, impositisque capiti ejus manibus, edebat hanc confessionem: *Ah! Domine, peccavi, perverse feci & transgressus sum coram te, ego & domus mea. Oro te, o Domine, expies peccata, perversitates & trangressiones, in quibus peccavi, perverse feci & trangressus sum, ego & domus mea; ut scriptum est in Lege Mosis servi tui, dicendo, Nam hac die expiabit vos, purgabit vos ab omnibus peccatis vestris coram Domino, ut sitis mundi.*

Id. ibid. Per. 3.

Deinde ibat conjectum sortes in duos Hircos, ad Euro-aquilonarem partem Atrii infra Altare. Sortes erant ordinarie duo nummi aurei ejusdem crassitiei, quorum alteri inscriptum erat *in Dominum*, alteri in *Azazel*. Hæ in pyxidem injiciebantur, in quam Sacerdos poterat geminas manus immittere, & quæ vocabatur קלפי. Duo Hirci coram eo collocabantur, unus ad dextram, alter ad sinistram. Ad dextram ejus stabat *ὁ Sagan*, ad sinistram paternæ Familiæ Princeps. Immissis manibus in pyxidem, inde extrahebat sortes; apertisque manibus, si sors Hirci emissitii in ejus dexteram veniret, *ὁ Sagan* ei dicebat, *Attolle manum dexteram*; atque ita Hircus qui ad dexteram erat fiebat emissitius. Si contra sors ejus in sinistra inveniretur, Princeps Familiæ paternæ ei dicebat, *Attolle sinistram*, atque ita Hircus qui erat ad sinistram designabatur ut esset ἀποπομπαῖος. Tum alligabat purpuream vittam capiti hujus Hirci, eumque illo in loco collocabat ex quo emittendus erat; & alterum Hircum eo mittebat ubi eum oportebat mactari.

Hæc vitta purpurea vulgo vocatur a Rabbinis לשון זהורית, *Lingula coccinea*, quia instar linguæ lata erat & formata. Et expectabant ex quo capiti Hirci alligata erat, donec fieret alba. Atque ita dicunt factum tempore *Simeonis Justi*, & sortem Hirci emissitii semper in ejus dextram venisse. Atque hoc fulciunt *Isai.* 1. 18.

Joma Per. 4. in Gemara. Juchasin, fol. 15. col. 1.

Ita dispositis Hircis ut parati essent cum eorum adesset tempus, redibat ad suum juvencum quem reliquerat, impositisque iterum ejus capiti manibus, alteram confessionem edebat iisdem verbis conceptam ac priorem, nisi quod postquam dixerat, *in quibus peccavi, perverse feci & trangressus sum coram te, ego & domus patris mei*, addebat: *& filii Aaronis, sanctus tuus populus, ut est scriptum in Lege Mosis*, &c.

Postea mactabat juvencum, capiebat sanguinem, & dabat eum agitandum cuipiam ne concresceret. Ipse sumebat thuribulum plenum prunis ex Altari, & imponebat id scamno in Atrio, atque ex vase ad ipsum allato implebat manus Thymiamate quod injiciebat disco. Thuribulum prunarum manu dextra capiebat, (quia erat calidum & grave, alioqui manu sinistra gestasset) & discum Thymiamatis sinistra. Ita ingrediebatur Sanctum Sanctorum, & ad Arcam accedebat, quo in loco deponebat prunas suas, effundebat Thymiama in manus suas, id imponebat prunis, & expectabat donec totum Conclave fumo repletum esset; tum retrorsum recedebat ex Adyto facie ad Arcam obversa. Egressus brevem hanc fundebat oratiunculam: *O Domine Deus, placeat tibi ut hic annus habeat tempestivas pluvias* (si esset ariditas) *nec patere Sceptrum tuum discedere a Juda, nec populum tuum Israelem carere victu, nec preces transgressorum venire coram te*. Quo peracto exibat.

Tum capiebat sanguinem juvenci qui eo absente agitatus fuerat ne concresceret, & eum inferebat Loco Sanctissimo, atque adspergebat octies, semel superius, septies inferius, inter vectes Arcæ. Hoc facto abibat, & reliquum sanguinem lanci in Loco Sancto injiciebat, & exibat.

Deinde mactabat Hircum, inferebat sanguinem ejus in Locum Sanctissimum, & octies adspergebat, ut in sanguine juvenci fecerat. Egressus eum in loco sancto deponebat, sumptumque juvenci sanguinem octies adspergebat ante Velum, idemque in sanguine Hirci faciebat. Postea iis mistis adspergebat altare Aureum, incipiens ab Euro-aquilonari Angulo, & absolvens in angulo Euro-noto obverso. Circumitis angulis, corpus ipsum Altaris adspergebat, atque exibat, reliquumque sanguinem effundebat ad Occidentale latus basis Altaris Holocautomatum.

Hisce rite peractis, ibat ut emitteret *Hircum emissitium*. Primum manus ei imponebat, atque hanc confessionem recitabat: *Ah! Domine, populus tuus, domus Israel, peccavit & perverse fecit, & transgressus est coram te. Oro te nunc, o Do-*

o Domine, expies peccata, perversitates & transgressiones in quibus Domus Israel, populus tuus, peccavit, fecit perverse & transgressus est coram te; ut scriptum est in Lege Mosis servi tui: Nam hac die expiabit vos, ad purgandos vos ab omnibus vestris peccatis, ut sitis puri coram Jehovah. Statim ac Sacerdotes & populus qui erant in Atrio audiebant eum pronunciantem vocem *Jehovah*, prostrato corpore adorabant, & dicebant: *Benedictum esto nomen gloriosi regni ejus in sæcula sæculorum*. Tunc emittebatur Hircus.

Joma, Per. 6. in Mischnah, Ramb. ib. Aruch in voce.

Distabat circiter duodecim milliaribus *Hierosolyma* præceps & altum promontorium, quod vocant nomine צוק, quod quidam putant ei proprium fuisse, alii commune omnibus altioribus rupibus. Inter *Hierosolymam* & hanc rupem erant decem Tentoria, uno milliari distantia a se invicem, ita ut proximum *Hierosolyma* milliari uno distaret. Tradito Hirco ei qui eum in desertum abducturus erat, eum comitabantur usque ad primum Tentorium, atque hinc quidam erant parati ad eum comitandum ad vicinum usque Tentorium, atque ita usque ad ultimum. In unoquoque Tentorio quærebant a viro qui Hircum deducebat, an vellet edere vel bibere.

Ab ultimo Tentorio eum prorsus non comitabantur ad ipsam rupem, sed in aliqua distantia subsistebant, ut viderent quid facturus esset. Cum eo pervenerat, detrahebat coccineam vittam a capite Hirci ex interstitio cornuum, eamque in duas partes dividebat. Dimidiam partem alligabat rupi, alteram iterum cornibus Hirci revinciebat. Denique Hircum impellebat in præcipitium, qui priusquam ad fundum pervenisset, in varias partes discerpebatur. Ita munere suo defunctus redibat ad proximum Tentorium, ubi subsistebat donec nox advenisset.

Interea temporis Pontifex Maximus post emissum Hircum ad suum munus redierat, & dividebat in partes juvencum & hircum quem mactaverat, & cujus sanguinem intra Velum intulerat. Imponebat eorum viscera Altari ut comburerentur, sed membra cuipiam tradebantur ut aveherentur extra *Hierosolymam*, ubi comburebantur, *Levit.* 16. 27.

Tandem dicebant Pontifici Maximo: *Hoc tempore Hircus pervenit in desertum*. Et tum ibat in Atrium Milierum, ubi in Pulpito legebat unam aut alteram Sectionem Legis, ut *Levit.* 16. Caput totum, & *Cap.* 23. 27. ad 32.

Porro si quæratur quomodo conjicere possent ipsum tempus quo Hircus in desertum pervenerat: erant tres rationes conjiciendi quibus utebantur. I. *Mishnah Thalmudica* dicit fuisse varias pilas lapideas in ea via dispositas, & viros in eorum fastigio stetisse cum lineis linteis. Cum autem Hircus in desertum pervenerat, qui ibi stabat in vicina pila sursum, deorsum agitabat linteum suum, & sic reliqui ordine usque ad Urbem, quo sic res momento deferebatur. II. *Rab: Ismael* dicit, Erat vitta coccinea alligata valvis Templi, & statim ac Hircus in desertum pervenerat, alba fiebat.

Consideratu dignus est locus in *Gemara Thalmudis Babylonici* in quo seu de hac vitta agatur, seu de ea quæ Hirco inter cornua alligabatur, non multum interest, quandoquidem erant ejusdem naturæ. Ajunt Thalmudici, *per totos quadraginta annos ante destructionem Hierosolymæ vittam rubram nunquam albam evasisse*: nam cum immutatio hæc signum esset remissionis peccatorum, ut ipsi eam interpretantur ex *Isaj.* 1. 18. ita se morte dignos reddiderant effuso sanguine *Christi* exacte quadraginta annis ante Urbis excidium, ut optime eorum ipsorum testimonium admittere possimus, quo constat eorum crimen, cujus veniam consequi non potuerunt, *R. Judah* dicit, Distabat tribus milliaribus בית חרולה, *Beth Hadula*, quæ erat in limbo deserti ea parte qua ibat Hircus; & ad metiendum temporis spatium quo quis eo pervenire poterat cum Hirco, quidam viri milliare unum procedebant extra Urbem, & redibant absque ulla mora; ac cum redierant, expectabant adhuc per tantum temporis spatium, quantum requirebatur ad aliud milliare peragrandum, atque inde colligebant eo tempore virum illum cum Hirco in desertum pervenisse.

Rosh Hashanah fol. 31.

Pontifex Maximus perlectis Sectionibus suis Legis, & recitatis præterea octo precibus, abluebat manus & pedes, exuebat lineas vestes, in balneo se lavabat, sacerdotales vestes induebat, abluebat iterum manus & pedes. Offerebat arietem unum pro se, alterum vero pro populo, & septem agnos in addititias diei oblationes. Tum offerebat quotidianum sacrificium vespertinum.

Cum hæc peregisset, manus & pedes iterum abluebat, sacras vestes exuebat, in balneo corpus lavabat induebat lineas vestes, manus & pedes abluebat. Ingressus Adytum inde repetebat thuribulum & discum quæ ibi reposuerat.

Postea ablutis manibus & pedibus. exutis lineis vestibus, in balneo, loto corpore, induebat Sacerdotales vestes, ablue-

abluebat manus & pedes, ingressusque in Sanctuarium offerebat vespertinum Thymiama, refectisque Lucernis exibat.

Denique ablutis manibus ac pebibus exutisque Sacerdotalibus vestimentis, ordinaria assumebat, & ad ædes suas abibat universo prosequente populo. Atque hanc diem faustam habebat, quia sibi incolumi ex Sanctissimo Loco exire licuerat.

CAPUT XVI.

Ritus Festi Tabernaculorum.

Dies Expiationis non erat adeo solennis, feria, ac laboriosa, præsertim Summo Sacerdoti, ac *Festum Tabernaculorum* jucundum erat, hilare ac festum populo universo. Quinque diebus priori posterius erat, incipiens decima quinta die mensis *Tisri*, & per dies octo continuos durans, *Levit.* 23. 34. 45. 36. *Numer*: 29. 12. 35. 2. *Paral.* 7. 8. 9. 10. *Nehem.* 8. 17. 18. In hoc festo major erat hilaritas quam in ullo alio, & pluribus ritibus varia solennitas.

Primus ritus, seu circumstantia erat quod habitarent sub Tabernaculis, unde hoc festum nomen suum deduxit. Incipiebant sub iis esse prima die festa, & pergebant per totum festi tempus, quo non licebat extra hæc Tabernacula edere, bibere, aut dormire. Eorum Tabermacula constabant ramis arborum, in quorum constructione, ad latitudinem, latitudinem, locum, formam quod attinet, infinitum esset minutias eorum Traditionis, perscrutari; præterquam quod id extra ambitum Templi est, intra quem nos inclusimus. Quatuor duntaxat rerum genera in hoc festo observabimus.

I. *Varietatem Sacrificiorum.*
II. *Palmarum & Salicum ramos.*
III. *Mala citrea*,
IV. *Effusionem aquæ & Hilaritatem.*

SECTIO I. *Varia Sacrificia in Festo Tabernaculorum.*

Hierosolimitanum Thalmud paucis complectitur omnes ritus qui unaquaque festi die in Ministerio Templi adhibebantur. *Primum matutino tempore oblatum ibant quotidianum sacrificium, postea addititia, postea votivas & spontaneas oblationes; exinde ad cibum & potum,* (vel pransum) *deinde ad studium Legis, deinceps ad oblationem vespertini sacrificii, denique ad hilaritatem effusionis aquæ.* [Thalm. Hierosl.in Succah, Per. 5.]

Ordinaria ac quotidiana sacrificia eadem erant omnibus diebus festi ac omnibus aliis, Agnus nempe matutino & vespertino tempore. Sed addita sacrificia non modo erant numero suo observatu digna, (quandoquidem quotidianis conjuncta annos per quos *Israel* fuit in *Ægypto* ducentos quinquaginta, victimas æquabant) verum etiam propter hanc mutationem, quia juvencus quotidie numero juvencorum præcedente die oblaturum detrahebatur, quamvis idem numerus arietum, agnorum & hircorum quotidie servaretur. Prima enim festi die tredecim juvenci offerebantur, secunda duodecim, & sic deinceps, ut cerni potest *Numer.* 29. attamen unaquaque die duo arietes, quatuordecim agni, unus hircus absque ulla mutatione immolarentur, uti apparet ex eodem loco.

Ratio hujus imminutionis juvencorum conjici potius, quam certo indicari potest, ac varias aliorum conjecturas, quam definitionem nostram afferre proclivius est. Utrum hoc esset ad reducendum universum numerum juvencorum ad septuaginta, *ut figura essent septuaginta Gentium quæ perpetuo minuendæ erant, dum Israel similis numero arietum, agnorum & hircorum, idem remanebat*: vel ad significandos septuaginta annos ætatis humanæ, quæ quotidie declinat, & anxie non inquiram. At non debeo prætermittere sine observatione rationem offerendorum horum sacrificiorum, quæ tanto numero & tam varia erant. [R. Solom. in Num. 29.] [Abarban. ibid.]

Quotidianum sacrificium juxta morem solitum a Classe ea hebdomade ministrante offerebatur. Levitæ τὸ *Hallel* interea canebant, de quo antea dictum est.

Ad sacrificia addititia quod attinet, rationem invenerant qua unaquæque Classis ex viginti quatuor, quæ tum aderant omnes, suas partes haberet in offerendis victimis: quod hoc modo constitutum erat.

Prima die erant 13. juvenci, 2. arietes, 1. hircus, omnino 16. victimæ, quæ offerebantur a 16. Classibus. Superant 14. agni 8. Classibus, sex quarum offerebant unaquæque geminos agnos, reliquæ vero duæ, unaquæque unum. [Succah, Per. 5. & Maym. in Tam. Per. 10.]

Secunda erant 12. juvenci, 2. arietes, 1. hircus, omnino 15. victimæ quæ offerebantur a 15. Classibus: tum reliqui 14. agni 9. Classibus erant offerendi, quinque quarum offerebant unaquæque duos agnos, quatuor vero unum duntaxat.

Eadem proportio deinceps servabatur, donec ad septimam diem deventum esset, in qua 7. juvenci, 2. arietes, 1. hircus, 14. Agni a viginti quatuor Classibus

fibus ita offerebantur, ut unaquæque suam haberet victimam.

SECTIO II. *Palmarum & Salicum rami* ערבה ולולב.

Præceptum erat Legis, *Sumetis vobis die prima fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente, & lætabimini coram Domino Deo vestro per septem dies*, Levit. 23. 40. In quæ verba erat disputatio inter *Pharisæos* & *Sadducæos*, cui fini hi rami & frondes præciperentur, *Sadducæi* existimabant designari ad constructionem Tabernaculorum: sed *Pharisæorum* sententia erat fuisse ramos & fructus arborum designatos ut hoc festo manibus gestarentur; eosque reipsa gerebant.

Ab. Ezr. in Levit. 23.

Maym. in Succah, Per. 7.

Itaque prima die festi parabant ramos Palmarum, Salicum & Myrtorum, eosque colligabant funiculis aureis aut argenteis, vel aliis vittis, & tota prima festi die manibus gestabant. Mane quis ædibus exiens habebat suum *Lulabb*, sic enim hunc ramorum fasciculum vocabant; nec ullo tempore seu oraret, seu esset in Synagoga, &c. manu eum dimittere licebat, nec reliquis festi diebus unquam sine eo ad Templum veniebat.

Erat locus paulo infra *Hierosolymam*, qui vocabatur *Motsa*, & videtur fuisse ad ripas torrentis *Kidron*, unde unusquisque sibi duos ramos sumebat, unum in suum *Lulabb*, seu ad eum colligandum cum ramis Palmarum & Myrtorum; alterum vero Altari. Semel unaquaque die festi cum hisce circumibant Altare, unumque ibi relinquebant. Initio mos erat prima die festi ramos Templo inferre, ibique in sequens matutinum tempus relinquere, eos infigendo circa Peristylium quod Montem Domus ambibat, & eo tempore eos resumere. Verum hoc contentiones excitabat, dum unusquisque suum ramum habere vellet; unde factum est ut *Synhedrium* decreverit unumquemque ramos suos domum reportaturum, & inde sequente die relaturum secum.

Thalmud. in Succah, Per. 4.

Thosaph. in Succah, Per 7.

Cum igitur sibi τὸ *Lulabb* comparaverant, & ramum salignum Altari, quotidie Atrium ingrediebantur, & circumeuntes Altare, ramosque versus id porrigentes, clamabant *Hosanna*, vel, *Serva, quæso, o Domine*. *O Domine, rogo te, mitte nunc prosperitatem*, Psalm. 118. 25. Interim tuba canebat, & septima die septies circumibant Altare, vocabaturque id *magnum Hosanna*. Quotidie cum abibant, clamabant יופי לך מזבח יופי לך מזבח *Pulchritudo tibi, o Altare, pulchritudo tibi o Altare*.

Observatio hujus consuetudinis lucem fœneratur *Matth.* 21. 8. 9. 15. *Joann.* 12. 12. 13. & *Apocal.* 7. 9. 10.

SECTIO III. *Mala Citrea*. אתרוג

Nullo Scripturæ loco res hæc niti videtur, sed Traditionis Magistri eam deduxerunt ex loquutione quæ extat loco modo allato: *Sumetis vobis* פרי עץ הדר, *fructum arboris pulchræ*, ut verterunt *Angli* nostri, non multum a Septuaginta Interpretum Versione abeuntes. At hæc verba varie enarrant *Thalmudici*. *Scriptum est*, inquiunt פרי עץ הדר, *hoc est*, *arbor cujus fructus est pulcher, & cujus lignum est pulchrum. Quænam autem est nisi Malus Citrea? Si dicas esse Malum Punicum; fructus ejus est pulcher, sed lignum non est pulchrum. Si dicas Carrubium; lignum ejus est pulchrum, sed fructus non est pulcher. R. Simeon Ben Jochai dicit, Arbor cujus fructus est pulcher, & ejus lignum pulchrum, sapor ejus fructus similis sapori ejus ligni, ejus lignum simile ejus fructui, & ejus fructus similis ejus ligno, quænam est hæc arbor? Malus Citrea. Vocatur* עץ הדר, *ait R. Levi* שדר, *quia manet in arbore ab uno anno in alterum. R. Tanchuma, dicit Aquila, vertit* הדר *voce* הידר, *nam est arbor quæ crescit ad aquas. R. Abbu dicit, Ne legas* הדר, *sed* הדור, *nam in Græca lingua vocant aquam* הודור ὕδωρ. *Jam autem quænam arbor est quæ crescit ad omnes aquas? Malus Citrea*. Juxta hanc receptam interpretationem *Chaldæus Paraphrastes* versum illum loci laudati sic vertit *Sumetis vobis fructum Mali Citreæ* quod admittitur ab omnibus Judæis.

Thalm. Hierof. in Succ. fol. 13. col. 2. & Thalm. Babylon. in Succah, fol. 35. & Aruch in הדר. R. Solom. & Baal Turim in Levit. 23.

Atque hoc apud omnes adeo receptum erat, ut quemadmodum fasciculum ramorum altera manu in Tabernaculorum festo gerebant, ita etiam altera malum citreum gestabant, & hoc præceptum esse non minus districte putabant, ac prius. De hoc rituali Malo Citreo, ut ita eum vocem, tædiosum esset huc transferre quæ curiosius definierunt Rabbini, de ejus magnitudine, aliisque circumstantiis requisitis. De eo duntaxat historiam referam observatu non prorsus indignam. Dicitur nimirum in *Baithusæum* vel *Sadducæum*, cum omisisset aliquam partem Ministerii sui ad Altare in festo Tabernaculorum, (de quo Ministerio mox loquemur) nec ea functus esset ut par erat, tota Congregatio insurrexisse, & impetiisse eum (*Thalmudici* habent *lapidasse*) malis suis citreis. Quam in rem Rex *Jannai*

Succah, ib. Thosapht. ibid.

Juchasin, fol. 15. Thalm. Babyl. in Sanhedr. Per. 2. in Gemar. Hal. 2.

nai, qui & ipse *Sadducæus* erat, gladium in Templum inferri jussit, & varios ex Sapientibus interfecit. Utrum hic esset Rex *Jannai* de quo est historia notatu digna in Tract. *Sanhedrin* loco in margine citato, quæ huc aliquatenus referri potest, tempus ac locus inquirere non sinunt.

SECTIO IV. *effusio aquæ*, נישוך המים *& descriptio Ministerii Sacri unaquaque die.*

Ritus & consuetudines hujus festi, quæ jam sunt memoratæ, aliquomodo miræ erant; sed quæ omnium maxime mira est superest adhuc dicenda, nempe *haustio & effusio aquæ*, & magna Judæorum propterea Hilaritas. Quotidie aqua effundebatur, & tanta erat populi lætitia, ut in toto hoc festo & reliquis totius anni festis nulla esset similis. Quæ ut melius intelligatur, ut & totius festi ratio, postquam ostendimus quinam esset in eo virorum ornatus, ordine describemus uniuscujusque diei varia & peculiaria ministeria & circumstantias, prout nobis occurrent.

Primum manibus ramos & citrea gerentes mala ad ordinarium matutinum sacrificium veniebant, atque expectabant ita donec oblatum esset. Postquam membra hujus victimæ imposita fuerant Altari, tum fiebat hæc effusio aquæ, sed vino mixtæ, in Altare hac ratione. Sacerdos quispiam cum aureo cantharo ibat ad fontem vel Piscinam *Siloam*, eumque aqua implebat. Redibat in Atrium per eam Portam quæ *Porta Aquæ* vocabatur, & quam suo loco lustravimus, atque ingrediente eo, tuba canebat. Conscendebat ascensum Altaris, ubi erant duo lances, in quorum altero erat vinum, in alterum vero aquam infundebat, ac postea utrumque miscebat. Deinde sensim effundebat, qua actione dum occupabatur, populus clamabat ad eum, *Attolle manum tuam*: cujus admonitionis ratio erat, quia hic *Baithusæus*, vel *Sadducæus*, cujus jam meminimus, dum hac libatione occupatus esset, cum debuisset vinum procul a se effundere, id effudit in pedes suos, quo factum est ut Congregatio eum malis suis citreis impetierit.

Thosapht. in Succah. Per. 3. Thalm. ib. Per. 4.

Dum fieret hæc libatio, Melodia & Symphonia incipiebant, & canebatur quidem omnibus festi diebus in quotidiano sacrificio τὸ *Hallel*, *renovatum quotidie*, ait *Hierosolymitanum Thalmud*, *ut eorum Lulabb quotidie renovabatur*. Cum inter canendum τῷ *Hallel* veniebant ad initium *Psalm.* 118. *Confiteamur Domino*, &c. omnis Congregatio concutiebat ramos suos: quod repetebat cum venerant ad hæc verba, *Hosanna*, &c. *Serva nunc quæso*, *Domine*; & ad hæc, *O Domine, oro te mittas nunc prosperitatem*; denique ad ultimum versum illius Psalmi, qui ultimus erat versus τȣ̃ *Hallel*, *Confiteamur Domino*, &c.

Thalmud Hieros. in Succah, Per. 5.

Postquam rite peractum erat quotidianum sacrificium, tum incipiebant offerre addititias victimas jam memotatas; quod dum fieret, Musici iterum canebant peculiarem aliquam partem Psalmi cujuspiam.

Maymon. in Tham. Per. 10.

Prima die, *Psalm.* 105.
Secunda, *Psalm.* 29.
Tertia, *Psalm.* 50. ad *vers.* 16.
Quarta, *Psalm.* 94. ad *vers.* 16.
Quinta, *Psalm.* 94. ad *vers.* 8.
Sexta, *Psalm.* 81. ad *vers.* 6.
Septima, *Psalm.* 82. ad *vers.* 5.

Cum addititia hæc sacrificia etiam oblata fuissent, populus pransurus domum redibat, cantato prius τῷ *Hosanna* circa Altare, ut diximus, nisi qui votivas aut spontaneas victimas oblaturi, expectabant. A prandio ibant aliquantisper in Scholas Theologicas, seu Legis studio incumbebant; & cum tempus aderat, ad vespertinum sacrificium, quod matutino simillimum erat.

Sub vesperam incipiebant שמחת בית השואבה, *Hilaritatem propter effusionem*, vel *haustionem aquæ*, quam in multam noctem producebant unaquaque festi die; & tantopere lætabantur, ut dicant, מי שלא ראה שמחת בית השואבה לא ראה שמחה מימיו, *Qui nunquam vidit hilaritatem haustionis aquæ*, *nunquam vidit hilaritatem omnibus diebus suis*. Eo tempore quo aqua hauriebatur ex *Siloam*, & effundebatur in Altare, non licebat populo lætitiæ fræna laxare, propter gravitatem ac solennitatem istius ritus; sed absolutis totius diei cæremoniis, cum nox advenerat, tum in lætitiam effundebantur, quæ æque mira est tum ad rationem ejus, tum ad causam quod attinet. Hæc autem erat ejus ratio.

Succah. Per. 5.

Ibant in Atrium Mulierum, & mulieres quidem ibi se collocabant in altioribus porticibus circa Atrium; viri autem stabant in medio Atrio. Erant quatuor Candelabra (vel potius quatuor speculæ) ingentis crassitiei, & tantæ altitudinis, ut Atrii muros superarent, & Montem Domus magno intervallo. Ad unumquodque Candelabrum (erant posita ad quatuor Atrii latera) erat scala per quam quatuor juvenes Sacerdotes ascendebant cum multo oleo, & ellychniis con-

Ibid. & Maymon. in Succah Velulabb, Per. 8.

confectis ex Sacerdotum veſtibus & cingulis detritis, curabantque flammæ non deeſſe alimentum.

Fiſtula Templi incipiebat canere, & multi Levitæ cum inſtrumentis ſuis ſtantes in quindecim gradibus quibus deſcendebatur ex Atrio *Iſraelis* in Atrium Mulierum; & quicunque ex Sacerdotibus Muſicæ peritus erat, tum voce, tum inſtrumento, ſe iis conjungebat. Interea Magnates, & præcipui ex populo, ut membra *Synhedrii*, Archiſynagogi, Doctores Scholarum, viri quique celeberrimi ſeu munere, ſeu pietate, ſaltabant, tripudiabant & canebant, quantum poterant, ſpectantibus mulieribus & vulgo; atque in hiſce ludicris maxima noctis pars abibat. Et quo magis humiliarent ſe, ut *David* coram Arca fecerat, ſaltando, eo majori laude dignos ſe cenſebant.

Denique intempeſta nocte duo Sacerdotes ſtantes ad Portam *Nicanoris*, tubis ſuis canebant; deinde deſcendebant ad decimum gradum, atque iterum ibi canebant; & in Atrium ipſum venientes tertia vice canebant, pergebantque canere per totum Atrium, donec ad Orientalem ejus Portam veniſſent; ac tandem vultu converſo ad Templum dicebant: *Patres noſtri qui hoc in loco fuerunt, dorſa ſua obvertebant Templo Domini, & facies ſuas verſus Orientem; ſed ad nos quod attinet, ſumus ad eum converſi, & oculi noſtri eum reſpiciunt.*

Quidam ex Magnatibus dum ſaltarent, dicebant, *Benedicta eſto tu, o mea juventus, quæ ſenectutem meam pudore non affeciſti.* (אילו אנשי מעשה, Hi vocabantur *Viri Operis*) *Alii vero dicebant, Benedicta eſto tu, o mea ſenectus, quæ juventuti meæ contradixiſti.* (Hi erant *Chaſidim*, & pœnitentiam egerant) *Et utrique dicebant, Beatus qui non peccavit, & is cui in peccatum lapſo condonatum eſt peccatum.*

Thalm. Hieroſ. in Succah, fol. 55. & Thalm. Babyl. ib. fol. 5.

Tandem laſſitudo, ſomnus & ſatietas, uſque ad alteram noctem, imponebant finem feſtivitati, & ſic abibant, quidam in Tabernacula ſua, alii vero noctu foris ſtabant, מנמנמי אכתפא דהדרי, donec ſtantes aut ſedentes dormitarent, innixi alterius humero, donec proxima eſſet, Aurora.

Jam ad inquirendam cauſam miræ hujus & extraordinariæ hilaritatis, non difficile erit oſtendere quare lætiores eſſent in feſto Tabernaculorum quam in aliis; nempe quia jam omnes ſuos fructus in horrea collegerant, unde hoc feſtum vocabatur *Feſtum Collectionis in fine anni*, Exod. 23. 15. 16. Sed mirum videtur quare tantam lætitiam teſtati fuerint in hauſtione & effuſione aquæ memoratæ, nec facile eſt hujus rei rationem afferre.

R. Akiba effuſionis aquæ hanc cauſam profert. *Lex dicit*, inquit, *Offerto Homer hordei in Paſchate, quia tum erat tempeſtas hordei, ut tritico benedicatur. Offerto triticum & Primitias in Pentecoſte, quæ erat tempeſtas arborum, ut fructui arborum benedicatur. Offerto* נסוך המים, *libationem aquæ, ut imbribus benedicatur. Ideoque dicitur, Quicunque nolet venire ad feſtum Tabernaculorum, pluvia cariturus.* Tum enim erat tempeſtas ultimarum pluviarum, *Joel.* 2. 23.

Thoſaph. ubi ſupra.

Maymonides hanc tradit lætitiæ cauſam, quia lætitia erat propter obſervationem Legis, cui nulla alia conferri poteſt. Ideo dicit, *Vulgus & quicunque vellent in hac lætitia actores non fuiſſe;* nunquam enim aut ſaltabant, aut canebant; *erant tantum ſpectatores; actores erant viri magni in Sapientia & Religione.*

Maym. ubi ſupra.

Verum notatu dignus eſt *Hieroſolymitani Thalmudis* locus in hanc quæſtionem. *R. Levi* dicit, *Quare nomen ejus vocatur* בירת תשואבה, *Hauſtio aquæ?* שמשם שואבים רוח הקודש, *Propter hauſtionem vel effuſionem Spiritus Sancti; juxta id quod dicitur, Cum hilaritate haurietis aquas ex puteis ſalvationis*, Iſai. 12. 3.

Thalm. Hieroſ. ubi ſupra.

Quæcunque fuerit iſtius rei cauſa, hiſce ritibus feſtum celebrabant, & hac de occaſione. Cujus rei obſervatio nos juvat ad illuſtrandum locum *Joann.* 7. 37. 38. qui plane videtur alludere ad hanc conſuetudinem. Nam Servator noſter ultima & magna die hujus feſti, (vide *verſ.* 2.) cum per ſeptem dies hilaritatem magnam teſtati fuiſſent propter hanc hauſtionem & libationem aquæ ex Piſcina *Siloam*, (quæ, quibuſdam fatentibus Judæis, reſpicit effuſionem Spiritus Sancti) *ſtetit & clamavit dicens, Si quis ſitiat, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, ex ejus ventre fluent rivi aquæ vivæ: dicens hoc de Spiritu* &c. Quaſi nempe iis dixiſſet: Tanta lætitia hauritis aquam ex *Siloam*, eamque effunditis, quæ tantum eſt typus effuſionis Spiritus Sancti. Ille ego ſum qui poſſum vobis dare aquas vivas; in eum qui credit in me tanta copia Spiritus Sancti effundetur, ac ſi rivi aquæ vivæ perpetuo eſſent ex ejus ventre effluxuri. Atque ut hæc dicta ſua miraculo confirmaret, illico viſum reſtituit cæco nato, jubens ut ablueretur in Piſcina *Siloam*, *Joann.* 9. 7.

Hi erant ritus quotidiani feſti Tabernaculorum. Quotidie populus veniebat cum ſuis ramis ad Templum, *Hallel* canebatur, hauriebatur aqua ex *Siloam*, in Al-

tare vino mixta effundebatur, circumibant Altare, canebant τὸ *Hosanna*, & nocte lætabantur propter haustionem aquæ. Hoc erat tantum discrimen inter festi dies, quod nocte præcedente Sabbatum quod in festum incidebat, & nocte antecedente octavam diem, quæ sancta erat, non saltarent ac canerent; septima vero die septies circumirent Altare, eaque nocte omissis saltationibus, die octava iidem redirent ritus, comederentque sua mala citrea, quod antea non licebat, festumque magna hilaritate in Atrio Mulierum concluderent. Ideoque hæc dies ab Evangelista non modo vocatur *ultima*, sed etiam *magna dies festi*, tum quia sancta erat, tum quia finem festo imponebat.

SECTIO V. *De Festis Tubarum & Dedicationis.*

De festis Tubarum & Dedicationis multa dicenda non habemus, quia non magis ad Templum pertinebant quam ad universam regionem, nisi quod sonitui Tubarum in Templo quædam addebantur extraordinaria sacrificia die prima *Tisri*, quæ totius anni prima erat; quam in rem extat præceptum, *Numer.* 29. 1. 2. 3. Hæc tantum Traditio in eam praxim irrepsit, quod cum in aliis locis initio anni caneret Tuba ex cornu arietis aut ovis facta, adhiberentur duæ Tubæ argenteæ, & Levitæ canerent ea die Psalmum 81.

Maymon. in Succah, Per. 1.

Thalm. in Rosh Hashanah, fol. 31.

Festum Dedicationis, cujus mentio fit *Joann.* 10. 22. originem duxit ab instauratione Templi, Altaris & Ministerii, quæ polluta & interrupta fuerant a *Syro-Græcis* Tyrannis, Instituit festum hoc *Judas Maccabæus*, *ejus fratres & tota Congregatio* a 25. die mensis *Cisleu* per octiduum; quod incidebat in Decembris nostri initium. Hoc habebat maxime peculiare in Ministerio Templi, quod quotidie caneretur τὸ *Hallel*. In aliis locis accendebant unaquaque vespera candelas, quas januis ædium suarum per totam noctem comburendas imponebant: atque hoc lapsu temporis aucto, quot erant capita in familia, totidem apponebantur candelæ; imo quidam secunda vespera altera parte augebant numerum candelarum, & semper primum numerum summæ adjiciebant, adeo ut si prima nocte fuissent decem, octava octoginta fuissent futuræ.

1. Macc. 4. 52. 59.

Maymon. in Chanucah, Per. 3.

Ratio hujus ritus affertur ab Auctore modo in margine laudato, hisce verbis: *Cum Israel vicit & delevit hostes suos, erat* 25. *mensis Cisleu, & iverunt in Templum, nec ullum ibi invenerunt purum oleum præter unam phialam; nec plus erat in ea olei quam necesse erat ad alendam Lucernarum flammam per unam diem: attamen eo Lucernas accenderunt.* Atque hic, ut ajunt Scholia, *editum est in eorum gratiam miraculum; nam aluit flammam Lucernarum per octo noctes: unde Sapientes ejus generationis constituerunt sequente anno hosce octo dies fore dies festos & gratiarum actionis, ac candelas ad januam ædium accensum iri.*

Id. ibid.

Gloss. ib.

CAPUT XVII.

Partes quædam peculiares Ministerii.

SECTIO I. *Lectio Legis ad quam Rex tenebatur.*

EST hoc præceptum *Mosis*: *Post septem annos remissionis, in solennitate Tabernaculorum, convenientibus cunctis ex Israel ut appareant in conspectu Domini Dei tui in loco quem elegerit Dominus, leges verba Legis hujus coram omni Israel, audientibus eis.* Circumstantias loci, temporis, & personæ quæ Legem legeret, sic describunt Judæi. Lector debebat esse ipse Rex, locus Atrium Mulierum, & tempus circa finem primæ diei festæ festi Tabernaculorum. Tum pulpitum ligneum collocabatur in medio Atrio Mulierum, eo enim & mulieres & pueri venire poterant ad audiendum, [quod etiam ipsis præcipitur ibidem, *vers.* 12.] nam non licebat ipsis superius Atrium ingredi. Rex autem veniebat in pulpitum, & sedebat *Minister Congregationis*, חזן כנסת, tollebat Librum Legis, & tradebat Principi Congregationis vel Synagogæ, ראש הכנסת; Princeps Congregationis vel Synagogæ [tum enim eodem modo se gerebant, ac si fuissent in Synagoga] tradebat τῷ *Sagan*, *Sagan* Summo Sacerdoti, Summus Sacerdos Regi; Rex vero stans eum accipiebat, & priusquam legeret concipiebat preces, quibus orabat Deum, ut unusquisque id observaret quod mox in Lege lecturus erat coram omnibus: tunc, si videretur, poterat sedere & legere; sed si stans legeret, majoris hoc reverentiæ credebatur; atque ita ajunt Regem *Agrippam* fecisse, cum hoc fungeretur officio.

Deut. 31. 10. 11.

Thalmud. in Sotah, Per. 7. R. Solom. in Deuter. 31. Maym. in Hagigah, Per. 1.

Incipiebat legere initio *Deuteronomii*, & legebat ad *vers.* 10. *Cap.* 6. Hinc transibat ad *vers.* 13. *Cap.* 11. & legebat usque ad *vers.* 22. ejusdem *Capitis*. Ibi rursus prætermissis sequentibus, transiliebat ad *vers.* 22. *Cap.* 14. & legebat ad *vers.* 2. *Cap.* 29. Existimabat enim

satis

ſatis eſſe modo legeret eas tantum portiones quæ graviſſimæ erant, & prægnantioribus conceptæ verbis commovere populum poterant & incitare ad obſervationem mandatorum, atque confirmare manus ejus in Lege veritatis. *Thalmud* infert Regem *Agrippam*, cum hoc fungeretur officio, & perveniſſet ad *Deut.* 17. 15. *Unum ex fratribus tuis conſtitues tibi Regem : non poteris alterius Gentis hominem qui non ſit frater tuus, Regem facere*, illachrymaſſe, cum meminiſſet ſe non eſſe ex ſanguine Judæorum : ſed populum, ut illum conſolaretur, ter inclamaſſe, *Ne timeas*, *Agrippa*, *frater noſter es*.

Ea lectio vocatur פרשת המלך, *Sectio Regis*, atque enumeratur a Judæis inter illa octo quæ neceſſario Hebraica lingua efferri debebant. Ea autem octo hæc ſunt.

I. Verba ejus qui offerebat Primitias, *Deut.* 26. 5.

II. Verba mulieris quæ calceum exuebat, *Deut.* 25. 7. 8. 9.

III. Benedictiones & maledictiones, *Deut.* 27. & 28.

IV. Benedictio Sacerdotum, *Num.* 6. 24. 25. 26.

V. Benedictio Summi Pontificis die Expiationis.

VI. Hæc lectio Regis.

VII. Verba Sacerdotum hortantium ad prælium, *Deut.* 20. 3.

VIII. Verba Seniorum ſuper juvenca cæſa, *Deut.* 21. 7. 8.

SECTIO II. *Combuſtio Vaccæ Rufæ a Sacerdotibus*.

Lex circa conſumptionem Vaccæ rufæ in cineres, & uſum iſtorum cinerum ad purificationem eorum qui cadavere polluti fuerant, fuſe traditur ac deſcribitur *Num.* 19. & ſignificatio hujus ritus aliarumque aſperſionum perſtringitur *Hebr.* 9. 13. Ratio qua peragebant hanc magni momenti cæremoniam, (talis enim haud immerito babebatur, cum ea adhiberent ad homines purificandos ex maxima pollutione) erat ultra modum anxia, & tanta hoc in negotio circumſpectione utebantur, ut in nullo ritu plures adhiberent cæremonias.

Ne jam memorem anxietatem in eligenda Vacca quæ huic rei apta eſſet, & cautiones ac ſcrutinia quæ tum adhibebant, & quæ ſubtiliter diſcutiuntur in duobus primis Capitibus Tractatus *Parah*: ne diſquiſitionem jam inſtituam, utrum hæc combuſtio pertineret tantum ad Summum Sacerdotem, utrum vero rite a quovis alio peragi poſſet; cum eo uſque devenerant, ita ſe gerebant.

Septem diebus antequam Vacca combureretur, Sacerdos qui eam combuſturus erat, ſeorſim detinebatur in Templi Conclavi, quod erat in angulo Euroaquilonari Atrii *Iſraelis*, & quod vocabatur בית האבן, *Domus Lapidea*, hoc eſt, in qua erant vaſa lapidea, ut oſtendimus in ejus deſcriptione. Ratio autem hujus ſeparationis hæc erat, nempe ut certus eſſe poſſet ſe purum fuiſſe toto illo tempore omnis pollutionis ex cadavere, aut funere contractæ. Nam cum cineres iſtius Vaccæ eſſet magna & unica luſtratio illius pollutionis, ejus erat diligenter cavere, ne ipſe qui eam combuſturus erat, & aſperſurus ejus cineres, ſuſpectus eſſet pollutionis.

Vide Juchaſ. fol. 13. R. Solom. in Num. 19. Thalm. in Parah, Per. 3. in Mishnah, & Joma, Per. in Gemara.

Cum dies combuſtionis venerat, Sacerdos qui cæremoniam erat peracturus, & qui ei adfuturi erant, exibant ex Orientali Porta Montis Templi, quæ vocabatur etiam *Shushan*, & reſpiciebat Vallem *Cedron*, verſus Montem *Oliveti*, & ibant ad cacumen collis, qui erat e regione Portæ ex qua exierant, & ante Templum. Via autem quæ erat ſupra Vallem, erat ſtrata, & duplici fornici impoſita, hoc eſt, ita ut arcus unus duobus inniteretur, qua ratione via facta fuerat plana, & ad perpendiculum per totum illud ſpatium. Ratio autem tantorum ſumptuum & tam anxiæ cautionis hæc erat, ut certi eſſe poſſent ſe non calcaſſe latens aliquod ſepulchrum, quo tranſeuntes pollui potuiſſent; neque enim lapidei fornices ſinebant ibi deſodi aliquod cadaver. Similes Arcus, propter eandem cautionem, obſervavimus ſuo loco fuiſſe ubique ſub Atriis Templi; atque ejuſdem etiam ſecuritatis gratia locus Montis *Oliveti*, in quo Vacca comburebatur, erat fornici impoſitus.

Middoth Per. 1.

Maymon. in Parah, Per. 1. Shekalim, Per. 4. & Thalm. in Parah, ubi ſupra.

Seniores populi ante Sacerdotem incedebant, omneſque qui aderant per viam iſtam ſtratam, ad locum combuſtionis; & cum eo devenerat Sacerdos, imponebant ei manus ſuas, & eum monebant ut ſe lavaret, erat enim ibi locus eam in rem paratus; quod faciebat. Poſtea aſtruebatur pyra in qua comburebatur, cui vinctis fune cruribus imponebatur Vacca, ita ut caput ejus ad Auſtrum eſſet ſitum, & facies Occidentem reſpiceret. Sacerdos ſtans ad Orientale ejus latus, facie ad Occidentem obverſa, jugulabat eam manu dextra, & læva ſanguinem ejus accipiebat.

Erat autem cautum Lege, ut aſperſio ſanguinis ejus *fieret recta verſus Tabernaculum Congregationis, & quidem ſepties*, Nu-

Numer. 19. 4. Cui mandato ut ſatisfieret, Sacerdos jugulatæ Vaccæ ſanguinem toties adſpergebat verſus Templum, reſpiciens Portam *Shushan* ſupra Porticum Templi: cujus Portæ lorica ſuperior ideo humilior erat loricis aliarum Portarum, quæ erant circa Sanctuarium, ut ſupra eam poſſet videre faciem Porticus, quamvis eo pertingere non poſſet.

Adſperſione ſanguinis Vaccæ peracta, ignem ſubjiciebat pyræ, eamque incendebat; & dum ureretur, ſumebat lignum cedrinum, & hyſſopum, & lanam purpuream, & iſta oſtentans dicebat adſtantibus, *Hoc eſt cedrinum lignum*, *Hoc eſt cedrinum lignum*, *Hoc eſt cedrinum lignum*, ter repetitis iiſdem vocibus, populo ter reſpondente, *Bene*, *Bene*, *Bene*. Similiter dicebat, *Hæc eſt hyſſopus*, *Hæc eſt hyſſopus*, *Hæc eſt hyſſopus*. *Hæc eſt lana purpurea*, *Hæc eſt lana purpurea*, *Hæc eſt lana purpurea*, ter reſpondente populo utrique huic voci. Tum iſta in ignem conjiciebat, & una cum Vacca comburebantur.

Cum omnia eſſent combuſta, ſumebant cineres, quos ponderabant & cribrabant, & aliquam eorum partem relinquebant in loco quopiam Montis *Oliveti* ad populum adſpergendum. Altera pars tradebatur viginti quatuor Claſſibus ad aſperſionem Sacerdotum. Tertia reponebatur ἐν τῷ *Chel*, ſeu ſpatio intermurali Atrium ambiente, ubi memoriæ cauſa aſſervabatur. Novem hujus generis Vaccæ combuſtæ fuerunt inter tempus quo primum Lex circa hunc ritum data eſt, & poſtremam Templi deſtructionem: una tempore *Moſis*, altera combuſta ab *Ezra*, duæ a *Simone Juſto*, duæ a *Jochanane* patre *Matthiæ*, una ab *Elienai* filio *Hakkoph*, una ab *Hananeele Hammizri*, una ab *Iſmaele* filio *Fabi*. Judæi decimam expectant diebus *Meſſiæ*: qua in re ὡς ἐν παρόδῳ, obſervare poſſumus, quam auctæ fuerint pollutiones eorum Traditionibus: nam duæ ejuſmodi Vaccæ inſervierunt uſque ad *Ezræ* tempora per ſpatium pluſquam mille annorum; tempore vero ſequente, quod non eſt dimidium præcedentis, ſeptem conſumptæ ſunt.

Juchaſin, fol. 16.

Cum porro Lex ad purificationem polluti hominis juberet *hominem mundum eos cineres ſpargere*, Numer. 19. 18. eorum Traditio hoc ita interpretata eſt, ut intellexerint virum qui per totam vitam nunquam cadavere pollutus fuiſſet; erantque fornices *Hieroſolymæ* rupi inædificati, quibus ædes impoſitæ erant, ut ejuſmodi viri mundi poſſent reperiri. Atque eo tanquam ad locum ſepulcrorum expertem, quædam deducebantur mulieres gravidæ quarum inſtabat partus, quæ ibi decumbebant. Eorum filii ibi perpetuo educabantur ad hoc ſolum officium, ut parati eſſent, ſtatim ac poſſent, & ſeſe offerret occaſio, ad ſpargendos hoſce cineres. Quod cum aliquis ex illis facturus erat, ibat inſidens dorſo bovis, primum ad Piſcinam *Siloam*, ubi deſcendebat in aquam, ibi enim nullum eſſe exiſtimabatur ſepulcrum quod eum polluere poſſet; & impleta lagena inde aſcendebat, equitabat ad Montem *Oliveti*, adſpergebat eos qui erant purificandi, & ſemper dorſo bovis ad ſuam cellulam redibat.

SECTIO III. *Examen ſuſpectæ Uxoris*.

Lex de zelotypia, & examine Uxoris ſuſpectæ, quæ lex habetur *Numer.* 5. intelligebatur & obſervabatur a Judæis juxta haſce Conſtitutiones & Traditiones.

Thalm. in Sot. Per. 5.

Si vir quiſpiam coram duobus teſtibus uxorem ſuam monuiſſet, dicens, *Vide ne iſtum virum alloquaris*; licet non pareret uxor, erat tamen inculpabilis apud virum. Sed ſi in locum privatum cum iſto homine ſeceſſiſſet, & aliquantulum ibi cum eo manſiſſet, tum fidem fregiſſe viro exiſtimabatur, eamque deducebat ad vicinum *Synhedrium*. *Synhedrii* vero illius membra mittebant cum eo & uxore duos Diſcipulos Sapientum ad *Magnum Synhedrium Hieroſolymitanum*, ne ille cum ea in itinere concumberet. Cum ibi eſſet, eam terrebant aſperis ac minacibus verbis, ut culpam ſuam fateretur. Si ſe corruptam fuiſſe fatebatur, lacerabat matrimoniale Inſtrumentum ſuum, atque ita erat repudiata. Sed ſi negando perſtaret, & ſe purgare vellet, *eam deducebant per Orientales Portas*, [ajunt *Thalmudici*] *quæ ſunt ante Portam Nicanoris*. Quod *Rambam* in eum locum ita interpretatur, quaſi *eam traherent, & delaſſarent aſcendendo & deſcendendo per gradus Portarum iſtarum Orientalium, ut præ infirmitate & delaſſatione ad confeſſionem adduceretur*. Si nondum confiteretur, ſed ſe innocentem eſſe contenderet, tum collocabatur in Porta *Nicanoris*, quæ erat Porta Orientalis Atrii. Tum Sacerdos qui examini ejus præfuturus erat, apprehenſam ejus veſtem lacerabat, adeo ut mammas ejus denudaret uſque ad regionem cordis. Si eſſet induta alba veſte, nigra ei imponebatur, & coma ejus ſolvebatur ita ut circa humeros penderet. Si haberet annulos, vel gemmas, ei detrahebantur, &

fune

fune cingebatur super mammas. Et quicunque eam cupiebat videre, poterat eo venire, præter ejus servos. Atque huc facit Thalmudica observatio. *Qua mensura quis metitur*, ajunt Doctores, *metiantur ei vice versa. Ea se ornavit ad transgrediendum, sed Deus polluit ejus ornatum; se retexit ad peccandum, Deus retegit ejus infamiam; stetit in janua ut se ostentaret, est posita in porta ad ostendendum suum probrum; extendit velum supra caput suum, Sacerdos pedibus ejus id supposuit; vinxit suam comam, Sacerdos eam solvit; cinxit se cingulo venusto, Sacerdos eam cingit cingulo afflictionis; faciem suam ornabat, sed sputis conspurcatur; ornabat oculos suos, oculi ejus jam prominent; faciebat signa digitis suis, ejus ungues exsecti sunt; ejus femur cœpit peccare, & postea ejus venter, ideoque femur ejus primum punitur, deinde ejus venter, nec totum ejus corpus evadit.*

Ibid.& R. Abbubah in Menorah, Per. I.

Ejus oblationem, quæ erat vasculum farinæ hordeaceæ, Sacerdos in manum ei tradebat, juxta mandatum Legis, *Numer.* 5. 15. 18. Tum ille testam accipiebat, & nonnihil aquæ ex Lavacro ei infundebat, & ingressus intra januam Templi, sumebat aliquantulum pulveris sub lapide, qui ea de causa cœmento adstrictus non fuerat, (ubi esset diximus suo loco) & hunc pulverem immiscebat aquæ. Deinde denuntiabat maledictionem, & scribebat hæc verba in Libro, *Numer.* 5. 19. 20. 21. 22. *Si non dormivit vir alienus tecum, & si non polluta es*, &c. *Sin autem declinasti a viro tuo*, &c. *Det te Dominus in maledictionem*, &c. *Ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, & utero tumescente putrescat femur.* Et fœmina respondebat, *Amen, Amen.* Postea expungebat Sacerdos maledictionem ex libro aqua amara, & tradebat ei bibendam. Si denunciatione maledictionum ita terrebatur ut non auderet bibere, sed se corruptam fateretur, Sacerdos effundebat aquam, & oblationem ejus dispergebat per cineres; sed si negaret, nec vellet bibere, eam cogebant; ac si parata foret ad evomendam aquam, eam abducebant, ne pollueret locum. *Operatio hujus aquæ*, ajunt Rabbini, *postea sequebatur, licet aliquando non appareret nisi post duos aut tres annos; nam interea non pariebat liberos, sed male ac languide se habebat, & ea morte e medio tollebatur.*

SECTIO IV. *Expiatio pro Leproso purgando.*

In angulo Atrii Mulierum ad Caurum obverso, erat ædificium quoddam quod vocabatur לשכת המצרעים, *Conclave Leprosorum*, quo veniebant Leprosi postquam ruri, vel domi purificati essent. Atque hic sentio me alibi hallucinatum esse; quem meum errorem, bona cum lectoris venia, hic retractare constitui. Dixi in Notis ad *Joann.* 2. 15. Leprosos fuisse inspectos in hoc Conclavi a Sacerdote, adeoque illis non fuisse interclusum aditum Montis Domus, & cultus publici qui Deo in Templo exhibebatur. Verum quidem est Leprosos adire potuisse Synagogas, seu loca in quibus publice Deus colebatur, in iis urbibus quæ mœnibus cinctæ non erant, modo seorsim & in loco a cæteris remotiori starent; sed oblationem inferre Templo interdictum iis erat, addita pœna gravissima, ut antea a me ostensum est; imo ab omni urbe mœnibus cincta excludebantur. Eorum ergo examen ruri fiebat, ubi purificabantur a Sacerdote variis adhibitis cæremoniis, & postquam purificati fuerant, septima die iterum se offerebant conspiciendos Sacerdoti, ut & antea fecerant, & corpore aqua abluto, poterant *Hierosolymam* venire: Octava die ascendebant in Montem Domus, & adducebant secum tres agnos in holocaustum, in oblationem pro peccato, & delicto, & se abluebant in eo Conclavi quod erat in angulo Atrii Mulierum, quod inde vocabatur *Conclave Leprosorum*.

Thalm. in Middoth, Per. 2.

Maym. in Tephill.

Idem in Tum.tsor. 11.

Thalm. in Neg.Per. 11.

Cum *Migrephah*, vel Tintinnabulum (sic enim vocare liceat) movebatur ab iis qui intrabant in Templum, ad offerendum Thymiama, Præfectus eorum qui tum Templo inserviebant, exibat & ipsum conveniebat, ut & omnes qui antea immundi fuerant, & veniebant ut purificarentur, eosque sistebat ad *Portam Nicanoris*. Sed erant hic duo præcepta contraria, quibus quomodo satisfieri posset disquirendum erat: nam nec Leproso licebat calcare solum Atrii priusquam expiatio ejus facta esset, nec poterat sanguis oblationis pro delicto Atrio efferri; attamen oportebat eo lini auriculam Leprorosi, pollicem & hallucem, *Levit.* 14. 13. Ut hæc contraria conciliarentur, veniebat Leprosus intra portam quam proxime poterat, ut tamen in ipso Atrio non esset. Eo oblationem pro delicto ad ipsum

Tam. Per. 5.

Ib. & Sotah, Per. I. Maym. in Mechos. capp. Per. 4. & Gloss. in Sotah.

ipsum deducebat Sacerdos, extendebatque Leprosus manus intra Atrium, easque imponebat victimæ. Cum erat jugulata, Sacerdos afferebat sanguinem, & dum ipse stabat intra Atrium, Leprosus extendebat collum, & caput Atrio inserebat, Sacerdos vero auriculam ejus dextram sanguine tingebat; similiter Leprosus manum & pedem intra Atrium porrigebat, & postquam Sacerdos illevisset sanguine pollicem & hallucem ejus mundus habebatur. Purificatio aliorum pollutorum, ut eorum qui effluvio laborabant, & mulierum post partum, fiebat in eodem loco, & fere eadem ratione, nisi quod auricula & digiti manus ac pedis sanguine non tingerentur. Itaque non opus est ut peculiarem de his tractationem aggrediamur.

SECTIO V. *Qua ratione afferrent ac offerrent Primitias.*

Ne immoremur recensendis variis rerum generibus in quibus Primitiæ solvi debebant, aut explicandæ rationi qua eas domi seponebant, de quibus sunt amplæ disceptationes in *Thalmude*, cum hæc sint extra instituti nostri limites, quippe quæ longius fuerint a Templi finibus remota; ritus ac cæremoniæ quibus utebantur in afferendis ad Templum Primitiis, ibique adeo offerendis, proprius pertinent ad nostrum institutum. Hæc autem hac ratione fiebant. Omnes urbes quæ ad tractum aliquem pertinebant conveniebant ad præcipuam ejus tractus urbem, atque in plateis pernoctabant. Conveniebant autem, quia volebant turmatim ire, juxta id quod dicitur, *Multitudo populi est Regis decus*; & pernoctabant quidem in plateis, ne ingrediendo in ædes polluerentur. Matutino autem tempore Præses, seu præcipuus inter illos, his verbis eos excitabat, *Surgite, ac eamus Sionem ad Dominum Deum nostrum*: qua voce audita, viam capessebant. Ante eos ibat taurus cornibus auratis, & oleæ ramo coronatus. Præcedebat etiam Tibicen tibia canens donec essent vicini *Hierosolymæ*; tum sæpius repetebant hoc dictum: *Lætus eram cum dicebant, Eamus Domum Domini*. Confer *Psalm.* 30. 29. Diebus quibus iter facere licebat, iter faciebant tantum per duas diei partes, ne lassitudine vitiaretur festivitas. Cum erant vicini *Hierosolimæ*, mittebant Nuntium, qui eos adventare referret, & floribus ornabant sua vasa, & aliquot fructus ex recentissimis oculis exponebant. Cognito eorum adventu, præcipui ex Sacerdotibus ipsis obviam ibant, & cum ingressi erant urbem, repetebant hæc verba: *Pedes nostri stabunt intra Portas tuas, o Jerusalem*; omnesque artifices qui erant tunc in officinis surgebant, & salutabant eos: *O fratres nostri hujus vel illius loci, faustus & felix sit vester adventus*. Tibicen tibia sua ante eos canebat donec venirent ad Montem Domus; & cum eo pervenissent, unusquisque, אפיל אגריפס המלך, *etiamsi fuisset ipse Rex Agrippa*, ait Traditio, debebat vasculum suum humero imponere, & ita incedere donec pervenisset in Atrium, ac recitare *Psal.* 150. *Laudate Dominum, laudate Deum in suo Sanctuario*, &c.

Thalmud, in Beccur. Per. 3. & Maym. ib.

Cum erant in Atrio, Sacerdotes incipiebant canere *Psalm.* 30. *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me.*

Tum unusquisque canistrum suum humero gestans dicebat: *Confiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingressus sum in terram pro qua juravit Dominus Patribus nostris, ut daret eam nobis*, Deuter. 26. 3. & dum inciperet dicere, *Syrus periturus erat pater meus*, &c. dejiciebat humero canistrum suum, & tenebat illud limbo, dum Sacerdos subjiceret manum, idque agitaret; & dicere pergebat: *Syrus periturus erat pater meus, & descendit in Ægyptum, & peregrinatus est ibi in paucissimo numero*, &c. usque ad mediam decimi versus partem; quibus recitatis, deponebat canistrum suum ad latus Altaris, & inclinabat ut effunderetur quicquid in eo erat. Utebantur postea canistris suis ad continendos turtures ac columbos qui offerendi erant; at primitiæ ipsæ fructuum pertinebant ad Classem Sacerdotum quæ tum ministrabat. Oportebat autem eos qui eos attulerant *Hierosolymæ* pernoctare, sed sequente die licebat ipsis matutino tempore domum redire. Non poterant offerre Primitias suas ante festum Pentecostes, (confer *Actor.* 2. & *Rom*, 8. 23. nec post festum Dedicationis.

SECTIO VI. *Collectio ligni ad Altare.*

Deus disertis verbis ac districte jusserat ignem Altaris perpetuo ali, ut nunquam extingueretur, *Levit.* 6. 13. Divina ptovidentia, ut observant Judæi, concurrebat ad conservationem ignis: ajunt enim *pluvias e cœlo nunquam ignem extinxisse*; ac homines etiam curabant ut continuo flammaret, pœna flagri ei indicta qui eum extingueret, & ligni copia quod perpetuo in Templum ferri cura-

Thalm. in Avoth. Per. 5. Maym. in Tam. U-mos. Per. 2.

curabant ut aleretur ignis. Loquitur *Josephus* de eorum *Xylophoriis*, seu quadam anni tempestate, in qua populus in eam rem lignum eo deferebat. Hæc ejus sunt verba: Τῶν ξυλοφορίων ἑορτῆς οὔσης, ἐν ᾗ πᾶσιν ἔθος ὕλην τῷ βωμῷ προσφέρειν ὅπως μήποτε τροφὴ τῷ πυρὶ λίποιτο, διαμένει γὰρ ἄσβεστον ἀεί. *Cum est festum Ligni deferendi, quo solent omnes materiam ad Altare afferre, ne unquam igni alimentum desit; semper enim inextinctum manet.* Thalmudicus Tractatus *Thaanith* numerat novem præsertim dies anni ei rei consecratos, atque id opus attribuit novem peculiaribus Familiis, ex iis quæ memorantur ex Captivitate rediisse. *Tempora ligni ferendi*, ait, *Sacerdotibus & populo erant novem. Prima die Nisan, Filii Arab, qui fuit filius Judah. Vigesima Thammuz, filii Davidis, qui fuit filius Judah. Quinta Ab, filii Parosh, qui fuit filius Judah. Septima ejusdem, filii Jonadab Rechabitæ. Decima ejusdem, filii Senaab, qui fuit filius Benjamin. Decima quinta ejusdem, filii Zatte, qui fuit filius Judah, & cum illis Sacerdotes & Levitæ, & qnicunque non noverant suam Tribum*, &c. *Vigesima ejusdem mensis, filii Pabath Moab, qui fuit filius Judah. Prima Thebeth, filii Parosh id officii iterabant. Et prima quidem Thebeth non erat Statio*, (quæ obiretur a Stationariis) *quia canebatur Hallel ea die, & erat addita oblatio, & allatio ligni.*

Joseph. de bello lib.2. cap. 31.

Per. 4.

Lignum hac ratione ad Templum allatum primum deponebatur in eo ædificio quod erat in Euro-aquilonari angulo Atrii Mulierum, quod vocabatur לשכת העצים, *Conclave Lignorum, ubi Sacerdotes immundi*, ideoque inepti ad serviendum Altari, *vermes in lignis perscrutabantur; omne enim lignum in quo vermis inveniebatur*, immundum erat, ideoque Altari ineptum. Quod vermium expers reperiebatur, atque adeo Altari aptum existimabatur, ferebatur in aliud Conclave, quod vocabatur etiam *Conclave Ligni*, vel *Conclave Parhedrorum*, quod erat in Australi latere Atrii *Israelis*, atque ibi proximum Altari & paratum usui quotidiano. Id lignum quod continebat vermes, proptereaque Altare attingere non poterat, usui erat ad elixandas, coquendas vel frigendas oblationes quæ elixabantur, coquebantur vel frigebantur, vel ad struendum ignem Sacerdotibus & Levitis ministrantibus, vel excubias hyemali tempore agentibus.

Thalm. in Midd. Per. 2.





PAULI FRIDERICI OPITII COMMENTARIUS DE CUSTODIA TEMPLI NOCTURNA.

PRÆFATIO.

Templi ad magnificentiam ædis regiæ fuit exstructum.

SI quod magnificum unquam & sumtuosum in supremi honorem numinis exstructum fuit ædificium, hoc certe numero habendum erit illud, quod reverentissimi quondam illius excitarunt Judæi, sive Tabernaculum spectes, sive Salomonæum illud, sive conditum post captivitatem Babylonicam Templum. Composita ad majestatem, dignitatemque regiam erant omnia, sanctissimo illo adyto interius velut regis cubiculum, in quo arcam suam atque divitias repositas habeat, sacrario autem sive cella, regium conclave referente, in quo mensam suam, solium atque candelabrum asservare, liberumque servis suis concedere aditum soleant, docente hoc ex Hebræis literatissimo *Abarbanele*. לפי שנעשה המשכן ברמיון מקדש מלך רב ובית מלכות לכן יחד הדביר שהוא קדש הקדשים כרמיון הבית הפנימי החדר המיוחד למלך אשר לו שם ארגז ממונה וארון חפציו שלא נמסרו מפתחותיו לשליח ואחרי הדביר הקדוש ומקודש ההוא המיוחד למלך לבדו שלא יכנס בו אדם היה ההיכל והוא בית מושבו אשר שם שלחן המלך וכסא ומנורה ושם יכנסו משרתיו ועבדיו לעובדו כי היה השולחן כשולחן המלך בעושר ובמעלה רמה ומנורה נגדו ומזבח הקטורת היה במקום כסא מלכותו: *Quandoquidem tabernaculum ad similitudinem sanctuarii cujusdam atque palatii regii factum fuit, idcirco in specie assimilat adytum; quod erat sanctum sanctorum, domui interiori, cubiculo nimirum appropriato regi, ubi capsulam divitiarum suarum, atque arcam mandatorum suorum (i. e. archivum) habet, cujus claves nemini committuntur alteri, & post adytum illud sanctum, solique regi ita proprium, ut nemo quisquam eo ingrediatur, est penetrale, quod ipsum est domus habitationis ejus, ubi mensa regis & solium esse & candelabrum consuevit, & quo ingrediuntur ministri ejus & servi, ad serviendum ipsi. Fuit enim mensa sicut mensa regis, quoad divitias & pompam insignem, & candelabrum fuit ipsi oppo-*

oppositum, *&* *altare suffitus fuit instar throni regii*.[1] Hinc, quemadmodum palatii majestas regii requirit, ut plurimis ex omni latere cingatur custodibus: ita templi quoque dignitatem eundem sibi tribui honorem postulasse, Judæorum magistri magno consensu statuunt. Audiamus unum instar omnium hac de re ita disserentem *Maimonidem*: שמירת המקדש מצות עשה ואף על פי שאין שם פחד מאויבים ולא מלסטין שאין שמירתו אלא כבוד לו · אינו דומה פלאטרין שיש עליו שומרין לפלאטרין שאין עליו שומרין: *Custodia templi præcepto quodam affirmativo est mandata*: *&* *quamvis ibi nullus ab hostibus aut prædonibus metus sit, quandoquidem custodia ejus non est nisi in honorem ejus: tamen palatium custodibus cinctum non est simile ei, quod custodibus non est cinctum*[2] quæ quidem ex libro *Siphri* transumta a *Maimonide* esse annotat diligentissimus ejusdem Commentator *Josephus Karo*.[3] Demandata autem hæc erat cura Sacerdotibus & Levitis propria, qui per varia templi loca divisi, singulis, quotquot erant, noctibus isto fungi officio debebant. Cumque hoc argumentum, utile in primis atque jucundum, nemini adhuc, quantum nobis quidem innotuit, professa pertractatum sit opera, variisque scripturæ dictis insignem affundat lucem, paulo illud exponere curatius, cum animo constituimus. Faxit Deus Feliciter! Feliciter!

Sacerdotes & Levitæ Templi fuerunt Custodes.

§. I.

An Sacerdotes etiam fuerint Templi Custodes. Sententia Maimonidis.

Antequem vero ipsum aggrediamur opus, expediunda nobis hic venit quæstio: an sacerdotibus etiam illud custodiendi munus fuerit impositum, an vero ad solos tantum spectaverit Levitas? Prius probare se posse putat *Maimonides* ex locis Num. 18. v. 2. & 4. it. Num. 3. v. 38. dicens: והשומרים הם הכהנים והלוים שנאמר ואתה ובניך אתך לפני אהל העדות· כלומר אתם תהיו שומרים לו· והרי נאמר ושמרו את משמרת אהל מועד ונאמר והחונים קדמה לפני אהל מועד מזרחה משה ואהרן ובניו שומרי משמרת הקדש: *Custodes erant sacerdotes & Levitæ, quemadmodum dicitur* (*Num* 18. *v.* 2.) *sed tu & filii tui tecum* [*estote*] *coram tentorio testimonii: id est: vos eritis ipsi custodes: sic quoque dicitur* (*Num.* 18. *v.* 4.) *& custodient custodiam tentorii conventus item* (*Num.* 3. *v.* 38.) *qui vero castra metabuntur ante habitaculum versus ortum ante tentorium conventus ad orientem* [*erunt*] *Moses & Aharon, & filii ejus, custodientes custodiam sanctuarii*.[4] At recessisse hac in parte Judæos arbitratur Clarissimus *l' Empereur ab instituto Davidis, qui Levitas stricte sumtos Templi custodiæ præfecerit, in certas classes divisos, ut singulæ ordine suo vocarent imposito muneri, & quidem ad portas ipsis loca fuisse assignata legi* 2. *Chron.* 8. 14. *Interim tamen fieri potuisse, quemadmodum etiam factum esse sese existimare dicit, ut quid posterioribus secundi templi temporibus obtinuerit, in Mischna describatur.* Quæ vero a *Maimonide* in medium prolata sint loca, non evincere id autumat, ad quod probandum sint adducta, frustraque adeo in proferendis illis Judæum desudasse. *Sacerdotes, inquit, hoc munus obiisse, probare se posse existimat Moses, f. Maimonis, in suo de templo discursu. Verum quæ profert testimonia, si huc spectant, de templo intelligenda non sunt, sed tabernaculo: at ordo post Davidis tempora in templo vel templis observatus inquiritur. Præterea de alia* בשמירת *locis ab illo allegatis agitur: puta de attenta cura, observatione, studio & ministerio in sacris observando, non vero de locorum speciali custodia. Testimonia autem hæc sunt Num.* 3. *v.* 38. *& Num.* 18. *v.* 5. *Sed comparatio commat.* 6. *cum* 7. *Cap. hujus* 18. *Numer. satis, ni fallor, ab illo onere excludit sacerdotes: ideoque Sal. Jarchi in illud comma* 2. וישרתוך *ministrabunt tibi, bene annotavit,* בשמירת השער *in custodia portarum: ubi hujusmodi onera a sacerdotibus in Levitas translata docet*[5] quæ quidem omnia propriis illius exponere verbis placuit, ut de ipsius sententia eo constare melius possit: Hic, quamvis ad nostrum sufficere institutum queat, concedere *Virum Clarissimum*, sacerdotes etiam templi minimum secundi tempore istas agere consuevisse excubias, qui de illorum potissimum temporum ritibus sermonem hoc loco instituimus: tamen, cum plurima in his contineantur dicta, quæ urberiorem promereri indaginem, nec, quæ adversus *Maimonidem* fuerunt disputata, conficere omnino rem videantur: expendere ea aliquanto curatius nobis liceat, singulisque suo libratis pondere, omnia æqua ingenii lance trutinare.

Sententia l' Empereur.

[1] in פירוש על התורה edit. Venet. fol. קכר col. 3. ad verba Exod. 25. v. 22. ועשית שלחן. [2] in הלכות בית הבחירה Cap. 8. §. 1. edit. nov. Amstel. quæ prodiit An. 1704. [3] in כסף משנה ad dictum Maimonidis locum. [4] in הלכות בית הבחירה Cap. 8. §. 2. [5] de Mensuris Templi Cap. 1. Sect. 1. p. 2. edit. quæ prodiit Lugd. Bat. 1630.

§. II.

Argumenta ejus expediuntur.

Quod ergo primum recessisse Judæos ab instituto Davidis dicit, qui Levitas stricte sumtos Templi custodiæ præfecerit, iisque loca ad portas fuisse assignata, juxta 2. Chron. 8. v. 14. non certe assequi nos posse fatemur, quomodo id ex allegato sequi possit Versiculo. Ascribemus ipsa illius verba, quæ in Hebræo fonte ita fluunt: ויעמד כמשפט דויד - אבוי את- מחלקות הכהנים על -- עבדתם הלוים על - משמרותם להלל ולשרת נגד הכהנים לדבר - יום ביומו והשערים במחלקותם לשער ושער כי כן מצות דויד איש - האלהים *Constituit etiam juxta dispositionem Davidis, patris sui, classes sacerdotum super minsterium ipsorum, & Levitas super custodias ipsorum, ad laudandum & ad ministrandum coram sacerdotibus pro debito diei in die suo, item Janitores in classibus ipsorum ad singulas portas: sic enim (habebat) præceptum Davidis, Viri Dei.* Hinc certe nihil colligere licet aliud, quam sacerdotes constitutos fuisse super ministeria sua, & Levitas super custodias s. ministeria sua ad laudandum & ministrandum coram sacerdotibus. Neque enim hic per vocem משמרותם *Custodias Templi* stricte sic dictas, sive excubias intelligi debere, ipsa clamat scripturæ litera, quæ expressis exponit verbis, quasnam hic intellectas velit custodias, aut, ut clarius loquar, ministeria, nimirum ea, quæ sunt ad laudandum & ad ministrandum coram sacerdotibus, id est, ut musicos statis temporibus in templo facerent concentus, quod quidem negotium ipsis incubuisse præter scripturæ paginam satis ostendit *Maimonides* [1] quique totam simul Musices illorum temporum rationem omnium exposuit optime *R. Abraham Harophe* in elegantissimo suo, sed rarissimo libro שלטי הגבורים dicto. [2] Quæ vero ultimo tandem loco in hoc Versiculo habentur verba, quando dicitur: *item Janitores (constituit) in Classibus ipsorum ad singulas portas*: nihil aliud indicant, quam Levitis, imo ne Levitis quidem, sed janitoribus, quos tamen Levitas fuisse facile largimur, loca ad portas fuisse assignata, unde tamen nulla statim consecutione conficitur: ergo non aliis in Templi locis sacerdotibus loca fuisse assignata, quæ quidem luce esse meridiana clariora arbitramur. Hinc, quando porro contra *Maimonidem* disputat *Vir Celeberrimus*, non posse scilicet ex allatis a *Maimonide* locis demonstrari, sacerdotes illa obiisse munia: nec ipsa totum absolvere videntur negotium: Cum enim primo ipsi opponat loco, quæ proferat testimonia, de templo intelligenda non esse, sed tabernaculo, vera quidem ea esse agnoscimus sed verba pro illo facit *R. Obadias de Bartenora*, eandem utrobique fuisse rationem asserens, quando nimirum in simili negotio, ubi Mischna asserit בשלשה מקומות הכהנים שומרים בבית המקדש *Tribus in locis excubias agunt sacerdotes in Templo* [3] & hoc ex loco Num. 3. v. 38. ubi de tabernaculo sermo est, probari asseritur, nullus usus ambagibus statim respondet ומה מצינו במשכן שהיו הכהנים אהרן ושני בניו שומרים בו בג׳ מקומות אף מקדש כן. *Quemadmodum deprehendimus factum fuisse in tabernaculo, ut sacerdotes, Aharon, & filii ejus excubias in illo egerint tribus in locis, ita eodem quoque modo factum in Templo est* [4] unde & de Templo loqui & Tabernaculo promiscue Judæorum magistri consueverunt. Quod vero ulterius hunc in modum excipit: *præterea de alia* משמרת *locis ab illo allegatis agitur, puta de attenta cura, observatione, studio, & ministerio in sacris observando, non vero de locorum speciali costodia:* nullius & ipsum videtur esse roboris, nisi evictum antea fuerit, immunes plane ab illo custodiendi munere fuisse sacerdotes. Nam si vel maxime concederemus, non agi in his locis de custodia Templi stricte sic dicta, sed de attenta cura, observatione, studio, & ministerio in sacris obeundo: tamen, cum custodia Templi sit pars quædam ministerii in sacris obeundi, si non in specie, saltem in genere dici posset, sacerdotibus eam dictis in locis fuisse demandatam. Quocirca nos ad tertium, idque præcipuum convertimus argumentum, quo, *si comparetur Comma 6. cum 7. Cap. 18. Numer.* ostendere se posse putat, ab illo custodiendi onere excludi sacerdotes debere. Sed, si ista inspiciamus commata, non statim invictis id inde argumentis effici posse videbimus. En ipsa illorum verba hoc modo fluentia: ואני הנה לקחתי את--אחיכם הלוים מתוך בני ישראל לכם מתנה נתנים ליהוה לעבד את -- עבדת אהל מועד : ואתה ובניך אתך תשמרו את - כהנתכם לכל דבר המזבח ולמבית לפרכת ועבדתם עבדת מתנה אתן את כהנתכם והזר הקרב יומת : *Ego enim, en, accepi fratres vestros Levitas e medio filio-*

[1] in הלכות כלי שמקדש Cap. 3. §. 3. seqq. [2] Prodiit hic ipse liber Mantuæ Anno 382. in quo de toto cultu Levitico professa agitur opera, & passim ex instituto universa Musices ratio Judæis usitata exponitur. [3] משכת תמיד & מדות Cap. 1. Mischn. 1. editionis Amstel. quæ cum Bartenoræ & Jom Tobh Commentariis prodiit An. 1688. [4] in Commentario suo ad משכת תמיד & מדות.

filiorum Israelis: vobis dono dati (sunt) pro Jehova, ut faciant opus tentorii conventus. Tu ergo & filii tui tecum custodietis sacerdotium vestrum quoad omne negotium altaris, & quoad intra velum, ut faciatis: opus (namque) doni (singularis) dedi sacerdotium vestrum : at alienus accedens occidetur. Hic quamvis videri possit, omne tentorii opus ad solos tantum pertinuisse Levitas, nec sacerdotibus quicquam, nisi ea, quæ in altari & intra velum erant peragenda, fuisse commissa, satis tamen ostendit præcedens ejusdem Capitis Versiculus 2. quem & pro asserenda sacerdotum custodia urserat *Maimonides*, quædam Tabernaculi officia etiam pertinuisse ad sacerdotes, licet, quæ altare concernebant, & quæ intra velum erant, vice versa ad Levitas non spectarent : unde & ipse *l'Empareur* subdubitanter dicit : *sed comparatio Commat. 6. cum 7. Cap. hujus 18. Numer. satis, ni faller, ab illo onere excludit sacerdotes* : quæ vero ultimo tandem loco addit: *ideoque Sal. Jarchi in illud comma* 2. וישרתוך *ministrabunt tibi, bene annotavit* בשמירת השערים *in custodia portarum : ubi hujusmodi onera a sacerdotibus in Levitas translata docet*, plane illud non inferunt, ac si omne custodiendi onus a sacerdotibus in Levitas fuerit translatum, sed tantum custodias portarum Levitis fuisse commissas, quibus quidem solis assignatas fuisse portas, in subsequentibus videbimus: interim tamen sacerdotes suas in aliis templi locis habebant custodias, ut mox dicemus. Non ergo firmiter adeo procedere *Viri Clarissimi* sententiam, quin aliqua ipsi maxima probabilitatis specie opponi possint, satis superque patere ex his arbitror, & nisi alia adhuc proferantur in medium, tolerari minimum posse Judæorum *Maimonidisque* sententiam asserentium, Sacerdotibus una cum Levitis istam custodiendi provinciam tam in Tabernaculo, quam primo & secundo Templo fuisse demandatam. Neque vero Præcepto tantum affirmativo obstrictos ad hoc fuisse putat *Maimonides*, sed etiam negativo, quando dicit : ואח בטלו שמירה עברו בלא תעשה שנאמר ושמרו את משמרת הקדש · ולשון שמירה אזהרה היא · הא למדת ששמירתו מצות עשה ובטול שמירתו מצות לא תעשה: *Quod si neglexerint custodiam, transgrediuntur Præceptum negativum, quemadmodum dicitur: (Num. 18. 5.) & custodient custodiam sancti. Vox autem* שמירה *continet admonitionem. Ergo hinc discis, custodiam ejus (mandatam esse) Præcepto affirmativo, neglectionem vero istius custodiæ [probibitam esse) Præcepto negativo* (1) Sed tamen in libro Præceptorum magno non numerari hoc ipsum inter Præcepta negativa, *minuscularum* observat *Autor Annotationum* in novissima editione *Maimonidis*, qui se correctorem operis vocat, nec pœnitendas nonnunquam margini, vel ipsi *Maimonidis* & *Commentatorum* contextui aspersit notas. [2]

Neque tamen invicta esse demonstrantur.

§. III.

Qninam fuerint Sacerdotes isti & Levitæ custodes.

His ita expeditis, dispiciendum nobis erit ulterius, quinam in specie fuerint sacerdotes isti & Levitæ, qui ista custodiendi obierint munia. Quod ut eo intelligamus melius, quædam ex veteri Hebræorum historia de Sacerdotum & Levitarum ἐφημερίαις nobis erunt repetenda. Notum nimirum est, *Davidis* & *Samuelis* tempore sacerdotes in quatuor & viginti curias fuisse divisos, quarum unaquæque sacris per integram præerat hebdomadem, ab uno Sabbato ad alterum, ut, si una Hierosolymis abscederet, altera iterum in illius locum succederet, docente hoc aliquoties jam laudato *Maimonide* משה רבינו חלק הכהנים לשמנה משמרות ארבעה מעלעזר · וארבעה מאיתמר · וכן היו עד שמואל הנביא · ובימי שמואל חלקם הוא ודוד המלך לארבעה ועשרים משמר · ועל כל משמר ומשמר ראש אחד ממונה · ועולין לירושלים לעבודה משמר לכל שבת ומיום השבת ליום השבת הן מתחלפין משמר יוצא והאחר שהוא אחריו נכנס · עד שיגמרו ותוזריך חלילה: *Magister noster Moses in octo curias divisit sacerdotes, quatuor ex familia erant Eleasaris, & totidem ex Ithamaris erant familia : & hoc duravit usque ad Prophetæ Samuelis tempora. Tempore autem Samuelis, ipse & David Rex in quatuor & viginti curias illos divisit, quibus singulis quidam præfectus erat Princeps. Ascendebat autem singulo sabbato una ex his curia Hierosolymas, ad operandum sacris, & ab uno sabbatho ad alterum permutabant vices : una curia abscedebat, quæque eam insequebatur altera, in illius iterum locum succedebat, donec absolverent circulum & in orbem redirent*. [3] Hæ curiæ iterum singulæ in septem familias paternas juxta septem dierum numerum, quibus septimana perficitur, erant divisæ, quarum quæque singulis diebus operationi vacabat, observante R. *Obadia de Bartenora* his verbis : המשמר היה מתחלק לשבעה בתי אבורת כמנין ימות השבוע כל אחד עובד יומו *Singula curia divisa fuit in septem familias paternas juxta numerum dierum alicujus hebdomadis, & unaquæque*

De Sacerdotum ἐφημερίαις.

rem

[1] הלכות בית הבחירה Cap. 8. §. 3. [2] ad marginem illius, quem modo ex Maimonide allegavimus, loci. [3] הלכות כלי המקדש Cap. 3. §. 3.

rem divinam ſuo die faciebat [1] Atque ex his ſeniores familiæ paternæ, *Maimonidi* זקני בית אב אותו יום *ſ. ſeniores familiæ paternæ, quæ ſacris illius diei præerat* [2] *interpreti* autem Gemaræ Tamid אותם שהיה להם לעבוד למחר *ſ. ii quibus craſtina luce divinæ res erant faciundæ* [3] dicti, puerique & juvenes, quorum hi פרחי כהונה illi רובים ſalutabantur, vigiliarum obibant munus, notante *Miſchna* his verbis והרובים שומרים שם וגו וזקני בית אב ישנים שם וגו' ופרחי כהונה איש כסתו בארץ וגו' *Et Pueri cuſtodes agebant ibi &c. & ſeniores familiæ paternæ dormiebant ibi: &c. & juvenes ſacerdotes quiſque pulvillum ſuum habebat in terra &c.* [5] & qui ad eam Commentarios dederunt omni doctrinæ genere refertiſſimos, laudatus modo Gemaræ Tamid *interpres* & *R. Obadias de Bartenora*, & qui primo nominandus loco erat *R. Jom Tobh* [4] diſcrimen ſimul, quod inter רובים illos, & פרחי כהונה intercedit, diligentiſſime indicantes. Fuiſſe enim פרחי כהונה memorant בחורים שמתחיל שער זקנם לפרוח ומהגיעו לעבודה i. e. *juvenes quorum barba incipiebat effloreſcere*, ſeu quibus, ut Martialis loquitur, teneri ſordent lanugine vultus, *quique ſacris operari jam* poterant, רובים autem ילדים, ſive pueros fuiſſe dicunt, aut כהנים שלא הגיעו עדיין לעשות עבודה כגון פחותים מיג' i. e. *ſacerdotes, qui nondum operationis munere fungi poterant, ut qui decimum tertium ætatis ſuæ annum nondum attigerant* [6] quibus cum egregie conſpirat *Gemara* dicens: אמאי התם קרי להו רובים הכי קרו להו פרחי כהונה אמרו אין התם דלא מטו למעבד עבודה קרו להו רובים היכא דמטו למעבד עבודה קרו להו פרחי. *Quare eos uno in loco* רובים *vocant, in alio autem loco* פרחי כהונה*? Reſpondetur: hoc recte ſeſe habet: nam uno in loco, cum ſacris operari nondum poſſunt, vocant eos* רובים, *alio autem in loco, ubi ſacris operari jam poſſunt, vocant eos* פרחי. [7] Quin & videri de his atque conſuli poteſt *Minuſcularum Autor Annotationum*, novæ editioni Maimonidis adjectarum, qui רובים explicat per נערים שלא הגיעו לחינוך עבודה i. e. *pueros, qui ſacris nondum initiati erant* [8] & *R. Abraham Harophe* h. m. eos deſcribens: רובים הם כהנים ילדים שהגיעו לעונת עבודה ולא נתחנכו· תרגומו של ילד הוא רביא· או רובים הם כהנים ילדים כאמור· המורים חצים בקשת· מלשון רובה קשת: i. e. רובים *ſunt ſacerdotes pueri, qui quidem ea jam ſunt ætate, ut imputari ipſis culpa miniſterii queat, ſed tamen ſacris nondum ſunt initiati. Targum enim vocem* ילד *vertit per* רביא. *Aut* רובים *ſunt ſacerdotes, ut diximus, pueri projicientes ſagittas arcu, ex ſignificatione loci* (*Gen.* 21. 20. רובה קשת i. e. *arcum tendens ſive ſagittarius* [9], ut adeo omnium confeſſione פרחי כהונה hoc loco ſint ſacerdotes juvenes, qui legitimos ſacerdotii annos attigerant, ſacriſque operari jam poterant, רובים vero teneri adhuc Pueri, qui ad iſtam ætatem nondum pervenerant, nec ſacris poterant operari. Quænam vero legitima illa ſacerdotii ætas ſit, ſequentibus nobis exponit *Maimonides*, ubi & ritum, quo ſacris initiabantur acceſſuri ad miniſterium ſacerdotes, breviter deſcribit: כשיגדל הכהן ויעשה איש הריהוא כשר לעבודה· אבל אחיו הכהנים לא היו מניחין אותו לעבוד במקדש עד שיהיה בן עשרים שנה· ואינו נכנס לעזרה לעבודה תחלה אלא בשעת שהלויים אומרים שירה: אין הכהן עובד תחלה וכן כהן גדול אינו עובד תחלה עד שיביא עשירית האיפה משלו ועובד בידו שנאמר זה קרבן אהרן ובניו אשר יקריבו ליי' ביום המשח אותו: i. e. *Cum adultus eſſet ſacerdos, inque Virum evaſiſſet idoneus erat ad operandum ſacris: ſed tamen fratres ejus reliqui ſacerdotes non permittebant hoc ipſi in templo, donec viginti eſſet annos natus. Neque atrium ingrediebatur prima vice ad operandum ſacris, niſi illo tempore, quo Levitæ canticum recitabant. Nec ullus etiam ſacerdos prima vice ſacra faciebat, quin nec ipſe ſacerdos ſummus, donec obtuliſſet* deci-

[1] in Commentario ſuo ad משכת מדות Cap. 1. Miſchn. 8. ad verba: וזקני בית אב ישנים שם. [2] הלכות בית הבחירה Cap. 8. §. 5. [3] in Talmud. Babyl. ad משכת תמיד fol. כש col. 2. edit. Amſtel. ad verba: וזקני בית אב ישנים שם. Vocamus autem eum *Interpretem Gemaræ Tamid*, ignari, quiſnam in ſpecie Autor ille ſit, an Raſchi forte, uti l'Empareur putat de Menſuris Templi Cap. 1. Sect. 8. p. 30. quod §. 9. a nobis etiam obſervatur, an Rambam, quemadmodum Titulus illius Tomi Talmudici, in quo Tractatus hic continetur, præfert, de quo certiora poſſemus proferre in medium, ſi editio quædam Miſchnæ Commentationibus Maimonidis inſtructa, vel quæ cum Jarchii Commentationibus Livorni prodiit, ad manus jam nobis eſſet, quamvis hunc ultimum non eſſe illius Interpretationis Autorem, inde colligere forte ſit, quod ad verba Miſchnæ: בית המוקד כיפה Raſchi allegetur: adeoque forte illius autor ſit R. Jehuda, filius Nathan Raſchi diſcipulus, qui, monente Buxtorfio de Abbreviaturis Hebraicis ſub tit. רשי. ipſi in Commentando ſucceſſit. Verum in re adeo incerta nihil quicquam definiendum putamus, ſed differentiæ ergo vocamus illum Interpretem Gemaræ Tamid, licet in Miſchnam ſimul commentetur, ad imitationem Jom Tobh, qui, quoties ex ipſo quædam tranſumit, toties addere conſuevit: לשון המפרש, vel המפרש למשכת תמיד. Hæc ego jam ſcripſeram, cum opportune admodum in manus incidit locus Jom Tobh, ubi ad Tract. Tamid, ad verba: בשלשה מקומות itidem de hoc autore incertus, quando ejus mentionem fecerat, ſcribit: ואינו פי' רש"י כנראה משונית לשונו ועוד שנמצא כתוב בו בשם רש"י: *i. e. & non eſt illa Interpretatio Raſchi quemadmodum videre eſt ex ratione ſtyli ejus: accedit, quod aliquid in eo nomine Raſchi referatur.* Quod ultimum argumentum nos quoque antea urgebamus. [4] משכת תמיד Cap. 1. Miſchn. 1. [5] ad משכת תמיד Cap. 1. Miſchn. 1. [6] l. c. [7] משכת תמיד fol. col. 2. fin. [8] ad הלכות בית הבחירה Cap. 8. §. 5. [9] שלטי הגבורים Cap. 17. fol. שו col. 1.

decimam partem Ephæ de suo & sacra fecisset sua manu, juxta illud, quod dicitur (Levit. 6. 13.) Hoc (erit) munus Aharonis & filiorum ejus, quod offerent Jehovæ in die, quo ungetur ille. [1] Quando autem *interpres* Gemaræ Tamid ad vocem רכים ulterius scribit: ולפי שעדיין לא הגיעו לעשות עבודה אין יכולין לעשותה עבדינן להו שומרים שאוחז שיכולין לעבוד אינן רוצין לשמור ועוד הואיל ויכילין לעבוד אין אנו מניחין לשמור: i. e. *& quoniam tunc temporis nondum eo usque pervenerant, ut rem divinam facere, sacrisque præesse possent, idcirco adhibebantur custodes: siquidem, qui sacris operari poterant, custodias agere haud volebant: quid quod nec ipsi, cum ministerio fungi possent, custodes constituerentur?* [2] quæ totidem inde verbis transsumit *Jom Tobh* [3]: quis non animadvertit statim, homines illos sibi afferre ipsis contraria, cum paulo ante alter quidem seniores familiæ paternæ fuisse eos, quibus crastina luce divinæ res erant faciundæ, alter vero פרחי כהונה idoneos jam fuisse ad ministeria perficienda asserat, & nihilo tamen secius custodiarum illud munus obiisse?

§. IV.

De Levitarum ἐφημερίας.

Quocirca his missis ad Levitarum porro ἐφημερίας progredimur, quos etiam ipsos non minus atque Sacerdotes, in quatuor & viginti fuisse distributos cohortes, ab uno itidem sabbatho ad alterum templi obeuntes ministeria, idem, qui antea *Maimonides* testatum nobis reliquit: שמואל הרואה ודוד המלך חלקו הלוים לארבעה ועשרים משמרות · ועובד משמר בכל שבת. *Samuel Propheta & David Rex diviserunt Levitas in quatuor & viginti curias, quarum singula singulo sabbatho sacris præerat* [4] His rursus Præfectus erat Princeps quidam cohortis, in familias eam paternas dividens, quæ iterum singulæ suum habebant principem, singulis familiæ suæ Levitis sua officia assignantem וכל אנשי משמר מחלק אותם ראש המשמר לבתי אבות · וראשי האבות מחלקין אלו העובדים ביום שלהן איש איש על עבודתו: *Omnes viros* ἐφημερίας *dividebat princeps* ἐφημερίας *in familias paternas: & principes familiæ paternæ dispertiebant illos ministerio vacantes in die suo (i. e. singulis suum diem assignabant) quemque super ministerio suo* [5] quæ eleganter admodum, & paulo adhuc prolixius *Josephus Karo* hunc in modum exponit: ולפי זה מה שאמר פה וראשי בית אב מחלקים אלו העובדים ביום שלהם היינו שבית אב המיוחד לעבוד ביום א׳ ראש בית אב שלו מסיים לעבודתו פלוני ופלוני יהיו שוערים ופלוני יהיו משוררים ופלוני יהיה שוער בשער פלוני ופלוני בשער פלוני ופלוני ישורר בכלי שיר ופלוני ישורר בכלי שיר פלוני והוו שכתב וראשי האבות מחלקים אלו העובדים ביום שלהם איש איש על עבודתו: *Quando h. l. dicit (Maimonides) & principes familiæ paternæ dispertiebant hos ministerium perficientes in die suo, hoc ita intelligendum est, quod v. c. domui familiæ paternæ, quæ designata erat ad ministrandum die primo, princeps familiæ illius paternæ assignaret officium suum (h. m.) illi vel isti erunt janitores, illi vel isti erunt cantores, ille erit janitor ad hanc januam, & iste ad januam istam, ille cantabit hoc instrumento musico, & iste cantabit isto instrumento musico: & hoc est illud ipsum, quod dicit (Maimonides): & principes patrum dispertiebant istos ministerium perficientes in die suo, quemque super ministerium suum* [6] unde manifestum tandem unicuique est, excubantes fuisse Levitas eos, qui ab unoquoque familiæ principe, cum ordo suam tangeret familiam, ad istud officium delegabantur: hosque ipsos non nisi adultos fuisse, & qui legitimam jam attigerant ætatem, exinde colligere forte est, quod nullo ætatis discrimine addito istam Levitis simpliciter commissam fuisse provinciam, *Maimonides* asserit עבודה שלהן הוא שיהיו שומרין את המקדש · ויהיו מהן שוערין לפתורת שערי המקדש ולהגיף דלתותיו · ויהיו מהן משוררין לשורר על הקרבן בכל יום: *Ministerium illorum in eo versatur, ut quidam ex iis custodiant templum, & quidam ex iis janitores agant ad aperiendum portas templi & obserandum januas ejus, & quidam ex iis sint cantores ad cantandum super sacrificium uniuscujusque diei* [7] quæ vero legitima illorum ætas sit, *idem* nobis exponit dicens: אין בן לוי נכנס לעזרה לעבודתו עד שילמדוהו חמש שנים תחלה · שנאמר זאת אשר ללוים מבן חמש ועשרים שנה וכתוב אחר אומר מבן שלשים שנה · הא כיצד חמש ללמוד · ואינו נכנס לעבודה עד שיגדיל ויהיה איש שנאמר איש איש על עבודתו: *Nullus Levita ingrediebatur atrium ad ministerium suum, usque dum quinque annos primum esset institutus, quemadmodum dicitur: (Num. 8. 24.) Hoc (est) quod Levitarum (erit) officium a filio quinque & viginti annorum: alius autem scripturæ versiculus dicit (Num. 4. 3.) a filio tri-*

[1] כלי המקדש Cap. 5. §. 15. 16. [2] in Talmud. Babyl. ad מסכת תמיד fol. נט col. 2. med. [3] ad מסכת תמיד ad vocem והרובין. [4] הלכות כלי המקדש Cap. 3. §. 9. [5] ib. [6] in כסף משנה ad istum Maimonidis locum. [7] הלכות כלי המקדש Cap. 3. §. 2.

triginta annorum : quomodo hæc concilientur? quinque (annos habuit Levita) ad diſcendum : neque ingrediebatur miniſterium, donec adultus eſſet, inque Virum evaſiſſet, quemadmodum dicitur (Num. 4. 19.) quemque ſuper opere ejus. [1]

§. V.

Cuſtodes iſti noctu tantum excubias agebant.

Atque hi erant ex Sacerdotum & Levitarum genere, qui ſingulis noctibus iſtas obire cuſtodias debebant. Neque enim die, ſed noctu tantum templum excubitoribus fuiſſe cinctum, autor eſt *Maimonides*, dicens : ושמירה זו מצותה כל הלילה; *Cuſtodia hæc ſingulis fuit noctibus mandata :* [2] & quamvis *Interpres* Gemaræ Tamid interdiu etiam actas fuiſſe excubias afferat, his verbis : ולפי שלא היתה שמירתן אלא אצל השער והכהנים היו שומרים אות' בעליות על מקום גבוה כדרך שומרי עיר וכל שומרי עיר בין ביום בין בלילה לא היו ישנים וכ״ד שומרים בכ״ד מקומות נפקא לן בגמ' שצריך לבית המקדש שיהו שומרים יום ולילה *Et quoniam illi non niſi portas cuſtodiebant, ſacerdotes vero cuſtodias habebant in* עליות, *loco nimirum ſuperiori, ad morem illorum, qui cuſtodias habent civitatis, omnes autem alicujus civitatis cuſtodes neque diu neque noctu dormiunt, & 24. cuſtodes ſunt in 24. locis, idcirco elicimus ex Gemara, quod opus habeat templum, ut die & nocte adſint cuſtodes* [3] : illius tamen ſententia ſtatim rejicitur a *Jom Tobb*, quando dicit : ואין נראין דברי המפ' למש' תמיד שכתב איהו שומרים יום ולילה *Et non approbantur verba interpretis Maſſechet Tamid, qui ſcribit, quod excubias die nocteque egerint* [4] In ſingulis autem locis, ubicunque excubias agebant, decem & decem ſimul erant diſpoſiti, referente *R. Abraham Harophe* : ובכל משמר ומשמר היו עשר ' שומרין & *in ſingula cuſtodia decem erant cuſtodes* [5] adeoque non ſinguli, ſed per integras excubabant catervas ſive manipulos, quemadmodum & *Miſchnam* dicentem : בשלשה מקומות הכהנים שומרים בבית המקדש בבית אבטינס בבית הניצוץ ובבית חהמוקד והלוים בעשרים ואחר מקום חמשה על חמשה שערי הר הבית [6] recte per manipulos vertit *Clar. l'Empereur* h. m. *Tribus locis ſacerdotes excubias agunt in domo ſanctuarii : nimirum in Abtines, Nitſots, ac loco focario. Levitæ vero locis uno & viginti : quorum quinque manipuli ad quinque ambitus templi portas &c.* [7] uti & hanc in *Miſchna* ſubintellectam manipuli vocem ſupplet *R. Abraham Harophe*, dicens : אמנם הלוים לבדם כאמור היו שומרים בעשרים ואחר מקומות חמשה כתורת של עשר עשר לוים על חמשה שערי הר הבית ונו'· *Verum Levitæ ſoli, quemadmodum dictum eſt, cuſtodes egerunt in 21. locis : quinque catervæ, quæ ſingulæ ex decem Levitis conſtabant, erant ad quinque Portas montis templi &c.* [8] & iſtiuſmodi quidem manipulorum ſeu catervarum pro ratione locorum cuſtodibus cingendorum viginti & quatuor numerat *Maimonides*, inquiens : וארבעה ועשרים עדה שומרין אותו בכל לילה תמיד בארבעה ועשרים מקום· & *viginti quatuor catervæ cuſtodiebant illud (templum) tota nocte jugiter viginti & quatuor in locis* [9] ut ſacerdotum quotidie excubantium numerus ad trigeſimum, Levitarum vero ad ducenteſimum aſſurgeret & quadrageſimum, confirmante hoc *R. Abraham Harophe* על כן הכהנים היו שלשים והלוים היו מאתים וארבעים בכל לילה· *idcirco Sacerdotum triginta, Levitarum vero ducenti & quadraginta ſingula fuerunt nocte.* [10] Quin & Levitæ, ubicunque excubias agebant ſacerdotes, iis ſe dabant ſocios, vi illius mandati, quod Num. 18. v. 2. habetur : וילוו עליך וישרתוך & *adjungantur tibi & miniſtrent tibi*, docente eodem *R. Abraham Harophe* וגם עמהם היו נטפלים הלוים כמו שנאמר וילוו עליך וישרתוך · *Quin & iisdem ſacerdotibus conjungebantur Levitæ, quemadmodum dicitur : & adjungantur tibi, & miniſtrent tibi,* [11] quod & ex iſto evincere verſiculo nititur *Gemara*, quando ad illum hunc in modum diſceptant *Doctores* : אתה אומר בעבודתך הכתוב מדבר או אינו אלא בעבודתם כשהיא אומר וילוו עליך ושמרו הרי בעבודתם אמור הא מה אני מקיים וילוו עליך וישרתוך בעבודתך הכתוב מדבר i. e. *Tu dicis, quod de miniſterio ejus (Aharonis, quod erat cuſtodia templi) ſcriptura loquatur : forte hoc ita non eſt, ſed loquitur de miniſterio eorum (ſc. Levitarum, quod erat portatio ſuper humeros, & directio concentuum muſicorum, ut adeo ſenſus hic ſit, quod adjuvare Aharonem deberent in proprio ſuo miniſterio, ut canerent & portarent :) ſed reſpondetur : quando dicitur (ſtatim in ſebſequenti verſiculo 4. Cap. 18. Numer.)* וילוו עליך ושמרו *(adhærebunt tibi & cuſtodient) jam ibi ſermo eſt de miniſterio eorum (ſc. Levitarum) quomodo ergo* con-

Et quidem per integros excubabant manipulos decem ſingulis in locis.

Quotnam in univerſum fuerint manipuli

& quot Levitæ & ſacerdotes ſingula nocte excubantes.

Quin & Levitæ aſſociabant ſe ſacerdotibus.

[1] ib. §.7. [2] הלכות בית הבחירה Cap. 8. §. 2. [3] in Talmud. Babyl. ad משכת תמיד fol. כט, col. 2. med. [4] in Comment. ad משכת מדות Cap. 1. Miſchn. 1. ad vocem שומרים. [5] שלטי הגבורים Cap. 17. fol. טו. col. 1. [6] משכת מדות Cap. 1. Miſchn. 1. [7] de Menſuris Templi Cap. 1. Sect. 1. [8] שלטי הגבורים Cap. 17. fol. טו. col. 2. [9] הלכות בית הבחירה Cap. 8. §. 5. [10] in שלטי הגבורים Cap. 17. fol. טו- col. 1.

conciliare possem versum וילוו עליך וישרתוך *(& adhærebunt tibi & ministrabunt tibi)? ubi respondendum necessario quod scriptura loquatur de ministerio ejus (Aharonis, quod erat templi custodia, ut sensus hic sit, quod adjuvare Aharonem deberent in ministerio ejus, excubiis nimirum perficiendis)* [1] Alias nec Levitæ sacerdotum, nec sacerdotes Levitarum, nec Levita alterius Levitæ obire munia, sed quisque suo debebat fungi officio, secumque habitare solus, docente hoc sæpius allegato *Maimonide* : וכל הלוים מוזהרין על עבודת המזבח שנאמר אך אל כלי הקדש ואל המזבח לא יקרבו ולא ימותו לא יקרבו לעבודה אלא ליגע מותרין· וכשם שהלוים מוזהרין שלא לעבוד עבודת הכהנים כך הכהנים מוזהרין שלא לעבוד עבודת הלוים שנאמר גם הם גם אתם· וכן הלוים עצמם מוזהרין שלא יעשה אחד מלאכת חבירו· שלא יסייע המשורר לשוער · ולא השוער למשורר שנאמר איש איש על עבודתו ועל משאו· *& omnibus Levitis interdictum est ministerio altaris, quemadmodum dicitur [Num. 18. 3. verum ad vasa sancti, & ad altare non accedent, ne moriantur i. e. non accedent ad ministerium [altaris] sed tamen tangere [illud] permissum ipsis est. Et quemadmodum Levitis interdictum est, ne faciant opus sacerdotum : sic etiam sacerdotibus interdictum est, ne faciant opus Levitarum, quemadmodum dicitur [Num. 18. 3.] Tam illi, quam vos. Sic quoque ipsis interdictum Levitis est, ne alter opus socii sui faciat, ne scilicet adjuvet cantor janitorem, quemadmodum dicitur (Num. 4. 19.) quemque super opere ejus :* [2] de quo videri etiam pluribus potest *Josephus Karo*, inter cætera hanc referens historiam, מעשה ברבי יהושע בן חנניה שהלך לסייע בהגפת דלתות אצל רבי יוחנן בן גודגדא אמר ליה חזור לאחוריך שאתה מן המשוררים ולא מן השוערי *accessit aliquando R. Josua filius Chananjah, ad R. Juchnan filium Chudcadda, ut ipsi in obserandis Januis auxiliatrices afferret manus, qui tamen statim ipsi dixit : recede a me : es enim ex numero cantorum, non vero janitorum* [3] unde &, qualem promeritus ille pœnam fuerit, acriter inter se desceptare *Doctores* memorat. Sed tamen illud omnino tribuebatur sacerdotibus, ut, quando iste locus, in quo una cum Levitis excubabant, esset עלייה, qualem fuisse domum Abtines, & domum Nitsots in subsequentibus statim videbimus, Sacerdotes superius, Levitæ vero inferius, in istiusmodi autem loco, qui non erat עלייה, qualis quidem domus erat focaria, Sacerdotes interius, Levitæ vero exterius excubarent, docente *R. Abraham Harophe* ובמקום שהיו עליות · היו הכהנים למעלה והלוים למטה · ובמקום שלא היתה שם עליה · היה כהן שומר מבפנים · ובן לוי מבחוץ · כמו שאמרו במשכת תמיד · *In ejusmodi loco, ubi* עליות *erant, sacerdotes custodias agebant superius, Levitæ autem inferius : in istiusmodi autem loco, ubi non erat* עליה, *sacerdos custodem agebat interius, Levita autem exterius, quemadmodum dicunt in Tractatu Tamid* [4] Atque hoc ipsum in honorem illorum fuisse factum, in *interprete*, ni fallor, Gemaræ Tamid legere me memini [5] Erat enim maxime apud Judæos honorata Sacerdotum gens, multisque gaudebat dignitatibus atque Privilegiis, fidem illius faciente *Maimonide*, quando ita scribit : וצריך כל אדם מישראל לנהוג כהן כבוד הרבה ולהקדים אותם לכל דבר שבקדושה· לפתות בתורה ראשון· ולברך ראשון ולטול מנה יפה ראשון: *Quilibet Israelita obstrictus est plurimum habere honorem sacerdoti, & primas deferre ipsis omnibus in rebus, quibus sanctitas quædam adhæret : ut aperiant volumen legis omnium primi, ut benedictionem faciant omnium primi, & ut optimam auferant partem omnium primi* [6] Cum vero tria ista loca, in quibus sese sacerdotibus adjungebant Levitæ, *R. Shemaja*, annumerat 21. istis locis, in quibus excubias agebant Levitæ, quando ad ista verba הכהנים שומרים למעלה והלוים מלמטה dicit: אותן לוים שבמשמר השומרים את העזרה והם נמנין עם עשרים ואחד מקום שהלוים שומרים בשערי הבית ובשערי העזרה כמפורש: *Isti erant Levitæ, qui simul erant in custodia illorum, qui atrium custodiebant, & isti numerantur inter viginti & unum loca, quæ custodiebant Levitæ in portis (montis) templi, & in portis atrii, quemadmodum in subsequentibus explicatur* [7] deseri illum in eo ab omnibus videas, quotquot evolvere nobis licuit Judæorum *Doctoribus*, unanimi sententiarum suffragio alia viginti & unum loca enumerantibus, de quibus in subsequentibus amplissimus nobis dicendi campus erit.

Alias nemo adjuvare debebat alterum.

§. VI.

Sunt ex Christianis scriptoribus, inprimis *Romano-Catholicis* plerique & *Hugo Grotius*, emunctæ alias naris homo, qui fœminas etiam in templo excubias egisse asserunt, suffulti dicto Exod. 38. v. 8. ubi hæc verba legas : ויעש את הכיור נחשת ואת כנו נחשת במראת הצבאת אשר צבאו פתח

An fœminæ etiam fuerint templi custodes.

[1] Talmud. Babyl. ad משכת המיד fol. ש col. 2. init. [2] הלכות כלי המקרש Cap. 3. §. 9. [3] in כסף משנה ad h. l. [4] שלטי הגבורים Cap. 17. fol. טו col. 1. [5] Locus ipse, diu licet quæsitus, jam non occurrit. [6] הלכות כלי המקרש Cap. 4. §. 2. [7] in Talmud. Babyl. ad משכת מדות fol. סח col. 1. init.

פתח אהל מועד: *Et fecit Labrum æris & basin ejus æris ex speculis ministrarum, quæ ministrabant ante ostium Tentorii conventus* [1] Verum recte idcirco incurrunt censuram magni *Calovii Mulieres istæ*, inquientis, *juxta Ebræum textum dicuntur turmatim concurrisse ad ostium tabernaculi, quod mira alacritate, ac certatim eo se contulerint, & specula sua attulerint, ut refert Philo l. III. de Vita Mosis. Unde temere ad mulieres id abripitur a Romano-Catholicis & Grotio, ordine certo tabernaculo inservientes, quo ministerio tabernaculo tum nondum erecto opus non erat, & cur illæ saltem mulieres contulissent specula, quæ inserviebant tabernaculo, non aliæ &c.* [2] A qua sententia nec alienus est *R. Sal Jarchi* ad verba: אשר צבאו annotans : להביא נדבתן *ad offerendum dona sua spontanea* [3] nec *R. Sal. Ben Melech*, clarius adhuc suam ea de re exponens mentem, his verbis : ענין אשיפה ופירושו שהיו בנות ישראל מהאשפות פתח אהל מועד ומביאות בידיהן אפילו המראות שלהן לנדבת המשכן: i. e. (Vox צבאות) *significat collectionem (congregationem) & sensus ejus est, quod filiæ Israel fuerint congregatæ ad ostium tentorii conventus, & obtulerint manibus suis etiam specula sua in spontaneam oblationem tabernaculi* [4] quamvis sapiens ille *Aben Esra* intellectum hoc potius velit de mulieribus, quæ, misso sæculi illecebris lenociniisque repudio, totas se divinarum contemplationi rerum consecraverint, dicens : והנה היו בישראל נשים עובדות השם שסלו מתאוות זה העולם ונתנו מראותיהן נדבה כי אין להם צורך עוד להתיפות רק באות יום יום אל פתח אהל מועד להתפלל ולשמוע דברי המצות וזהו אשר צבאו פתח אהל מועד כי הנה רבות: *Et ecce in Israel fuerunt fœminæ, colentes Deum, quæ recesserunt a concupiscentia hujus mundi, & dederunt specula sua in oblationem voluntariam, quoniam non amplius opus habebant, ut se ornarent, sed veniebant quotidie ad ostium tentorii conventus, ut orarent, & attenderent verbis legum, & hoc ipsum est quod dicitur* : אשר צבאו פתח אהל מועד *quandoquidem illarum plurimæ erant* [5]. Sic quando 1. Sam. 2. vers. 22. legimus : ועלי זקן מאד ושמע את כל-אשר יעשון בניו לכל-ישראל ואת אשר-ישכבן את-הנשים הצבאות פתח אהל מועד: *Et Eli senex* (erat) *valde : cumque audiret omne, quod faciebant filii ejus toti Israeli, & quod concumberent cum mulieribus, quæ ministrabant ad ostium tentorii conventus* : videri etiam posset, excubantes ibi ad templum intelligi debere mulieres, quibuscum impurissimis litaverint amoribus optimi Parentis nequissimi filii : sed meliora nos docet *Kimchius*, fuisse eas puerperas, turmatim illuc confluentes, ut suum ex Legis præscripto offerrent sacrificium, ad vocem הצבאות ita commentatus : הנשים היולדות הבאות לשילה בקרבן כמו שכתוב בתורה שהיולדות צריכות קרבן ונקראו בלשון צבא וכן בלוים הבאים לעבודת אהל מועד אמר לצבוא צבא לפי שהבאים לעבודת האל רביתו באים צבא וחיל שנאספין מזה ומזה לבא שם וכן הנשים היולדות נאספות להביא קרבנותיהן לפיכך אמר הצובאות· *Sunt istæ puerperæ, venientes Silo cum sacrificio quemadmodum scriptum est in lege, quod puerperæ opus habeant sacrificio : & adhibetur de illis vos* צבא*, uti & de Levitis, venientibus ad ministerium tentorii conventus, dicitur:* לצבוא צבא (*Num.* 4. *v.* 23. *it.* 8. *v.* 24.) *quoniam illi, qui accedunt ad cultum Dei in domo ejus, venire solent per integras turmas & exercitus, siquidem hinc inde congregantur, ut eo veniant : sic quoque mulieres puerperæ congregatæ sunt ad offerendum sacrificia sua : idcirco dicit h. l.* הצובאות [6]. Quin & varia a Christianis Interpretibus Scripturæ S. commata explicari de Custodibus Templi videas, quæ, aliqua inprimis luce adhuc indigentia, referre hic singula, nec injucundum forte, nec ingratum fore lectoribus speramus. Ita v. c. Ps. 84. v. 11. ubi dicitur : כי טוב-יום בחצריך מאלף בחרתי הסתופף בבית אלהי מדור באהלי-רשע: *Quia bonus (est) dies in atriis tuis præ millibus; elegi ad januam stare in domo Dei mei, præ habitare in tentoriis impietatis*, præoptasse quidam Davidem existimant, custodem in limine Portarum agere, quam diu in tentoriis commorari impiorum : unde & levissimum fuisse illud custodiendi officium inferunt [7] verum hæc rectius forte alii eo sensu accipiunt, ut dicatur, maluisse Davidem sacris interesse jugiter, si vel ad limen ipsi concedatur locus, quam diu commorari in tentoriis impiorum [8]. Quo etiam spectare ex Judæis videtur *Kimchi*, *scribens*: ישיבת סף השער אבחר לבד יותר משאדור דירה שלימה בארצות הגוים שהיו אהלי רשע: *Præoptarim potius sedere in limine tantum portæ, quam ut degam habitatione*

Varia Scripturæ S. loca illustrantur.

[1] Vid. Poly Synopsis Crit. in h. l. [2] in Bibl. Illustrat. ad h. l. [3] in Commentario suo ad h. l. qui additus est Operi Buxtorf. [4] in מכלל יופי ad h. l. [5] in Commentario suo ad h. l. qui additus est Operi Buxtorf. Vid. etiam *Casaub.* Exercit. contra *Baron.* Exerc. 1. num. 23. p. m. 105. seqq. Edit. Genev. Anno 1663. [6] in Commentario suo ad h. l. qui itidem additus est Operi Buxtorf. [7] Vid. Poly Synopsis Crit. in h. l. [8] ibid.

ne ſecura in terris gentium , quæ ſunt tentoria iniquitatis [1] . Non abſimili ratione Pſalm. 130. v. 6. verba : נפשי לאדני משמרים לבקר שמרים לבקר: *Anima mea [exſpectat] Dominum præ cuſtodibus ſub auroram , obſervantibus auroram* , de Sacerdotibus & Levitis ad candelabrum & lampadem excubantibus, accipi poſſe putat *Geſnerus* , ita commentatus : *Similitudo , quæ exaggerandi gratia adhibetur , vel a vigilum in urbibus munitionibus , & caſtris excubiis , vel a vigilantia Levitarum & Sacerdotum apud tabernaculum , qui lampadem obſervare & candelabrum per integras noctes cuſtodire ſolebant* [2] : Sed cum tota Hebræorum hiſtoria actas ejuſmodi ad lampadem atque candelabrum ignoret excubias , vel præferendam eſſe priorem arbitramur ſententiam , quæ cuſtodes fuiſſe eos in urbium muris excubantes aſſerit, pro qua etiam *Aben Ezra* militat , dicens : קותה ליי׳ יותר משומרים החומות לבקר [*Anima mea*] *exſpectat Dominum magis , quam cuſtodes murorum matutinum tempus* [3] vel cum *Kimchio* dicendum , intelligi hoc locu debere homines , matutino tempore , ut orationi vacent , ſurgentes . הומה לה׳ בלילה להיותה מאותה האנשים השומרים לבקר כלו׳ שקמים באשמורת הבקר להתפלל ואמר שומרים לבקר פעם אחרת כלומר שמנהגים להיות שומרים וערים בכל בקר להתפלל לאל׳: [*Anima mea*] *cum ſtrepitu anhelat ad Dominum per noctem , ut ſit ex illorum hominum numero , qui obſervant mane , id eſt , qui ſurgunt in matutinis vigilis ad orandum . Dicit autem altera adhuc vice* שומרים לבקר *id eſt, qui in more habent , ut ſint cuſtodes & vigiles ſingulo mane , ut Deum orent* [4] ubi nec prætermittere poſſumus elegantem R. *Sal. Jarchi* explicationem , qui hæc accipit de piis hominibus , tempora Meſſiæ & redemtionem ejus anxie anhelantibus : הריני מן המצפים לגאולה שומרים לבקר מצפין וחוזרין ומצפין קץ אחר קץ: *Ecce ego ſum ex ſpeculantibus redemtionem , qui obſervant mane i. e. qui ſpeculantur & redeunt & ſpeculantur uno termino poſt alterum* [5] quamvis a ſenſu eam literali recedere , non inficiemur . Sic & Pſ. 134. v. 1. ubi legitur שיר המעלות הנה׳ ברכו את-יהוה כל-עבדי יהוה העמרים בבית--יהוה בלילות: *Canticum graduum . Ecce benedicite Jehovæ omnes ſervi Jehovæ , ſtantes in domo Jehovæ in noctibus* : de his ipſis Templi cuſtodibus explicant *Ainſvvorthus* , *Vatablus*, *Piſcator*, *alii* [6] ſed tamen & ipſum *Kimchius* intellectum potius cupit de ſapientibus , atque religioſis hominibus , precibus noctu in templo vacantibus ſequentem in modum diſſerens : הם החכמים והחסידים העומדים ממטתם בלילות ובאים להתפלל בבית ה׳ ולהודות על שמו: *Sunt homines ſapientes & pii , ſurgentes noctu ex lectis ſuis , & venientes ad orandum in templo DEI , & celebrandum nomen ejus* . [7] In quam ſententiam etiam abit acutiſſimus *Grotius*, inquiens: *Nam Iſraelitæ multi dies noctesque in templo continuabant ut apparet ſupra 92. 3. & 119. 147. Vide quæ ad Luc. 2. 37. In horum gratiam factus hic Pſalmus & ſequens* [8] verum idcirco iterum vapulat *Calovio* , dicenti : *Alii de Levitis & Sacerdotibus rectius hæc accipiunt . Nam hi excitantur ad officium ſuum , horum erat & noctes & dies ſtare in atriis domus Domini & excubias agere ; & extrinſecus quidem Levitas , intrinſecus autem ſacerdotes excubuiſſe , docet e Maimonide Dn. D. Geier. ad h. l. e ſequente etiam Pſalmo liquet ſervos Domini ſtantes in domo Domini & atrio domus Dei a Jacob & Iſraele diſtingui v. 4. & poſtea diſtincte domum Iſrael v. 19. & domum Aaron , Sacerdotes , & domum Levi , ſeu Levitas compellari v. 20. Et ſtare eſt miniſtrare . Pſalm. 134. 1. Deut. 1. 38.* [9] Nec minus 2. Reg. 12. 10. & 22. 4. & 23. & 25. 18. quando mentio fit *ſacerdotum limen ſervantium* ſive הכהנים שמרי הסף plurimos Chriſtianorum deprehendas interpretes , qui eos Templi cuſtodes fuiſſe ſtatuant: ſed, cum nuſquam excubias egiſſe ad limen ſacerdotes legamus , intelligendos potius cum Judæis putamus vel theſaurarios , vel vaſa templi aſſervantes ſacerdotes , cum inprimis in allegatis maximam partem locis de repoſita in templo pecunia vaſiſque ſermo ſit , quamquam nec illud diſſimulatum cupimus, ultimum hunc 2. Reg. 25. 18. locum a magni nominis Judæo R. *Levi Ben Gerſon* etiam de cuſtodibus Templi accipi, quando ita ſcribit: הם שומרי בית המקדש: *Iſti ſunt cuſtodes Templi* . [10] Huc referri etiam ex novi fœderis pagina miraberis locum Matth. 27. v. 65. ἔφη δὲ αὐτοῖς ὁ Πιλάτος ἔχετε κουστωδίαν· ὑπάγετε , ἀσφαλίσασθε ὡς οἴδατε *Dixit vero ipſis Pilatus ; Habetis [vel habete] cuſtodiam ; abite , ſecurum facite , quemadmodum ſcitis* , in qua ſententia eſſe in primis deprehendimus Celeberrimum illum Anglum *Ligtfootum* ,

[1] פירוש על התהלים ad h. l. qui liber ſingillatim prodiit Amſtel. Anno 1683. 4. [2] in Commentario ſuo ad h. l. edit. Witt. in fol. [3] in Commentario ſuo ad h. l. qui additus eſt Operi Buxt. [4] in פירוש על התהלים ad h. l. [5] in Commentario ſuo ad h. l. qui additus eſt Operi Buxt. [6] Vid. Poli Synopſ. Crit. in h. l. [7] in פירוש על התהלים [8] in Bibl. Calovii illuſtratis ad h. l. [9] ibid. [10] in Commentario ſuo ad h. l. qui additus eſt Operi Buxt.

qui de hisce Templi excubitoribus disserens, *Huc ſpectare*, inquit, *arbitror illud pilati Matth.* 27. 65. ἔχετε κουστωδίαν; *Habetis vos excubias de proprio, mittantur quidam ex illis ad cuſtodiendum ſepulchrum.* [1] At nos ſalva illius Viri autoritate, nihil minus hoc loco intelligi, quam iſtos Templi excubitores debere putamus. Ne enim poſitum fuiſſe infra eorum dicamus dignitatem, ut excubias ad loca profana agerent, aut fieri potuiſſe facile, ut immunditiæ ex mortuo contracta fuiſſent polluti: optima ſane ſui interpres erit ipſa ſcripturæ pagina, quæ Capite ſtatim ſubſequenti 28. v. 12. hos fuiſſe cuſtodes dicit στρατιώτας, iiſque pecunias a ſenioribus & Præfectis ſacerdotum datas, ut totum a populo celarent negotium, inque vulgus ſpargerent, clam eum a diſcipulis fuiſſe ſurreptum, quemadmodum hæc ibi verba legas: καὶ συναχθέντες μετὰ τῶν πρεσβυτέρων, συμβούλιόν τε λαβόντες, ἀργύρια ἱκανὰ ἔδωκαν τοῖς στρατιώταις, λέγοντες· εἴπατε, ὅτι οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ νυκτὸς ἐλθόντες ἔκλεψαν αὐτὸν ἡμῶν κοιμωμένων. *Et congregati [Præfecti] cum ſenioribus, & conſilia conferentes, argenteos ſufficientes dederunt militibus, Dicentes: dicite, quod diſcipuli ipſius noctu venientes, ſuffurati eum ſint nobis dormientibus*, quod ſane de ſacerdotibus & Levitis interpretari excubantibus, neſcio quam mihi videatur incongruum, quorum non ſecus atque Præfectorum ſeniorumque intererat, ut iſte rumor ad vulgi aures ne perveniret. Unde hanc quoque ſententiam impugnat *Maldonatus*, dicens: *Sed nec opus illis erat a Pilato milites petere, ſi ipſi habuiſſent. Adde, quod cuſtodes Templi certum eſt & Judæos [Levitas potius debuiſſet dicere] & ſacerdotes fuiſſe, quibus proinde non opus eſt, ut pecuniam darent, ut mentirentur* [2] Propius itaque abeſſe a veritate putamus, ſi cum *Beza* & aliis Romanos eos fuiſſe ſatellites, & præſidiarios in Arce Antonia milites dicamus, quorum ingentem perpetuo atque immenſum ibi fuiſſe numerum, teſtis omni exceptione major *Joſephus* memorat. [3] Et quamvis Clar. *Fullerus* parum probabile eſſe dicat, eos, relicta Templi cuſtodia, quam cum interdiu, tum maxime noctu aſſiduam agere debuiſſent, procul inde, obſcuro in loco apud mortuum deſediſſe: [4] tamen ea tanti non ſunt, ut nos ab iſta dimoveant ſententia, cum maximum eorum fuiſſe numerum audiverimus, nec totum ſtatim præſidium, ſed quoſdam tantum ex plurimis eo fuiſſe ablegatos, ſimillimum vero videatur. Quod ſi tamen quis cum eodem, quem modo nominavimus, *Fullero*, Autoritate forte *Syri interpretis*, qui græcam vocem κουστωδίαν per קהטונרא tranſpoſuit, ſive Quæſtionarios & tormentorum miniſtros, ſive alios quosvis intelligere malit ſatellites, nos equidem adeo repugnantes non habebit, modo Romanos eos fuiſſe aſſerat, quod non obſcure nobis ex Cap. 28. v. 14. colligere videmur, ubi Præfecti ſacerdotum & Presbyteri cuſtodum fidem pecunia ſolicitantes, his inter alias utuntur rationibus Καὶ ἐὰν ἀκουσθῇ τοῦτο ἐπὶ τοῦ ἡγεμόνος ἡμεῖς πείσομεν αὐτὸν, καὶ ὑμᾶς ἀμερίμνους ποιήσομεν *Et ſi innotuerit hoc Præſidi, nos perſuadebimus illi, & vos ſecuros præſtabimus*, unde neceſſario certe conficitur, hos, qualeſcunque etiam fuerint, a Præſidis Romani nutu atque arbitrio pependiſſe unice, adeoque non niſi Romanæ gentis homines fuiſſe.

§. VII.

Loca, in quibus Sacerdotes & Levitæ excubabant, in genere.

Hæc poſtquam de Perſonis in Templo excubantibus ſatis, ut putamus, prolixe diſputavimus, ordo jam poſtulat, ut ipſa etiam, in quibus excubabant loca, aliquanto curatius expendamus. Qua quidem in re conſentire omnes uno videmus ore, viginti & quatuor fuiſſe in univerſum, ipſa teſte Scripturæ litera, quæ 1. Chron. 26. v. 16. 17. 18. habeatur. Ita enim expreſſis hac de re verbis loquitur. R. *Abraham Harophe*: ובכ״ד מקומות היו צריכים לשמור במקדש כדכתיב (כדה א׳ כ״ד) [5] למזרח הלוים ששה · לצפונה ליום ארבעה· לנגבה ליום ארבעה· ולאספים שנים שנים · לפרבר למערב ארבעה · למסילה שנים לפרבר· הרי כ״ד: *Viginti & quatuor in locis debuerunt excubias agere in templo, quemadmodum ſcriptum eſt* 1. *Chron.* 26.] *Verſus Orientem (fuerunt) Levitæ ſex; verſus ſeptentrionem, in diem, quatuor; verſus meridiem, in diem, quatuor, & collectis bini. Parti exteriori, verſus occidentem, quatuor pro ſemita, duo pro parte exteriori ipſa, quæ quidem* 24. *faciunt.* [6] Ex his tribus in locis ſuas Sacerdotes habuiſſe cuſtodias porro memorant, teſte *Miſchna*, quæ dicit: בשלשה מקומות הכהנים שומרים בבית המקדש: *Tribus in locis Sacerdotes excubias agunt in domo ſanctuarii* [7] quod & ex ſacra elicere pagina *Gemariſtæ* ſatagunt, ad iſta *Miſchnæ* verba ita deſceptantes: מנהני

Tria Sacerdotum loca in genere.

[1] in Horis Hebraicis & Talmudicis ad Luc. 22. v. 4. edit. Lipſ. Anno 1684. [2] Vid. Poli Synopſ. Crit. ad h. l. [3] de Bello Judaico Libr. VI. 6. [4] in Miſcell. Theol. libr. 4. Cap. 17. p. 529. edit. Argent. in 8. [5] In noſtris editionibus locus ille habetur דה א׳ כו. [6] שלטי הגבורים Cap. 17. fol. טו. col. 1. med. [7] משכת מדות & תמיד Cap. 1. Miſchn. 1.

מנהני מילי אמר אביי אמר קרא והחונים לפני המשכן קדמה לפני אהל מועד מזרחה משה אהרן ובניו שומרים משמרת המקדש למשמרת בני ישראל אמרי אין שימור בעלום אשכחן דבעי כהנים שימור מיהו מתניתין קתני בשלשה מקומות הכהנים שומרים בבית המקדש והלוים בעשרים ואחד מקום ואלו כהנים ולוים בהדי הרדי כתיב אמרי הכי קאמר והחונים לפני המשכן קדמה לפני אהל מועד מזרחה משה והדר אהרן ובניו שומרי משמרת המקדש אהרן בחד מקום ובניו בשני מקומות ממאי מדכתיב והחונים וכתיב שומרים חונים לחוד ושומרים לחוד איכא כולהו בחד מקום לחודיה לא סלקא דעתך מה משה בחד מקום חודיה אף אהרן ובניו בחד מקום לחודיה רב אשי אמר מסיפי דקרא שומרים משמרת למשמרת:

i. e. *Unde hoc nobis constat (sc. quod tribus in locis excubaverint sacerdotes ?) Respondet Abaji , quia dicit scriptura* (*Num.* 3. 38.) *Qui vero castra metabuntur ante habitaculum versus ortum , ante tentorium Conventus , ad Orientem (erunt) Moses & Aharon & filii ejus, custodientes custodiam sanctuarii , pro custodia filiorum Israelis . Sed si objicerem , quod Dominis non competat custodia . (Respondetur) sed tamen reperimus , quod sacerdotibus competat custodia . (Excipitur ulterius) Sed Mischna dicit , tribus in locis Sacerdotes excubias agunt in templo , Levitæ vero in* 21. *scriptura autem (in hoc loco Num.* 3. 38. *Sacerdotes & Levitas junctim nominat . (Respondetur) ita (primo) dicit scriptura , & castra metantes ante habitaculum versus ortum , ante tentorium Conventus ad Orientem , Moses [erit] : & [tum demum] pergit : Aharon & filii ejus custodientes custodiam templi , ubi tunc Aharon uno in loco [dicitur habuisse custodiam] & filii ejus duobus in locis* . [1] (*Excipitur) sed unde hoc probas ? (Respondetur) quia (semel) dicitur* והחונים *semel* שומרים *[inde colligitur , quod] castrametantes singillatim (fuerint) & custodes etiam singillatim . Sed si objicerem omnes istos [sacerdotes] uno in loco simul (fuisse). (Respondetur) ne tibi in mentem veniat [quod ita possis argumentari : quemadmodum Moses uno in loco singillatim fuit , ita etiam Aharon & filii ejus fuerunt singillatim in uno loco . Raf Aschi vero dicit [disci hoc posse] ex ultimis illius versiculi (Num.* 3. 38. *) verbis , quando dicitur :* שומרי משמרת למשמרת *(adeoque tribus vicibus adhibetur vox* שמר *ad indicandum , quod tribus in locis excubaverint sacerdotes]* [2] . Quam quidem ultimam a *Raf Aschi* adductam probationem , sublestam admodum a Clar. *l' Empereur* [3] judicatam , pro validissima agnoscunt *Judæi* , fidem ejus rei faciente R. *Obadia de Bartenora* וג' מקומות ילפינן מדכתיב והחונים לפני המשכן קדמה וכו' שומרי משמרת למשמרת רמז לשלש משמרות בג' מקומות: *Tria ista loca discimus inde , quia scriptum est : & castra metantes ante habitaculum versus ortum &c.* שומרי משמרת למשמרת , *quo ipso respicit ad tres custodias tribus in locis (actas)* [4] Et quamvis in priori isto Chronicorum loco non nisi Levitæ memorentur, intelligi tamen ibidem etiam sacerdotes debere contendunt, quemadmodum sæpius hoc fieri in scriptura soleat, ut sacerdotes Levitæ appellentur, & 24. dentur loca, in quibus hoc usu veniat , notante eodem *Bartenora*, quando ita scribit: אעפ' דקרא לא אמר אלא לוים כהנים נמי קרויין לוים דכתיב הכהנים הלוים בני צדוק : *etiamsi scriptura non nisi Levitas nominet, tamen sacerdotes etiam vocantur Levitæ , quemadmodum dicitur hoc ipsum : sacerdotes Levitæ filii Zadock* [5] de quo plura adhuc in subsequentibus , & ex instituto *R. David Kimchi*. [6] Cæterum in his tribus locis sacerdotibus sese etiam associasse Levitas , ex præcedenti observamus Paragrapho , quæ hic repetere supervacaneum putamus . Illud tamen præterire non possumus , quando h. l. Mischna dicit : בשלשה מקומות הכהנים שומרים בבית המקדש per voces בית המקדש non ipsum templum , sed in genere , quicquid ad templum pertinet , debere intelligi, notante *Maimonide* : כל המוקף במחיצה זו שהוא כעין חצר אהל מועד הוא הנקרא עזרה והכל נקרא מקדש: *Quicquid continetur in hoc ambitu , quod speciem refert atrii cujusdam tentorii conventus , vocatur* עזרה, *totum autem vocatur* מקדש [7] quod & ipsum jam observavit *Clar. l' Empereur* , dicens : *Porro* παράδοσις , *sive Misna hæc Sacerdotibus tria attribuit loca in* בית המקדש *i. sanctuarii domo , ut Levitis unum & viginti ; cum tamen hæc loca in ipso templo non fuisse in confesso sit : unde liquet* בית המקדש *late accipi , ut ea complectatur , quæ quomodocunque in sacro*

6 Hæc etiam mirifice illustrant ea , quæ *Baal Hatturim* in Opere Basileensi ad dictum locum Num. 3. 38. ad verba והחונים לפני אהל מועד' מזרחה משה' ואהרן sequentem in modum scribit : יש פסק בין משה לאהרן לומר משה במקום אחד לבד ואהרן ובניו במקום אחד לבד i. e. *Adest h. l. Psich inter vocem* משה *& inter vocem* אהרן *ad indicandum , quod Moses uno in loco singillatim fuerit , & Aharon filii ejus etiam uno in loco singillatim.* 2 Talmud. Babyl. ad משכת תמיד fol. ס. col. 1. med. 3 De Mensuris Templi Cap. 1. Sect. 1. p. 2. 4 in Commentario suo ad משכת תמיד Cap. 1. Mischn. 1. ad verba בשלשה מקומות. 5 in Commentario suo ad משכת מדות Cap. 1. Mischn. 1. ad verba והלוים באחד ובעשרים מקום. 6 in Commentario suo ad hunc locum 1. Chron. 26. vers. 17. 18. qui in Opere Bibliorum Basileensi habetur. 7 הלכות בית הבחירה Cap. 1. §. 5.

ſacro monte exſtructa ad ædem ſacram referuntur : ſicuti alicubi R. *David Kimchi hiſce verbis in ſimili* ἀκυρολογίᾳ *annotavit*: הם החצרות והלשכות כי הכול הוא לתשמיש *Illa ſunt atria & receptacula , quia omnia iſta ædi inſerviunt . Expreſſe Maimonides dicto loco* הכל נקרא מקדש *Omnia veniunt ſanctuarii nomine :* היכל *autem (inquit) complectitur Propylæum , ſanctum & ſanctum ſanctorum* [1] .

§. VIII.

Loca XXI. Levitarum in genere.

Cum itaque ex quatuor iſtis & viginti locis non niſi tria occupaſſe Sacerdotes , hactenus audiverimus , viginti & unum Levitis ceſſiſſe excubantibus *Miſchna* porro memorat , ita pergens : והלוים בעשרים ואחד מקום: *Levitæ vero in uno & viginti locis (ſc. excubias agebant)* [2] quod & *Gemara* ulterius probare annititur , ſequentem in modum ſcribens : מנא הני מילי אמר רב יהודה מסורא ואמרי לה במתניתא דכתיב למזרחה לוים ששה לצפונה ליום ד' לנגבה ליום ד' ולאסופים שנים לפרבר למערב ד' למסילה שנים לפרבר אמרי הני עשרין וד' הוו אמ' אביי ה"ק לאסופים שנים ב' אכתי עשרין ותרי הוו האיך דפרבר חד הוא ואחרינא בצוותא הוא דאזיל ויתיב גביה ואיבעי' אימ' לעול' כ"ד כרכתי' תלתא מנייהו דכהנו' ועשרין וחד דלוי' והא הכא לוים הוא וכת' כר' יהוש' בן לוי דא"ר יהושע בן לוי בכ"ד מקומות נקראו כהני' לוים וזה א' מהן והכהני' הלוים בני צדוק: *Unde hoc nobis conſtat (ſc. quod viginti & unum loca cuſtodiverint Levitæ ?) Reſpondet R. Jehuda : habemus hoc per Traditionem . Alii autem dicunt , (diſcimus hoc) ex Miſchna , quia dicitur (1. Chron. 26. v. 17. 18.) verſus orientem erant Levitæ ſex , verſus ſeptentrionem , in diem , quatuor ; verſus meridiem , in diem , quatuor , & collectis bini Parti exteriori, verſus occidentem ; quatuor pro ſemita , duo pro parte exteriori ipſa . Sed dici poteſt : at vero hæc ſunt viginti & quatuor . Reſpondet Abaji : hoc ita intelligendum eſt , ad Aſyphim fuerunt duo duo (non quod quatuor ibi fuerint , ſed duo tantum) . (Objicitur) ſed tamen adhuc viginti & duo remanent (Reſpondetur) apud Parbar unus tantum fuit , & alter tantum fuit in ejus conſortium , ſiquidem abiit & conſedit apud illum . Quod ſi autem mavis , aliam tibi ſuppeditabo reſponſionem , (nimirum) quod omnino fuerint 24. loca , quemadmodum h. l. dicit ſcriptura , ſed tria ex illis fuerunt ſacerdotum & 21. Levitarum . [Sed objicitur] attamen Levitæ tantum ſunt de quibus loquitur Scriptura . (Reſpondetur) intelligendum hoc eſt ex mente R. Joſua Ben Levi , ſiquidem is ipſe Joſua Ben Levi dicit : quod in 24. locis [Scripturæ] Sacerdotes etiam vocentur Levitæ , & quod hic unus ſit ex illis (ut in illo loco) & ſacerdotes filii Zadock* . [3] Atque ex his ſatis ſuperque 21. locorum excubias , in quibus ſuas Levitæ habebant ſtationes , probatas eſſe putant Judæorum Magiſtri . Hic vero iis ſeſe omni niſu opponit Clar. l' *Empereur* , nondum hoc ipſo totam eſſe confectam rem arbitrans , ſed dari adhuc , quæ regeri iis poſſint , longe graviſſima , ſequentem in modum ſcibens : *Levitarum excubias uno & viginti locis actas depromere quidem ſatagunt e 1. Chron. 26. v. 17. 18. Verum magnam contextui inferri vim non omnino diffitentur Judæi , dum in conciliando hoc teſtimonio cum ſua* παραδόσει *deſudant ſatis infeliciter . Effugere ſe poſſe exiſtimant , ſi ſacerdotes , utpote a Levi oriundos , dici Levitas evincant : quod nonnunquam fieri , ut non eo inficias , ſic in præſentiarum ad rem non facere , affirmare non dubito . Etenim ut, Sacerdotes alibi Levitas vocari , concedamus ; loco e Chron. allegato hoc non fieri evincit v. 19. qui Levitas quorum mentionem fecerat , e Korach & Merari originem duxiſſe affirmat . Itaque cum* παράδοσις *Levitas uno & viginti locis excubias egiſſe dicat ; ſacer vero contextus viginti quatuor meminerit ex Judæorum ſententia; qui concordia iniri poteſt , cum de iiſdem Levitis utrobique ſit ſermo?* [4] Et certe, ſi quod res eſt, fateri nobis liceat , quid ſalva ſua hypotheſi, quæ ſacerdotes dici h. l. Levitas aſtruit, regere ad hæc velint Judæi, ipſi non videmus, & melius omnino facturos nonnunquam fuiſſe credimus, ſi ab adducendis in ſuam partem ſcripturæ teſtimoniis abſtinuiſſent , & ad ſolam tantum provocaſſent παράδοσιν, ne minutiſſima quæque ex ſacra elicere pagina cupientes , eamque adeo obtorto quaſi collo in ſuam trahentes partem , optimam ſæpiſſime prodidiſſent cauſam , & aliorum ludibrio expoſuiſſent . Quod infinitis demonſtrare exemplis in proclivi eſſet, ſi inſtituti illud noſtri, in alia jam intenti, permitteret ratio . [5] Sed tamen totam forte rem confici, & ſatis fieri huic graviſſimo licet adducto dubio poſſe putamus, ſi dicatur , tria in hoc verſiculo Levitarum loca , in quibus ſocios ſe dabant

[1] De Menſuris Templi Cap. 1. Sect. 1. p. 3. [2] משנת תמיד & מדות Cap. 1. Miſchn. 1. [3] Talm. Babyl. ad משנת תמיד fol. סא col. 1. circ. med. [4] de Menſuris Templi Cap. 1. Sect. 1. p. 2. [1] Fiet id aliquando peculiari Diſſertatione , ſi vitam vireſque Deus nobis conceſſerit.

bant ſacerdotibus, de quibus ſupra actum a nobis fuit, ſimul numerari, recteque adeo 24. in univerſum recenſeri loca, ubi Levitæ excubitorum functi fuerint officio, tria nimirum, quæ in conſortio cum Sacerdotibus habuerint, & 21. quæ ſoli occuparint. In his ënim 21. locis eos excubias egiſſe ſolos, autor eſt R. *Abraham Harophe*, dicens: בשלשה מקומות הכהנים שומרים וגם שם עמהם היו נטפלים הלוי' והלוים היו שומרים עוד לבדם כמו שכתבו במשנת מדות בעשרי' ואחד מקום: *Tribus in locis excubias agebant ſacerdotes, ibique ſeſe etiam aſſociabant Levitæ &c. Sed Levitæ adhuc cuſtodias agebant ſoli, quemadmodum ſcribunt in Tractatu Middoth, in 21. locis* [1] Unde falli etiam R. *Schemaja* patet, quando tria iſta loca in quibus ſe ſocios dabant ſacerdotibus Levitæ, annumerat his 21. Levitarum locis, quemadmodum & ſuperius jam monuimus, & pluribus in ſpeciali locorum recenſione patebit. Cæterum in genere adhuc de iſtis ſacerdotum & Levitarum cuſtodiis notamus, Sacerdotes in Atrio interius, Levitas vero exterius excubare debuiſſe obſervante Maimonide: מצות שמירתו שיהיו הכהנים שומרים מבפנים והלוים מבחוץ: *Præceptum cuſtodiæ ejus [templi] hoc eſt, ut ſacerdotes cuſtodias agant interius, Levitæ vero exterius* [2] quod cur ſacerdotibus licuerit, Levitis non item, hanc afferunt rationem, quod ſacerdotum loca, etiamſi eſſent interius, iſtiuſmodi tamen eſſent, ut ſedere ibi laſſi & recubare poſſent, Levitarum vero loca, ſi interius fuiſſent, iſtiuſmodi fuiſſent futura, ut ſedere, quantumvis laſſi, non potuiſſent, ſiquidem ex communi, quam *Maimonides* affert, Judæorum regula: אין ישיבה בעזרה אלא למלכי בית דוד בלבד *Nemini conceditur ſedere in atrio, niſi Regibus ex familia Davidis tantum* [3] unde cum ſtare tota nocte haud poſſent, exterius eſſe in ſtationibus debebant, ut feſſi reſiderent, docente his verbis *Bartenora*: לפי שאין ישיבה בעזרה אלא למלכי בית דוד בלבד ולא היה אפשר לשומר לשמור בעמידה כל הלילה לפיכך היו השומרים בפנות העזרה וכן השומרים בשערי העזרה שומרים מבחוץ כדי שיהיו מותרין בישיבה: *Quandoquidem non permiſſum erat ſedere in atrio, niſi Regibus Davidis tantum, neque etiam poſſibile erat cuſtodi, ut ſtando excubias ageret tota nocte, idcirco cuſtodes in angulis atrii, ut & cuſtodes in portis atrii excubias egerunt extrinſecus, ut ſedere ipſis liceret* [4] de quibus adhuc ſingulis plura in ſubſequentibus dicendi locus erit. Interim lucem hæc fœnerari putant *Judæi* loco 1. Sam. 3. verſ. 3. ונר אלהים טרם יכבה ושמואל שכב בהיכל יהוה אשר-שם ארון אלהים: ויקרא יהוה אל-שמואל ויאמר הנני: *Et lampas Domini antequam exſtingueretur [& Samuel recumbebat] in templo Domini, ubi, (erat) arca Domini. Et vocavit Dominus ad Samuelem, qui reſpondit, ecce ego.* Ita enim ad voces ושמואל שכב commentatur *Jarchius*: במקומו בעזרת הלוים השומרים בית המקדש וכן תורגם יונתן ושמואל שכיב בעזרת ליואי: *In loco (nimirum) ſuo (recubuit) in atrio Levitarum, cuſtodientium templum, & ſic quoque vertit Jonathan: & Samuel recubuit in atrio Levitarum* [5] Sic paulo poſt. עלי היה כהן ושומר מבפנים ושמואל היה לוי ושוכב מבחוץ וקפץ הקול דרך עלי לשמואל במשכת תמיד: *Eli fuit ſacerdos, & cuſtodem egit interius, & Samuel fuit Levita, & recubuit exterius, & perrexit vox per locum Eli ad Samuelem. Videatur Tractatus Tamid.* [6] Et quamvis videri poſſet, ultima illa verba בהיכל יהוה אשר-שם ארון אלהים referri debere ad voces ושמואל שכב & Samuelem adeo recubuiſſe in templo Domini, ubi arca erat fœderis, tamen, cum conſtans referat traditio, neminem in templo debuiſſe recumbere, & maximus inſuper intra verſum diſtinctivus Atnachus habeatur ad vocem שכב, recte omnino divellenda hæc eſſe atque interſtinguenda monent, nec admittendum illum, qui Samuelem intra templum Domini collocat, ſenſum aſſerunt, ſed vel in genere vocem במקומו vel in ſpecie עזרת לוים ſubintelligendam, docente hoc inter alios R. *Lombroſo*, ad verba: ושמואל שכב במקומו ſequentia annotans: לא בהיכל כי שם אין מקום לשכב כי אם בעזרת לוים לכך בא אתנח בשמואל שוכב· שלא לחברו עם היכל ה' שהוא נפרד: *In loco ſuo [recubuit] non in templo, ſiquidem ibi non erat recumbendi locus, ſed in atrio Levitarum: idcirco etiam datur Atnach in verbis שמואל שוכב ne ſcilicet conjungatur cum verbis היכל ה' quæ ſeparari debent,* [7] ubi tum ingens oritur difficul-

[2] שלטי הגבורים Cap. 17. fol. טו col. 1. med. [3] הלכות בית הבחירה Cap. 8. §. 4. [4] הלכות בית הבחירה Cap. 7. §. 6. [5] in Commentario ſuo ad מסכת מדות Cap. 1. Miſchn. 1. ad verba: על ד' פנותיו מבחוץ [6] in Commentario ſuo ad h. l. qui additus eſt Operi Buxt. [7] ibid. ad verba: ויקרא יהוה. Atque hæc eadem quoque ex eo repetit *Abarbenel* in פירוש על נביאים ראשונים ad h. l. editionis Lipſienſis Anno 1686. ubi ramen, quando *Raſchi* ad Tractatum Tamid provocat, ſequentia videas annotari: *Dicit Corrector: inquiſivi hoc in Tractatu Tamid, nec quicquam de eo reperi, niſi tantum in Commentario Miſchnæ. 1. fol. 59. in fine columnæ ſecundæ. Verum in Tractatu Middoth in fine Cap. 1. paucula quædam reperi: & forte hic error quidam eſt: rimare, & deprehendes illud*, quod etiam ipſa locorum inſpectio docet. [8] in ſua Bibliorum editione, quæ prodiit. Venet. An. 1641. 4. maj.

ficultas, quæ cum Christianorum, tum Judæorum mire torsit ingenia, qua tandem ratione ultima illa verba explicari, quo se referre, aut quomodo interstingui debeant. Et *Vatablo* quidem ὕστερον πρότερον admissum hoc loco videtur, & ita verba collocanda *: Et cum lucernæ, quæ erant in templo Domini, ubi erat arca Dei, nec dum exstinctæ essent, & Samuel adhuc dormiret, tum vocavit &c.* [1] cui hac in parte adstipulatur *Baal Hatturim* dicens : והוא מקרא מסורם והיה שוכב בעזרה עם הלויים : *Hic locus scripturæ est inversus: dormivit autem in atrio cum Levitis* [2] At locum interpolandum existimat Chaldæus *Paraphrastes* hoc modo: ובוצין בית מקדשא דיי עד לא טפא ושמואל שכיב בעזרת ליואי וקלא אשתמע מהיכלא דיי דתמן ארונא דיי וקרא יי לשמואל ואמר הא אנא: *Et lucerna domus sanctuarii Domini necdum exstinguebatur, & Samuel cubans in atrio Levitarum, & vox audita est e templo Domini, ubi arca Domini. Et vocavit Dominus Samuelem, qui dixit : ecce ego* [3] cujus salivam pro more suo lambens R. *Sal. Jarchi*, transiliendo Sillukum, ultima illa hujus versiculi verba : בהיכל יהוה אשר שם ארון אלהים connectenda putat cum prioribus subsequentis versiculi : ויקרא יהוה אל-שמואל ita scribens : וקול יבא מהיכל יי' מבירת קדש הקדשים שקרא שמואל סוף המקרא העליון מחובר לראש המקרא התחתון זהו שאמר הכתוב ירעם אל בקולו נפלאות: *Vox processit ex templo Domini ex sancto sanctorum, quæ vocavit Samuelem. Finis autem versiculi prioris connecti debet cum principio posterioris : hoc ipsum est, quod dicit (scriptura Job. 37. 5.) Tonabit Deus voce sua mirifice*. Verum proxime ad scopum accedere videtur Grammaticorum ille Princeps R. *David Kimchi*, verba ista ונר אלהים טרם יכבה connectenda monens cum verbis : בהיכל יהוה cæteraque quæ ex Rabbinis adduximus hactenus, maximam partem repetens, hoc modo : בהיכל יי' דבק עם ונר אלהים טרם יכבה כי הנר היה בהיכל יו' ושמואל היה שוכב במקומו כי שמואל לא היה שוכב בהיכל יי' אלא בעזרת הלוים לפיכך האתנחתא בשוכב לפי שאינו דבק עם בהיכל יי' וכן פירשו ר"ל כי לא יתכן להבין הפסוק כמשמעו שהרי אין ישיבה בעזרה אלא למלכי בית דוד בלבד וכל שכן שכיבה וכל שכן בהיכל וכן תירגם יונתן ובוצין בית מקדשא דיי' עד לא טפא ושמואל שכיב בעזרת ליואי וקלא אישתמע מהיכלא דיי' דתמן ארונא דיי' וגו' *Voces* בהיכל יי' *cohærent cum verbis* ונר אלהים טרם יכבה *quoniam lampas fuit in templo Domini, & Samuel recubuit in loco suo, siquidem Samuel non recubuit in templo Domini, sed in atrio Levitarum : idcirco etiam Atnach est in voce* שוכב *, quia non cohæret cum vocibus* בהיכל יי' *& sic quoque explicant Rabbini nostri P. M. siquidem non convenit, ut explicemus Versiculum hunc secundum sensum suum literalem, siquidem non licitum est sedere in atrio, nisi regibus domus Davidis tantum, multo minus recumbere, quin multo minus in templo, & sic quoque vertit Jonathan : & lucerna domus sanctuarii Domini nec dum exstinguebatur, & Samuel cubans in atrio Levitarum, & vox audita est e templo Domini, ubi arca Domini &c.* [4] & quamvis hæc quoque conjungenda esse moneret *Vatablus*, præferendam tamen in eo hanc putamus sententiam, quod ὕστερον πρότερον inversumque scripturæ ordinem non admittat. Quod si nostram pronuntiare debeamus sententiam, sartam conservari παράδοσιν, optimoque sensu totum fluere versiculum, & naturali incedere ordine, nec Accentuatoriis contrariari principiis, sed convenire cum iis quam maxime, & in amicam coire concordiam putamus, si verbis istis *: & lampas Domini antequam exstingueretur*, nexu quodam cum subsequentibus illis : *in templo Domini, ubi arca erat fœderis* copulatis, voces ושמואל שכב *& Samuel recumbebat*, παρενθέσει includantur, quemadmodum & nos in versione nostra fecimus, & hoc suboluit etiam vulgato *interpreti* [5] siquidem docentibus *Institutionibus* nostris *Accentuatoriis*, genuinum Parentheseos esse κριτήριον novimus, *cum vel vox singula, vel integra Propositio interserta alterius cujusdam Propositionis Partibus, majori clauditur distinctivo, quam ante eam obtinuit.* [6] Cæterum nescio qua suffultus autoritate Cl. l' *Empereur* dicere sustineat : *Hæc tria ædificia (sacerdotum scilicet) extra atrium magnum fuisse tradunt & hac de causa :* שאין ישיבה בעזרה אלא למלכי בית דוד בלבד ולא היה אפשר לשומור בעמידה כל הלילה *quod regibus tantum e stemmate Davidis sedere liceret in atrio magno ; custodes autem stantes in excubiis totas noctes agere non valerent* [7] cum de domo Abtines minimum & Nitsots fateantur omnes, fuisse eam ex parte intra atrium, ut pluribus statim videbimus, quam autem adducit ejus rei rationem, a nobis tan-

[1] Vid. Poli Synopsis ad h. l. & in Edit. Bibl. quæ cum ejus Notis prodiit Hanov. Anno 1605. 4. [2] in Opere Buxtorfiano h. l. [3] in Commentario suo ad h. l. ad verba: ויקרא יהוה [4] in Commentario suo ad h. l. qui additus est Operi Buxt. [5] in edit. Bibl. quæ cum *Vatabli* notis prodiit. Anno 1605. 4. [6] Reg. II. Annot. VIII. [7] de Mensur. Templi Cap. 1. Sect. 1. p. 3.

tantum de Levitis jam jam fuerit allata, cur illi nimirum in ſtationibus eſſe extra atrium deberent. Quo ipſo tamen nihil quicquam Viri extra controverſiam magni detractum gloriæ cupimus, ſed omnibus dignum præconiis, & inter potiſſima eruditorum ſæculi ſui decora, ſuo referendum jure putamus. Atque ita ad Sacerdotum & Levitarum loca in ſpecie conſideranda ſine ulteriori mora progredimur, quæ de iis Iudaica nobis reliquit hiſtoria, eadem, qua par eſt, fide expoſituri.

§. IX.

Tria Sacerdotum loca in ſpecie.

Fuiſſe ergo tria iſta Sacerdotum loca בית אבטינס Domum Abhtines, בית הניצוץ Domum Nitſots & בית המוקד Domum focariam, *Miſchna* edocet, ſequentem in modum ſcribens: בשלשה מקומות הכהנים שומרים בבית המקדש בבית אבטינס · ובבית הניצוץ · ובבית המוקד: *Tribus in locis ſacerdotes excubias agunt in templo, in domo nimirum Abhtines, in domo Nitſots, & in domo focaria.* [1]

Domo Abhtines & domus Nitſots.

Domum Abhtines & Domum Nitſots deſcribit nobis *Maimonides*, quod fuerint: שתי עליות בנויות בצד שערי העזרה i. e. *duo* עליות *ædificata in latere portarum atrii ſ.* עזרה [2] ubi explicandum nobis ante omnia erit, quid proprie h. l. ſignificet vox עליה & עזרה & tum ad reliqua demum pergendum. *Vocem* עליה, inquit Clar. *l'Empereur*, *nomen cœnaculum ſatis exprimere potuiſſet, nam cœnacula, ut inquit Budæus, ſunt altiora domus, ad quæ ſcalis ſeu cochleis aſcenditur: quia tamen teſte Varrone, locum ubi cœnitabant, cœnaculum vocitabant; ne quis forte inibi ſacerdotes corpora ſua cibo reficere autumaret, Græca vocabula* ὑπερῴων & ἀνώγεων, *locum ſuperiorem quemvis in ædibus deſignantia, addenda videbantur, ne de cœnaculo ſtricte ſumto* עליה *acciperetur* [3] a qua ſententia non multum abludere videtur *Gemara*, quando de hac voce ita diſputant: איבעי' להו עליות ממש הוו או דילמא דהוו גביהי מנבה בעליות תא שמע דתנן שער הניצוץ כמין אכסדרה היה ועלייה בנויה על גבה הכהנים שומרים מלמעלה והלוים מלמטה: *Quæritur hic inter iſtos (Gemariſtas), an revera fuerunt ædificia in altum edita, an forte fuerunt altiora, quam altitudo eſſe ſolet in* עליות. *Accede & audi, quod dicatur (in Miſchna): Porta Nitſots ſpeciem referebat* ἐξέδρας, *&* עליה *quoddam ipſi fuit ſuperſtructum, ubi Sacerdotes ſuperius excubias agebant, Levitæ vero inferius.* [4] Quod vero vocem עזרה attinet, expreſſis teſtatur verbis R. *Abraham Harophe*, quod ea ſimpliciter & ſine addito poſita indicet atrium totum ſive proprie ſic dictum: מלת עזרה בלי לווי תרצה לעולם כדברי רבותינו ז״ל העזרה כלה היינו המוחלטת: *Vox* עזרה *ſine addito indicat perpetuo in ſcriptis Rabbinorum noſtrorum P. M. totum atrium, quod eſt atrium proprie ſic dictum,* [5] quod quidem atrium proprie ſic dictum *idem* ille totum illud aſſerit eſſe ſpatium, quod a porta incipiebat Nicanoris, & pertingebat uſque ad undecim illos cubitos, qui erant poſt domum propitiationis, quando hunc in modum ſcribit: העזרה המוחלטת ידועה מתחלת משער נקנור האמור ומגעת עד האחד עשרה אמה שהיו אחרי בית הכפרת: *Atrium proprie ſic dictum, notum eſt incipere a porta Nicanoris ita dicta, & pertingere uſque ad undecim illos cubitos, qui erant poſt domum propitiationis* [6] quicum egregie conſpirat *Miſchna*, inſuper ſpatium illud memorans centum fuiſſe octoginta & ſeptem cubitorum in longitudine, & centum triginta & quinque in latitudine, ſimulque in ſe comprehendiſſe atrium alias Sacerdotum & atrium Iſraelitarum dictum, totumque illud ſpatium, quo ipſum continebatur templum: quemadmodum ejus hanc in rem verba ſonant: כל העזרה היתה אורך מאה ושמנים וז' · על רחב מאה ול״ה · מן המזרח למערב · מאה ושמונים ושבע · מקום דריסת ישראל · י״א אמה · מקום דריסת הכהנים · אחת עשרה אמה · המזבח שלשים ושתים · בין אולם ולמזבח · עשרים ושתים אמה · ההיכל מאה אמה · ואחת עשרה אמה · לאחורי בית הכפורת: *Totius atrii longitudo erat centum octoginta & ſeptem (cubitorum): latitudo vero centum triginta quinque. Ab oriente ad occidentem (longitudo) centum octoginta & ſeptem (cubitorum) ita ſeſe habebat: locus inceſſus Iſraelis (i. e. atrium Iſraelitarum) erat undecim cubitorum: locus inceſſus ſacerdotum (i. e. atrium ſacerdotum) erat undecim cubitorum: altare erat triginta & duorum: inter porticum & altare erat (ſpatium) viginti duorum cubitorum, ipſum templum erat centum cubitorum & undecim cubiti erant a tergo loci ipſius propitiatorii,* [7] quod & ex addita a *Jom Tobh* Tractatui Middoth Templi Sciagraphia ad oculum patet. His ita præmiſſis vocanda in ſubſidium erit *Gemara* Hieroſolymitana, quæ exſtructam fuiſſe domum Abhthi-

[1] מסכת תמיד מדות Cap. 1. Miſchn. 1. [2] הלכות בית הבחירה Cap. 8. §. 5. [3] de Menſuris Templi Cap. 4 Sect. 5. p. 151. [4] Talmud. Babyl. מסכת תמיד fol. ס col. 1. fin. [5] שלטי הגבורים Cap. 23. fol. יח. col. 3. [6] ibid. [7] מסכת מדות Cap. 5. Miſchn. 1.

tines dicit על גבי שער המים *ſuper portam aquarum* [1] eaque conferenda cum *Miſchna* Middoth, quæ portam aquarum fuiſſe memorat in atrio magno verſus auſtrum his verbis : שבעה שערים היו בעזרה שלשה בצפון ושלשה בדרום ואחד במזרח· שבדרום שער הדלק· שני לו שער הבכורות· שלישי לו שער המים: *Septem Portæ erant in atrio : tres ad aquilonem; tres ad auſtrum ; una in oriente. Ad auſtrum erat Porta ardoris ; huic ſuccedebat porta primogenitorum ; tertia ordine erat Porta aquarum* [2] : tum conſulenda alia adhuc *Miſchna*, ſuperius etiam a *Gemara* jam adducta, quæ portam quandam Nitſots fuiſſe verſus ſeptentrionem narrat ἐξέδρας formam referentem, ſupra quam ædificatum fuerit עלייה, ubi ſacerdotes ſuperius, Levitæ vero inferius excubias egerint : שבצפון שער הנצוץ וכמין אכסדרא היה ועליה בנויה על גביו שהכהנים שומרים מלמעלן והלוים מלמטן: *Ad ſeptentrionem ecat Porta Nitſots formam ἐξέδρας referens, ſupra quam ædificatum erat* עליה*, ubi ſacerdotes ſuperius, Levitæ vero inferius excubias agebant.* [3] quod quidem עליה nullum fuiſſe aliud, quam domum Nitſots, inde colligere inter alia eſt, quod ſacerdotibus ſuæ hic aſſignentur cuſtodiæ, quos non niſi in domo Abhtines, domo Nitſots, & domo focaria fuiſſe novimus, & *Bartenora* in verbis antea adductis domum Nitſots עלייה fuiſſe aſſerat, atrii cuidam portæ ſuperſtructam : Unde non ſine ratione tandem concludimus, domum Abhtines & domum Nitſots fuiſſe duo ædificia in altum edita, & duabus Atrii Portis, Aquarum & Nitſots dictis, a latere ſuperſtructa, & domum quidem Abhtines portæ Aquarum auſtrali, verſus auſtrum, domum vero Nitſots, ſeptentrionali Portæ Nitſots ſuperſtructam, ſitam fuiſſe ad ſeptentrionem. Atque in his ipſis ædibus Pueri Sacerdotales רובים, de quibus fuſe in antecedentibus, ſuas habebant cuſtodias, obſervante magno *Maimonide*: בית אבטינם ובית הניצוץ היו עליות בנויות בצד שערי העזרה והרובין היו שומרים שם: *Domus Abhtines & domus Nitſots fuerunt* עליות *exſtructa ad latus portarum atrii, & pueri ſacerdotales ibi cuſtodias habebant.* [4] & illi quidem ſuperius, qui vero ipſis ſe aggregabant Levitæ, inferius excubias agebant, quemadmodum hoc antea etiam jam a nobis fuit monitum, & quæ de Porta Nitſots agebat *Miſchna*, idem in ſpecie de Domo Nitſots teſtatur. Et quamvis hæc quoque עליות ex parte eſſent in atrio, prout fuiſſe ea ex latere portarum atrii vidimus, nihilo tamen ſecius ſedere ibi ſacerdotes iſti cuſtodes laſſitudine victi poterant, docente *Interprete* Gemaræ Tamid : ואפי' היו אותן עליות בנויות מקצתן בעזרה יכולין כהנים לישב שם כשהיו עייפים דגגין ועליות לא נתקדשו כדאמרינן בפסחים: *Et quamvis iſta* עליות *eſſent ædificata ex parte in atrio, tamen ſacerdotes ibi ſedere poterant, quando feſſi eſſent, ſiquidem tecta &* עליות *non fuerunt ſancta, quemadmodum dicimus in Tractatu* פסחים [5]. Unde & ratio patet, cur Sacerdotes excubias agere intra atrium potuerint, quod Levitis contra non licebat, quemadmodum & illud ipſum ſuperius a nobis jam fuit indicatum, & pluribus adhuc indicabitur in ſubſequentibus. Ceterum obſervari adhuc meretur, dubiam maxime atque incertam eſſe domus imprimis Abhtines rationem, an cum לשכת העץ ſive Conclavi lignorum, quod & לשכת כהן גדול ſive conclave ſummi ſacerdotis dicitur, eadem fuerit, an vero ab eo diverſa, & utrum conclave illud lignorum ſive לשכת העץ idem iterum fuerit cum לשכת פרהדריץ ſive conclavi Parhedrin, an vero ab eo iterum diverſum, de quo per integras fere videri paginas poteſt toties memoratus nobis *Jom Tobb* [6] & breviter etiam R. *Abraham Harophe*, quando ita ſcribit: שלישית הוא לשכת העץ· והיא היתה לשכת כהן גדול דנקראת גם כן לשכת פרהדרין· כדתנן ביומא שבעה ימים קודם יום הכפורים מפרישין כהן גדול מביתו ללשכת פרדרין וגו' או שמא היתה זאת לשכת בית אבטינס· ולשכת פרהדרין היתה בדרום כי בזה מסיפקת הגמרא ביומא: i. e. *Tertia (ædes in atrio verſus ſeptentrionem) erat conclave ligni, quod ipſum erat conclave ſacerdotis ſummi, alias etiam conclave Parhedrin dictum, quemadmodum dicitur in Tractatu Joma : ſeptem dies ante diem expiationum ſeparatim deducunt ſacerdotem ſummum ex domo ſua ad conclave Parhedrin. &c. Aut etiam hoc fuit conclave domus Abhtines, & conclave Parhedrin ſitum fuit ad auſtrum, quandoquidem de hoc dubia eſt Gemara in Tractatu Joma* [7], ubi tamen annotamus, quam nos ad auſtrum collocavimus Abhtines domum, hic collocari ad ſeptentrionem, quod ex Codicum quorundam *Miſchnæ* lectione, qui domum hanc ligni ſive ſacerdotis ſummi, quam hic eandem eſſe cum Abhtines domo dicit, ad ſeptentrionem fuiſſe memorant, ſine omni dubio hauſit, pro qua tamen in ſua *Miſchnæ* edi-

Sacerdotes pueri in domo Abhthines & Nitſots cuſtodes.

Qui & ſedere hic poterant.

De domo Abtines Varia.

[1] Citatur illa a l'Empereur de Menſuris Templi Cap. 1. Sect. 1. p. 3. [2] משכת מדות Cap. 1. Miſchn. 4. [3] ib. Miſch. 5. [4] הלכות בית הבחירה Cap. 8. §. 5. [5] Talm. Babyl. משכת תמיד fol. נט. col. 2. med. [6] in Commentario ſuo ad משכת מדות Cap. 5. Miſchn. 4. ad verba: לשכת העץ. [7] שלטי הגבורים Cap. 23. fol. יט. col. 3. init.

editione, variam ſimul Codicum h.l. ſcripturam annotans *Jom Tobb*, conſtanter hoc modo legit: שבררום לשכת העץ לשכת הגולה · לשכת הגזית: *Ad auſtrum erant conclave ligni: conclave ſcaturiginis: conclave cæſi lapidis* [1], unde & alio in loco ſuperiorem repetens controverſiam ſibi ipſi contrarius eam quoque ad auſtrum fuiſſe dicit idem R. *Abraham Harophe*; בית אבטינס היתה כמין אכסדרה על שער המים שבדרום · ועלייה על גבה ששם אבטינס ומשפחתו היה מפטם הקטרת וגם במקום ההוא היה באולי בית הכ״ג ששם היו משביעין אותו כדאיתא ביומא פרק א׳ משנה ה׳: *Domus Abbtines ſpeciem referebat ἐξέδρας, ſupraque aquarum portam erat ſita, quæ erat ad auſtrum, eique ſuperſtructum erat* עלייה, *ubi Abbtines ejuſque familia præparabat ſuffitum, quin & eo in loco forte erat domus ſacerdotis ſummi, ubi jurare eum cogebant, quemadmodum eſt in Joma Cap. 1. Miſchn. 5.* [2] item alibi adhuc expreſſis eam verbis ad auſtrum fuiſſe ſcribit; ובית אבטינס חיתה לשכת המשפחה הזאת שהיו יודעים לפטם את הקטרת · והיו מכירים העשב ההוא שבגללו עשן הקטרת היה מתמר ועולה · ועל הלשכת הזאת שהיתה בדרום העזרה אצל שער המים ועליתו פתוחה לחל · היו שומרים ילדי הכהנים: *Domus Abbtines fuit conclave familiæ illius, quæ novit præparare ſuffitum, & cognitam habuit iſtam herbam, quæ in cauſa erat, ut fumus ſuffitus inſtar columnæ recta aſcenderet; & ſuper hoc conclave, quod erat verſus auſtrum atrii ad portam aquarum, & cujus* עליה *apertum erat verſus profanum, cuſtodes erant pueri ſacerdotum* [3] ex quibus ſimul videre eſt, in hac Abhtines domo præparatum fuiſſe ſuffitum aromaticum, quod & R. *Schemaja* confirmat, dicens; שם מפטמין את הקטרת *ibi præparabant ſuffitum* [4] de qua ſuffitus ſacri præparatione prolixe agit *Maimonides* [5] & ex inſtituto R. *Abraham Harophe* [6]: quin & degiſſe in ea familiam iſtam præparando huic ſuffitui operam navantem, quam & jam antea familiam fuiſſe Viri cujuſdam Abhtines dicti, memoraverat, & cognitam illam atque perſpectam habuiſſe illam herbam, quæ faciebat, ut fumus ſuffitus inſtar columnæ recta aſcenderet, de qua herba, hodie nobis incognita, *idem* aliqua diſſerit. [7] Quin nec prætereundum illud videtur, in die expiationum ſacerdotem ſummum in hanc ædem fuiſſe deductum monente *Miſchna*: מסרוה זקנו בית דין לזקני כהונה והעלוהו לעליית בית אבטינס. *Tradiderunt eum ſeniores ſynedrii ſenioribus ſacerdotii, qui deduxerunt eum in* עליה *domus Abbtines.* vv quod quidem factum propterea fuiſſe memorat Gemaræ Tamid *interpres*; ללמדו לשם הילכות חפינה שהיא אחת מעבודות קשות שבמקדש. *Ad docendum ipſum eo in loco deciſa pugillandi ritum ſpectantia, quod fuit inter difficillima in Templo miniſteria* [8] de quo videri poteſt *Bartenora* [9] ibique etiam juramento obſtringebant ſacerdotem ſummum, ne ſeſe Sadducæum gereret, & ſuffitum thuribulo imponeret extra velum, monente eodem *Bartenora* [10] quod fuſius adhuc exponit *Maimonides*, ipſam ſimul juramenti recitans formulam, quando ita ſcribit; בימי בית שני צץ האפיקורוסות בישראל ויצאו הצדוקין מהרה יאבדין שאינן מאמינו · בתורה שבעל פה · והיו אומרין שקטרת של יום הכפורים מניחין אותה על האש בהיכל חוץ לפרוכת וכשועלה עשנה מכניס אותה לפנים לקרש הקרשים · הטעם זה שכתוב בתורה כי בענן אראה על הכפרת · אמרו כי הוא ענן הקטורת · מפי השמועה למדו חכמים שאין נותן הקטורת אלא בקדש הקדשים לפני הארון · שנאמר ונתן את הקטרת על האש לפני ה׳ · ולפי שהיו חוששין בבית שני שמא כהן גדול זה נוטה לצד אפיקורוסות · היו משביעין אותו ערב יום הכפורים ואומרים לו איש כהן גדול אני שלוחי בית דין. ואתה שלוחינו ושליח בית דין · משביעין אנו עליך במי ששכן את שמו בבית הזה · שלא תשנה דבר שאמרנו לך וגו׳. *Tempore templi ſecundi invaluit* Epi*curæatus inter Iſraelitas, & abierunt Sadducæi, qui ſubito pereant, non credentes legem oralem, & dixerunt, ut ſuffitum ſacrum in die expiationum imponerent igni extra velum, & quando fumus ejus aſcenderet, tum demum ingrederetur (ſacerdos ſummus) interius in ſanctum ſanctorum, cujus ratio hæc eſſet, quia dicitur in lege (Lev. 16. 2.) quia in nube apparebo ſuper propitiatorium: ubi dicunt, quod hæc ſit nubes ſuffitus. Sed vero ex Traditione didicerunt ſapientes, quod non impoſuerit (Sacerdos ſummus) ſuffitum, niſi in ſancto ſanctorum ante arcam, quia dicitur* Lev. 16. 13. *& dabit ſuffimentum ſuper ignem coram Domino; & quoniam verebantur in Templo ſecundo, ne forte Sacerdos ille ſummus inclinaret ad partes Epicuræorum: adjurarunt eum veſpera diem Expiationis præcedente, & dixerunt ipſi: Domine Sacerdos ſumme, nos ſumus legati* Sy-

[1] משכת מדות Cap. 5. Miſchn. 4. [2] שלטי הגבורים Cap. 25. fol. נד. col. 2. fin. [3] Cap. 17. fol. טו. col. 1. poſt med. [4] in Talmud. Babyl. ad משכת מדות fol. סה. col. 1. init. [5] הלכות כלי המקדש Cap. 2. tot. [6] שלטי הגבורים Cap. 79. 88. tot. [7] שלטי הגבורים Cap. 86. fol. כ. col. 3. it. Cap. 88. fol. כו. col. 1. [8] משכת יומא Cap. 1. Miſchn. 5. [9] Talmud. Babyl. משכת תמיד fol. נט col. 2. init. [10] in Commentario ſuo ad משכת מידות Cap. 1. Miſchn. 2.

Synedrii, tu vero noster es legatus & legatus Synedrii: nos juramento obstringimus te per eum, qui nomen suum habitare voluit in hac æde, ne quicquam mutes ex iis, quæ tibi diximus &c. [1] Quod reliquum est, ultimo adhuc observamus loco, falli forte Clar. l'*Empereur*, quando *domum Abhtines dici a voce Græca βοτάνη* putat, *ea nonnihil (ut Judæis familiare sit) corrupta, quia illic suffimentum confecerint, quod factum sit e terræ fructibus* [2] cum jam ex adductis antea R. *Abraham Harophe* verbis constet, illam a viro isto rei Aromatariæ peritissimo, Abhtines dicto, qui cum familia sua suffitum ibi conficere sacrum consueverat, suam traxisse appellandi rationem: unde vero suum sortita nomen sit domus Nitsots, ingenue se ignorare profitetur Gemaræ Tamid *interpres*: לא שמעתי בו טעם למה נקרא כן *Non audivi de ea (domo Nitsots) rationem, quare ita appelletur* [3] quæ suo etiam more ex eo transsumere elegantissimus *Jom Tobb* non dubitavit. [4]

§. X.

Domus incendii.

Sed jam tertia nos invitat a sacerdotibus custodita Domus בית המוקד sive Domus incendii dicta, quam ita describit *Mischna*: בית המוקד כיפה ובית גדול היה מוקף רובדין של אבן *Domus incendii erat* כיפה *& erat magna domus stratis saxeis cincta* [5] plenius autem hunc in modum *Maimonides*: ובית גדול היה בצד העזרה בצפונה מבחוץ בין העזרה והחיל והיה בנוי כיפה ומוקף רובדין של אבן והוא היה נקרא בית המוקד: *Domus quædam magna fuit a latere atrii versus septentrionem exterius inter atrium & antemurale, & ædificata fuit* כיפה *& cincta stratis saxeis, quæ vocabatur* בית המוקד *s. domus incendii* [6] ubi primo observamus loco, dici hanc ædem fuisse כיפה, quod quid sit, exponit *Bartenora*, his verbis: בנין של בית המוקד לא היה עליות אלא ארקוולט בלע״ז עשה בארץ *Structura domus incendii non fuit* עליות *sed quæ dicitur* ארקוולט *in lingua exotica, in ipsa terra exstructa* [7] nec non eleganter admodum, adhibito etiam in subsidium latino scriptore Vitruvio R. *Abraham Harophe*: העשוי כיפה היינו שלא היה מקורה כמו שהם הבתים על הרוב כי במקום קורות העליה היה לו כיפה בלע״ז וולטו וביטרוביאו המחבר קרא תקרת הכפה בלשון רבים טיסטודיניאטא טיקטא וכשירצה לומר אני בונה בנין כמין כיפה כותב בספרו הרביעי פרק ד׳ קונפורניקו כי הנה פורניקס רוצה לומר כיפה׃ *facta fuit* מיפה *i. e. non fuit contignata, quemadmodum domus plerumque solent, quoniam loco trabium* עליה *fuit ipsi* כיפה *in lingua exotica* וולטו *dicta. Et scriptor ille Vitruvius vocat contignationem* כיפה *in numero plurali testudineata tecta, & quando vult dicere: ego exstruo aliquam structuram referentem formam* כיפה*: tunc scribit in libro suo quarto, Capite quarto: Confornico: quandoquidem fornix idem est quod* כיפה [8] unde colligere est vocem כיפה h. l. opponi voci עליה & nihil significare aliud, quam opus arcuatum, sive fornicem ædis a terra assurgentis, quo etiam sensu recte eam accepit Clar. *l'Empereur*, scribens: *Talmudici passim hoc ædificium arcuato opere exstructum fuisse tradunt, itaque* כיפה *fornicem vocant, cui ab ipsis opponitur* עלייה *ἀνώγεων: ideoque fornicis voce locum inferiorem intelligunt, quem hic (etsi alio modo explicant) fuisse* שוה לקרקע העזרה *æqualem pavimento atrii tradit Salomon Jarchi* [9] *Commentariis in Codicem Tamid Talmudis Babylonici* [10]. Hanc porro ædem sitam fuisse versus septentrionem audivimus a latere atrii exterius, inter atrium & antemurale, quod quidem a latere atrii mulierum fuisse putat R. *Salomo Ben Verga*: בתי הבית בעזרת נשים היו ארבעה בתים כלם משמשות לעבודות המקדש ועוד מצד עזרה זו היה בית גדול נקרא בלשון התלמודיים בית המוקד: *Quatuor fuerunt domus templi in atrio mulierum omnes inservientes usibus ministerii templi: præterea a latere hujus atrii fuit domus quædam magna, quæ in scriptis Talmudistarum vocatur* בית המוקד [11] ut ex illius forte mente collocanda hæc ædes sit in extremitate lateris atrii mulierum, ubi atrium illud magnum sua capiebat initia, quam tamen, si Sciagraphiam Templi a *Jom Tobb* oculis nostris subjectam inspiciamus, in extremitate atrii Israelitarum ad latus atrii sacerdotum videbimus collocatam. Cum vero ulterius dicatur, fuisse hanc domum incendii a latere atrii exterius, non certe video, quomodo hoc conciliari possit cum eo, quod supra ex Judæorum mente adduximus, ubi

[1] הלכות עבודת יום הכפורים Cap. 1. §. 7. [2] de Mensuris Templi cap. 1. Sect. 1. pag. 3. [3] in Talmud. Babyl. ad משכת תמיד fol. נט. col. 2. ad verba בית הנצוץ [4] in Commentario suo ad משכת תמיד Cap. 1. Mischn. 1. ad verba בבית הניצוץ. [5] משכת תמיד Cap. 1. Mischn. 1. & משכת מדות Cap. 1. Mischn. 8. [6] הלכות בית הבחירה Cap. 5. §. 9. [7] in Commentario suo ad משכת תמיד Cap. 1. Mischn. 1. ad verba: ובית המוקד כיפה. [8] שלטי הגבורים Cap. 16. fol. יד. col. 4. [9] Nimis audacter h. l. dicitur Commentariorum istorum auctor Jarchius. Vide quæ supra ad §. 3. lit. [10] notavimus. [11] De Mensuris Templi Cap. 1. Sect. 8. p. 30. [12] in שבט יהודה novissimæ editionis Amstel. proxime elapso An. 1709. prodeuntis, fol. מט. col. 12.

ubi Sacerdotes excubias egiſſe dicebantur interius, ſ. intra atrium, Levitæ vero exterius, niſi admittatur ſententia *Bartenoræ*, qui hanc ipſam ædem aliqua etiam ex parte pertendiſſe aſſerit intra atrium: בית המו׳ קצתו בנוי בתוך העזרה המקודשת והקצתו בחול: *Domus incendii ex parte fuit exſtructa intra atrium, quod ſanctum erat, & ex parte in profano*, [1] quamvis non negemus, in iſto forte loco, qui erat profanus, excubias tantum agere potuiſſe ſacerdotes, quemadmodum in hanc abire ſententiam videmus *Interpretem* Gemaræ Tamid, quando ſcribit: דבמקום חול היו ישנים ולא במקום קדוש *ſiquidem in loco profano dormiverunt non autem in loco ſacro* [2] ut & R. *Jom Tobh* expreſſe ad verba: וזקני בית אב ישבים שם monentem: בחציה שבחול *ea parte quæ erat in profano* [3] quæ ipſa quoque erit ratio, cur ſacerdotes in ejuſmodi domo, quæ ex parte interius erat, ſive intra atrium, excubare & recumbere potuerint pro lubitu, de quo in genere ſupra jam fuit a nobis actum. Sed cum ultimo tandem loco *Miſchna* modo allegata & *Maimonides* domum hanc cinctam fuiſſe רובדין של אבן ſive *ſtratis ſaxeis* aſſerunt, nec ea nobis intacta erunt relinquenda, ſed ex R. *Obadia de Bartenora* obſervandum, fuiſſe ea ſedilia ex lapide cæſo infixa parieti, & alia aliis ſuperimpoſita, &, ut propria ejus verba ſonant: אצאבאות סביב של אבני גזית היו משוקעות בכותל ויוצאות מן הכותל לתוך בית המוקד לצד הקרקע ועל גביהן אבנים אחרות קצרות מהן שיוצאות נמי מן הכותל והיו כעין מעלות זו על זו: *Sedilia circumcirca ex lapidibus cæſis fuerunt infixa parieti & prodeuntia ex pariete intra domum incendii ad latus pavimenti, quibus alii prioribus breviores ſuperimpoſiti fuerunt lapides, eodem modo ex pariete prodeuntes, & ſpeciem referentes graduum, qui alii in aliis ſunt impoſiti* [4] quicum egregie conſpirat *Gemara Babylonica*, hunc in modum diſceptans: רובדין מאי ניהו גזרתא דאצטבתא דסלקי בהו לאצטבתא ומי הוו מיפלגי אבנים והכתיב והבית בהבנותו אבן שלמה וגו׳ אמר אביי דמתקני ומייתי מעיקרא אבני זוטרתא ואבני רברבתא כדכתיב אבני עשר אמות ואבני שמונה אמות: *quid ſignificat vox* רובדין? [*Reſpondetur*] *ſegmenta graduum, quibus aſcendunt in gradus. An ergo diviſerunt lapides, cum tamen expreſſe ſcriptum habeatur* (1. *Reg.* 6. *v.* 7.) *Domus autem cum ædificaretur, ex lapide integro &c. Reſpondet Abaji, quod fuerint comparati & adducti ab initio ſtatim lapides parvi & lapides magni, quemadmodum ſcriptum eſt* (1. *Reg.* 7. *v.* 11.) *lapidibus decem cubitorum* (*ſc. fundata erat domus*) *& lapidibus octo cubitorum* [5] ex quibus tandem omnibus apparet, fuiſſe hanc domum incendii vaſtum aliquod ædificium, opere arcuato exſtructum, non in altum editum, ſed a pavimento aſſurgens verſus Septentrionem ad latus atrii exterius, ex parte etiam interius, & quidem proprie intra atrium & antemurale ſitum & circumcirca lapideis quibuſdam ſtratis ſedilibuſque cinctum. Cæterum quatuor adhuc habuiſſe conclavia memorant, quorum duo in loco ſancto, duo in loco profano fuerint, ſuumque ſingula uſum habuerint referente *Codice Miſchnico*:

Quatuor conclavia domns incendii.

וארבע לשכות היו בבית המוקד׳ כקיטונות פתוחות לטרקלין׳ שתים בקדש׳ ושתים בחול׳ וראשי פיספסין מבדילין בין קדש לחול׳ ומה היו משמשות׳ מערבית דרומית׳ היא היתה לשכת טלאי קרבן׳ דרומית מזרחית׳ היא היתה לשכת עושי לחם הפנים מזרחית צפונית ׳בה גנזו בני חשמונאי את אבני המזבח ששקצום מלכי יון׳ צפונית מערבית׳ בה יורדים לבית הטבילה: *Quatuor conclavia erant in domo incendii ſicut* κοιτῶνες *aperti Baſilicarum, quorum duo in ſancto, duo in profano & capita trabium diſtinguebant inter ſanctum & profanum. Quem in uſum? occidentale auſtrale, erat conclave agnorum oblationis: auſtrale orientale erat conclave facientium panes propoſitionum: orientale ſeptentrionale quod attinet, in eo abſconderunt filii Haſmonæorum lapides altaris quos abominabiles reddiderunt Reges Græciæ: ſeptentrionale occidentale quod ſpectat; per illud deſcendebant in balneum* [6] de quibus ſingulis plurima moneri adhuc atque proferri poſſent in medium, niſi ſuperflua forte & a ſcopo noſtro futura eſſent aliena.

Dicebatur autem hæc domus בית המוקד ſive domus incendii ex mente R. *Sal Ben Verga*: לפי ששם היתה מדורה גדולה תמידית והיא משמשת לב׳ דברים האחד לוקח ממנה אש לתת על המזבח וגו׳ והתועלת השני לבית ההוא [dicendum potius המדורה הזאת] היא לכהנים לפי שהיו הולכין יחפין על רצפת אבנים של שיש ער שרבים היו מתים מקרירות: *quoniam ibi erat pyra magna perpetuo lucens, duabus inſerviens rebus, quarum una erat, ut caperent inde ignem, quem imponerent altari &c. alter uſus hujus ædis* [*vel potius pyræ*] *erat pro ſacerdotibus, quoniam illi incedebant diſcalceati ſuper pavimento lapidum marmo-*

[1] in Commentario ſuo ad משכת מדות Cap. 1. Miſchn. 6. ad verba: שתים בקדש ושתים בחול. [2] in Talmud. Babyl. ad משכת תמיד fol. נט. col. 2. ad verba: וזקני בית אב ישנים שם. [3] In Commentario ſuo ad משכת תמיד Cap. 1. Miſch. 1. [4] in Commentario ſuo ad משכת תמיד Cap. 1. Miſchn. 1. ad verba; והיר מוקף רובדין של אבן. [5] Talmud. Babyl. משכת תמיד fol. ש. col. 2. med. [6] משכת מדות Cap. 1. Miſch. 6.

morcorum , ut multi enecarentur frigore [1] quam etiam ultimam rationem ſuppeditat R. *Obadias de Bartenora*, inquiens : על שם שמדורות דולקים בה תמיד להתחמם שם הכהנים · מפני שהולכים יחפים · קרוי בית המוקד : *Eo quod pyræ ibi ardebant perpetuo , ut calefieri ibi ſacerdotes poſſent , quoniam diſcalceati incedebant : idcirco vocatur* בית המוקד *ſive domus incendii* [2]. Atque in hac ipſa æde ſuas habebant cuſtodias ſeniores familię paternæ זקני בית אב nec non juniores ſacerdotii פרחי כהונה dicti de quibus ſupra ex inſtituto diſſeruimus. Et iſti quidem familiæ paternæ ſeniores claves aſſervabant atrii , obſeryante *Codice Miſchnico* : ומפתחות העזרה בידם *& claves atrii erant in manibus eorum* quas ubi repoſuerint , eadem nos docet *Miſchna*: ומקום היה שם אמה על אמה · וטבלא של שיש · וטבעת היתה קבועה בה · ושלשלת שהמפתחות תלויות בה . הגיע זמן הנעילה · הגביה את הטבלה בטבעת · ונטל את המפתחות מן השלשלת · ונעל הכהן מבפנים · ובן לוי ישן לו מבחוץ · גמר מלנעול · החזיר את המפתחות לשלשלת · ואת הטבלא למקומה · נתן כסותו עליה · ישן לו : *Ibidem erat locus cubiti unius in longitudine & latitudine , & tabula quædam marmorea , cui annulus erat infixus , & catena e qua ſuſpendebantur claves . Quod ſi tempus obſerandi appropinquaret : elevabat (aliquis) tabulam annulo , & deſumebat claves a catena , & obſerabat ſacerdos interius , Levita autem excubabat exterius . Ubi jam abſolviſſet , & obſeraſſet , reſtituit claves catenæ , tabulamque in loco ſuo , pulvilloque impoſito obdormivit* [3] quo etiam lectorem remittit ex *Interprete* Gemaræ Tamid hæc mutuatus *Jom Tobb* , quando ad verba iſta : ומפתחות העזרה בידם ita commentatur : בידי אותם הכהנים לשם היו מונחות כל מפתחות העזרה ומס׳ במפ׳ מדות (ספ״ק) היכן היתה הנחתן מקום היה שם אמה על אמה וכו׳ לשון המפרש : i. e. *per iſtos ſacerdotes eo fuerunt repoſitæ omnes claves atrii , & explicatur in Tractatu Middoth (in fine Capitis primi) ubinam fuerit iſte locus , quo eas repoſuerint [quando dicitur] ibidem erat locus cubiti unius in longitudine & latitudine &c. hæc ſunt verba Interpretis (Gemaræ Tamid)* [4] Hos porro familiæ paternæ ſeniores indormiviſſe ſaxeis illis , de quibus antea , ſtratis aſſerunt , advocantes in ſubſidium hæc *Miſchnæ* verba : ובית גדול היה מוקף רובדין של אבן · וזקני בית אב ישנים שם : (*Domus incendii cincta fuit ſtratis ſaxeis , & ſeniores familiæ paternæ dormiebant ibi* [5] quæ quidem expreſſe de ſtratis ſaxeis *Bartenora* explicat : וזקני בית אב של אותו יום היו ישנים שם על אותן רובדים : *Et ſeniores familiæ paternæ illo die miniſtrantis dormiverunt ibi ſuper iſta ſtrata ſaxea* [6] quibus ſequentia addunt *Gemariſtæ* : אמאי לעיילו מטות אמר אביי לאו אורח ארעא לעיולי מטות לבית המקדש : *quare hoc ? adducant potius lectos . Reſpondet Abaii , non mos eſt , ut adducant lectos in templum .* [7] At in alia omnia abit *Interpres* Gemaræ Tamid , nec ſuper ſaxea illa ſtrata dormiviſſe eos aſſerens , nec totam etiam ædem iis fuiſſe cinctam exiſtimans , ſed dormiviſſe eos intra murum ſuper quoſdam veluti lectos , & רובדין nullum præſtitiſſe uſum alium , quam ut illorum ope aſcenderent in illos lectos: והוא דבר הבולט מן החומה ולכך עשוי שמן הרובדין היו עולין ע״ג מיטותיהן שהיו בתוך כניסת החומה וכעין מיטות : [רובדים] i. e. *ſunt res aliqua prominens ex muro , & propterea facta erant (iſta* רובדין *) quia ex iſtis* רובדין *aſcendebant ad lectos ſuos , qui erant intra ingreſſus muri , & formam referebant lectorum* [8] & poſtea ſtatim ad verba : וזקני בית אב ישנים שם : *& ſeniores familiæ paternæ dormiebat ibi*: ולא ארובדין קאי דא״כ ה״ל למימ׳ על גביהן ובגמ׳ מוכיח שלא על אלו הרובדין היו ישנים דקאמר אצטוותא דקא סלקא בהו לאיצטוותא ומוקף לאו דווקא אלא אותו בית המוקד שבנוי בחול היה מוקף רובדין של אבן כדי לעלות במיטות שהן בתוך החומה הבמקום חול היו ישנים ולא במקום קדוש : (*Vox* שם *in verbis* : וזקני בית אב ישנום שם) *non refert ſe ad vocem* רובדין : *quod ſi enim res ita ſeſe haberet , debuiſſet dicere* על גביהן (*ſuper iſta*) . *Et in Gemara arguitur , quod non ſuper iſta* רובדין *dormiverint , quandoquidem ibi dicitur , (quod* רובדין *fuerint) gradus , quibus aſcendunt in gradus . Quando autem dicitur* מוקף (*i. e. quod cincta fuerit iſtis* רובדין) *non hoc ſimpliciter intelligendum eſt , ſed tantum illa (pars) domus incendii , quæ exſtructa erat in loco profano cincta fuit ſtratis ſaxeis , quibus aſcenderent in lectos , qui erant intra murum : ſiquidem in loco profano dormiverunt , non autem in loco ſacro* [9] , quæ quidem omnia ſuo relinquenda loco putamus . Quod vero juniores ſacerdotii פרחי כהונה dictos , attinet : dormiviſſe eos in terra aſſerit *Maimonides* , non ſecus atque Regum ſatellites : וישנים על הארץ

[1] שבט יהודה fol. מט. col. 2. [2] in Commentario ſuo ad משכת מדות Cap. 1. Miſchn. 5. [3] משכת תמיד Cap. 1. Miſchn. 1. [4] משכת מדות Cap. 1. Miſchn. 9. [5] in Commentario ſuo ad משכת תמיד Cap. 1. Miſchn. 1. [6] משכת תמיד Cap. 1. Miſch. 1. & משכת מדות Cap. 1. Miſchn. 8. [7] in Commentario ſuo ad משכת תמיד Cap. 1. Miſchn. 1. [8] Talmud. Babyl. משכת תמיד fol. ס. col. 2. fin. [9] Talmud. Babyl. ad משכת תמוד fol. נט. col. 2. fin.

הארץ׳ כדרך כל שומרי חצירות המלכים שלא ישנו על המטות: *Dormiebant ſuper terram, ad morem omnium cuſtodientium* Regum *atria, qui non indormire lectis conſueverunt* [1]: ſed tamen ſuos, quibus incubuerint, ſingulos habuiſſe pulvillos *Miſchna* teſtatur: ופרחי כהנהו איש כסתו כארץ *Juniores ſacerdotii ſinguli ſuum habebant pulvillum in terra* [2] qua quidem ratione vocem כסתו explicandam monet R. *Obadias de Bartenora*, dicens: לשין כרים וכסתות [Vox כסתו] *ſignificat pulvinaria & pulvillos* [3] quod ipſum etiam jam obſervavit *Clar. l'Empereur*: *Hi cuſtodes*, inquiens, *in pavimento ſuum ſinguli pulvillum habebant* (כסות *enim Hebræi hic* לשון כסתות *ſignificatione pulvillorum, non vero tegminis exponunt*) *cui innitabantur*. [4] Neque vero in veſtibus dormiebant ſacerdotalibus, ſed propriis induti veſtibus, convolvebant iſtas & ſubter caput reponebant, docente iterum *Miſchna* his verbis: לא היו ישנים בבגדי קדש אלא פושטין ומקפלין ומניחים אותן תחת ראשיהן. *Non dormiebant in veſtibus ſacris, ſed exuebant eas, & convolvebant, & ſupponebant capiti, & induebant proprias ſuas veſtes* [5] quam tamen Miſchnam, veſtes ſubter capita תחת ראשיהן repoſitas indicantem, ita intelligendam eſſe contendit R. *Obadias de Bartenora*, ut dicatur, eas juxta caput fuiſſe repoſitas, ad verba: תחת ראשיהן ita commentatus: כנגד ראשיהן ולא תחת ראשיהן ממש: לפי שיש בבגדי כהונה שיש בהן כלאים. כגון אבנט׳ ואין מותר להשתמש בהן אלא בשעת עבודה: *i. e.* (*quando h. l. dicitur* תחת ראשיהן, *intelligendum id eſt*) *juxta capita ſua, non autem ſub caput præciſe, ſiquidem quædam ſunt inter veſtes ſacerdotales ex diverſis ſpeciebus confectæ, ut e. g. baltheus: & vero non permiſſum eſt eorum aliquem habere uſum, niſi tempore miniſterii* [6]: de quibus etiam longa verborum ſerie videri poteſt *Gemara* [7] & R. *Joſeph Karo*: [8] ſed ſuo Bartenoram jugulat gladio elegantiſſimus *Jom Tobh*, ex propriis ipſius ad Tractatum Joma adductis verbis oſtendens, permiſſum eſſe etiam extra miniſterii tempus aliquem ex veſtimentis ſacris capere uſum, dicens: אבל להנות נתנו אפילו שלא בשעת עבודה כמ״ש הר״ב בריש פ״ז דיומא. *Sed tamen* [*veſtes illæ ſacerdotales*] *in uſum datæ ſunt etiam extra tempus miniſterii, quemadmodum dicit R. Bartenora ſub initium Capitis ſeptimi Tractatus Joma*. [9] quem quidem Bartenoræ locum ad Tit. Joma evolventes ipſi, veram eſſe Jom Tobh obſervationem deprehendimus, ſibique contrarium ipſi hoc modo loqui *Bartenoram*: שמותר ללבוש בגדי כהונה אפילו שלא בשעת עבודה דבגדי כהונה נתנו ליהנות בהן: *Permiſſum erat induere veſtes ſacerdotales etiam extra miniſterii tempus, ſiquidem veſtes ſacerdotales ad capiendum ex illis uſum datæ erant*. [10] Sic Gemaræ Tamid *Interpres* expreſſis teſtatur verbis: תחת ראשיהם מקפלין אותו [melius forte אותם] לא כנגד ראשיהם: *Convolvebant eas* (*veſtes*) *ſubter capita ſua, non juxta capita ſua*. [11] Quin nec ea omnium ſententia eſt, dormiviſſe ſive ſeniores familiæ paternæ, ſive juniores ſacerdotii: ſed recubuiſſe tantum, fidem hujus rei faciente R. *Abraham Arama*: לאו דוקא ישנים אלא שוכבים שלא היו יכולין לעמוד על רגליהן כל הלילה לפיכך היו שוכבים: *Non præciſe dormiebant, ſed recumbebant, quoniam non poterant per totam noctem inſiſtere pedibus, ideoque recumbebant* [12] quamvis priorem urgeat ſententiam Gemaræ Tamid *interpres*, & factum illud fuiſſe memoret, ut craſtina luce ad cultum perficiendum eſſent alacriores: בשביל כך הם ישני שם כדי שיהיו מזומנים למחר לעבודה ביום עבודתם *Propterea illi dormiebant ibi, ut eſſent parati in craſtinum ad cultum, eo nimirum die, quo ipſis cultus erat perficiendus* [13] unde nec aſſerendum hoc temere nec rejiciendum putamus. Quod ſi horum cuſtodum aliquis caſu quodam nocturno fuiſſet pollutus, deſcendebat per cochleam, quæ ſub templo deducebatur, donec ad domum balnei perveniret, ubi focus quidam erat, & receptaculum expurgandæ alvi uſibus deſtinatum: & poſtquam ſe abluiſſet rite, aſcendebat iterum, ſeque abſtergebat, & calefaciebat ad focum, redienſque & aſſidens fratribus ſuis ſacerdotibus exſpectabat, donec aperirentur portæ, quibus mane reſeratis, ſuam ſtatim abibat viam, temploque excedebat; referente hæc omnia *Codice Miſchnico* his verbis: אירע קרי לאחד מהן׳ יוצא׳ והולך לו במסיבה ההולכת תחת הבירה׳ והנרות דולקין מכאן ומכאן׳ עד שהוא מגיע לבית הטבילה ומדורה היתה שם׳ ובית כסא של כבוד׳ וזה

[1] הלכות בית הבחירה Cap. 8. §. 6. [2] משכת תמיד Cap. 1. Miſchn. 1. & משכת מדות Cap. 1. Miſch. 8.
[3] in Commentario ſuo ad משכת מדות Cap. 1. Miſchn. 8. ad verba: איש כסתו. [4] De Menſuris Templi Cap. 1. Sect. 8. p. 33. [5] מסכת תמיד Cap. 1. Miſch. 1. [6] in Commentario ſuo ad מסכת תמיד Cap. 1. Miſchn. 1.
[7] Talmud. Babyl. משכת תמיד fol. כא. col. 1. & 2. [8] in כסף משנה ad Maimon. הלכות בית הבחירה Cap. 8. §. 6.
[9] in Commentario ſuo ad מסכת תמיד Cap. 1. Miſchn. 1. ad verba: תחת ראשיהם. [10] in Commentario ſuo ad משכת יומא Cap. 7. Miſchn. 1. [11] Talmud. Babyl. ad משכת תמיד fol: כט. col. 2. fin. [12] in פירוש על הרמבם Noviſſimæ Editionis Amſtelod. quæ prodiit Anno 1706. in 4. ad הלכות בית הבחירה Cap. 8. ad verba היו ישנים fol. עא. [13] Talmud. Babyl. ad משכת תמיד fol. ס. col. 2. fin.

וזה היה כבודו · מצאו נעול יודע שיש שם אדם · פתוח יודע שאין שם אדם · ירד וטבל עלה ונסתפג ונתחמם כנגד המדורה · בא וישב לו אצל אחיו הכהנים · עד שהשערים נפתחים · יוצא והולך לו : *Si caſus nocturnus alicui ipſorum obtingeret, abibat & incedebat per cochleam, quæ deducebatur ſub ſanctuario, & candelæ hinc inde erant accenſæ, donec perveniret ad domum balnei : ibique erat pyra [ſ. focus], & domus quædam ſ.h. alvi uſibus deſtinata : & hic erat honor ejus : quod ſi eam inveniret obſeratam, cognoſcebat adeſſe ibi jam aliquem : [ſi vero inveniret eam] apertam, cognoſcebat adeſſe ibi neminem : poſteaquam vero deſcendiſſet, ſeque abluiſſet, iterumque aſcendiſſet ſeque abſterſiſſet & calefeciſſet ad focum, veniebat rurſus, & aſſidebat fratribus ſuis ſacerdotibus, donec apertæ eſſent portæ, ubi tum abibat & viam ſuam inſiſtebat* [1] At R. *Elieſer* filius Jacobi, alia adhuc *Miſchna* referente ſtatuit, pollutum iſtiuſmodi ſacerdotem deſcendiſſe per cochleam, quæ deducebatur ſub antemurali, & perrexiſſe ad portam Tedi, רבי אליעזר בן יעקב אומר · במסיבה ההולכת תחת החיל יוצא והולך לו בטדי : *R. Elieſer filius Jacobi dicit : per cochleam, quæ deducebatur ſub antemurali, ibat & pergebat ad portam Tedi* [2] adeoque, ut *Bartenora* addit, non reverſum fuiſſe aſſerit ad domum incendii, quoniam lotus diei eſſet : ואינו חוזר לבית המוקד · לפי שהוא טבול יום : *Neque revertebatur ad domum incendii, quandoquidem lotus diei erat* [3] quam tamen R. Elieſaris ſententiam non admitti a Judæorum Doctoribus, ſed potius ad mentem prioris Miſchnæ ſtatui, quæ iſtiuſmodi veniſſe ſacerdotem memorat, & conſediſſe iterum apud fratres ſuos ſacerdotes in domo incendii, donec mane apertæ fuiſſent portæ, idem obſervat *Bartenora* : ואין הלכה כראב״י · אלא כדתנן בריש תמיד · בא וישב לו אצל אחיו הכהנים בבית המוקד עד שהשערים נפתחים יוצא והולך לו · שאעב שטבול יום אסור ליכנס לעזרת נשים דהיינו מחנה לויה · לזה הקלו · לפי שנטמא בפנים : *Deciſio non eſt juxta R. Elieſarem filium Jacobi, ſed juxta id, quod docetur ſub initium Tractatus Tamid, quod venerit, & conſederit apud fratres ſuos ſacerdotes in domo incendii, donec portæ aperirentur, ubi tunc viam ſuam abibat. Nam licet loto diei probibitum eſſet atrium ingredi mulierum, quod ipſum erat caſtrum Levitarum : tamen huic gratiam fecerunt hujus legis, quoniam interius fuerat pollutus* [4] Atque hæc de locis a ſacerdotibus cuſtoditis dicta ſufficiant, ſi vel unicum adhuc monuerimus, Sacerdotes in hac æde incendii, utpote a terra aſſurgente, non vero in altum edita, aut alii cuidam ædificio ſuperſtructa, interius, qui vero ipſis ſe aſſociabant Levitæ exterius ſuas peregiſſe excubias, quemadmodum & ſupra jam indicavimus, cum de Perſonis in Templo excubantibus in genere ſermonem inſtitueremus.

§. XI.

Loca XXI. Levitarum in ſpecie.

Ab his Sacerdotum ſtationibus progredimur ad loca ſolis aſſignata Levitis, quorum viginti fuiſſe & unum ſupra memoravimus, quæque in ſpecie fuiſſe *Miſchna* docet חמשה שערי הר הבית וארבע פנותיו מתוכו. Quinque portas montis templi, & quatuor angulos ejus interius : חמשה שערי העזרה וארבע פנותיו מבחוץ. Quinque portas atrii & quatuor angulos ejus exterius, לשכת הקרבן Conclave oblationum, לשכת הפרכת Conclave veli, & אחורי בית הכפרת poſticam partem domus propitiatorii : והלוים בעשרים ואחד מקום · חמשה על חמשה שערי הר הבית · ארבעה על ארבע פנותיו מתוכו · חמשה על חמשה שערי העזרה · ארבע על ארבע פנותיה מבחוץ · ואחד בלשכת הקרבן · ואחד בלשכת הפרכת · ואחד לאחורי בית הכפרת : *Levitæ locis uno & viginti (cuſtodias agebant :) quorum quinque (manipuli) erant ad quinque montis templi portas : quatuor, ad quatuor angulos ejus interius : quinque, ad quinque portas atrii : quatuor ad quatuor angulos ejus exterius : unus ad conclave oblationum : unus ad conclave veli : & unus denique ad poſticam partem propitiatorii.* [5] Ubi primo quidem loco quinque portas montis templi & quatuor angulos ejus interius nominat.

Quinque Portæ Montis templi & quatuor anguli ejus interius.

Quod ut eo intelligatur melius, notamus, Templum in altiſſimo fuiſſe Moria monte ſitum, in cujus ſuperficie lapidem eſſe aſſerunt, quo fundatus mundus fuerit, & quæ mira narrant id generis alia expoſita a R. *Sal. Ben Virga*, his verbis : היה ביהמ״ק בהר גבוה משופע ולא נבנה במישור לפי שההר ההוא קדוש היה מימי קדם ואומרים היהודים כי שם בראש אותו הר היה אבן השתיה שממנה הושתה העולם והיא מרכז העולם ואמרו שהוא מקום שממנו נברא אדם הראשון והוא המקום שבנה מזבח וחקרקויב קרבן ושם הקריב הבל בנו קרבן ובאותו הר ירד נח מן התיבה ושם הורה הסדי האל כי הצילו ממי המבול ומן החיות הטורפות העומדות עמו בתיבה

[1] משכת תמיד Cap. I. Miſchn. I. [2] משכת מדות Cap. I. Miſchn. 9. [3] in Commentario ſuo ad משכת מדות. Caq. I. Miſchn. 9. ad verba : במסיבה ההולכת תחת החיל יוצא. [4] ib. [5] משכת מצות Cap. I. Miſchn. I.

בתיבה ושם עלה האב הגול אברהם והקריב את בנו יצחק על המזבח והוא הנקרא בלשון העברים הר המוריה: *Templum exſtructum fuit in monte alto atque acclivi, non vero in planitie, quandoquidem ille mons ſanctus fuit a primis inde temporibus, & dicunt Judæi quod in vertice illius montis ſit lapis fundamentalis, quo fundatus fuit mundus, & quod ſit centrum mundi. Dicunt etiam hunc eſſe illum ipſum locum, ex quo conditus fuerit primus homo, eundemque eſſe locum, ubi is (primum) exſtruxerit altare, & ſacrificium obtulerit, ibique etiam obtuliſſe Habelem filium ejus ſacrificium ſuum, & in eum montem deſcendiſſe Noachum ex arca, ibique deprædicaſſe miſericordias Dei, quod eripuiſſet ipſum ex aquis diluvii & (protexiſſet) a feris rapacibuſque animalibus, quæ cum ipſo in arca fuiſſent, eoque etiam aſcendiſſe patrem illum magnum Abrahamum, & obtuliſſe filium ſuum Iſaacum ſuper altare, qui quidem mons in Hebræa lingua vocatur* הר המוריה (*Mons Moria*). [1] Hunc porro montem quingentos in longitudine aſſerunt atque latitudine proceſſiſſe cubitos, & muro undique cinctum, quinque habuiſſe portas, quarum una ad occidentem, altera ad orientem, tertia ad ſeptentrionem, duæ autem reliquæ ad auſtrum fuerint ſitæ, rem ita perorante magno *Maimonide*: הר הבית והוא הר המוריה היה חמש מאות אמה על חמש מאות אמה והיה מוקף חומה וגו׳ וחמשה שערים היו לו· אחד מן המערב ואחד מן המזרח ואחד מן הצפון ושנים מן הדרום: *Mons templi, qui erat Moriæ mons, quingentos habebat cubitos in longitudine & latitudine, & cinctus erat muro &c. & quinque habebat portas, quarum una erat ab occidente, una a ſeptentrione, & duæ ab auſtro* [2]. Quæ ſi rite expendantur, neceſſario conficitur, per iſtos quatuor hoc loco memoratos angulos nihil intelligi aliud, quam quatuor iſta latera, in quibus murus iſte montem undique cingens, concurrebat, quemadmodum & recte hoc ita explicat Gemaræ Tamid *Interpres*, ad vocem פינות ita fatus: אנג״לש למקום שכלה החומה ומתחיל חומה i. e. [*Vox* פינות *in lingua exotica ſignificat*] *Angulos* [*& dicitur*] *de ejuſmodi loco, ubi terminatur murus, & ubi denuo incipit* [3] quæ vero memorantur quinque montis Templi portæ, nullas manifeſtum eſt eſſe alias, quam quinque muri illius extimi portas. Unde & Clar. l'*Empereur* ad verba *Miſchnæ* dicentis חמשה שערים היו להר הבית *Quinque portas habebat templi mons* [4] ſequentia recte annotat: *Itaque* הר הבית *exiſtimo tropice ſignificare hoc loco parietem, quem Latini in ſacris ædificiis vocant templi ambitum, Joſephus* πρῶτον περίβολον (*quamvis & latius hac voce utatur nonnunquam*) *nuncupat*: περιῤῥαντήριον *e quodam Æſchinis loco dici poſſe exiſtimo. Verba ejus hæc ſunt*: ἔξω τῶν περιῤῥαντηρίων τῆς ἀγορᾶς ἐξείργει, καὶ οὐκ ἐᾷ στεφανοῦσθαι οὐδὲ εἰσιέναι εἰς τὰ ἱερὰ τὰ δημοτελῆ; *quamvis non ignorem ſecus hæc ab aliis accipi, vocemus Templi ambitum, ſcilicet extimum, adeo ut* חומה *in verbis Miſchnæ ſubintelligatur, ac ſi dixiſſet* בחומת הר הבית *quinque fuiſſe portas &c.* [5] Fuiſſe autem has quinque portas aſſerunt שני שערי חולדה duas Portas Chulda, שער קיפונוס Portam Kiponos, שער טדי או טרי Portam Teri vel Tedi, & שער המזרחי Portam Orientalem, de quibus jam paulo curatius nobis erit diſpiciendum.

Quænam fuerint quinque illæ Portæ.

Et duas quidem portas Chulda ab auſtro ſitas, ingredienti promiſcue atque egrediendi inſerviiſſe uſibus *Miſchna* memorat, ſequentem in modum legens: חמשה שערים היו להר הבית· שני שערי חולדה מן הדרום· משמשין כניסה ויציאה: *Quinque portæ erant in monte Templi: nimirum duæ portæ Chulda ab auſtro ingrediendi (promiſcue) atque egrediendi uſum præſtantes* [6]: eaſque dictas a voce quadam Syriaca חלד putat Clar. l'*Empereur*, ad iſtam Miſchnam ita commentatus: *Porro Nomen* חולדה *Hebræi non explicant, tantum dicunt eſſe Nomen proprium, ſed* חלד *Syram vocem eſſe conſtat, qua Pauli interpres uſus fuit 2. Tim. 3. 6. cum eos deſcriberet hypocritas, qui domos ingrediebantur mulierculárum & quidem* כדרך החולדה *muſtelæ inſtar, quæ, ut tradunt Talmudici,* מיכסי הכא הא קא מיגלו *jam ocrultatur, ac ſeſe prodit iterum. Itaque duplex oſtium hoc nomine merito venit, quod illac ſtato tempore* [*poſtea egreſſuri*] *ingredi ſoliti fuerint Judæi, ut coram Deo comparerent* [7]: ſed quamvis ingenioſa ſatis videri poſſit, longius tamen petitam eſſe imo plane falſam hanc conjecturam, docebimur ſi vera ſunt, quæ hanc in rem profert *Jom Tobh* ושמם זה יתכן לומר שעל שם חולדה הנביאה נקראו כן ואפשר שזה מלכים ב׳ כב ושיא יושבת בירושלים במשנה· היינו בתוך שער זה שהוא משנה ששנים הם ברוח זו· משאכ ברוחית האחרות· ואעב שנא׳ בירושלם הז בהר הבית ירושלם כולל הכל· *Convenit dici eas hoc nomine, quoniam de Chulda Prophetiſſa ita fuerunt appellatæ: & poſſibile*

Duæ Portæ Chulda.

[1] שבט יהודה fol. מח. col. 1. [2] הלכות בית הבחירה Cap. 5. §. 1. [3] Talmud. Babyl. ad מסכת תמיד fol. שא. col. 1. init. [4] מסכת מדות Cap. 1. Miſchn. 3. [5] de Menſuris Templi Cap. 1. Sect. 3. p. 11. [6] מסכת מדות Cap. 1. Miſchn. 3. [7] De Menſuris Templi Cap. 1. Sect. 3. p. 12.

ſibile eſt innui hoc ipſum quando dicitur 2. Reg. 23. (juxta alios 2. Reg. 22. 14.) & ipſa ſedebat Hieroſolymis במשנה (*in duplici*) *id eſt, intra portam hanc, quæ erat duplex, quoniam duæ erant in hac plaga, quod non ita ſeſe in reliquis habebat plagis. Et quamvis ibi dicatur* בירושלים (*ſediſſe eam Hieroſolymis*) *hæ autem portæ eſſent in monte templi : vox* ירושלים *tamen complectitur univerſum* [1] quo ſimul vexatiſſimum hunc 2. Reg. 22. 14. locum, ubi Chulda habitaſſe dicitur במשנה contra omnium fere interpretum, modo huc, modo illuc fluctuantium, mentem elegantiſſime explicari obiter notamus. Neque ab hac ſententia multum recedit, quem ſæpius jam laudavimus R. Abraham Harophe : אולי נקראו כן על שם חלדה הנביאה שבחייה היתה יושבת שם אצל אחד מהם בירושלם במשנה · ומצד השער השני היתה נקברת בירושלם כדתנן בפרק מרובה והיו משמשין כניסה ויציאה : *Forte ita vocantur de nomine Chulda Prophetiſſæ, quæ, dum viveret, habitavit ibi ad unam earum Hieroſolymis in duplici : a latere autem alterius portæ Hieroſolymis fuit ſepulta, quemadmodum docent in Capite* (*quod incipit a voce*) מרובה [*Tractatus Baba Kama Cap. 7.*] : *& ingrediendi* (*promiſcue*) *atque egrediendi uſum præſtiterunt* [2]. Quamvis celeberrimus *Ligtfootus* dictas potius eas a voce חלד cupiat, quæ Tempus ſive ævum denotet, adeoque eaſdem forte fuiſſe portas exiſtimet cum illa, quæ in Apoſtolorum Actis Cap. 3. ℣. 10. ὡραῖα πύλη nuncupatur [3] de qua pluribus ſtatim in ſubſequentibus. Cur vero iſtæ numero duæ fuerint, idem exponit allegatus modo *Jom Tobb* בנאן שני שערים לפי שרוב תשמיש הר הבית בדרום · כדתנן בר״פ דלקמן נ״ל : *Quod autem duæ hic fuerint portæ (id inde fit) quia plurimus montis templi uſus erat ab auſtro, quemadmodum docent ſub initium Capitis ſubſequentis : ita mihi quidem videtur* [4]. Pergimus ad portam Kiponos, quam ſitam fuiſſe ab occidente, iiſdemque ingrediendi promiſcue atque egrediendi inserviiſſe uſibus, eadem quæ antea, *Miſchna* memorat, ſi lectionem l'*Empereurii*, & *Miſchnæ*, Talmudi Babylonico additæ, ſequamur, talem nobis ſcripturam exhibentium : קיפונוס מן המערב משמש כניסה ויציאה *Kiponos ab occidente erat ſita, inſerviens ingrediendi egrediendique uſibus* [5] quæ tamen ultima verba משמש כניסה ויציאה in *Amſtelodamenſi* noſtra *Miſchnæ* editione, cum *Bartenoræ* & *Jom Tobb* Commentariis proſtante, videas omiſſa [6]. Et hanc quidem portam dictam fuiſſe R. *Abraham Harophe* exiſtimat a Græco vocabulo κῆπος Hortus & πόνος labor, quandoquidem in vicina forte Roſarum fuerit hortus, apertis pronuntians verbis : שלישי להם · קיפונוס מן המערב · קיפוס אם הוא כתוב באות עשירית מהאלפא ביתא יונית בלשונם כאפה בפה דגושה שהיא הכ״אק שלהם ולא באות הכב הנקראת קי · וגם במקום היוד שהיא האות התשיעית שלהם הנקראת יוטה אם הוא כתוב באות שביעית הנקראת אצלם איטה בחירק תחת האלף רוצה לומר גן בלשון יון · אמנם פונוס רוצה לומר עבודה · מלאכה · יגיעה : ודעו בני כי היונים כאשר ירצו לחבר שתי מלות שיש להן ב׳ משמעיות בחבורן יחד לא יקראו המלות ההן אלא בהבלעה · כמו דרך משל אם ירצו לומר טבע או כח או סגולה יאמרו דינאמיס · ואם ירצו לומר זהב יאמרו קריסוס · ואם ירצו לחבר שתי המלות יחד לא יאמרו דינאמיס קריסוס אלא יאמרו דינאקריסוס · כן במקום הזה כשירצו לומר עבודת הגן · לא יאמרו קיפוספונוס אלא קיפונוס שרוצה לומר עבודת הגן · גם לא יפלא מכם כי גינת ורדים נקראת כן בעבור הורדים שבה · אך בתוך הגן ההוא היו גם כן אילני פירות אחרים כדתנן במסכת מעשרות פרק ב׳ משנה ה׳ · והיו קוראין שער המערב שער הגנות על שם הגינת ורדים הזאת שבאולי מימות נביאים הראשונים היתה בצד השער הזה בירושלם והיה משמש גם הוא כניסה ויציאה : *Tertia illarum fuit* (*porta*) *Kiponos, ab occidente ſita : κῆπος ſi ſcribatur cum litera decima Alphabeti Græci* [*quæ dicitur*] *in lingua eorum Kappa, cum Pe Dageſſato, quod* [*Kappa*] *eſt Caph eorum, non vero cum litera Caph, qua vocatur Chi : quin &, ſi loco Jod, quæ eſt litera eorum nona & vocatur Jota, ſcribatur cum litera ſeptima, quæ ipſis dicitur Ita, cum Chireck ſub Aleph : ſignificat hortum in lingua Græca. Verum vox πόνος ſignificat operam, cultum, laborem. Et ſcitote filii mei, quod Græci, quando componere volunt duas voces, quæ duas habent ſignificationes, in compoſitione illarum non legant illas voces, niſi cum abſorptione* [*quarundam literarum*]*: quemadmodum exempli gratia, quando dicere volunt : natura, vis, proprietas, dicunt δύναμις & quando dicere volunt, aurum, adbibent vocem χρύσος quando autem componere volunt has duas voces, non dicunt δυναμισχρύσος ſed dicunt δυνάχρυσος: ſic quoque hoc loco, quando dicere volunt cultus horti, non dicunt κηποσπόνος ſed κηπόνος, quod idem eſt ac cultus horti. Quin*

Porta Kiponos.

[1] in Commentario ſuo ad משכת מדות Cap. 1. Miſchn. 3. ad verba שני שערי חולדה מן הדרום.
[2] שלטי הגבורים Cap. 3. fol. ב. col. 3. init. [3] Hor. Hebr. & Talm. ad Act. 3. v. 2. & 10. [4] l. c.
[5] מסכת מדות Cap. 1. Miſchn. 3. [6] ib.

Quin nec mirum vobis videatur, quod hortus roſarum ita vocetur propter roſas, quæ ſunt in illo: ſed tamen in iſto etiam horto arbores fuerunt frugiferæ aliæ, quemadmodum dicunt in Tractatu Maaſeroth Cap. 2. Miſchn. 5. Vocarunt autem portam hanc occidentalem portam hortorum de nomine hujus roſarum horti, ſiquidem is forte a tempore Prophetarum priorum Hieroſolymis fuit a latere hujus portæ, & uſum etiam ea præſtitit ingrediendi (promiſcue) atque egrediendi [1]. Ab hac ſententia diverſam oſtendit appellandi rationem Clariſſimus l'*Empereur*, quando ſuam nobis his verbis exponit mentem : *Ad* קיפונוס *deſcendo, quod nomen R. Nathan cognomento Juſtus inde huic portæ attributum exiſtimaſſe videri queat, quia* נכנס ויוצא ממנו *per eam homines ingrediantur egredianturque, quod* קופא *ſit foramen Talmudicis. Forte potius referendum ad illud f. 54. Berachoth,* אין עושין אותו קפנדריא *id eſt, eam (ædem Dei) non faciunt locum, cui duo ſunt ſibi oppoſita oſtia, id eſt, tranſitum ac viam quandam, ut æde pro tranſitu utantur : nam ſi tollas* דר *, quod habitantem ſignificat, unde* דורא *habitaculum, manet vox τῶ* קפונוס *non male reſpondens (quamvis Talmudici aliter explicent) notabiturque oſtium occidentale orientali e diametro oppoſitum. Sed* קיפנדריא *quæ vox Græca eſt, verius ad κηπαῖον & ἄνδρα, quo &* קיפונוס *pertinet, referemus. Nam teſte Suida κηπαῖα ἡ ἐν τῷ κήπῳ πυλὶς, porta, quæ in horto : unde illud Gal. l. 2. de natur. facult. c. 6. τῇ κηπαίᾳ ἀποχωρεῖν poſtico horti diſcedere.* נש *vero eſt* אנוש *homo, quod Chaldæi etiam pronuntiant* נוש *, ſcribunt quoque* נש *. Itaque* קפונוס *eſt porta poſtica, ſcil. occidentalis, qua egrediuntur ingrediunturque homines : quod apprime huic Miſchnæ loco convenit* [2]. Aliam adhuc viam ingreditur *Ligtfootus*, Portam hanc a Coponio quodam, Judææ Procuratore, forte denominatam exiſtimans, his uſus verbis : *Ab Occidente erat Porta* קיפונוס *Kiponus (forte a Coponio, Procuratore Judææ denominata Joſeph Antiquit. lib. 18. 1.)* [3] At allegata licet priori Rab. *Abraham Harophe* ſententia nihil quicquam diſſimulans ſuam ingenue hac de re profitetur ignorantiam elegantiſſimus *Jom Tobb*: לא ידעתי לו טעם ובשלטי הגבורים פג׳ חשב שהום לשון יון׳ ועניגו עבודת הגן שאפשר שהיה שם גן של וורדים מחוץ להר הבית וכאותה ששנינו בפ״ב דמעשרות משנה ה׳׳ ובפ׳ פ״ז׳ הזכיר לשון ר״שי על כפרת הירדן שבפטום הקטרת׳ שכתב ר״שי גינת ורדין היתה בירושלם׳ נקרא הורד ההוא כפה כו׳. *Non novi ejus rationem [cur ita appelletur]. In libro autem Schilte Haggibborim Cap. 3. putat (Autor) quod ſit vox Græca, ſignificans cultum horti, quoniam poſſibile ſit fuiſſe ibi roſarum hortum extra montem templi, quemadmodum legimus in Cap. 2. Tract. Maaſeroth Miſchn. 5. Et in Cap. 87. recitat verba Raſchi de Ambra Jordanis, quæ [adhibebatur] in præparatione ſuffitus, quando ſcribit idem ille Raſchi, Hortus roſarum fuit Hieroſolimis, quæ ipſa roſa vocata fuit* כפה *&c.* [4]. Sic multa quoque opponi adhuc poſſe iis, quæ attulit Clar. l' *Empereur*, meriſque etiam conjecturis niti Celeberrimi alias *Ligtfooti* ſententiam oſtendere in proclivi eſſet, niſi nimium ab inſtituto noſtro recedere, & extra oleas vagari videremur. Quocirca miſſis hiſce convertimus nos ad portam Teri ſive Tedi dictam, quam ſuperius allegata *Miſchna* ad ſeptentrionem collocat, nec ullis dicit uſibus fuiſſe deſtinatam : טדי מן הצפון׳ לא היה משמש כלום *Tedi ſita erat a ſeptentrione, nec ullis uſibus inſerviebat* [5] ubi primo quidem diverſam hujus vocis notamus ſcriptionem, de qua R. *Abraham Harophe* : דעו בני כי יש מי שקורא טדי בדלת ויש מי שקורא טרי בריש: *Scitote filii mei, quod ſint, qui legant Tedi cum Daleth, & ſint, qui legant Teri cum Reſch* [6] & R. *Jom Tobb* : בדלתכ״ב הר״ש וגם בערוך הביאו בערך טדי בדלת ולא פי׳ כלום: *Scribitur cum Daleth : ita dicit R. Schemaja : quin etiam in Lexico Aruch (Autor) eam adducit in ordine* טדי *cum Daleth, ſed nullam addit explicationem* [7]. Quod autem nomen ejus & appellationem attinet, de eo prolixe iterum R. *Abraham Harophe*: ואם יהיה כתוב בדלת אני באמת לא ידעתי לו שום פתרון׳ עם כי ר״דק ז״ל [יחזקאל מ׳] כתב שהוא שם אדם אך אם היה כתוב בריש ובמקום הטיט היה כתוב בתיו שהיא האות הי״ט במספר האלפא ביתא יונית הנקראת גם כן אצלם תיו כמו אצלנו׳ ואחרי התיו היה כתוב באפסילון עם הצירי תחת האלף שהיא האות החמישית שלהם׳ ואחרי הריש במקום היוטה היה כתוב באות שלהם במספר עשרים מהאלפא ביתא נקראת כלשונם איפסילון בחירק תחת האלף היה משמעות המלה בלשון יון חלש׳ וטרי היה השער החלש מכל השערים כי לכל שאר שערי הבית היה משקוף חזק ולשער הזה במקום משקוף הסוגר היטב הרתות שהם נסמכות עליו׳ היו שתי אבנים מוטות

[1] שלטי הגבורים Cap. 3. fol. ב. col. 3. init. [2] De Menſuris Templi Cap. 1. Sect. 3. p. 12. [3] Cent. Chorogr. Matth. præm. cap. 28. [4] in Commentario ſuo ad מסכת מדות Cap. 1. Miſchn. 3. ad vocem קיפונוס. [5] משכת מדות Cap. 1. Miſchn. 3. [6] שלטי הגבורים Cap. 3. fol. ב. col. 3. [7] in Commentario ſuo ad משכת מדות Cap. 1. Miſchn. 3. ad vocem טדי.

מוטות זו על גב זו עד שבעבור זה השער ההוא היה חלוש ודלתותיו לא יועילו לחזקה כמו שיועילו הדלתות הסמוכות על שאר המשקיפקים המרובעים החזקי׳ ואם היה כתוב טרי באות השמינית שלהם נקראת טיטה שמשמשת במקום הטית שלנו והוא הנכון׳ ואחר הטיטא היה כתוב אביפסילון עם הצירי תחת האלף ברו באיפסילון יוטת תקראו איפסילון בצירי תחת האלף שישמשו גם כן אצל היינים כאשר הם מחוברים יחד במקום היוטה שבצירופן תקראו טרי טיריאה בלשון יון ר״ל קיץ׳ ואולי נקרא השער הזה שער הקיץ להיותו מן הצפון שהוא מקום קר לערך שערי דרום ומזרח ששם תחת צלו ינוחו יגיעי כח בחום הרב שבא באב: *Quod ſi ſcribatur cum Daleth, ego revera non novi aliquam ipſi* [*convenientem*] *interpretationem niſi quod R. David Kimchi P. M.* (*Ezech.* 40.) *ſcribit, quod ſit nomen Viri. Verum ſi ſcribatur cum Reſch, & loco Teth ſcribatur cum Tau, quæ eſt litera* 19. *in ordine Alphabeti Græci, & eodem modo ipſis vocatur Tau, prouti & nobis, & poſt Tau ſcribatur cum epſilon cum Tzere ſub Aleph, quæ eſt litera eorum quinta, & poſt Reſch loco Jota ſcribatur cum litera, quæ ipſis in ordine Alphabeti eſt vigeſima, dicta eorum lingua Ypſilon cum Chireck ſub Aleph* (*ita ut fiat* τέρυ) *tunc ſenſus hujus vocis in lingua Græca erit* (*ut ſignificet*) *debile. Teri autem fuit porta maxime debilis inter omnes portas, quoniam reliquæ omnes Templi portæ habuerunt limen validum, huic autem portæ loco liminis claudentis bene januas, quæ illo fulciuntur, fuerunt duo lapides, quorum alter alteri fuit impoſitus, ut propterea illa porta fuerit debilis, & januæ ejus non profuerint ad robur aliquod, quemadmodum proderant januæ, innixæ reliquis liminibus quadratis & validis. Quod ſi vero ſcribatur Teri cum litera eorum octava, Thita dicta, quæ adhibetur loco noſtri Teth, quod ipſum rectum eſt, & poſt Thita ſcribatur cum Epſilon cum Tzere ſub Aleph, cum Rho, cum Epſilon Jota* (*ubi*) *Epſilon legendum eſt cum Tzere ſub Aleph, quæ* (*duæ literæ, Epſilon Jota*) *etiam apud Græcos, quando conjunctæ ſunt adhibentur loco Jota, ut in compoſitione illarum legatur Teri tunc* θέρεια *in lingua Græca ſignificat æſtatem. Et forte vocatur hæc porta porta æſtatis, eo quod ſit ab aquilone, qui eſt locus frigidus reſpectu portarum auſtralium & orientis, ubi ſub umbra ejus requieſcere poterant laſſi in maximo calore, qui venire ſolet in* (*menſe*) *Abb* [1] Quin & de eo videri longo verborum ambitu poteſt elegantiſſimus *Jom Tobh*, quæ tamen integra huc tranſcribere non eſt animus, ſed tantum ex iis obſervamus, ſecundum ejus mentem ſcribendam hanc eſſe vocem potius cum Daleth, adeoque, monentibus etiam Additionum Talmudicarum *Autoribus*, ſignificare vel abſconſionem, quæ quidem ſignificatio egregie cum illis Miſchnæ verbis conveniat, quibus ea nullis inſerviiſſe uſibus dicitur, vel etiam cantionem rythmicam, quoniam forte Poetæ (Muſici) in iſta porta conclave habuerint aliquod, ubi docuerint Levitas Melodias cantilenarum. Sed tamen ultima, quibus hanc obſervationem ſuam claudit, verba aſcribere non pigrabimur, cum rariſſimi cujuſdam libri mentionem faciat, & quæ in iis ſeſe haud capere eruditiſſimus hic alias *Rabbi* dicit, ex præcedentibus R. *Abraham Harophe* intelligi forte atque explicari poſſint. Ita ergo ille: והנה זכיתי מהשי״ לקנות ספר הראבי״ה ובסופו כתב סדר בנין בית שני׳ ונכתב שם טרי בריש וכתב שער טרי שני אבנים זקופות כזה ח ולבן נקרא טרי פירוש מוצב׳ עכ״ל ולא הבינותי לפירושו זה ועוד עיין מ״ש במשנה ב׳ פי דלקמן: *Ecce ego dignus habitus ſum a Deo benedicto, qui acquirerem librum Rafia, in cujus fine deſcripſit ordinem ſtructuræ templi ſecundi* [2] *& ſcriptum ibi habetur* טרי *cum Reſch, & pergit, portam Teri quod attinet, conſiſtebat illa duobus lapidibus in altum erectis hoc modo* ח *& propterea etiam vocatur* טרי *cujus ſenſus eſt: conſtituta: huc uſque ille. Non autem intelligo hanc ejus explicationem. Ulterius vide, quæ affert Miſchna ſecunda Cap. ſubſequentis* [3] quæ ſi cum prioribus R. *Abraham Harophe* verbis conferantur, quænam R. *Elieſeris* hujus mens ſit, aliquo forte modo pateſcet. Cum vero nullis hanc portam deſtinatam fuiſſe uſibus *Miſchna* pronuntiat, in memoriam nobis revocat literatiſſimus *Jom Tobh* ex ſententia R. *Eleaſaris filii Joſephi* per eam ire debuiſſe ſacerdotem, caſu quodam nocturno pollutum: אלא בעל קרי היה יוצא בו לראב״י *ſed tamen gonorrhæa pollutus tranſibat per eam juxta ſententiam R. Elieſaris filii Joſephi*, [4] quam hujus Doctoris ſententiam jam ſupra & nos ex *Miſchna* adduximus, qua dicitur:

רבי

[1] שלטי הגבורים Cap. 3. fol. ב. col. 3. med. [2] Neſcio ſane, quiſnam hic libet a Jom Tobh memoratus ſit, nec ipſum autoris nomen me divinare poſſe fateor, an forte ſit R. Elieſer filius R. Joſephi Galilæi, quemadmodum Abbreviaturam hanc ראביה evolvit Buxtorfius, quod tamen vix crediderim, an vero ſit R. Elieſer, filius R. Joel Hallevi, quem librum quendam אבי אסף in MSto latentem de variis legibus atque deciſionibus juxta ordinem libri Schulchan Aruch compoſuiſſe memorat Autor libri: Siphre Jeſchenim: an vero R. Elieſer filius R. Jehuda Miggarmiſa, variis editis libris inclutus: unde ipſam vocem הראביה abbreviate ſcriptam, retinuimus. [3] in Commentario ſuo ad משכת מדות Cap. 1. Miſchn. 3. ad vocem טרי. [4] ib. ad verba: לא היה משמש.

רבי אליעזר בן יעקב אומר׃ במסיבה ההלכת תחת החיל יובא והולך לו כטדי *R. Eliefer filius Jacobi dicit : per cochleam, quæ deducebatur ſub antemurali, ibat & pergebat ad portam Tedi* [1] quin ipſa alio in loco *Miſchna* adſtruit : כל הנכנסין להר הבית נכנסין דרך ימין והקיפין ויוצאין דרך שמאל׃ *Omnes qui ingrediuntur montem templi, ingrediuntur via dextra, & circumeunt, & egrediuntur via ſiniſtra* [2] quod quidem *Bartenora* hoc modo explicat : כגון הנכנס דרך שערי חולדה שהן מן הימין מקיפין דרך שער הטדי׃ *e. g. qui ingrediebatur via portarum Chulda, quæ erant a dextra, circuibat via portæ Tedi* [3] unde hanc pugnam ita conciliare ſtudet R. *Abraham Harophe*: והשער הזה לא היה משמש לכלום ככתוב במסכת מדות פרק א׳ משנה שלישית׃ אמנם לפי דעת הגאון המופלא כמהר״ר משה קזים יצ״ו אפשר שהיו רשאים ליכנס ולצאת משער טדי׃ אלא שהיה הצד ההוא מן ההר קשה לעלות ולרדת בו׃ גם אפשר לומר על דעת הגאון הנזכר לשבח שלא היה שער טדי משמש תשמיש קבוע ומיוחד כדאמרינן בפרקי רבי אליעזר וגו׳ *Porta hæc nullius fuit uſus, quemadmodum ſcriptum eſt in Tractatu Middoth Cap. 1. Miſchn. 3. Verum ex ſententia Excellentis illius R. Moſis Kiſſim, quem cuſtodiat rupes & redemtor ejus, forte permiſſum ipſis fuit ingredi atque egredi per portam Tedi : niſi quod illud latus montis difficile fuit, in quod aſcenderetur & deſcenderetur : quin etiam dici poteſt ex ſententia Excellentis hujus Viri, quem honoris cauſa nominavi, quod porta illa Tedi non habuerit uſum aliquem fixum atque peculiarem, quemadmodum dicitur in Capitulis R. Elieſaris &c.* [4] de quo negotio videri etiam ex inſtituto poteſt toties memoratus nobis *Jom Tobb* [5]. Ultimam tandem ex his quinque portis orientalem fuiſſe portam audivimus, ob oriente, in quo ſita erat, dictam, de qua ſequentia nobis *Miſchna* refert : שער המזרחי עליו שושן הבירה צורה׃ שבו כהן גדול השורף את הפרה׃ ופרה וכל׳ מסעדיה׃ יוצאים להר המשחה׃ *Porta orientalis impreſſam habebat imaginem Regiæ Suſan, per quam [portam] ſacerdos ſummus comburens vaccam, quin etiam ipſa vacca, & omnes operis ſocii tranſibant ad montem olivarum* [6] pro quo tamen Clar. l' *Empereur* & *Miſchna* Talmudi Babylonico addita hoc modo legit : עשר המזרחי עליו שושן הבירה צורה שבו רואה כהן גדול שורף את הפרה וכל מסעדיה יוצאים להר המשחה׃ *Porta orientalis impreſſam habebat imaginem Regiæ Suſan, per quam proſpiciebat Sacerdos S. comburens vaccam, & omnes operis ſocii tranſibant ad montem olivarum* [7] ubi primo, quid ſibi imago Regiæ Suſan huic portæ impreſſa velit, ſequentibus ex *Bartenora* verbis declaramus : כשעלו מן הגולה צוו להם מלכי פרס לצייר צורת שושן הבירה על שערי הבית׃ כדי שיהיה להם מורא מלכות וציירוהו בשער המזרח׃ *Cum aſcenderent (Judæi) ex captivitate, præceperunt ipſis Perſarum Reges, ut fingerent imaginem Regiæ Suſan ſuper portas Templi, ut timerent a Rege : hinc finxerunt eam in porta hac orientali* [8]. Sed cum Sacerdos S. iſtam comburere vaccam dicitur : idem obſervat *Bartenora*, accipiendum hoc eſſe ex mente R. Meir, a cujus tamen partibus non ſtet deciſio. מתני׳ ר״מ היא דסבר אין פרה אדומה נשרפת אלא בכהן גדול׃ ואינה הלכה׃ *Hæc eſt Miſchna R. Meir, qui putavit, vaccam rufam non comburi, niſi per Sacerdotem S. ſed eo haud tendit deciſio* [9] verum alio in loco, quando *Miſchna* hoc iterum factum eſſe per Sacerdotem S. indicat, ſuam veluti mentem mutans, reſpondet : פעמים נעשית ע״י כהן גדול אבל בכל כהן היא כשרה׃ בין בסגן בין בהדיוט׃ *Nonnunquam factum etiam hoc eſt per ſacerdotem ſummum : ſed tamen per quemlibet ſacerdotem fieri illud legitime poteſt, ſive ſit Sacerdos S. ſive Sagan (vicarius Summi Sacerdotis) ſive Sacerdos gregarius* [10] de quo videri ulterius poteſt elegantiſſimus *Jom Tobb* [11]. Aſt quando ultimo tandem loco ex lectione l' *Empereur* & *Miſchnæ* Talmudi Babylonico additæ, aſſeritur, per eam proſpexiſſe Sacerdotem S. vaccam rufam comburentem : ita hoc explicat dictus modo l' *Empereur* : *ait Miſchna* בו רואה כהן *quod Rabbi A. Ez. ſequentibus παράδοσεως declarat verbis*, הכיהן השורף את הפרה עומד בהר המשחה ומתכון ורואה כנגד פתחו של היכל בשעת הזיית הדם׃ *id eſt, Sacerdos cum comburens junicem in Olivarum monte conſiſteret intentiſſime oculos in ædis portam conjiciebat dum ſanguinem aſpergeret. Mens ejus hæc eſt, Sacerdotem intuitum eſſe januam templi per, vel ſupra ambitus portam orientalem collimando, ut hac via eo viſus pertingeret* [12] quod tamen de muro potius, quam porta orientali alia adſtruit *Miſchna*, dicens, הכתלים שהיו שם היו גבוהים׃ חוץ מכותל המזרחי. שהכהן השורף את הפרה׃ עומד בראש

[1] משכת מרות Cap. 1. Miſchn. 9. [2] משכת מדות Cap. 2. Miſchn. 2. [3] in Commentario ſuo ad משכת מדות Cap. 2. Miſchn. 2. ad verba : נכנסין דרך ימין. [4] שלטי הגבורים Cap. 3. fol. ב׳. col. 3. fin. [5] in Commentario ſuo ad משכת מדות Cap. 2. Miſchn. 2. ad verba : נכנסין דרך ימין. [6] משכת מדות Cap. 1. Miſchn. 3. [7] ibid. [8] in Commentario ſuo ad משכת מדות Cap. 1. Miſchn. 3. ad verba : עליו שושן הבירה צורה. [9] ib. ad verba : כ״ג השורף את הפרה [10] in Commentario ſuo ad מסכת פרה Cap. 3. Miſchn. 8. ad verba : אישי כ״ג, [11] ib. ad verba : כהן גדול. [12] De Menſuris Templi Cap. 1. Sect. 3. p. 14.

כראש הר המשחה · ומתכוין ורואה בפתחו אל היכל · בשעת הזיית הדם: *Omnes parietes, qui ibi (in templo) erant, erant alti, præter parietem orientalem, quia ſacerdos, comburens vaccam, ſtabat in monte oliveti, & collimabat & intuebatur in portam ædis, tempore quo ſpargebat ſanguinem*, [1] unde & editio *Miſchnæ* Amſtelodamenſis, quæ cum *Bartenoræ* & *Jom Tobh* Annotationibus, prodiit, iſtam vocem רואה forte omiſit. Cæterum, eandem forte fuiſſe hanc orientalem portam cum illa, quæ in Apoſtolorum Actis Cap. 3. verſ. 2. & 10. ὡραία appellatur, putat Clar. *Vuagenſeilius*, multisque id rationibus contra *Ligtfootum* & l' *Empereur*, qui eam in oriente atrii mulierum collocant [2] evincere conatur, remotis ſimul quibuſdam, quæ in contrarium afferri poterant, dubiis, quando ita longa verborum ſerie fatur: *Quia in eo ſumus ut Templi Hieroſolymitani portas contemplemur, priuſquam hinc diſcedimus, age eam quoque, quando ſic fert occaſio, quæramus, quam Lucas Actor. 3. 10. ὡραίαν vocat. Ii, cum quibus hactenus egimus, Viri eruditi, Ligtfootus, & l'Empereur, nunc in eo rurſus conveniunt, fuiſſe hanc portam, in orientali plaga atrii mulierum; cui ſententiæ, ne penitus accedam, ſcrupulus facit, qui injicitur. Principio enim dubito, num juxta Atrii mulierum Portam, ob loci religionem, fas fuerit homini claudo, & qui ne loco quidem ſe movere poterat, conſidere, ſtipemque colligere: Scilicet, ſi ut eſt in Kelim Cap. 1. §. 9.* בין האולם ולמזבח אין בעלי מומין ופרועי ראש נכנסים לשם: *id eſt: Locus inter porticum & altare, tam ſanctus erat, ut [etiam Sacerdotibus] corpore vitiatis, aut nudis capite, in eum ne quidem ingredi liceret: jure quis ambigat, num mendicis ægris, & corporis vitio laborantibus fuerit conceſſum, ut prope portam Atrii mulierum, aſſidue eleemoſynam peterent. Et ſane, cœcum quoque natum, apud Johannem, non intra, ſed extra templum mendicaſſe, patebit, ſi Evangeliſtæ Cap. VIII. verſ. ult. cum Cap. IX. verſ. 1. & 8. conferantur. Porro, nec Porta Atrii mulierum, ſatis commoda apparet, ad ſtipem colligendam; utique enim magis e re erat, juxta extimam aliquam ſedere, ut tanto plures, & imprimis pii Alienigenæ, undecumque gentium Hieroſolymam ad ſacra facienda confluentes, & ipſis Judæis haud dubie liberaliores, poſſent exorari. Ergo, ſalvis aliorum judiciis, mihi quidem probabile ſit,* τὴν θύραν τοῦ ἱεροῦ, τὴν λεγομένην ὡραίαν, *in gentium atrio extitiſſe. Et vero, fallor, an ipſe Lucas id aperte indicat, quando de claudo ad illam portam conſidente ſic v. 3. loquutus deprehenditur?* ἰδὼν Πέτρον καὶ Ἰωάννην μέλλοντας εἰσιέναι εἰς τὸ ἱερόν, ἠρώτα ἐλεημοσύνην λαβεῖν: *item quando v. 8. de jam ſanato ſcribit:* καὶ ἐξαλλόμενος ἔστη, καὶ περιεπάτει· καὶ εἰσῆλθε σὺν αὐτοῖς εἰς τὸ ἱερόν. *Ex his enim, omnino conſequitur, nondum Petrum & Johannem, per Atrium Gentium, & Antemurale penetraſſe, ſed extra omne Templum fuiſſe conſtitutos. Cæterum, huic opinioni illud unum adverſatur, quod Lucas, Portam, juxta quam locabatur mendicus,* ὡραίαν *vocat, quæ appellatio in nullam ex Templi extimis portis, videtur quadrare, bene autem in Orientalem Atrii mulierum, cujus ſpeciem tantopere Joſephus deprædicat. Audebo, & hic dicere, quid in mentem mihi venerit. Nimirum, cenſeo, vocem* ὡραίαν *non tam vertendam eſſe, ſpecioſam, aut pulchram, ceu tranſtulere Interpretes, quam, Lætam, Hilarem, Amœnam: Sic enim & Cantic. I. 15. pro* הנך יפה דודי אף נעים *Ecce tu pulcher es dilecte mi & amœnus: LXX. dixerunt* Ἰδοὺ εἶ καλὸς ἀδελφιδός μου καί γε ὡραῖος. *Ergo, cum hanc explicationem vocabulum admittat, eſt fortaſſe* ἡ θύρα ὡραία, *ipſa Porta Orientalis Atrii Gentium, dicta alias* שער שושן *ſeu Porta Suſan, hanc enim, Portam Gaudentem, vel*

An fuerit eadem cum porta illa ὡραία dicta.

[1] משכת מדות. Cap. 2. Miſchn. 4. [2] Verba l'*Empereur* habentur de Menſuris Templi Cap. 2. ſect. 3. p. 55. & ſequentem in modum fluunt: *Inter has portas quærenda eſt illa, cujus mentio fit Act. 3. 2. & 10. quam ob pulchritudinem* ὡραίαν *dicebant, i. e. ſpecioſam: ubi claudus, qui ibidem curatus legitur, quotidie eleemoſynam petierat ab ingredientibus. Eam omnino exiſtimo fuiſſe orientalem portam atrii mulierum: nam ibi procul dubio claudus collocabatur, ubi a plurimis qui ad cultum divinum atria, i. loca ſanctiora ingrediebantur conſpiceretur; at hæc porta orientalis a plurimis frequentabatur. Sic enim Joſephus* ἀρχαιολ. ιε. εἶχε δ' ὁ μὲν ἐντὸς περίβολος καθ' ἡλίου βολὰς ἕνα τὸν μέγαν, δι' οὗ παρῄεσαν ἁγνοὶ μετὰ γυναικῶν, *interior autem circuitus patebat ab oriente una magna porta, per quam intrarent caſti cum uxoribus. Ubi piorum, qui non tantum in exteriorem circuitum, ſed in ipſa atria ſe recipiebant, maximam frequentiam ad hanc portam ſtatuit; quia non tantum viri, ſed etiam mulieres illas ingrediebantur. Verum omnem dubitandi ſcrupulum eximit Joſephus, cum nobis nominis notationem aperit, cur dicatur ſpecioſa: quoniam ubique reliquas interioris circuitus portas auro undique tectas dixiſſet, de porta decima ſubjicit* μία δ' ἡ ἔξωθεν τοῦ νεὼ Κορινθίου χαλκοῦ, πολὺ τῇ τιμῇ τὰς καταργύρους καὶ περιχρύσους ὑπεράγουσα *una vero extra Templum (ſic nominat atrium, ut inſpicienti patet) ex ære Corinthio, quæ multum argento incluſas & inauratas dignitate ſuperabat. Hanc portam orientalem, quæ ad atrium ab ipſo* חיל *intermurali deducebat, multum reliquis præfert, non quidem materia, ut apparet, ſed elegantia: adeo ut hinc* ὡραίαν *dictam fuiſſe nemo inficiari queat.* Hactenus l'*Empereur*. At verba *Ligtfooti* videas in **Centur. Chorogr. Matth.** præm. Cap. 29. quæ ita habent: *Ab oriente ejus (ſcil. Atrii mulierum) erat Porta tantum una,* ὡραία *ſacris literis dicta, Actor. III. v. 2. Corinthiaca Joſepho, de bello, lib. 5. cap. 14.* τῶν δὲ πυλῶν, *inquit ille,* αἱ μὲν ἐννέα χρυσῷ καὶ ἀργύρῳ κεκαλυμμέναι πανταχόθεν ἦσαν, ὁμοίως τε παραστάδες, καὶ τὰ ὑπέρθυρα. Μία δὲ ἡ ἔξωθεν τοῦ νεὼ Κορινθίου χαλκοῦ πολὺ τῇ τιμῇ τὰς καταργύρους καὶ περιχρύσους ὑπεράγουσα. Καὶ δύο μὲν ἑκάστου τοῦ πυλῶνος θύραι, τριάκοντα δὲ πηχῶν τὸ ὕψος ἑκάστης, καὶ τὸ πλάτος ἦν πεντεκαίδεκα.

vel Lætam, vel Gaudii, & Lætitiæ, [Sic vox SUSAN, in Interpretatione veteri nominum propriorum, quæ in Bibliis occurrunt, & quam bis in membrana deſcriptam poſſidemus, exponitur;] merito quis vocaverit ששון *enim &* שושן *cognatæ voces ſunt, ac frequentiſſime Judæi propria nomina appellativorum notione, in ſimilibus caſibus uſurpant, ceu alias a me oſtendetur. Sive autem Porta hæc, Suſan dicta fuit, quia in ea ſculpta fuit figura Suſan metropoleos Perſicæ, in ſubjectionis ſignum, quod ex Gloſſa Middot l'Empereur Cap. 1. Sect. 3. & quoque Ligtfootus contendunt : ſive, quo magis cum Baal Juchaſin pag. 65. b. inclino, verior eſt expoſitio, Interpretum aſſerentium* שזה עשו בני הגולה כדי שיזכרו הנס של פורי' שנעשה בשושן: *id eſt : Imaginem Suſan a Judæis e captivitate poſtliminio reverſis, expreſſam eſſe, in memoriam miraculi Purim, quod in ea civitate acciderat : Haud enim credibile eſt, Judæos, æternum ſubjectionis Perſicæ ſignum, tolerare voluiſſe, etiam, cum illius gentis ſupercilium non amplius formidarent. Nihilo minus, utra inquam, harum opinionum in re fundamentum habet, nihil cauſæ hactenus decedit. Nam, ſi Suſan ſubjectionis fuit ſignum, receptiſſimo more ſuo Judæi, mali ominis rem in melius converterunt, & quod triſtitiæ nota erat, gaudium ac hilaritatem interpretabantur. Si vero, ob Eſtheris memoriam, imago urbis Suſan effecta eſt, merito LÆTA dicitur Porta, quæ in mentem revocabat, rem, qua nulla unquam, Judæis majorem gaudii ac hilaritatis occaſionem præbuit, quæque etiamnum ſeris Nepotibus, cor intra præcordia exultare facit, quoties de ea cogitant* [1]. Verum cum multis hæc Celeberrimi Viri ſententia impedita difficultatibus ſit, alii retinendam potius *Ligtfooti* & *l'Empereurii* ſententiam arbitrantur, quamvis alio in loco ipſe hac in re dubius hæreat *Ligtfootus*, an Porta forte Orientalis Atrii mulierum, an vero una ex portis Chulda hac ipſa in Actis commemorata porta deſignetur, quemadmodum & ſupra a nobis jam fuit indicatum, & ita propria ipſius hanc in rem verba ſonant : *In bivio hic ſtamus, quoad determinationem hujus portæ, ſecundum bifidam ſignificationem vocis ὡραίαν. Si in ſignificatione ſua aliquid relationis habet ad ὥρα Tempus (quod quis non dixerit?) tum portam reſpiceremus vocatam* חולדה *Hbuldah, forſan ſic dictum ab* חלד *Hbeled Tempus vel Ævum. Hujus nominis erant duæ Portæ a latere Atrii Gentium Auſtrali, ſub porticu iſta nobiliſſima nuncupata βασιλικῆ Middoth. Cap. 1. hal. 3. Per quas via ducebat ab ipſa Hieroſolyma vel Acra in Templum. Si vero ὡραίαν denotet præciſe ſpecioſam, ut vulgo redditur, tum reſpiceremus Portam Orientalem Atrii mulierum : quæ quamvis ærea tantum fuerit, ſplendore tamen & corruſcantia reliquas portas argenteas aut aureas exſuperavit. Joſ. de excid. lib. 5. cap. 14. Portarum quidem novem erant auro & argento obductæ. Una autem extra Templum, de ære Corinthiaco, longe & auratas & argenteas antecellebat. Difficultatem an augeat an tollat illud quod dicitur verſ. 11. judicet lector. Cum autem claudus qui ſanatus eſt, teneret Petrum & Johannem, cucurrit totus populus ad eos in porticum Solomonis. Unde oritur hic ſcrupulus, An Petrus & Johannes, & claudus, in atrium gentium tantum jam introjerint, an ex atrio mulierum in illud jam redierant. Si prius, tum jacuit claudus ad portam aliquam Atrii gentium ὡραίαν dictam, quam portam Huldam concipias. Si poſterius, tum ad Portam iſtam Corinthiacam.* [2] Atque hæ erant novem iſtæ in monte Templi Levitis aſſignatæ cuſtodiæ, in quibus ſuas interius agebant excubias, ut ſub initium ſtatim hujus Paragraphi indicavimus, quod quidem R. *Obadias de Bartenora* intra murum, montem hunc Templi ambientem, fuiſſe ſtatuit, expreſſis ad vocem מתוכו annotans verbis : מבפנים לחומת הר הבית *Intra murum montis Templi* [3]. Cur vero ipſis hic degere interius licuerit, illius rationem rei ſubſequenti reſervamus Paragrapho, ubi commodam iterum de his diſſerendi habebimus occaſionem.

§. XII.

Quinque Portæ Atrii & quatuor Anguli ejus exterius.

Præter hæc alia novem in atrio Levitis cuſtodienda fuiſſe loca, חמשה שערי העזרה וארבע פנותיו מבחוץ Quinque Portas Atrii & quatuor angulos ejus exterius, ſupra diximus : ubi, ſi in memoriam nobis revocaverimus, quale & quodnam hoc fuerit ſpatium, ſimplici nomine עזרה ſive atrium dictum, nec non, quæ antea a nobis de quatuor montis templi angulis fuerunt allata, nemini non erit manifeſtum, per quatuor atrii angulos nihil hoc loco intelligi aliud, quam quatuor iſtas laterum extremitates, in atrio coeuntes, cum atrium hoc totam circumcirca ædem ambiverit, non figura exacte quadrata, qualem retuliſſe montem Templi novimus, quingentos in longitudine & latitudine habentem cubitos

[1] in Sota Cap. 1. Sect. 5. not. 6. edit. Altd. Anno 1674. [2] Hor. Hebr. & Talm. ad Act. 3. v. 2. & 10.
[3] in Commentario ſuo ad משנה מדות Cap. 1. Miſchn. 1.

tos, ſed potius parallelogrammi, in longitudine centum habens octoginta & ſeptem cubitos, in latitudine vero centum tantum & triginta quinque, uti ſupra jam indicavimus. Cum vero quinque ſolum in atrio cuſtoditæ a Levitis hoc loco memorentur portæ, magna hic animorum contentione diſceptare inter ſe videas Judæorum magiſtros, quotnam præciſe in atrio portæ fuerint, & quomodo ſuo ſervanda pretio *Miſchnæ* autoritas ſit, modo quinque tantum, modo ſeptem, modo ex ſententia *R. Joſe* tredecim in atrio fuiſſe portas memorantis. Et certe, ſi ipſum inſpiciamus *Codicem Miſchnicum*, deprehendemus ipſi, uno in loco tredecim illum ex ſententia *R. Joſe* filii Chanan recenſere portas, ſequentibus uſum verbis: כל העזרה · היתה ארך מאה ושמלים ושבע · על רחב מאה ושבשים וחמש · וי"ג השתחויות היו שם · אבא יוסי בן חנן אומר כנגר שלשה עשר שערים · שערים דרומיים סמוכים למערב · שער העליון · שער הדלק · שער הבכורות · שער המים · ולמה נקרא שמו שער המים · שבו מכניסין צלוחית של מים של ניסוך בחג · רבי אליעזר בן יעקב אומר · ובו המים מפכים · רעתידין להיות יוצאין מתחת מפתן הבית · ולעומתן בצפון סמוכים למערב שער יכניה · שער דקרבן · שער הנשים · שער השיר ולמה נקרא שמו שער יכניה · שבו יצא יכניה בגלותו · שבמזרח · שער נקנור · ושני פשפשים היו לו · אחד מימינו · ואחד משמאלו · ושנים במערב · לא היה להם שם: Totius *atrii longitudo erat centum & octoginta ſeptem cubitorum : latitudo autem centum triginta quinque. Tredecim autem adorationes ibi perficiebantur. Aba Joſe filius Chanan dicit : e regione tredecim portarum : quarum auſtrales vicinæ occidenti erant, Porta ſuperior, Porta incendii, Porta Primogenitorum, Porta Aquarum. Quare autem vocatur Porta Aquarum? quia per eam inferunt lebetem aquarum libaminis in feſto. R. Elieſer filius Jacobi dicit : per eam aquæ fuerunt emanantes, & in futurum aliquando ibi egreſſuræ ſunt ſub limine ædis. E regione earum in ſeptentrione prope occidentem ſunt : Porta Jechonjæ, Porta Oblationis, Porta Mulierum, Porta Cantici. At quare vocatur Porta Jechoniæ? quia per eam exivit Jechonia in captivitatem ſuam. Quæ in oriente erant, erat Porta Nicanoris, cui duo erant oſtiola : unum a dextra, alterum a ſiniſtra ejus : & duæ erant ad occidentem, quibus non erat nomen* [1] At alio in loco non niſi ſeptem Portas *Miſchna* enumerat, dicens:

An non plures quã quinque in Atrio Portæ fuerint

שבעה שערים היו בעזרה · שלשה בצפון · ושלשה בדרום · ואחד במזרח · שבדרום שער הדלק · שני לו · שער הבכורים · שלושי לו שער המים · שבמזרח שער נקנור ושתי לשכות היו לו · אחת מימינו ואחת משמאלו · אחת לשכת פנחס המלביש · ואחת לשכת עושי חביתין · ושבצפון שער הנצוץ · וכמין אכסדרה היה · ועליה בנויה על גביו · שהכהנים שומרים מלמעלן · והלוים מלמטן · ופתח היה לו לחיל · שני לו שער הקרבן · שלישי לו בית המוקד: *Septem portæ erant in atrio : tres ad aquilonem : tres ad auſtrum : una in oriente. Ad auſtrum erat Porta Ardoris : huic ſuccedebat, Porta Primogenitorum : tertia erat Porta aquarum. In oriente erat Porta Nicanoris, quæ duo habebat conclavia : unum a dextra, alterum a ſiniſtra : unum erat conclave Pinchas veſtiarii, alterum erat conclave præparantium panes ſartaginiceos. Ad ſeptentrionem erat Porta Nitſots, formam* ἐξέδρας *referens, ſupra quam ædificatum erat* עליה*, ubi ſacerdotes excubias agebant ſuperius, Levitæ vero inferius : & janua ipſi erat verſus intermurale : Huic ſuccedebat Porta Oblationis : tertia erat domus incendii* [2]. Hic vero, quando eadem de Levitarum agit excubiis, quinque tantum atrii portas memorat, excubitorum catervis cinctas, unde non ſine cauſa iſtud movere dubium Rabbinos, & quomodo hæc tandem in amicam redigi poſſint concordiam, recte inter ſe diſceptare, nemo non videt. Nodum hunc ſecat, non ſolvit, dubiumque dubio auget *Rabba*, referente *Gemara Babylonica*: רבא אמר עשר תנאי היא דתניא אין פוחתין משלשה עשר גזברין ומשבעה אמרכליו רבי נתן אומר אין פוחתין משלשה עשר גזברין כנגד שלשה עשר שערים דל חמשה דהר הבית פשו להו תמניא דעזרה אלמא איכא תנא דאמר תמניא הוו ואיכא תנא אמ' שבעה ואיכא תנא דאמר חמשה הוי: *Rabba dicit : controverſum hoc eſt (quotnam in atrio fuerint portæ) : nam didicimus: non minus fuerunt tredecim theſaurariis, & ſeptem Amarkalim. R. Nathan dicit: non minus fuerunt tredecim theſaurariis, nimirum reſpectu tredecim portarum. Hinc ſi ſubtrahantur quinque pro monte templi, remanent octo in atrio*. Ergo Doctor quidam eſt, qui dicit : octo fuerunt, & eſt qui dicit, ſeptem, & eſt qui dicit, quinque fuerunt [3]. At alii iſtam ita componere ſtudent litem, ut rejecta primum R. *Joſe* filii Chanan, veluti privati tantum Doctoris ſententia, iſti adſtipulentur *Miſchnæ*, quæ ſeptem in atrio fuiſſe portas memorat, quemadmodum hanc

[1] מסכת מדות Cap. I. Miſchn. 6. [2] ibid. Cap. I. Miſchn. 4. [3] Talmud. Babyl. ad מסכת תמיד fol. סא. col. I. med.

hanc communem fere *Doctorum* esse sententiam statuit R. *Abraham Harophe*: הפרק הטו״ בשלש עשרה השתחויות שהיו תוך הר הבית ובמנין השערים שהיו בעזרה אליבא דיוסי בן חנן אמנם עמד אברהם במנינם הכתוב בפ״ק דמדות משנה ד׳ כי בו כמעט הסכימו כל ר״ל: *Caput XV. agit de tredecim adorationibus, quæ factæ sunt intra montem templi, & de numero portarum, quæ fuerunt in atrio ex sententia R. Jose filii Chanan, sed ratione numeri illarum insistit Abraham iis, quæ dicuntur Cap.* I. *Tractatus Middoth Mischna* 4. *quoniam in eo fere consentiunt omnes Rabbini nostri* [1] Tum vero de eo tantum soliciti, quomodo hæc *Mischna*, quæ quinque portas fuisse custoditas dicit, cum altera, quæ septem fuisse portas asserit, conciliari queat, eo tendunt, ut priorem quidem Doctorem in ea fuisse dicant sententia, quod tantum quinque in atrio portæ fuerint, adeoque in eo dissensum admittant ab altero, qui septem fuisse portas dixerat, in eo tamen convenire utrisque simul, non nisi quinque ex illis Levitarum custodiis fuisse cinctas; quemadmodum hanc ingredi viam eruditissimum videmus *Bartenoram*, ita differentem: האי תנא שבר ה׳ שערים בלבד היו לעזרה· ואפילו לדברי האומר לקמן שבעה שערים היו· מודה שלא היה משמר אלא על חמשה: *Hic ipse Doctor Mischnicus in ea est opinione, quod quinque tantum atrii portæ fuerint: quin etiam ex mente illius, qui inferius dicit, quod septem portæ fuerint, in confesso est, quod non appositus fuerit custos, nisi quinque tantum* [2]. Verum, quid, si dicamus, Doctorem hunc Mischnicum, cui custoditas fuisse quinque atrii portas asserit, non præcise id sibi voluisse, non nisi quinque in atrio fuisse portas, sed tantum ex septem atrii portis, quinque a Levitis fuisse custoditas? tunc certe omnis omnino sublata foret. pugna, ambæque Mischnæ in amicam coituræ essent concordiam. Nec alienus ab hac sententia videtur *Abaii*, Doctor quidam Gemaricus: ad objectionem *Mar* ita respondens: אמר מר ה׳ על ה׳ שערי עזרה וחמשה שערים הוא דהוי בעזרה ורמינהו שבעה שערים היו בעזרה שלשה בצפון ושלשה בדרום ואחד במזרח אמר אביי תרי מינייהו לא צריבי שימור: *Dicit Mar: quinqae fuerunt ad quinque portas atrii: ergo quinque portæ fuerunt in atrio. Sed objicio, quod dicatur: Septem Portæ fuerunt in atrio: tres ad aquilonem, tres ad austrum, una ad orientem. Respondet Abaii, duæ ex illis non opus habebant custodia* [3]. Neque hinc abludere videtur *Maimon*, suam simul pronuntians sententiam, quasnam ipse ex septem istis portis custodibus fuisse haud munitas credat, ita fatus: ועל חמשה שערי העזרה חוץ לעזרה שהרי הכהנים שומרים על שער המוקד ועל שער הניצוץ *Et ad quinque Portas atrii (custodes agebant Levitæ) extra atrium, siquidem sacerdotes jam ad portam incendii & Nitsots excubias agebant* [4]: quibus tamen ultimis maximi alias hujus Doctoris verbis opponimus ea, quæ supra de Sacerdotum custodiis diximus, non ad portas domus incendii & Nitsots, sed in his ipsis ædibus excubias a sacerdotibus fuisse actas: ne dicam, ea ratione excludi etiam ex hoc quinque Portarum numero debere aquarum portam, cui domus Abtines non secus atque domus Nitsots portæ Nitsots erat superstructa, quæque adeo & ipsa a sacerdotibus domum Abtines custodientibus, erat munita: unde hac in parte magis nobis arridet prior R. *Abaji* sententia, qui nulla in specie indicata, duas tantum in genere excludit, utpote custodum præsidio haud indigentes: cui adstipulatur R. *Schemaja*, hanc simul neglectæ illarum custodiæ indicans causam, eo quod cæteris adeo fuerint vicinæ, ut peculiari quadam custodia opus haud habuerint, prouti hæc ejus verba legas: ב׳ מהן היו תכופין לשאר השערים שאינן צרכין שומר אלא לה׳ שערים מדובקים: *Duæ ex illis (septem portis) erant vicinæ reliquis portis, ut non opus haberent custode, se cohærebant quinque (reliquis) portis* [5]. Cum itaque in confesso sit apud omnes, non nisi quinque ex septem illis atrii portis excubantium fuisse Levitarum custodiis cinctas, dubium vero quam maxime atque incertum maneat, quænam in specie quinque istæ fuerint, non frustra forte futuros nos speramus, si quædam de omnibus septem illis monuerimus, unde quis nobis forte oculatior, aut si certiora fuerit edoctus, seligere quinque istas possit.

§. XIII.

Tres Atrii Portæ versus Austrum.

Quas ergo primo nominabat loco, tres fuisse ad austrum audivimus, שער הדלק Portam Ardoris, שער הבכורות Portam Primogenitorum, & שער המים sive Portam Aquarum. Et Portam quidem Ardoris sive שער הדלק ita fuisse dictam R. *Obadias de Bartenora* existimat, eo quod per eam ligna struis, in altari ardentia

Porta Ardoris.

[1] in Indice libri שלטי הגבורים ad Cap. 15. [2] in Commentario suo ad מסכת מדות. Cap. I. Mischn. I. ad verba: על חמשה שערי עזרה. [3] Talmud. Babyl. מסכת תמיד fol. שא. col. I. med. [4] הלכות בית הבחירה, Caq. 8. Mischn. 8. [5] in Commentario suo ad מסכת מדות addito Talmud. Babyl. Amstel. fol. סה. col. I.

inferebant, dicens על שם שהיו מכניסים דרך שם עצים של מערכה הדולקים על המזבח נקרא שער הדלק: *Eo quod per iſtam viam inferebant ligna ſtruis ardentia in altari, vocatur* שער הדלק [*Porta ardoris*] [1]. Debebant enim ſacerdotes vi mandati divini Levit. *6.* 12. expreſſi, ignem alere in altari perpetuo lucentem, treſque quotidie exſtruere rogos, monente ex Hebræis *Maimonide* : שלש מערכות של אש עושין בראש המזבח בכל יום· ראשונה מערכה גדולה שעליה מקריבין התמיד עם שאר הקרבנות· שנייה בצדה קטנה שממנה לוקחין אש במחתה להקטיר קטורת בכל יום· שלישית אין עליה כלום אלא לקיים מצות האש שנאמר אש תמיד תוקד: *Tres quotidie faciebant ſtrues ignis in apice altaris : prima erat ſtrues magna, ſuper qua offerebant juge ſacrificium cum cæteris oblationibus : altera erat minor ad latus ejus, unde ſumebant ignem in Thuribulum, ad faciendum quotidie ſuffitum, tertia ad nihil inſerviebat aliud, quam ut ſatisfacerent præcepto ignis, quemadmodum dicitur (Levit. 6. v. 6.) Ignis jugiter ardebit.* [2] Aliam autem hujus adhuc rei ex ſententia *Raſja* [3] rationem affert *Jom Tobb* : והראב״ד כתב שמעתי שהיו מביאים דרך אותו השער אש של הדיוט על גבי המזבח: *Raſja autem ſcribit, audivi, quod per iſtam portam intulerint ignem profanum ſuper altari* [4]. Nam licet ignis ſacrificia comburens ipſo deſcenderet cœlo, ſacerdotes tamen etiam afferre profanum debuiſse, veteres Judæorum magiſtri memorant, referente eodem *Maimonide* : ועפ״ שהאש ירדה מן השמים מצוה להביא אש מן ההדיוט שנאמר ונתנו בני אהרן הכהנים אש על המזבח: *Etiamſi ignis cœlo deſcenderet, præceptum tamen eſt, afferre etiam ignem profanum, quemadmodum dicitur : (Lev. 1. v. 7.) & dabunt filii Aharon, ſacerdotes, ignem ſuper altari* [5]. Altera erat שער הבכורות, ſive Porta Primogenitorum, quemadmodum recte legi dicit *Bartenora*, non vero שער הקרבן, prout alii habent Codices, per quam ducebantur Primogenita, ad auſtrum mactanda, quemadmodum hæc ejus verba ſonant : גרסי׳ ששם היו מכניסים הבכורות ששחיטתן בדרום: *Ita recte legimus, quoniam per eam ducebantur Primogenita ad auſtrum mactanda* [6] ubi tamen *Bartenoræ* verba pro more ſuo ad examen revocans *Jom Tobb*, annotat ſequentia : כתב הר״ב ששם היו מכניסים הבכורות ששחיטתן בדרום כלומר שחיטתן

Porta primogenitorum.

אף בדרום בכל מקום בעזרה לאפוקי קדשי קדשים ששחיטתן בצפון· ואבתי קשיא לי כל קדשים קלים שחיטתן בכל מקום לעזרה והיה להם להכניסם לשם וי״ל דבכורות מתנה לכהן הן· משא״כ קדשים קלים שהם לבעליהם וגו׳: *Scribit R. Bartenora, quoniam per eam deducebantur primogenita ad auſtrum mactanda id eſt, quæ etiam in auſtro mactabantur, imo in omni loco atrii, ut eo ipſo excludantur ſacrificia ſanctiſſima, quæ in aquilone mactabantur. Et dubium mihi ſuboritur, quod omnia ſacrificia levioris ſanctitatis, mactari potuerint in quolibet loco atrii, adeoque eo ingrediundum ipſis fuerit. Et poteſt reſponderi, quod hic intelligantur Primogenita ſacerdotibus data, quod non ita erat in ſacrificiis levioris ſanctitatis, quæ ad Dominos pertinebant* &c. [7] Tertia denique erat שער המים Aquarum porta dicta, ſupra quam domum Abtines fuiſſe exſtructam, ſupra vidimus. Cur vero iſtam acceperit appellandi rationem, iterum nobis explicat *Bartenora*, ſcribens : כדכתיב בספר יחזקאל מ״ז ב׳ והנה מים מפכים מן הכתף הימנית· והיינו דרום שקרוי ימין כדכתיב צפון וימין וראה יחזקאל בנבואה שהיו מים יוצאים מבית קדש הקדשים דקים בקרני חגבים וכשמגיעים לשער זה נעשים כמלא פי פך קטן והיינו דקרי להם מים מפכים (Dicitur Porta Aquarum) *juxta illud quod ſcriptum eſt in libro Ezechielis Cap. 47. 2. & ecce aquæ erant emanantes ex latere dextro, per quod latus dextrum intelligenda eſt plaga auſtralis, quemadmodum ſcriptum eſt (Pſ. 89. v. 13.) Septentrionem & dextram (tu creaſti). Et vidit Ezechiel per Prophetiam, quod aquæ prodierint ex ſancto ſanctorum tenues, ſicut cornua locuſtarum, & cum pertigerint ad hanc portam, factas eas fuiſſe ſicut orificium lenticulæ parvæ, atque hæc cauſa eſt, cur eas dicat* מים מפכים [8] quæ etiam ſupra afferebat R. *Elieſer*, filius *Jacobi* [9] & ex parte quoque repetit Clar. l'*Empereur*, quamvis is aliam adhuc ejus rei afferat cauſam *exiſtimare nimirum Hebræorum nonnullos, Portam aquarum dici* ששם מכניסים צלושית המים של נסוך בחג· *quod eo inferrent phialam, vel potius urnam aquæ, ut in feſto libarent* [10] quam & R. *Joſe* filii *Chanan* fuiſſe ſententiam vidimus. Ad orientem non niſi unicam fuiſſe Portam שער נקנור, ſive Portam Nicanoris dictam, duo habentem conclavia, quorum alterum a dextris, alterum a ſiniſtris fuerit, eadem quæ

Portæ Aquarum.

Unica ad orientem Porta, Porta Nicanoris.

[1] in Commentario ſuo ad מסכת מדות Cap. 1. Miſchn.4. ad verba : שער הדלק. [2] הלכות תמידין ומוספין Cap. 2. §.4. [3] Vid. quæ de hoc Autore diximus ad §.10. in notis. [4] In Commentario ſuo ad מסכת מדות Cap. 1. Miſchn.4. ad verba : שער הדלק [5] הלכות תמידין ומוספין Cap. 2. §. 1. [6] in Commeotario ſuo ad מסכת מדות Cap. 1. Miſchn. 4. ad verba : שני לו שער הבכורות. [7] ibid. [8] ibid. ad verba : שער המים. [9] §. 11. cum de tredecim Portis ex illius ſententia ageremus. [10] De Menſuris Templi Cap. 1. Sect. 4. p. 18.

quæ tres hasce ad austrum referebat portas, *Mischna* observat. Atqne hæc est celebris illa porta, in qua Præses stationum, si sonitum audiret instrumenti מגרפה, constituebat immundos, docente *Mischna*: הגיעו בין האולם למזבח נטל אחד את המגרפה · וזורקה בין האולם ולמזבח· אנן אדם שומע קול חברו בירושלם מקול המגרפה · וגו' וראש המעמד היה מעמיד את הטמאים בשער המזרח· *Quod si pervenissent inter porticum & altare, apportabat aliquis* מגרפה, *& sonitum edebat inter porticum & altare, ut nemo hominum alterius audire vocem posset Hierosolymis præ sonitu* מגרפה &c. *& Præses stationum constituebat immundos in porta orientali* [1]. Hæc est illa Porta, ad quam deducebant mulierem adulterii suspectam, quin & purificare ibi puerperas, & mundare leprosos consueverant; referente alia adhuc *Mischna*, his verbis: ואם אמרה טהורה אני מעלין אותה לשער המזרח שעל פתח שער נקנור ששם משקין את הסוטות· ומטהרין את היולדות· ומטהרין את המצורעים: *Quod si diceret; munda sum, deducebant eam ad portam orientalem, quæ erat super januam portæ Nicanoris, ubi adulterii suspectis aquas potandas dare, puerperas purificare, & leprosos mundare consueverant* [2]. Hæc est illa porta, cui septem in scripturis assignari nomina ex recepta Rabbinorum sententia memorat R. *Abraham Harophe:* אמנם רבותינו ז"ל על פסוק והשלישית בשער סור (מלכים ב' י"א) אמרו ששבע שמות נקראו לשער זה· היינו שער סור מפני ששם היו טמאים פורשים הה"ד סורו טמא קראו למו· שער יסוד (ד"ה ב' כ"ג) מפני ששם היו מיסדים את ההלכה· שער חרסית (ירמיה י"ט) שהיה מכוון כנגד זריחת החמה· הה"ד האומר לחרס ולא יזרח· שער האיתון (יחזקאל מ') מפני שהיה משמש כניסה ויציאה מלשון אתא מרבבות קדש· ויתא ראשיהם ודומיהן· שער התוך (ירמיה ל"ט) מפני שהוא ממוצע בין שני שערים או שבי פשפשין שהיו כאן· שער חדש (ירמיה ל"ו) מפני ששם חדשו סופרים את ההלכה. ושער עליון (ד"ה ב' כ"ג) מפני שהוא למעלה מעזרת נשים שבכניסת עזרת ישראל וגו'. *Verum Rabbini nostri P. M. ad versiculum*: והשלישית בשער סור [*Et tertia pars in porta Sur. 2. Reg. 11. 6.*] *dicunt, quod septem nominibus appelletur hæc porta, qualia sunt: Porta Sur, s. recessus, quoniam ibi immundi fuerunt separati, quemadmodum dicitur (Thren. 4. 15.) Recedite, immundus est, clamant ad illos: Porta fundamenti. (2. Chron. 23. 5.) quoniam ibi fundarunt decisionem: Porta Charsith* [*Jer. 19. 2.*) : *quoniam directa fuit versus ortum solis, juxta id, quod dicitur (Job. 9. 7.) qui dicit soli, & non exoritur: Porta ingressus (Ezech. 40. 15.) quoniam inserviebat ingrediendi & egrediendi usibus: ex significatione illius loci (Deut. 33. 2.): venit ex myriadibus sanctitatis it: (Deut. 33. 21.) & venerunt capita populi &c. Porta medietatis (Jer. 39. 3.) quoniam media fuit inter duas portas, aut duo illa ostiola, quæ fuerunt ibi: Porta nova* [*Jer. 36. 10. quoniam ibi scribæ innovarunt decisionem: & porta superior (2. Chron. 23. 20.) quoniam erat super atrium mulierum sub ingressum atrii Israelitarum &c.* [3]. Hæc denique est illa porta, quam paulo ante excidium Hierosolymitanæ urbis, viginti alias viris vix claudendam, suis convulsam sedibus, & sponte patefactam memorat *Josephus*, quod quidem in boni ominis signum imperiti homines, prudentiores vero in pessimi signum ominis fuerint interpretati, quando ita scribit: ἡ δὲ ἀνατολικὴ πύλη τοῦ ἐνδοτέρου, χαλκῆ μὲν οὖσα καὶ στιβαρωτάτη, κλειομένη δὲ περὶ δείλης μόλις ὑπ᾽ ἀνδρῶν εἴκοσι, καὶ μοχλοῖς μὲν ἐπερειδομένη σιδροδέτοις, καὶ καταπῆγας δ᾽ ἔχουσα βαθυτάτους, εἰς τὸν οὐδὸν ὄντα διηνεκοῦς λίθου καθιεμένους, ὤφθη κατὰ νυκτὸς ὥραν ἕκτην, αὐτομάτως ἠνεῳγμένη· δραμόντες δ᾽ οἱ τοῦ ἱεροῦ φύλακες, ἤγγειλαν τῷ στρατηγῷ, κἀκεῖνος ἀναβὰς, μόλις αὐτὴν ἴσχυσε κλεῖσαι πάλιν τοῦτο τοῖς μὲν ἰδιώταις κάλλιστον ἐδόκει τέρας ἀνοῖξαι γὰρ τὸν θεὸν αὐτοῖς τὴν τῶν ἀγαθῶν πύλην· οἱ λόγιοι δὲ, λυομένην αὐτομάτως τοῦ ναοῦ τὴν ἀσφάλειαν ἐνενόουν, καὶ πολεμίοις δῶρον ἀνοίγεσθαι τὴν πύλην, δηλωτικόν τ᾽ ἐρημίας ἀπέφαινον ἐν ἑαυτοῖς τὸ σημεῖον. *Orientalis autem porta interioris templi, cum esset ænea atque gravissima, & sub vesperam vix a viginti viris clauderetur, serisque ferro vinctis obseraretur, pessulosque altos haberet in saxeum limen demissos, uno perpetuo lapide fabricatum, visa est noctis hora sexta sponte patescere. His autem curriculo per custodes templi Magistratui nunciatis, ascendit ille, vixque eam potuit claudere. Verum & hoc iterum ignaris quidem signum optimum videbatur. Deum namque bonorum portam aperuisse dicebant. Prudentiores vero templi tutamen sponte sua dissolutum iri cogitabant: & hostium donum esse, portas aperiri: solitudinemque isto ostento signari inter se pronuntiabant* [4]. Quod confirmare etiam videntur *Rabbini*, referente *Jarchio* narrantes: וארבעים שנה קודם חורבן היו דלתות ההיכל נפתחות מאליהן בער בהן רבן יוחנן בן זכאי אמר לו היכל היכל עד מתי אתה מבעירת את עצמך יודע

[1] מסכת תמיד Cap. 5. Mischn. 6. [2] מסכת סוטה Cap. 1. Mischn. 5. [3] שלטי הגבורים Cap. 15. fol. י"ד. col. 3.
[4] Josephus de Bello Judaico Libr. 7. cap. 12. p. m. 960. edit. Colon. Anno 1691.

יודע אני שסופך ליחרבי וכבר נתנבא עליך זכריה בן עדוא פתח לבנון דלתיך וגו *Quadraginta annis ante devaſtatum Templum fores templi apertæ fuerunt ſua ſponte : (unde) increpavit illas R. Jochnan filius Zachai , dicendo : o Templum templum , quouſque perturbas te ipſum ! novi ego probe , quod devaſtandum ſis , & jam vaticinatus eſt de te Zacharias filius Iddo , aperi Libanon fores tuas &c.* [1] Cur vero dicta hæc Porta Nicanoris Porta fuerit , idem ex Gemariſtarum fide obſervat R. *Abraham Harophe*, plenam ſimel miraculi narrans hiſtoriam , quemadmodum hæc ejus verba legas : במזרח שער נקנור על שם החסיד שהתנדב הדלתות שהיו על השער ההוא · אמרו רז״ל ביומא פ׳ אמר להם הממונה · שהיה איש מן החסידים שהלך לאלכסנדריאה של מצרים ועשה שם שתי דלתות של נחשת וחתקין מלאכתן מאד · והיה דעתו להעמידן לעזרה והביאן על הים ויהי כאשר סער הים על המלחים השליכו א׳ מן הדלתות להקל מעליהן ולהקל עוד ספינתם בעבור הים שהיה הולך וסוער · רצו להשליך ג״כ השנית צים. וכאשר ראה נקנור החסיד כן· קשר עצמו בדלת ואמר להם אם רצונכם להשליך הדלת בים· אל תשליכוה אלא עמי · אז עמד הים מזעפו · וכאשר יצא הוא לנמל בעכו היה מצטער על הדלת שטבעה . וברצון ה׳ השליך הים את הדלת האחרת שטבעה לאותו מקום שיצא זה החסיד: *In Oriente erat Porta Nicanoris , dicta de nomine pii cujuſdam Viri , qui vovit januas hujus Portæ . Docent nimirum Rabbini noſtri P. M. in Tractatu Joma , Capite , quod incipit :* אמר להם הממונה *: fuit aliquando Vir quidam pius , qui profectus eſt Alexandriam Ægypti , & fecit ibi duas januas æneas , & præparavit opus omni ſtudio , & voluit iſtas conſtituere in atrio , eamque in rem tranſportavit eas per mare . Factum autem eſt , cum ingens ingrueret tempeſtas , projecerunt nautæ unam ex januis (in mare), levandi navigii cauſa: & ut magis adhuc levarent navem propter mare æſtuans & procelloſum , voluerunt etiam eo projicere alteram . Quod cum videret Nicanor ille pius , alligavit ſe ipſum januæ , dicens : ſi animus vobis eſt projiciendi in mare januam , ne projiciatis eam , niſi mecum una : tunc ſedatum fuit mare . Et poſtquam egreſſus fuit ad portum in Acco , ſollicitus fuit de janua , quam demerſerat : & per beneplacitum Dei projecit mare januam iſtam alteram quam demerſerat , in iſtum locum , ubi egreſſus fuit pientiſſimus ille vir* [2] Quod confirmare etiam ipſa videtur *Miſchna* , dicens : נקנור נעשו נסים לדלתותיו *Valvis Nicanoris contigerunt miracula* [3] item alio in loco : כל השערים שהיו שם · נשתנו להיות של זהב· חוץ משער ניקנור· מפני שנעשה בהן נס· וי״א· מפני שנחשתן מצהיב: *Omnes portæ , quæ ibi erant , mutatæ fuerunt , ut ex auro eſſent , præter Portam Nicanoris , eo quod in illis factum fuit miraculum . Alii autem dicunt , propterea quod æs ejus coruſcaret .* [4] Sed pergimus ad eas, quas ultimo tandem loco poſitas ad ſeptentrionem *Miſchna* commemorabat atrii portas, שער נצוץ Portam Nitſots , שער הקרבן Portam ſacrificii , & בית מוקר ſ. Domum incendii . Et Portam quidem Nitſots ſ. שער נצוץ fuiſſe dicebat כמין, אכסדרה & ſuperſtructum habuiſſe ἀνώγεων aliquod, quod domum fuiſſe Nitſots videmus . Quid vero hoc loco ſibi velit vox אכסדרה, elegantiſſimus exponit *Bartenora* : ב׳ כותלי׳ אחד מצד זה ואחד מצד זה לשער היו בולטין ויוצאים מחוץ לחומת העזרה לצד הר הבית: i. e. *Duo fuerunt huic portæ parietes , una ex hac , & una ex altera parte , prominentes & prodeuntes extra murum verſus montem templi* , [5] quemadmodum hoc in *Sciagraphia* Templi Tractatui *Middoth* ſubjuncta , eleganter etiam expreſſit *Jom Tobh* . Unde nec inconcinne *l' Empereur hanc ſtructuram ex Feſto proceſtrium dici poſſe*, putat, recte inſuper monens , *vocem hanc eſſe illam Græcis uſitatam vocem* ἐξέδραν [6] quod & ipſum confirmat *Cohen de Lara* , dicens : *g.* ἐξέδρα *l. Exedra , proprie [ut ſcribit Camerar.] in ædificiis ædes addita Porticibus. h. Exedra Lonja con ſus aſſientos* [7] item alio in loco : המלה הזאת נעתקה מהיונים אל הרומים וכמוה רבות עמה · סדילי פרו פיריבוס · סידילי ויסטיבולי בר׳ בל׳ סאלא קון מוג׳ : יאס סיליאס [8] ubi tamen non apte ſatis eam exprimi per ſedile pro foribus, aut ſedile veſtibuli , ex allegata modo *Bartenoræ* deſcriptione patet . Quod porro שער הקרבן ſive Portam ſacrificii attinet, hanc ita dictam *Bartenora* exiſtimat, quoniam per eam victimas ducebant ſanctiſſimas in aquilone mactandas: שם מכניסין קדשי קדשים ששחיטתן בצפון *Per eam ducebant ſacrificia ſanctiſſima, quæ ad aquilonem mactabantur* [9] . Quod & ipſum jam obſervavit Clar. *l' Empereur*

Tres atrii Portæ ad ſeptentrionem.

Porta Nitſots.

Porta Sacrificii.

[1] in Commentario ſuo ad Cap. 11. Zach. v. 1. qui additus eſt Operi Buxt. vid. & Ben Melech in מכלל יופי vel potius Spicilegium Abendanæ ad dictum Zachar. locum. [2] ibid. [3] מסכת יומא Cap. 3. Miſchn. 10. [4] מסכת מדות Cap. 2. Miſchn. 3. [5] in Commentario ſuo ad מסכת מדות Cap. 1. Miſchn. 5. ad verba, וכמין אכסדרה היה. [6] De Menſuris Templi Cap. 1. Sect. 5. p. 20. [7] in libro עיר דוד ſive de Convenientia Vocabulorum Rabbinicorum cum Græcis & quibuſdam aliis linguis Europæis, Amſt. edito Anno 1688. 4. ſub voce אכסדרה. [8] in כתר כהונה ſive Lexico Thalmudico-Rabbinico, quod nullo impreſſionis loco addito prodiit Anno 1668. fol. ſub voce: אכסדרא. [9] in Commentario ſuo ad מסכת מדות Cap. 1. Miſchn. 5. ad verba : שער קרבן.

reur, ſcribens : *Præterea Miſchna hoc loco, nimirum in hac aquilonari plaga Portam Oblationis collocat : cui minime hoc nomen impertit, quod receptaculo oblationis, de quo Miſchna prima agitur, reſponderet : quia illud, ut vidimus, auſtrum; hæc vero porta aquilonem ſpectabat. Oblationis autem dicitur, quia teſte Rabbi Hobadia* שם מכניסין קדשי הקדשים ששחיטתן בצפון; *Ea victimas ſanctiſſimas inferebant, quæ ad ſeptentrionem mactabantur* [1]. Quod vero ultimam ex his, שער בית המוקד ſ. Portam domus incendii ſpectat, geminam eam fuiſſe *Miſchna* aſſerit, unde nec dicere ea voluit : שלישי לו שער בית המוקד, quemadmodum in prioribus facere conſueverat, & nexus requirere ſermonis videbatur : ſed tantum in genere dicit : שליטי לו בית המוקד ſtatimque in ſubſequentibus ſubjicit: שנים שערים היו לבית המוקד· אחד פתוח לחיל ואחד פתוח לעזרה· אמר רבי יהודה זה שהיה פתוח לעזרה· פשפש קטן היה לו· שבו נכנסין לבלוש את העזרה *Duæ erant Portæ domui incendii, una aperta verſus intermurale, altera vero aperta verſus atrium. Dicit R. Jebuda, quæ aperta erat verſus atrium, oſtiolum habebat aliquod per quod ingrediebantur, ut atrium luſtrarent* [2] quod ipſum etiam obſervat *Gemara*, ſed tamen non niſi unico ambas cuſtode munitas aſſerens, his verbis: בית המוקד כיפה ובית גדול היה וחד שומר הוא דהוה בי׳ המוקד ורמינהו שני שערים היו בבית המוקד אחד פתוח לחיל· ואחת פתוח לעזרה אמר רבי יהודה בזה שנכנסין לעזרה פשפש קטן היה לו שבו נכנסין לבלוש העזרה אמר אביי כיון דגבי הדדי הוו קיימי סגי להו בחד שומר דוי להכא ודוי להכא: (*Dicitur in Miſchna*) *Domus incendii erat concamerata & domus magna fuit, & unus tantum cuſtos fuit domus incendii : ad hoc objicio, quod tamen duæ portæ fuerint in domo incendii : una aperta verſus intermurale, & una aperta verſus atrium (ergo duo cuſtodes debuiſſent adeſſe) : Reſpondet R. Jebuda, in ea, per quam ingrediebantur in atrium, fuit oſtiolum (tantum) aliquod, per quod ingrediebantur ad explorandum atrium. Verum Abaji reſpondet quandoquidem juxta ſe invicem fuerunt collocatæ, ſuffecit ipſis unicus cuſtos, qui huc & illuc poterat reſpicere* [3]. Ad quinque igitur ex his ſeptem atrii portis, & quatuor angulos ejus, ſuas, ut diximus, Levitæ habebant cuſtodias, & quidem exterius, cauſam illius aſſerente ſæpius citato a nobis R. *Obadia de Bartenora*: לפי שאין ישיבה בעזרה אלא למלכי בית דוד בלבד ולא היה אפשר לשומר לשמור בעמידה כל הלילה לפיכך היו השומרים בפנות העזרה וכן השומרים בשערי העזרה שומרים מבחוץ כדי שיהיו מותרין בישיבה ואסמכוה אקרא דכתיב שנים לפרבר· כלפי בר· כלומר חוץ לחומת העזרה. *Quandoquidem non permiſſum erat ſedere in atrio, niſi Regibus familiæ Davidis tantum, neque etiam poſſibile erat cuſtodi, ut ſtando excubias ageret tota nocte idcirco cuſtodes in angulis atrii ut & cuſtodes in portis atrii excubias egerunt extrinſecus, ut permiſſum ipſis eſſet ſedere : & innitimur hac in parte ſcripturæ, quæ dicit* שנים לפרבר [*duo erant ad Parbar*] *i. e.* כלפי בר (*verſus interius*) *i. e. extra murum atrii*. [4] quæ & ſuperius jam fuiſſe a nobis adducta meminimus. Quibuſcum egregie etiam conſentit *Gemara*, cauſam ſimul afferens, cur in monte templi excubare interius potuerint, his verbis : מ״ש הר הבית דעבדינן מתוכו ומ״ש עזרה דעבדינן מבחוץ אמרי הר הבית דאי תמה ובעי מיתב יתי׳ אמרי׳ מתוכו עזרה דאי תמה ובעי למיתב לא מצי יתיב דאמר מר אין ישיבה לעזרה אלא למלכי בית דוד: אמרי מבחוץ *Quare dicit, quod in monte templi (cuſtodias) perfecerint interius, & quare dicit, quod in atrio eas perfecerint exterius? Reſpondetur : cum loquitur de monte templi, ubi, quando laſſus fuit, & ſedere voluit, ſedere potuit, tum dicitur* מתוכו (*interius*) : *cum vero loquitur de atrio, ubi, quando laſſus fuit, & ſedere voluit, ſedere haud potuit, quemadmodum dicit Mar, non licet ſedere in atrio, niſi Regibus domus Davidis tantum, tum dicitur* מבחוץ [5].

Porta domus incendii.

§. XIV.

His ita conſtitutis, tria adhuc ſuperſunt loca, excubantium Levitarum catervis cincta, quæ *Miſchna* fuiſſe memorat, לשכת הקרבן Conclave oblationum, לשכת הפרוכת Conclave veli, & אחורי בית הכפורת Poſticam partem domus propitiatorii : de quibus pauca admodum monenda habebimus, cum judice Clar. l'*Empereur*, priora duo conclavia *videantur ignotiora* [6] & ab ipſo *Leone Juda* in eorum referantur numerum, quorum verus locus ignoratur [7]. Quæ tamen de iis reperire nobis licuit, pro noſtri rationе inſtituti, ea, qua decet, cura exponere haud gravabimur. Quod ergo בית הקרבן

Tria reliqua a Levitis cuſtodita loca.

[1] de Menſuris Templi Cap. 1. Sect. 5. p. 21. [2] מסכת מדות Cap. 1. Miſchn. 7. [3] Talmud. Babyl. ad מסכת תמיד fol. ס. col. 2. [4] in Commentario ſuo ad מסכת מדות. Cap. 1. Miſchn. 1. ad verba : על ד׳ פנותיה מבחוץ. [5] Talmud. Babyl. ad מסכת תמיד fol. כא. col. 1. med. [6] De Menſuris Templi Cap. 1. Sect. 1. p. 4. [7] De Templo Hieroſolymitano Lib. 2. Cap. 19. p. 113. ex edit. & Verſ. Joh. Sauberti, quæ prodiit Helm. 1665.

Conclave Oblationum.

הקרבן ſive Conclave oblationum attinet, *exiſtimo*, inquit Clar. l'*Empereur*, *receptaculum oblationis eſſe*, *quod* 1. *Chron.* 26. 15. *&* 17. *vocatur* בית האספים *&* *elliptice* אספים *collectæ : nam* אספים *fuiſſe gazophylacium ſacrum*, *nullo negotio colligere ex eo licet*, *quod Hebed edomi familiæ argenti aurique ſacri cuſtodia tribuatur* 2. *Chron.* 25. 24. *cum ex eadem familia nonnullos* אספים *ſervaſſe libro primo videamus : quæ cum* קרבן *conveniunt optime* [1] Quin & meridionalem eum fuiſſe locum, idem exiſtimat, dicens : *quem locum ut meridionalem fuiſſe templo putemus, faciunt producti verſus Cap.* 26. 1. *Chron. quandoquidem non tantum hujus cuſtodes cum meridionalibus cuſtodibus conjunguntur ; ſed etiam ejuſdem familiæ fuiſſe e v.* 15. *conſtat*, *cum per familias loca ſorte diſtributa fuiſſent* [2] Sed certiora forte ſunt, quæ hanc in rem affert Gemaræ Tamid *interpres :* באותה לשכה נותנין קרבנות המבוקרים והוא חוץ לעזרה ושער היתה לה: [3] ſi modo ſuorum ſuffragio tribulium adjuvetur.

Conclave Veli.

Alterum illud receptaculum לשכת הפרוכת Conclave Veli dictum, idem nobis laudatus l'*Empereur*, *obtinere a loco nomen putat*, *quia e regione*, inquit, *veli erat*, *quod vel portæ Adyti obducebatur*, *vel Portæ Templi : nam* פרוכת *etiam legitur in Gemara Capitis* 1. *Tamid Talmudis Babylonici*. *Verum enimvero*, pergit, *ubi accuratius perpendo*, *quæ* 1. *Chron.* 26. *habentur de hiſce cuſtodibus*, *nec non ad eorum imitationem hos poſteriores recentioris templi ordinatos fuiſſe* (*quamvis non uſquequaque*, *ſicut jam obſervatum fuit*) *merito mihi conjicere videor*, *pro* פרכת *legandum* פרבר *levi ac perfacili mutatione* τῦ כ *in* ב *&* ת *in* ר. *Autor enim Chron. ubi de ſimili ordine diſſerit*, *ponit* פרבר, *quod Maimonides exponit* כמאן דאמר כלפי בר *ac ſi quis diceret*, *verſus exteriora : quia*, *ut ſubditi*, *hunc locum ſibi extra Atrii murum* (*ſc. occidentem verſus*) *cuſtos aſſignatum habebat*. *Conjecturam confirmant Judæi*, *qui iſta voce* פרבר *vociſque Etymologia hanc παράδοσιν confirmare annituntur* [4]. Verum alias nos iterum edocet, propiuſque abeſſe a veritate videtur Gemaræ Tamid *interpres*, dicens : שם היו נשים אורגות את הפרוכ׳ *Ibi fuerunt mulieres*, *texentes velum* [5] : quamvis iſtud vela conficiendi negotium viris tribuere potius *Maimonides* videatur, peculiarem inſuper iis aſſignans Præſidem, his verbis : זה שעל הפרוכת ממונה על כל אורגי הפרוכות והחוקמין בהן שיהיו מוכנות להיכל ולשערים׃ *Qui velo erat præfectus*, *præſidebat omnibus textoribus velorum*, *& qui acu pingebant in iis*, *ut apta eſſent templo & portis* [6].

Poſtica Pars Domus Propitiatorii

Sed claudimus tandem tertio illo atque ultimo a Levitis cuſtodito loco, qui אחורי בית הכפורת ſ. Poſtica pars ædis propitiatorii dicebatur, de quo ſequentia obſervat Clar. l'*Empereur* : *Remotius ab adyto erat receptaculum ultimum*, *ut & prius a tergo ipſius : unde Poſtica & Poſticum voces a Feſto huc non incongrue arceſſuntur*, *quod uterque locus poſt adytum compareret*, *ille propior*, *hic remotior : quocirca &* אחר לאחורי *poſt poſteriora dictum videtur*, *prior ſcilicet* τοῖς שערי הר הבית [7]. Verum ita ſuam nobis ea de re mentem exponit *Bartenora*; מכותל החצון של היכל לצד מערב עד הכותל מערבי של עזרה היה י״א אמה של חלל עם עובי הכותל קרוי אחורי בית הכפורת. *A pariete exteriori templi verſus occidentem*, *uſque ad parietem occidentalem atrii*, *fuerunt undecim cubiti in planitie*, *una cum craſſitie parietis*, *poſtica pars ædis propitiatorii dicti* [8] quicum egregie conſentit R. *Jehuda Leo*, cauſam ſimul, cur ita appelletur, aſſerens, quando ſequentem in modum fatur : *Locus reſpiciens plagam occideutalem atrii latus fuit undecim cubitos ab oriente ad occidentem*, *& centum triginta quinque a ſeptentrione ad meridiem*. *Vocatur autem ille poſt ædem propitiatorii*, *eo quod ſitus eſſet poſt adytum*, *ubi exſtabat arca fœderis cum propitiatorio* [9]. Quo quidem ipſo omnia nobis expedita loca ſunt, quæ quidem cuſtodibus fuiſſe cincta, Judaica memoravit Antiquitas. Reſtat adhuc, ut, quæ de harum Luſtratione excubiarum eadem nobis reliquit, paucis pro noſtri mediocritate ingenii expendamus.

§. XV.

Præfectus Monris Templi.

Nimirum omnibus excubitorum catervis quidam præfectus erat איש הר הבית ſ. Præfectus montis Templi dictus, maxima inter eos autoritate pollens, tertiumque inter Præfectos locum obtinens, quorum quinque in univerſum & decem hoc nobis ordine recenſet *Maimonides*. Primum ſcilicet ex his facit ממונה על הזמנים ſ. *Præfectum temporum*, qui, cum adventaret tempus offerendi ſacrificii, alta clamabat voce : agite, o Sacer-

[1] De Menſuris Templi. Cap. 1. Sect. 1. p. 5. [2] ibid. [3] Talmud. Babyl. ad מסכת תמיד fol. ש. col. 2. med. [4] De Menſuris Templi Cap. 1. Sect. 1. p. 5. [5] Talmud. Babyl. ad מסכת תמיד fol. ס. col. med. [6] הלכות כלי המקדש Cap. 7. §. 16. [7] De Menſuris Templi Cap. 1. Sect. 1. p. 5. [8] in Commentario ſuo ad מסכת מדות Cap. 5. Miſchn. 1. [9] De Templo Hieroſ. Libr. 2. Cap. 27. p. 167.

cerdotes, ad ministerium, & Levitæ ad pulpitum, & Israelitæ ad stationem! Alter erat ממונה על נעילת שערים *Præfectus claudendis aperiendisque portis*, ad cujus mandatum aperiebantur portæ & claudebantur. Tertius erat ממונה על השומרים *Præfectus custodum*, qui erat hic ipse איש הר הבית Præfectus montis Templi, de quo jam agere ex instituto animus nobis est. Quartus erat ממונה על המשוררים *Præfectus cantorum*, qui deligebat quotidie cantores, & ut buccina clangerent super sacrificia, mandata dabat. Quintus erat ממונה על הצלצל עם שאר כלי שיר *Præfectus Cymbali & reliquorum instrumentorum*, qui loca assignabat cantoribus Musica instrumenta tractantibus. Sextus erat ממונה על הפיסות s. *Præfectus Sortium*, qui sorte decernebat inter sacerdotes, quænam ipsis quotidie capessenda essent officia. Septimus erat ממונה על הקנים *Præfectus nidorum*, qui de turturibus & columbis, in sacrificium offerendis, prospicere debebat iis, qui illis indigebant. Octavus erat ממונה על החותמות *Præfectus sigillorum*, qui recipiebat ad se pecunias libaminum ab iis, qui de offerendis libaminibus tenebantur, iisque illarum loco sigilla dabat. Nonus erat ממונה על הנסכים *Præfectus libaminum* qui data a Præfecto sigillorum sigilla recipiebat, & unicuique illa libamina, quæ illius inscripta erant sigillo, tradebat. Decimus erat ממונה על החולין *Præfectus ægrotorum*, qui sacerdotibus ægrotantibus, viscerumque maximam partem excruciatis doloribus, medicinam faciebat. Undecimus erat ממונה על המים *Præfectus aquarum*, qui cisternarum curam habebat & aquæductuum, ne aquæ deessent Hierosolymarum incolis, atque iis, qui ad festos adscendebant dies celebrandos. Duodecimus erat ממונה על מעשה לחם הפנים *Præfectus operi Panum Propositionis*, qui Panes appositítios confici curabat. Decimus tertius erat ממונה על מעשה הקטורת *Præfectus operi suffitus*, qui aromata ad suffitum parari mandabat. Decimus quartus erat ממונה על מעשה הפרכת *Præfectus operi velorum*, qui textoribus velorum præerat, & Decimus tandem quintus erat ממונה על מעשה בגדי כהונה *Præfectus operi vestimentorum sacerdotalium*, qui conficiendis præerat sacerdotum vestimentis, quemadmodum hæc omnia dictus modo *Maimonides* longa verborum serie fuit executus [1]. Et horum quidem Præfectorum aliquoties in sacris novi fœderis paginis injici mentionem, quidam existimant, quando videlicet Luc. 22. v. 4. de proditore Juda narratur: καὶ ἀπελθὼν συνελάλησε τοῖς ἀρχιερεῦσι καὶ τοῖς στρατηγοῖς, τὸ πῶς αὐτὸν παραδῷ αὐτοῖς *Et abiens, collocutus est cum principibus sacerdotum, & præfectis templi de hoc, quomodo ipsum traderet illis*: quando item v. 52. ejusd. Cap. dicitur· εἶπε δὲ ὁ Ἰησοῦς πρὸς τοὺς παραγενομένους ἐπ' αὐτὸν ἀρχιερεῖς καὶ στρατηγοὺς τοῦ ἱεροῦ καὶ πρεσβυτέρους· ὡς ἐπὶ λῃστὴν ἐξεληλύθατε μετὰ μαχαιρῶν καὶ ξύλων; &c. *Ad eos vero, qui advenerant super ipsum Principes sacerdotum, & Præfectos templi & Seniores dixit Jesus; quasi contra latronem exivistis cum gladiis & lignis?* Ita enim Clariss. *l' Empereur: Porro isti quindecim Præfecti vel eorum quidam non incongrue referri posse videntur ad eos, quos Luc. 22. v. 52. vocat* στρατηγοὺς τοῦ ἱεροῦ, *præfectos templi* [2] & Celeberrimus *Joh. Michael Dilherrus* ad hunc ipsum Luc. 22. v. 52. adductum locum: *Quinam* στρατηγοὶ τοῦ ἱεροῦ *Syrus exponit per* רבי חילא דהיכלא *Principes exercituum templi. Mentio fit* τοῦ στρατηγοῦ τοῦ ἱεροῦ *Actor. IV. v. 1. & V. 24. qui non nisi unus erat, militibus, qui in arce Antonia ad custodiendum templum tenebant præsidium, præfectus, cujus* σπεῖραν *cohortem, Judam secum adduxisse, Sigonius existimat Libr. VII. de Rep. Ebr. Vide Johan. XVIII. v. 3. Hic vero nominantur* στρατηγοὶ *præfecti plures. Dicimus ergo, significationem vocis* στρατηγὸς *esse latiorem, nec solum* שרי צבא *præfectos militibus; sed* פקידים *i. e. officiales etiam alios significare: ut vox Ebræa* סגן *: cui ista apud LXXII. Græcos Interpretes sæpius respondent. Et videntur isti* τοῦ ἱεροῦ στρατηγοὶ *fuisse ex præfectis templi, quorum fuerunt quindecim uti docet ex Hebræorum libris Constantinus l' Empereur &c.* [3]. Sic, quando Act. 4. v. 1. it. Cap. 5. v. 24. mentio fit στρατηγοῦ τοῦ ἱεροῦ in singulari numero, nostrum ibidem intelligi debere montis templi præfectum, quidam contendunt, in quam abire sententiam inprimis videtur *Joh. Tobias Major*, inter plurima, quæ de hoc argumento refert, notatu dignissima, ita pergens: *Nos extra controversiam ponimus, e cohorte Judaica fuisse strategum istum templarium: clare etenim & ordine Maimonides* יד חזקה *parte tertia*, ספר עבודה *de ministerio sacro*, הלכות כלי המקדש והעובדים בו *tractatu de vasis sanctuarii ejusque ministris Cap. VII. recenset, præfectos muneribus in sacra æde obeundis, numero quindecim,*

quos

[1] הלכות כלי המקדש Cap. 7. tot. [2] De Mensuris Templi Cap. 4. Sect. 1. p. 139. [3] in Disputat. Academ. præcipue Philologicarum Tomo Novo p. 16. seqq. qui prodiit Norimb. Anno 1652. 4.

quos inter איש הר הבירה *præfectus montis templi occurrit, qui secularis, an clericus fuerit, e Judæo non licuit expiscari &c.* [1]. Alii vero per ςρατηγὲς τȣ̃ ἱερȣ̃ militiæ præfectos in arce Antonia, per ςρατηγὸν vero τȣ̃ ἱερȣ̃ in Actis memoratum, summum militiæ ducem in eadem Arce intellectum cupiunt, quo tendere inter alios *Erasm. Schmidium*, Celeb. refert *Joh. Andr. Danzius*, his verbis: *Erasm. Schmidius Comment. Actor. IV.* I. *arbitratur, illum* (ςρατηγὸν τȣ̃ ἱερȣ̃) *supremum fuisse præfectum præsidii ad templum in Antonia pro illius custodia a Romanis impetrati militaris, cujus imperio addicti fuerint alii inferiores* ςρατηγοὶ, *quorum passim mentio fit Luc. XXII.* 4. 52. *Act. XVI.* 20. 22. 35. 36. [2]: quod idem de ςρατηγῷ τȣ̃ ἱερȣ̃ antea etiam Clarissimum asserere *Dilhorrum* vidimus. Alii adhuc alia proferunt, & ordinarios eos Judæorum fuisse existimant Judices, in qua opinione versatur inprimis *Bonaventura Cornelius Bertramus*, sequentem in modum differens: *Ordinarii Judæorum Judices videntur illi esse, qui* ςρατηγοὶ τοῦ ἱεροῦ *prætores seu Magistratus Templi vocantur. Porro: quia quamplurimi erant, Scriptura aliquando plurali numero exprimit hujuscemodi magistratum: quia vero vel unius alicujus autoritas ad prehensionem sufficiebat, vel etiam unus aliquis Chiliarchus summus erat: usurpatur quoque hujus Magistratus nomen singulari numero. Denique & illud usitatum est, corpus plurium, qui eundem magistratum gerunt, singulari numero exprimi. Templi nomen adjungitur, vel quod eorum jurisdictio in Templo exerceretur &c.* [3] E commentatoribus *Salmeron, Lorinus & Cornelius*, referente *Joh. Tob. Majore*, *credunt, Magistratum Templi fuisse e tribu Levi, primi pilum quidem e Pontificibus, habentem socios milites, sacerdotes minores, ac Levitas; ex ea ratione, quod Judæi non tolerassent prætorem gentilem in loco sacro, cum pagano templum eorum ingrediendi, sub pœna capitali interdictum esset: largiuntur autem, Romanos suo præsidio firmasse Antoniam, tum ad templi custodiam, tum ne Judæi arcem loco ædium sacrarum exstruerent, aut forte rebellarent: hoc fine præposuisse arci ducem vel tribunum, qui a prætore accitus, fluctus, sicubi moti essent, componeret, atque compesceret* [4]. Novos variarum excubiarum duces excogitat, eosque hos ςρατηγὲς fuisse existimat *Ligtfootus*, ςρατηγὸν vero τοῦ ἱεροῦ per eminentiam nostrum fuisse arbitratur montis Templi præfectum, omnium variarum istarum excubiarum capitum caput, quando ita longa serie fatur: *Vocantur* ςρατηγοὶ τοῦ ἱεροῦ *v.* 52. *& numero singulari* ςρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ *Act.* 4. *v.* I. *At quinam hic & illi? omnibus notum est, fuisse præsidium Romanum in Antonia, cui præcipue demandata cura adversus tumultus & seditiones in templo. At num Tribunus vel centuriones istius Præsidii dicti* ςρατηγοὶ τοῦ ἱεροῦ? *Imo potius* ςρατηγοὶ τῆς Ἀντωνίας. *Et certe parum constat, duces Romanos conjuratos fuisse in vitam Christi, ut ad eos se conferret Judas, pacturus de ejus proditione. Probabilior conjectura posset esse de Præfectis istis in templo, de quibus Schekalim Cap.* 5. *Hi sunt præfecti, qui fuerunt in templo, Johanan ben Phineas Præfectus sigillis. Abijah Præfectus libaminibus. Matthiah ben Samuel Præfectus sortibus &c. At mihi extra omne dubium est,* ςρατηγὸν τοῦ ἱεροῦ *fuisse duces variarum excubiarum. Middoth, Cap.* I. *Tribus in locis sacerdotes excubias agunt in templo: nempe in Beth Abtines, Beth Nitsots, & Beth Mokad. Levitæ quoque locis viginti uno. Cum ergo hæ custadiæ, vel excubiæ constiterint unaquæque ex multis excubitoribus, erat quidam, qui unicuique custodiæ præficeretur. Huc spectare arbitror illud Pilati, Matth. XXVII.* 68. ἔχετε κȣςωδίαν; *Habetis vos excubias de proprio, mittantur quidam ex illis ad custodiendum sepulchrum.* ςρατηγὸν *igitur* τοῦ ἱεροῦ *distinctive sumtum, & per eminentiam, ego eum esse arbitror, qui dicitur* איש הר הבירה *montis templi Præfectus, qui caput erat omnium capitum excubiarum* &c. [5] Aliam adhuc viam ingreditur Celeberrimus Jenensium Philologus *Joh. Andreas Danzius*, ita suam nobis ea de re exponens mentem: *Statuendum igitur est, per Magistratum seu Præfectum Templi duplicem posse intelligi magistratum, unum militarem, qui proprie fuerit summus arcis Antonianæ Præfectus, cui cum inferioribus* ςρατηγοῖς *& reliqua militum cohorte primario incumberet Custodia templi Hierosolymitani, ut supra audivimus. Quod ad alterum, summum is in monte Templi gessit imperium, e sacerdotibus constans, & specialiorem de Templi redditibus, cæterisque opibus curam vovens, adeoque omni ex parte bene securitati sacræ prospiciens; certo tamen respectu prioris præsidio gaudebat. Uterque Magistratus summum Sacerdotem superiorem agno-*

[4] Exegematum Locorum difficiliorum πραξαποςόλων parte priori, ad Cap. 4. v. I. edit. Jen. Anno 1647. 8.

[1] In Dissertatione de Hebræorum re militari p. 47. quæ prodiit Jenæ 1690. Respondente Georg. Ferd. Gleichgrossio, Posoniensi. [2] De Hebræorum Republica s. Politia Judaica Cap. 13. p. m. 88. edit. Genev. quæ prodiit Anno 1655. [3] Exegematum Loc. Diff. πραξαποςόλων l. c. [4] Horis Hebr. & Talm. ad Luc. 22. v. 4.

agnovit, qui etiam quoties extraordinariæ turbæ excitarentur, aut rei vel violati templi, vel contemtæ religionis, vel gravioris alicujus flagitii capiendi essent, semper priori magistratui militari executionem demandabat. Ad summum E. sacerdotem & Præfectum militarem Antonianum accessit proditor, quod eorum maxime opera indigeret ad exequendum facinus, ne per posteriores (scil. Sacerdotes) palam flagitia punirentur. Nec obstat quod h. m. στρατηγὸν τῆς Ἀντωνίας τοῦ ἱεροῦ *ponere debuisset S. Historiographus, nam ut audivimus primario priori Magistratui competebat custodia templi, quam castellum imprimis procurabat, a potiori igitur facta denominatio* [1]. Quod si nostrum hic interponere judicium liceat, pulchram omnino & elegantem huic argumento affundi putamus lucem insigni illo, superius a nobis adducto *Josephi* testimonio, quo aperta sponte suisque convulsa sedibus Nicanoris porta, dicitur quod οἱ τοῦ ἱεροῦ φύλακες, quos nostros fuisse templi custodes credibile est, *illud annuntiaverint* τῷ στρατηγῷ, *& quod ille ascendens, vix eam potuerit claudere* [2] quem neminem fuisse alium, nisi ממונה על נעילת שערים s. Præfectum claudendis aperiendisque portis, exinde liquet, quoniam huic soli aperiendarum claudendarumque erat Portarum commissa cura, ut probabilior forte illorum videatur sententia, qui per στρατηγοὺς τοῦ ἱεροῦ quindecim illos supra memoratos Templi Præfectos intelligendos existimant: quod & ipsa innuere videtur scripturæ litera, quando non modo istos στρατηγοὺς cum πρεσβυτέροις & ἀρχιερεῦσι semper fere conjungit, sed & Christus Luc. 22. vers. 52. dicit, quod quotidie cum ipsis in templo fuerit, & Act. 4. vers. 1. στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ Petro & Johanni, resuscitatum ex mortuis Jesum prædicantibus, populumque ad seriam pœnitentiam cohortantibus, quemadmodum ex antecedentibus patet supervenisse memoratur, atque ægre tulisse, quod illi docerent populum, quæ certe de præsidiariis Arcis Antoniæ ducibus, Romanis genere, atque gentilibus asserere, nimis forte videri posset alienum. Aut etiam cum *Salmerone*, *Lorino*, *Cornelio* atque aliis dicendum, fuisse Magistratum Templi, socios habentem milites sacerdotes minores ac Levitas, quemadmodum & illorum sententiam non adeo rejiciendam putat aliquoties citatus nobis *Joh. Tob. Major* dicens: *Interim Ebræos habuisse bona pace Romanorum, manipulum militum e genere Levitico collectum, non magnopere refragamur, ne locus tam sanctus paganorum injuriis & improperiis exponeretur.* [3] An vero στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ Act. 4. v. 1. it. Cap. 5. v. 24. memoratus per eminentiam sit איש הר הבית s. Præfectus montis Templi dictus, si vel maxime στρατηγοὶ τοῦ ἱεροῦ Luc. 22. v. 4. & 52. memorati, quindecim isti fuerint Templi præfecti, pro certo affirmare haud sustinemus, cum in primis in libris etiam *Mischnicis* ejusmodi ממונה per eminentiam fiat mentio, quando nimirum dicitur: אמר להם הממונה צאו וראו אם הגיע זמן השחיטה. i. e. *Dicit ipsis præfectus, abite & videte, num appropinquaverit tempus mactationis* [4], de quo ipsi dubii hærent *Judæorum magistri*, quisnam in specie fuerit, an forte Sagan, an vero alius quispiam, prouti ita nobis eorum exponit mentem elegantissimus *Jom Tobb*: פירש הרב הוא הסגן׳ וכפירוש ר״ש׳ והטעם שנקרא ממונה פירש הרבבריש פרק ב׳ דסנהדרין׳ והתו׳ בפ״א דמנחות דף ק׳ דחו זה הפירוש׳ וכתבו ממונה אחר היה ושמא היה זה׳ שהוא ממונה על הפייסות המקרי ממונה סתם׃ i. e. *Explicat R. Bartenora, quod hic ipse fuerit Sagan, quæ ipsa quoque sententia est Raschi: rationem vero, cur vocetur* ממונה *explicat R. Bartenora sub initium Capitis secundi Tractatus Sanhedrin. Autores vero Additionum Talmudicarum Cap. undecimo Tractatus Menachot folio centesimo rejiciunt hanc explicationem, & scribunt, præfectus hic fuit alius, & forte fuit præfectus sortium, qui absolute* ממונה *vocatur* [5]. Nec minus & hoc observari meretur, non in omnibus statim scripturæ locis, ubi τῶν στρατηγῶν mentio fit, intelligendos esse istos quindecim Præfectos, aut qualem nos indicavimus magistratum templi, sed alium posse designari, etiam gentilium magistratum, quemadmodum ex locis Act. 16. vers. 20. 22. 35. & 36. manifesto patet, quo sensu etiam de certis quibusdam Græcorum prætoribus vocem hanc accipi *Harpocration* observat dicens: οἱ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν χειροτονούμενοι στρατηγοὶ δέκα ἦσαν, ὡς μαθεῖν ἐστὶν ἔκ τε τῶν Ὑπερίδου κατ' Αὐτοκλέους, καὶ ἐκ τῆς Ἀθηναίων πολιτείας Ἀριστοτέλους *Prætores quotannis decem numero per suffragia designabantur, ut discere licet cum ex orationibus Hyperidis adversus Auctoclem, tum ex Aristotelis republ. Atheniensium* [6] de quibus & inter alios celebres illi Gallorum duum-

[1] De Hebræorum Re militari p. 48. [2] priori §. quo de Porta Nicanoris fuit actum. [3] Exegematum loc. cit. [4] מסכת יומא Cap. 3. Mischn. 1. [5] in Commentario suo ad h. l. [6] in Lexico decem Oratorum sub voce στρατηγοὶ p. m. 323. ex editione, quæ cum Maussaci & Valesii notis prodiit Lugd. Bat. Anno 1683.

duumviri *Henricus Valesius*, [1] & *Samuel Petitus* [2] videri ex instituto possunt. Cæterum & fieri ex his forte judicium poterit, quid statuendum sit de nupera illa, *Casparum Bussingium* inter, summum in Comitatu Oldenburgensi sacrorum Antistitem, & *Hectorem Adrianum Janssonium*, Ecclesiæ S. Lamberti, quæ Oldenburgi est, Ministrum, & Consistorii Assessorem, ad istum Luc. XXII. vers. 52. locum exorta controversia, ex quorum tamen scriptis non nisi unicum hactenus *Bussingii*, *Jansonii* illo autoritate regia suppresso, nobis videre contigit [3].

§. XVI.

Lustratio excubiarum.

Sed tempus est, ut longius forte digressi, ad nostrum montis Templi Præfectum, excubitorum catervas explorantem, revertamur. Is itaque omnes totius montis Templi claves habens, singulas singula nocte circuibat custodias, referente ex *interprete* Gemaræ Tamid toties citato nobis *Jom Tobb* : (איש הר הבית) היה מחזר בכל לילה ולילה על כל משמר ומשמר והיה לו מפתחות הר הבית · כ״כ הטפ׳ דתמיד שם [*Præfectus montis Templi*] *circuibat singula nocte singulas custodias, & habebat claves montis templi* [4] quemadmodum hodienum adhuc fieri dicit R. *Abraham Harophe*, ut excubitorum alicujus urbis Præfectus singulos noctu circumeat, quod in lingua dicere exotica *andar in ronda* soleant, prouti hæc ejus verba legas: (איש הר הבית) היה מחזר על כל משמר כמו שעושים גם היום . שראש שומרי העיר מחזר על כלם בלילה וקוראים החזרה הזאת בלשון לעז אנדאר אין רונדה [*Præfectus montis templi*] *circuibat singulas custodias, quemadmodum hodienum etiam facere solent, ut præfectus custodum urbis alicujus circumeat omnes noctu, quam circuitionem in lingua exotica vocant andar in ronda* [5] quæ quidem locutio ab Italis, apud quos *Abraham* noster vixit, transsumta, idem quod Gallis *faire la ronde*, Germanis vero die Ronde gehen/ significat. Ubicunque incedebant, prælucebant ipsi funalia, & si custodum aliquis pedibus non insisteret, dicebat ipsi: Pax sit super te. Quod si vero somno eum oppressum animadverteret, percutiebat illum baculo, & comburendi vestimenta ejus habebat potestatem, ut Hierosolymis hoc obtineret dicterium: quisnam in atrio assurgit clamor? cui alter respondebat : est ille clamor Levitæ vapulantis, & cujus comburuntur vestes, eo quod suæ indormiverit custodiæ, docente hæc omnia *Codice Mischnico*, quando sequentem in modum fatur איש הר הבית · היה מחזר על כל משמר ומשמר · ואבוקות דולקין לפניו · וכל משמר שאינו עומד · אומר לו איש הר הבית · שלום עליך · ניכר שהוא ישן חובטו במקלו · ורשות היה לו לשרוף את כסותו · והם אומרים מה קול בעזרה · קול בן לוי לוקה ובגדיו נשרפים שישן לו על משמרו : *Præfectus montis templi circuibat singulas custodias, facesque ipsi prælucebant : unumquemque autem custodem, qui pedibus non insisteret, bis verbis compellebat præfectus montis templi : Pax tibi. Si eum dormire animadverteret, percutiebat eum baculo suo, & comburendi vestimenta ejus habebat potestatem. Hinc dicebant : quænam est illa vox in atrio? vox Levitæ vapulantis, & cujus comburuntur vestes, eo quod suæ indormiverit custodiæ* [6] : quamvis

[1] in suis in Harpocrat. Notis p.70. [2] in Commentario suo ad Leges Atticas Libr. 3. Tit. 2. p.249. seqq. Conferri hic etiam meretur *Joh. Tob. Major* in Exegematum l. c. ubi dicit : *Fatemur, vocem στρατηγὸς admittere significationem magistratus, uti ἄρχοντας (quod verbi Syrus hic imitatur* ארכינא *καὶ οἱ στρατηγοὶ τῶν πόλεων, principes & magistratus civitatum redduntur L. VI. n. XVI. & L. XV. n. IX. ff. de excusationibus, item l. XXI. n. IV. de tutelis, ubi Dionysius Gothofredus in Commentario, loca parallela esse censet Lucæ XXII. 4. 52. XXIV. 20. sed nos sibi ὁμοψήφους non habet ; dare potuisset pari ἀγχινοίᾳ alia, hic v. 1. & 8. J. Casaubonus quoque animadversionibus in Athenæum l. IX. c. XVI. ex eo notat, vulgo quidem ductorem quemcunque exercitus στρατηγὸν dici : verum, si rei veritas spectetur, aliud esse στρατηγὸν, aliud ἡγεμόνα: hac enim appellatione, ducatus militum functionem solummodo designari ; illa universam totius imperatoriæ artis notitiam, quæ ex parte in quemvis Magistratum cadere potest.* [3] Titulus scripti Bussingiani hic est : Herrn Caspari Bussingii Schreiben an einen Freund in Hamburg/ betreffend den unnöhtigen Streit/ welcher in der Kirchen zu S. Lamberti in Oldenburg erhoben/ und durch eine von Herrn Hector Adrian Jansson, &c. in Bremen edirte Schrifft/ rubriciret/ Bescheidentliche Erörterung &c. divulgiret/ um denen hiedurch in der Hamburgischen Kirchen erregten Aergernissen zu begegnen/ zum Druck befodert. Ipsam vero ejus sententiam quod attinet, in ea versatur opinione Celeb. *Autor*, quod dicto in loco per istos, qui Christum capiebant, non Romani milites, sed Levitæ templi custodes intelligendi veniant, quod quatuor probare argumentis, propriis ejus verbis ita conceptis, nititur : Weil (1) in der gantzen Passions-Historie/ biß auff die Ubergebung JEsu ans weltliche Gericht/ keiner Römischen Soldaten ausdrücklich gedacht; (2) Der Heyland ausdrücklich saget : bin ich doch täglich bey euch gesessen im Tempel/ so Er zu den Römischen Krieges-Knechten nicht sagen konte (3) Petrus da er drein schlug/ keinen Römischen Kriegs-sondern des Hohen-Priesters Knecht Malchum traff, (4) Die Juden die Vermischung mit den Heyden/ so lange sie es Umgang haben konten/ auff alle Wege vermieden/ und deswegen nicht einmahl in das Richthauß gehen wolten; (5) Ligtfoot, Lundius, und andere gelehrte Männer der Meynung sind/ daß/ was Luc. XXII. 4. und sonst von Haupt-Leuten gedacht wird/ nicht anders/ als von den Haupt-Leuten des Tempels zu verstehen sey.
[7] in Commentario suo ad מסכת מדות Cap. 1. Mischn. 2. [6] שלטי הגבורים Cap. 17. fol. ט. col. 8. [8] מסכת מדות Cap. 1. Mischn. 2.

vis in ea versetur opinione Clar. l'*Empereur*, non quovis tempore vigilandum ipsis fuisse : sed nocte in suas vigilias distributa, iis tantum pœnam fuisse irrogatam, qui vices suas vigilandi non servassent, prouti suam nobis ex פוסקי תוספות Codicis Tamid mentem exprimit his verbis : *Porro vapulabant, qui dormirent, sed non quovis tempore vigilare tamen tenebantur : quia nocte in suas vigilias distributa, iis pœna irrogabatur, qui vices suas vigilandi non servassent ; reliquis dormire (etsi non quovis loco) licebat . Hæc habentur in Capitulis Tosaphot Codicis Tamid* [1] : quæ & legi ibidem sequentem in modum possunt: כהנים ולוים נחלקו למשמרת זמן קבוע היתה להם לישן ואם מצאו ממונה שישן יותר חובטו במקל ושרף בגדיו׳ אם לא שעומד תחלה ואומר שלום עליך גם כשמשמר אח׳ ישן משמר ב׳ ניעור ושומר ומקומו׳ יש שלא לישן בהן : *Sacerdotes & Levitæ dividebantur in custodias, & tempus aliquod fixum erat ipsis, quo dormire poterant . Quod si inveniret aliquem Præfectus diutius dormientem, percutiebat eum baculo, & comburebat vestes ejus nisi forte prius consisteret, dicens : Pax sit super te . Quin etiam, quando unus custos dormiebat, alter custos vigilabat, & custodiebat. Et sunt quædam loca, in quibus dormire non licebat* [2] . Quin & R. *Eliefer* filius *Jacobi* refert, suum aliquando dormientem in custodia deprehensum fuisse avunculum, unde ejus vestimenta combusserint, fidem faciente *Codice Mischnico*, his verbis: רבי אליעזר בן יעקב אומר פעם אחת מצאו את אחי אמא ישן ושרפו את כסותו : *R. Eliefer, filius Jacobi dicit : semel invenerunt avunculum meum dormientem, & combusserunt vestimentum ejus* [3] . Atque hinc lucem accipere quidam existimant locum Apocal. 16. v. 15. Ἰδὲ, ἔρχομαι ὡς κλέπτης. Μακάριος ὁ γρηγορῶν, καὶ τηρῶν τὰ ἱμάτια αὐτοῦ, ἵνα μὴ γυμνὸς περιπατῇ, καὶ βλέπωσι τὴν ἀσχημοσύνην αὐτῦ *Ecce venio sicut fur : beatus qui vigilat, & servat vestimenta sua, ut non nudus ambulet, videantque pudorem ejus :* quo tendere præter *Ligtfootum* [4] etiam Magnificum quondam nostrum *Dassovium* videmus, ad istud comma ita differentem : *Quamvis extra omnem dubitationis ponatur aleam, vestes diligenter fuisse custoditas, non modo in Hebræa, sed & in Romana gente, inprimis si indumenta essent fœminea &c. nihilo tamen secius evolutione dignum censebitur, quomodo vestes excubiarum sive custodum fuerint servatæ, si vigilarent, quomodo autem corruptæ, si sopiti somno essent . Eam rem feliciter rimabimur, si templi excubias antiquas contemplemur . Cum enim sacerdotes & Levitæ excubarent vestibus induti domesticis, ita quidem, ut sacerdotes in tribus locis interioribus vigilarent, nimirum in camera suffitus, camera vasorum lapideorum, & camera ignis, Levitæ autem unum & viginti loca exteriora templi occuparent, præfectus excubiarum, cui faces præferebantur, lustrabat singulas excubias, & si quem dormire animadverteret, percutiebat baculo, & vestem ejus adurebat ; unde si clamor audiretur nocturnus in templo, judicabatur incensam esse vestem excubitoris somnolenti, qui se explicare flammis non poterat, improviso corpus invadentibus &c.* [5] ad quem locum alias sequentia etiam observat Anglicanæ Presbyter Ecclesiæ *Colomesius* : *De hoc loco sic Dionysius Alexandrinorum Episcopus, Theologus & Criticus eximius, apud Eusebium, Hist. Eccles. lib. 7. c. 25.* Συντελέσας δὴ πᾶσαν, ὡς εἰπεῖν, τὴν προφητείαν, μακαρίζει ὁ προφήτης τὲς τε φυλάσσοντας αὐτὴν, καὶ δὴ καὶ ἑαυτόν· Μακάριος γάρ φησιν ὁ τηρῶν τὲς λόγες τῆς προφητείας τῦ βιβλίε τέτε· Καὶ ἐγὼ Ἰωάννης ὁ βλέπων ταῦτα καὶ ἀκέων *Huc usque Dionysius : cujus mentem haud assecutus est Eusebii Historiæ novissimus Interpres Gallus &c.* [6] . Cæterum hanc de Præfecto excubias lustrante *Mischnam* postquam legisset R. *Jochanan*, pio correptum zelo superioris laudasse ævi homines, quod ita ad amussim fecissent judicium, R. *Chija*, filius *Aba* refert, enuntiante hoc ipsum *Gemara*, sequentem in modum : א״ר חייא בר אבא כטי ר׳ יוחנן בהא מתניתא אמר הכי אשריהם לרשונים שאפילו על׳ אונס שינה עושין דין שלא על אונס שינה על אחת כמה וכמה: *Dicit R. Chija filius Aba, cum venit R. Jochanan ad hanc Mischnam, dixit : o beati vos priores, quod justitiam exercueritis etiam erga eos, qui per vim somno fuerunt oppressi* [7] *: quanto magis erga eos (sc. justitia est exercenda) qui non per vim somno opprimuntur (sed proterve peccant)* [8] : ubi simul elegantem occasione hujus ex scientia morum subnexam doctrinam videas, his verbis: תניא ר׳ אומר איזו היא דרך ישרה שיבור לו האדם יאהב את התוכחות שכל זמן שתוכחות בעולם נחת רוח באה לעולם טובה וברכה

[1] De Mensuris Templi Cap. 1. Sect. 2. p. 10. [2] in Talmud. Babyl. post Cod. מדות fol. 72. col. 2. [3] מסכת מדות Cap. 1. Mischn. 2. [4] Hor. Hebr. & Talm. ad Luc. 22. v. 4. [5] in prima Disp. de Emphasi sacrarum vocum hic loci habita Anno 1702. [6] in Observationibus sacris p. 610. edit. nov. quæ curante Celeberrimo Joh. Alberto Fabricio prodiit Hamb. 1709. [7] Germanice posset reddi: Die sich mit aller Gewalt des Schlaffes nicht erwehren können. [8] Talmud. Babyl. ad מסכת תמיד fol. כב. col. 1. init.

וברכה באין לעולם והעה משתלקת מן העולם שנ׳ ולמוכיחים ינעם ועליהם תבא ברכת טוב ויש אומרי׳ יחזיק באמונה יתירה שנ׳ עיני בנאמני ארץ לשבת עמדי וגו׳ א״ר שמואל בר נחמני א״ר יוחנן כל המוכיח את חבירו לשם שמים זוכה לחלקו של הקב״ה שנאמ׳ מוכיח אדם אחרי ולא עוד אלא שמושכין עליו חוט של חסד שנאמר חן ימצא ממחליק לשון : *Traditio quædam eſt: Ribbi dicit , quænam eſt via illa recta , quam eliget ſibi homo . Reſp. diliget redargutiones , quandoquidem omni tempore, quo redargutiones ſunt in mundo , tunc beneplacitum (divinum) venit in mundum , bonum item & benedictio veniunt in mundum , & malum recedit ex mundo , quemadmodum dicitur (Prov. 24. 25.) Corripientibus vero dulce erit , venietque ſuper eos benedictio boni. Alii autem dicunt , augetur fides magis , quemadmodum dicitur : (Pſ. 101. v. 6.) Oculi mei (ſunt) erga fideles terræ , ut ſedeant mecum &c. Dicit R. Samuel filius Nachman , quod dixerit R. Jochanan , quicunque redarguit proximum ſuum propter Deum , illi dignus ſit parte quadam Dei benedicti , quemadmodum dicitur : [Prov. 28. v. 23.] Corripiens hominem, mecum (eſt) : neque hoc tantum , ſed ducunt ſuper ipſum filum gratiæ , quemadmodum dicitur : (Prov. 28. v. 23.) gratiam inveniet præ blandiente lingua .* [1].

§. XVII.

An Sacerdotes quoque fuerint luſtrati.

Quod ſi R. *Obadiam de Bartenora* de hoc audiamus negotio differentem , eo uſque is progreditur , ut exiſtimet , verberibus etiam ab hoc Præfecto montis ſomnolentos exceptos fuiſſe ſacerdotes , & hinc quoque ממונה על הפקיע ſ. Præfectum loro dici , quando is ſequentem in modum fatur : להלקות כהנים והלוים שנמצאו ישנים על משמרותיהם שהיו שומרים את המקדש בלילה · כדאמרן במסכת מדות מי שהיה מוצאים אותו ישן היו חובטים אותו ושורפים את כסותו : i. e. [*Dicitur* ממונה על הפקיע] *eo quod percuteret ſacerdotes & Levitas , qui ſuis indormientes excubiis fuerant deprehenſi , cuſtodientes templum noctu , quemadmodum dicunt in Tractatu Middoth : quemcunque deprehenderunt dormientem , eundem percuſſerunt , & combuſſerunt veſtimenta ejus* [2] At hanc R. *Bartenoræ* ſententiam , nihil quicquam hæſitans , rejicit ſtatim R. *Abraham Harophe* , in eo quidem conſentiens ממונה על הפקיע ſ. Præfectum loro eundem fuiſſe cum איש הר הבית ſ. Præfecto montis templi : ſed negans etiam atque pernegans , ſacerdotes ab eo fuiſſe percuſſos : quin & pro ſua in tantum Doctorem reverentia non eam fuiſſe illius mentem aſſerit , ſed per errorem forte typographi in ejus irrepſiſſe ſcripta vocem כהנים alias omittendam , prouti hæc omnia ſequentibus exponit verbis : והרב מבירטאנורה ז״ל כתב על הפקיע להלקות הכהנים והלוים שנמצאו ישנים על משמרתם · ולדברי הכל אין להאמין שהרב ז״ל סבר שיהיו לוקים הכהנים · ואולי טעה המדפיס בהדפסה והוסיף כהנים מדעתו · כי הנה לא היו מלקים הכהנים אלא הלוים בלבד שהרי לקארה ההיא בעבור השינה · ועל כן אמרו מה קול בעזרה קול בן לוי לוקה שישן לו על משמרו ולא אמרו קול כהן לוקה מצורף שאמרו בפרו׳ במשנה · שהכהנים היו ישנים כמו פרק א׳ דמדות משנה שביעית וזקני בית אב ישנים שם כו׳ *R. autem Bartenora P. M. ſcribit ad (voces Miſchnæ)* על הפקיע *eo quod percuteret ſacerdotes , qui deprehenſi fuiſſent dormientes in ſuis cuſtodiis. Verum juxta ſententiam omnium credibile non eſt , putaſſe Rabbinum illum. P. M. quod ſacerdotes fuerint percuſſi . Et forte eſt , quod erraverit typographus , & addiderit vocem* כהנים *de ſuo : ſiquidem ſacerdotes non fuerunt percuſſi , ſed Levitæ tantum , quoniam percuſſio illa fiebat tantum eo quod dormirent : hinc dicunt : quænam illa vox eſt in atrio ? [cui alter reſpondet] eſt illa vox Levitæ vapulantis , qui indormivit cuſtodiæ ſuæ , non autem dicunt , vox ſacerdotis vapulantis : (cui ego adhuc) addo , quod expreſſe dicant in Miſchna , quod ſacerdotes dormiverint uti v. c. Cap. 1. Tractatus Middoth Miſchna ſeptima , & ſacerdotes familiæ paternæ dormiebant ibi &c.* [3] Haquamvis huic ultimæ a R. *Abraham Harophe* adductæ rationi opponi poſſit, quod ſupra ex R. *Abraham Arama* obſervavimus , qui ita hæc verba accipienda dixerat : לאו דוקא ישנים אלא שוכבים *Non præciſe dormiverunt , ſed recubuerunt tantum* [4] . Interim cum noſtro R. *Abraham Harophe* per omnia etiam facit elegantiſſimus *Jom Tobb* , & neque luſtratos ab hoc Præfecto montis , neque percuſſos fuiſſe ſacerdotes , confidenter adſtruit , quando de iſta excubiarum luſtratione agens , hunc in modum fatur: ר״ל לאפוקי משמורות הכהנים ושמו יוכיח · ולפיכך צדקו דברי השלטי גבורים [שחבר החכם הר״ר אברהם רופא ממנטובה] במה שהשיג בפרק ל״ו על דברי הר״ב שכתב בפי חמישי דשקלים על הפקיע · להלקות כהנים והלוים · שלא מציני כהנים לוקים:

Indi-

[1] ibid. [2] In Commentario ſuo ad מסכת שקלים Cap. 5. Miſchn. 1. [3] in שלטי הגבורים Cap. 36. fol. לב. col. 3. med. [4] vid. ſupra §. 10. p. 71.

Indicat h. l. excludendas esse custodias sacerdotum, quod ipsum etiam nomen ejus (dum scilicet dicitur איש הר הבית *) arguit : & propterea justa sunt verba libri* שלטי הגבורים *s. clypei fortium dicti, (quem concinnavit sapiens ille atque excellens R. Abraham Harophe ex Mantua oriundus) in eo, quod annotavit Cap. 36. ad verba R. Bartenoræ, qui scripserat Cap. 5. Tractatus Schekalim ad voces* על הפקיע*, eo quod percuteret sacerdotes & Levitas: siquidem non reperimus sacerdotes fuisse percussos* [1]. Quid quod nec illud largiri aliis placet, eundem fuisse ממונה על הפקיע s. Præfectum loro, cum איש הר הבית s. Præfecto montis templi, sed *Hierosolymitani* auctoritate *Talmudis* suffulti astruunt, fuisse eum præfectum ellychniorum, candelabri sacri & domus haustionis usibus inservientium; cui quidem sententiæ suum adjicit calculum R. *Abraham Ben David*, in suis ad *Maimonidem* Notis sequentia observans : א״א ולמה לא מנה הממונה על הפקיע והוא מכין הפתילות: *Ego dico: quare non numeravit simul præfectum loro, qui præparabat ellychnia?* [2] Et certe, si *Talmud* illud *Hierosolymitanum* inspicere nobis libeat, verum omnino est, intelligere illud per ממונה על הפקיע præfectum ellychniorum, quemadmodum nec ipse diffitetur R. *Obadias de Bartenora*, dicens: ובירושלמי מפרש הפקיע הפתילות של מנורה ושל בית השואבה כדאמרן בפרק החליל מבלאי מכנסי כהנים ומהמייניהם מפקיעים פתילות: *Et in Talmude Hierosolymitano explicatur vox* פקיע *per ellychnia candelabri, & domus haustionis, quemadmodum dicunt in Capite, quod incipit a voce* החליל *(Tract. Succa Cap. 85.)* מבלאי מכנסי כהנים ומהמיינהם מפקיעים פתילות [3], quod nec negare audet magnus ille *Josephus Karo* his usus verbis: ואני אומר אמת הדבר כי בירושלמי פירשו מה ששנינו במשנה הנזכרה בן בבי על הפקיע כמו שפירש הרב רבי אברהם ן׳ דוד: *Ego autem dico: verum omnino est, quod in Talmude Hierosolymitano illud, quod in dicta Mischna legimus:* בן בבי על הפקיע *explicent eo modo, quemadmodum explicavit magnus ille R. Abraham Ben David* [4]: sed tamen priori retenta istam rejiciendam esse sententiam putat R. *Abraham Harophe*, ita suam nobis ea de re exponens mentem : ובירושלמי פירשו פקיע שהיה ממונה על הפתילות מהמנורה ומשמחת בית השואבה· ואין להאמין שיעשו ממונה על דבר אחר בלבד קטן הערך כזה אם לא היה גם כן ממונה על דבר אחר יחדיו· ויותר נכון הוא להאמין שזה הממונה בבי היה ממונה על ההלקאה: *In [Talmude] Hierosolymitano explicant vocem* פקיע *(h. m.) quod fuerit præfectus ellychniorum candelabri, & lætitiæ domus haustionis. Verum credendum haud est, quod fecerint præfectum (peculiarem) super rem tantum unicam exigui adeo momenti, qualis hæc fuit, nisi simul præfectus etiam alii rei fuerit. Longe autem creditu est facilius, quod hic præfectus Babi fuerit præfectus plagis infligendis*, [5] quemadmodum & dictus modo *Josephus Karo*, cur eam quoque negligendam putaverit *Maimonides*, in subsequentibus statim enuntiat, dicens : אבל בגמרא דידן פרק שני דיומא אמר אביי מריש הוה אמינא היא דתנן בן בבי ממונה על הפקיע פתילתא וכו׳ כיון דשמענה להא דתניא ולא עוד אלא שלוקה מן הממונה בפקיע אמינא מאי פקיע נגרא ופרשי נגרא רצועת מלקות ורבינו תפס בגמרא דידן שדחה פרוש הירושלמי מכח הברייתא : *Verum in alia Gemara Cap. 2. Tractatus Joma dicit Abaji, prius credidi ego, quando dicitur: Filius Babi præfectus erat super* פקיע *[quod idem significaret ac]* פתילתא *[ellychnium] &c. quando vero audivimus illud quod docetur : neque hoc tantum, sed percutiebatur etiam a præfecto cum* פקיע*, dicebam ego, quid significat vox* פקיע*? (ubi tunc deprehendi quod significet)* נגרא. *Raschi autem explicat vocem* נגרא *per lorum, quo quis cæditur. Et Rabbi noster [Maimonides] secutus fuit istam Gemaram, quæ rejicit explicationem (Talmudis) Hierosolymitani propter Bareitham* [6]. Quicquid vero hujus tandem rei sit, sive idem fuerit cum Præfecto montis præfectus ille lori, sive ab eo diversus, nobis hoc loco sufficit, unanimi omnes consensu in eam abire sententiam, nec lustratas ab eo sacerdotum excubias, nec tantæ dignitatis homines verberibus ab eo fuisse exceptos, sed suas transigere noctes nullo obstrepentium circitorum metu potuisse. Antequam tamen vel ipsa illucesceret aurora, statim aderat præfectus Templi, & malleolo foribus infixo domum pulsabat incendii, in qua erant sacerdotes. Qui postquam aperuissent ipsi ostium, cum reliquis sacerdotibus ipsum comitantibus pergebat ad atrium, probeque circumspiciebat omnia, an suo quæque loco reposita essent vasa, docente hoc iterum literatissimo Hebræorum *Maimonide* his verbis : בשחר קודם שיעלה עמוד השחר סמוך לו יבוא

[1] in Commentario suo ad מסכת מדות Cap. 1. Mischn. 2. [2] in Notis suis ad Maimonidis הלכות כלי המקדש Cap. 7. §. 1. [3] in Commentario suo ad מסכת שקלים Cap. 5. Mischn. 1. [4] in כסף משנה ad Maimonidis הלכות כלי המקדש Cap. 7. §. 1. [5] שלטי הגבורים Cap. 36. fol. לב. col. 3. med. [6] in כסף משנה ad Maimonidis הלכות כלי המקדש Cap. 7. §. 1.

יבוא הממונה של מקדש וידפוק על הכהנים שבבית המוקד והן פותחין לו · נטל את המפתח ופתח את השער הקטן שבין בית המוקד ובין העזרה ונכנס מבית המוקד לעזרה ונכנסו אחריו הכהנים · ושתי אבוקות של אור בידם ונחלקו לשתי כתות · כת הולכת למזרח · וכת הולכת למערב והיו בודקין והולכין את כל העזרה עד שיגיעו שתי הכתות למקום בית עושי חביתין · הגיעו אלו ואלו אומרין שלום הכל שלום והעמידו עושי חביתין לעשות חביתין: *Mane, antequam aſcenderet aurora, circa ortum fere ejus, veniebat præfectus templi, & pulſabat fores ſacerdotum, qui in domo erant incendii, & illi aperiebant ipſi. Tum ſumens clavem, aperiebat portam illam parvam, quæ domum incendii inter & atrium erat, & ex domo incendii ingrediebatur atrium, eumque ſacerdotes inſequebantur: & duæ faces ardentes in eorum erant manibus, inque duas dividebantur catervas, quarum una pergebat verſus ortum, altera verſus occaſum, & explorabant & circuibant totum atrium, donec pervenirent ambæ catervæ ad locum domus facientium panes ſartaginiceos: cum vero ambæ [eo] perveniſſent, dicebant: omnia recte ſeſe habent, & ceſſabant illi, qui conficiebant panes ſartaginiceos, ab opere iſto panes illos conficiendi.* [1]

§. XVIII.

Ingens in templo exorta lis.

Atque hoc quidem peracto opere, ipſo ſtatim divino cultu ſua capiente primordia, ſuiſque excubitoribus ſolutis cuſtodiis, noſtra hæc de cuſtodia Templi tandem finienda etiam eſſet narratio, niſi memorabilis adhuc ob duriſſimam Levitarum vapulantium ſortem exortæ litis mentionem feciſſet *Rabbi Abraham Harophe*, quam hic deſiderari nolim. Ad Clamorem nimirum iſtiuſmodi Levitæ a Præfecto excubiarum vulnerati, tantos aliquando Levitas inter & Sacerdotes, Viroſque ſtationarios excitatos fuiſſe motus commemorat, ut tota urbs fremitu perſtrepuerit, & ſumma mixta fuerint imis. Et viros quidem dixiſſe ſtationarios: הלא משנה שכר שכיר מדי יום ביומו תקבלו אתם הלוים מכל שבטי ישראל לשמור משמרת המקדש ולעמוד לפנו העדה לשרתם ולמה לא תקיימו את מצות ה׳ אשר צוה אתכם הלא אתם מוכים בלי הטאת עמנו כי קמתם תחת אבותיכם הצדיקים תרבות אנשום חטאים · ולמה לא תשמרו לעשות דבר ה׳ ואת דבריכם אשר מלאתם לאמר ושמענו ועשינו: *Nonne duplicem mercedem mercenarii quotidie aacipitis, o Levitæ, ab omnibus tribubus Iſrael, ad cuſtodiendum cuſtodiam templi, & ut ſtetis coram multitudine, ad miniſtrandum eis, quare ergo non ſervatis præceptum Domini, quod injunxit vobis? nonne vos plagis [juſte] afficimini, ita ut nos non peccemus, eo quod exſtiteritis pro patribus veſtris juſtis multitudo hominum improborum? quare ergo non ſervatis verbum Domini, & quæ in vos recepiſtis, dicendo: & audiemus, & faciemus?* Ad hæc ſtatim excepiſſe Levitas: מי שם אתכם אנשי מעמד שופטים ושוטרים עלינו ? הלא גם אנו אחים לבני יעקב אנחנו הלא אב אחד לכלנו הלא אל אחד בראנו ומי מכרנו לישראל ולכם לעבדים · אם אנחנו בני חוריץ ככם ? הלא עשקתם ורצותם אותנו · כאשר באנו אל ארץ אחוזתנו אשר נתן אלהים לנו · ונרשתם כל בני לוי מהסתפח בנחלת ה׳ · תנו לנו אחוזת הארץ בתוך אחי אבינו הבאה אלינו מן הדין למורשה כי נהיה גם אנחנו כמוכם שרים בבתינו ולא נעשה עמכם דבר כעבדים המומתים תחת השבט שלא על מנת לקבל פרס ממלאכתנו: *Quis conſtituit vos, o Viri ſtationarii, judices & exactores ſuper nos? nonne & nos fratres ſumus, filiis Jacobi annumerandi? nonne unus nobis omnibus pater eſt, nonne idem, qui nos creavit, Deus? & quiſnam vendidit nos Iſraeli, vobiſque ſervos, cum ſimus filii liberorum (hominum) ſicut vos? nonne defraudaſtis & oppreſſiſtis nos, poſtquam ingreſſi ſumus terram poſſeſſionis noſtræ, quam dedit nobis Deus, & deturbaſtis omnes filios Levi de poſſeſſione patrimonii Jehovæ: date nobis poſſeſſionem terræ, in medio fratrum patrum noſtrorum, ad nos jure pertinentem, in hæreditatem, ſiquidem & nos erimus ſicut vos, principes in ædibus noſtris, nec faciemus vobis opera quaſi ſervorum, qui ſub baculo enecantur, niſi accipiamus præmium operum noſtrorum.* His ſeſe aſſociarunt ſacerdotes, eodem modo adverſus Iſraelem & Judam murmurantes, dicendo; הן גוענו אבדנו כלנו אבדנו · ומחנו בכל עת ובכל שעה ברפיון מעים ובתחלואים רבים מרב עבודה · ולמה ירדו בני ישראל בפרך בלוים אחינו במקל ורצועה אם יחטאו בשגגה · והכום עד בלי די כאלו היו סוס ופרד · ולא יחוסו עליהם ועלינו כי נאנחים אנחנו ? תעלת נא שועתנו אל האלהים וישמענת כי חנון ורחום הוא: *Ecce interimus, perimus, perimus univerſi, & ſingulis fere momentis ſubimus mortem ob languorem viſcerum, & plurimos a nimio labore provenientes morbos: quare ergo deſcendunt filii Iſrael in ſævitia adverſus fratres noſtros Levitas cum baculo & loro ſi quando per errorem peccaverint, & plagis afficiunt ipſos ſupra modum, non ſecus ac ſi equi eſſent aut muli, nec parcunt ipſis nobiſque, quandoquidem iageminiſcimus ea de re? aſcendat nunc clamor noſter ad dominum*

[1] הלכות בית הבחירה Cap. 8. §. 11. Conf. & מסכת תמיד Cap. 1. Miſchn. 2. ſeq.

minum, qui exaudiat nos, ſiquidem benignus ille eſt, atque miſericors. Quibus ſic inter ſe diſceptantibus, pervaſit tandem clamor ad ædem Gazith, locum quem componendis litibus Deus deſtinaverat, ubi tum ſuo deſcendens ſolio præſes ſynedrii, tumultuanti ſeſe turbæ dat obviam, moxque, imperato omnibus ſilentio, ſuum iterum conſcendit ſolium, inque omnium aſseſsorum conſpectu ibidem conſidentium, accedere Sacerdotes & Levitas, Viroſque ſtationarios, ſuamque ſingulos conteſtari litem jubet, cognitaque tandem uniuſcujuſque cauſa, ad craſtinam uſque lucem dimittit a ſe univerſos. Interea totam noctem variis ſententiarum divortiis ſynedrium traduxiſse inſomnem memorat R. *Abraham Harophe*, donec firmato inter ſe conſenſu Sacerdotes iterum & Levitæ, & Viri ſtationarii ad unum omnes ſe iis ſiſterent, ubi tum omnibus ſynhedrii aſseſsoribus Sacerdotem & Præſidem ἐφημερίας placido admodum atque benigno, Levitam vero minaci & iracundo vultu intuentibus, tandem in hæc erupit verba ſynhedrii præſes: אתה הלוי התיצב מנגד ברחוק ארבע אמות ממנו כי מנורה אתה על אשר דברת אמש סרה על ה' אלהיך ועל אשר פרקת עול מלאכת שמים מעל צואריך וגו והנה בתובה לפני בעט ברזל חטאתך ולא אחשה מלדבר עליך רעה · ומדותי פעולתך ראשונה אל חיקך עד אשר תשוב ושמעת בקול ה' אלהיך: *Recede ſtatim a nobis, o Levita, per quatuor cubitos: es enim ſub anathemate, eo quod heri locutus es ſeditioſa contra Dominum Deum tuum, & ſubtraxiſti collum jugo operis divini &c. & ecce notatum mihi eſt tuum peccatum ſtylo ferreo, & non deſinam loqui adverſus te mala, & remetiar tibi priſtinum opus in ſinum tuum, donec in viam redeas, & audias vocem Domini Dei tui.* Ad quæ Præſidis ſynedrii verba alta voce clamans Levita, in terram ſe abjecit pronus, calceoſque detraxit pedibus, & veſtimenta laceravit, cumque ſe collegiſſet paululum, animumque reſumſiſſet, admiſſi veniam ſupplex fuit precatus. Hinc cum videret univerſus ille ſanctorum hominum cœtus, quod ſerio reverteretur ad Dominum, anathematis illum vinculo liberarunt, ſicque tota hæc, tanta animorum contentione agitata controverſia, quæ facile in maximas erumpere potuiſſet turbas atque tumultus, Hieroſolymitani autoritate ſynhedrii, datis adhuc Sacerdotibus etiam, Viriſque ſtationariis quibuſdam a Præſide monitis, in tempore tandem fuit ſopita. [1]

§. XIX.

Jam, uti *ſingula* veteris pacti *ſacrificia, imo ſingulæ pene ſyllabæ & veſtes, Aaron & totus Leviticus ordo cœleſtia ſpiraverunt ſacramenta*, ut recte *Hieroymus* [2] autoritate ſubnixus divi *Pauli* [3] docet: ita nec Cuſtodia Templi, tot ſanctionibus, tanto ſtudio ordinata, ſua caruit ratione myſtica, ſacerrimæque rei umbra fuit. Et exſtitiſſe inter ipſos Judæos, terræ licet: terreniſque & externis cogitationibus affixos, qui ſic oracula Dei & cerimonias ſacras, minutiſſimaſque perſonarum & rituum, locorum & temporum explicarent rationes, & *Philo* [4] eſt teſtis, & omnis loquitur hiſtoria: niſi quod ſuæ imaginatione ſæpenumero magis, quam divinæ menti fuerint obſecuti. Totum certe Tabernaculum, omniaque ejus vaſa typum continuiſſe & ſimilitudinem aliarum rerum, ſatis pro ſui acumine ingenii agnovit *Don Iſaac Abarbenel*, cujus ſequentia verba legas: רחוק הוא שנאמין שלא היה בזה משל ורמז כלל לדבר אחר לפי שהיות על הארון שני כרובים בצורת ילדים קטנים זכר ונקבה והיות להם כנפים וגו' והיות בהיכל מנורת זהב כולה ושבעה נרתיה עליה ובמנורה שלשה ציורים מתחלפים גביעים כפתורים ופרחים וכן היות ב' גביעים משוקדים בכל קנ' כפתו' ופרח וכפתו' תחת שני הקנים ממנה מלבד מה שהיו במנורה עצמה היתכן שצוה יתברך על כל זה מבלי רמז והערה מה וכן השלחן ולחם הפנים אשר עליו ולבונה זכה וגו' אין ספק שהשכל מורה ומחייב שיש בזה הערה והוראה לדברים אחרים זולת פשוטי המאמרים האלה *Non poſſibile eſt, ut credamus, non fuiſſe in his ſimilitudinem aut reſpectum ad aliud quid, cum ſuper arcam fuerint duo Cherubim, imaginem referentes parvulorum puerorum, & quidem maſculus & fœmina, habentes alas &c. cumque in templo fuerit candelabrum, totum aureum, & ſeptem lampadibus inſtructum, & in candelabro fuerint tres ab invicem diverſæ figuræ, ſcyphi, malogranata, & flores, cum item tres ſcyphi fuerint amygdalati, & in unoquoque calamo malogranatum & flos, nec non malogranatum ſub duobus calamis præter ea, quæ fuerunt in ipſo ſtipite, num poſſibile eſt, præcepiſſe hæc omnia Deum ſine reſpectu ullo? Sic etiam quod menſam attinet, & panes propoſitionis in illa, & thus illud purum, &c. nullum eſt dubium, quin ratio deceat atque evincat, eſſe in iis reſpectum ad alia, præter id, quod litera ſonat* [5],

Et

[1] Vid. שלשי הגבורים Cap. 18. & 19. tot. quæ unde hauſerit Autor, adhuc nobis iuveſtigare haud licuit. [2] ad Pauliuum Epiſt. 103. Tom. II. p. 673. edit. Pariſ. 643. [3] Hebr. X. 1. Coll. 16. ſ. [4] libro de Therapeutis. [4] in פירוש על התורה edit. Ven. fol. קכ. col. 4.

Et quam elegans quæso est atque insignis comparatio, quam inter alios celebris ille *Isaacus*, filius *Arama* Tabernaculum inter & Mundum instituit [1]: quod & in Templo observat Hierosolymitano Germaniæ nostræ decus & ornamentum *Joh. Alb. Fabricius*, his usus verbis: *Equidem uti sanctum tabernaculum, ita templum quoque referebat imaginem universi, unde* ἐκμαγεῖον παντὸς κόσμου *appellatur ab autore Chronici Paschalis pag. 77. In hoc per adytum sive sanctum sanctorum, in quo manna gratiæ, atque lex & Aronis virga, providentiæ divinæ symbola erant, & Deus super Cherubim apparebat, designabatur cœlum* νοητὸν, *in quod ingressus est Jesus. Hebr. IX. 12. 24. VI. 19. 20. Sanctum sive media pars erat, cœlum visibile &* ἅγιον κοσμικὸν *ut vocatur ab Apostolo Hebr. IX. 2. atrium denique quod animalibus pariter & hominibus sacris profanis patens erat sub dio, denotabat orbem terrarum. Mensa cum duodecim panibus, totidem signa zodiaci, quæ mensa quoque Aegyptiaca Aegyptiorum videntur significari. Mensa autem terram innuit, quæ duodecim signis ambitur. Vide si placet P. Fabrum III. semestrium p. 408. Candelabrum cum septem lampadibus referebat septem Planetas: quatuor elementa* [2]. Sic, monente eodem, quem modo laudavimus *Joh. Alb. Fabricio, autor libri Sapientiæ Cap. 18. v. 24. etiam in ornatu Pontificis maximi fuisse affirmat* ὅλον τὸν κόσμον; *quod disertius explicans Philo lib. de somniis p. 463. testatur eum jussum* χιτῶνα ἐνδύεσθαι τοῦ παντὸς ἀντιμίμημα ὄντα οὐρανοῦ· ἵνα συνιερουργῇ καὶ κόσμος ἀνθρώπῳ καὶ τῷ παντὶ ἄνθρωπος *Lib. de profugis p. 364.* ἐνδύεται δ' ὁ μὲν πρεσβύτατος τοῦ ὄντος λόγος ὡς ἐσθῆτα τὸν κόσμον, γῆν καὶ ὕδωρ καὶ ἀέρα καὶ πῦρ καὶ τὰ ἐκ τούτων ἐπαμπίσχεται. *Etiam Josephus III. Antiq. Jud. 9. p. 86. de vestitu Pontificis maximi loquens, singula ejus* εἰς ἀπομίμησιν καὶ διατύπωσιν τῶν ὅλων *facta esse observat* [3] quod ipsum etiam scholasticæ magister historiæ dictus *Petrus Comestor* vidit, sequentem in modum scribens: *His vestibus ornatus Pontifex imaginem totius orbis super se præferebat. Feminalia enim & linea stricta, quæ byssina erant, terram figurabant: balthei vero, quotquot erant, circumvolutionem oceani: tunica hyacinthina, aera ipso colore præferebat: per tintinnabula sonitus tonitruum, per malogranata coruscationes significabantur. Ephod vero sui varietate cœlum siderum: quod aureis coloribus intertextum erat, significat, quod calor vitalis penetrat universa. Duo sardonices solem & lunam, vel duo hemisphæria: duodecim gemmæ pectoralis, duodecim signa in zodiaco. Pulchre quod in medio erat, rationale appellabatur. Ratione enim cuncta sunt plena, & terrena adhærent. Imo ratio terrenorum & temperamentum caloris & frigoris, & duplex inter utraque temperies, de cœli cursu & ratione descendit. Cidaris cœlum empyreum, lamina supposita Deum omnibus præsidentem.* [4] Peculiaris vero est respectus, quem totus cultus Leviticus ad novi tempora fœderis regnumque Messiæ habet, ut si res veteris pacti exacte calleas, præclaram rerum novi pacti imaginem sis habiturus. Recte enim Paulus: Σκιὰν ἔχων ὁ νόμος τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, οὐκ αὐτὴν τὴν εἰκόνα τῶν πραγμάτων *Lex umbram habuit futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* [5] Item alio in loco: Μὴ οὖν τις ὑμᾶς κρινέτω ἐν βρώσει, ἢ ἐν πόσει, ἢ ἐν μέρει ἑορτῆς, ἢ νουμηνίας, ἢ σαββάτων, ἅ ἐστι σκιὰ τῶν μελλόντων τὸ δὲ σῶμα τοῦ χριστοῦ. *Ne igitur vos quis judicato in cibo, aut potu, aut in parte festi, aut novilunii, aut sabbatorum; quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.* [6] Ipsa sæpe rerum veteris testamenti historia instar prophetiæ est rerum novi testamenti: ceu patet ex Num. 21. 9. collat. cum Joh. 3. 14. & Jon. 2. 1. seqq. collat. cum Matth. 12. 39. c. 16. 4. Luc. 11. 30. ubi Christus, quæ de *Serpente æneo in deserto*, quæque de *Jona tribus diebus & tribus noctibus in ventre balænæ existente* narrantur, sui typos fuisse testatur. Similia ipsi præstantissimi iterum agnoverunt Judæorum magistri, fidem inter alios faciente *Autore* elegantissimi libri *Tanchuma* dicti, quando omnia, quæ Israeli in deserto contigerunt miracula, typum fuisse docet illarum rerum, quæ ipsis eventura essent in Zione, his verbis:

יתברך שמו של מלך מלכי המלכים הקב״ה יתברך ויתעלה וכרו שכל הנסים שעשה לישראל במדבר כך עתיד לעשות להם בציון׃ במדבר כתיב אלה הדברים׃ ובציון כתיב אשים מחשך לפניהם לאור ומעקשים למשור אלה הדברום עשיתים ולא עזבתים: במדבר כתיב וכל העם רואים את הקולות׃ ובציון כתיב קול ששון וקול שמחה׃ במדבר ארץ רעשה אף שמים נטפו׃ ובציון אני מרעיש את השמים ואת הארץ: במדבר ויי׳ הולך לפניהם יומם׃ ובציון כי הולך לפניהם יי׳ ומאסיפכם וגו׳ במדבר כי ישיב יי׳ לשוש עליך׃ ובציון וגלתי בירושלם וששתי בעמי.

Adhibet hoc loco (voces אלה הדברים) *Deus benedictus, rex ille regum, benedictus ille atque excelsus, quod omnia miracula, quæ fecerat Israelitis in deserto,* eodem

[1] In עקידת יצחק f. קלח col. 2. seqq. edit. Bomberg. [2] Bibl. Græc. Libr. IV. Cap. XIV. p. 456.
[3] Ibid. [4] In Historia libri Exodi Capitulo 66. edit. quæ literis excusa Longobardicis prodiit Argent. 1500.
[5] Hebr. X. 1. [6] 1. Cor. X. 6. 11.

eodem modo facturus ipſis eſſet in Zione. De temporibus deſerti ſcriptum legimus [*Deut.* I. 1.] *Hæc ſunt verba : & de Zione ſcriptum eſt* (*Eſ.* 42. 16.) *Ponam tenebras coram iis in lucem , & contorta in rectitudinem : hæc verba* (*ſunt*) *quæ faciam , & non omittam ea . De deſerto ſcriptum eſt* (*Exod.* 20. 15.) *& omnis populus videns voces : & de Zione dicitur* (*Jer.* 7. 34.) (*Ceſſare faciam*) *vocem gaudii & lætitiæ . De deſerto ſcriptum eſt Jud.* 5. 4.] : *terra contremuit , etiam cœli ſtillarunt : de Zione* (*Hagg.* 2. 6.) *Ego commovens* (*ero*) *cœlos & terram . De deſerto* [*ſcriptum eſt Exod.* 13. 21.] *Jehova ibat coram iis interdiu , & de Zione* [*Eſ.* 52. 12.] : *ibat coram vobis Jehova , & colligens vos &c. De deſerto* [*ſcriptum eſt Deut.* 30. 9.] *revertetur Jehova ad gaudendum ſuper te , & de Zione* [*Eſ.* 65. 19.] *& exultabo ſuper Hieroſolyma , & lætabor ſuper populo meo .* [1] Etſi vero quæ ſic commentantur Rabbini, non per omnia approbamus, illa tamen luculento ſunt documento, non adeo aſpernandam eſſe & exoſo ſtatim ῥαββινομανίας nomine traducendam induſtriam, quæ Rabbinicæ literaturæ, evolvendiſque veterum pariter atque recentiorum Judæorum ſcriptis impenditur, quemadmodum fieri hoc paſſim ab imperitis harum rerumcenſoribus videmus. Sed de his alias agemus curatius : nunc quod propoſitum nobis eſt maxime, ea, qua decet, cura perſequemur.

§. XX.

Novimus, præcipuum in novo teſtamento templum memorari Chriſtum [2] in quo habitabat plenitudo deitatis [3] : cui cum, tanquam lapidi angulari ſuperſtructi ſint omnium temporum pii : & hi una cum ipſo coaleſcunt in templum & domum Dei, quæ adeo eſt eccleſia Dei, monente iterum *Paulo* [4] in evolvendis vetuſti fœderis figuris præſtantiſſimo. Hinc & profanas Corinthiorum libidines graviter reprehendens, dicit : ὠκ οἴδατε ὅτι ναὸς Θεῶ ἐςὲ, καὶ τὸ πνεῦμα τῶ Θεῶ οἰκεῖ ἐν ὑμῖν ; *Nonne ſcitis , quod templum Dei ſitis , & ſpiritus Dei habitet in vobis?* [5] quod idem bis deinceps [6] repetit, deducitque ex formula illa gratiæ, per Moſen conſignata : ונתתי משכני בתוככם והתהלכתי בתוככם והייתי לכם לאלהים ואתם תהיו לי לעם : *Dabo habitaculum meum in medio veſtri , & ambulabo in medio veſtri , eroque vobis in Deum : vos autem eritis mihi in populo* [7]. Huic vero templo Deus cuſtodes præpoſuit publicos doctores, excubantes quippe pro animabus hominum, tanquam rationem reddituri, ut denuo ad rem accommodate loquitur [8] *Paulus* , unde & exſerta voce שומרים vocantur [9]. Neque tamen hos ſolos huic præeſſe cuſtodiæ voluit, ſed , quotquot in regno Chriſti ſunt pii, tot & templa eſſe Spiritus ſancti, & templorum cuſtodes cupit. Omnes divus *Petrus*, nullo habito diſcrimine , fieri jubet & domum ſpiritualem , & ſacerdotium ſanctum, ita fatus : Καὶ αὐτοὶ ὡς λίθοι ζῶντες οἰκοδομεῖσθε , οἶκος πνευματικὸς , ἱεράτευμα ἅγιον. *Etiam ipſi tanquam lapides viventes ædificamini in domum ſpiritualem , ſacerdotium ſanctum* [10]. O quam amplus hic nobis & peramœnus ſe aperit dicendi campus, de regali fidelium ſacerdotio, in quem ex noſtratibus pridem excurrit *Joh. Bened. Carpzovius* [11] *D. Abrah. Calovius* [12] *Joh. Guil. Bajerus* [13] & *Hallenſis autor obſervationis* [14] de qua nimium certe & ordini miniſtrorum eccleſiæ, & ſalutaribus, quæ inter nos vigent inſtitutis, inimica , plurima admonenda forent. Sed jam iſtos intra limites continere nos cogimur, quibus nos ritus adhuc explicatus circumſcribit. Et certe nulla res in cuſtodia templi adumbrata eſt magis clariuſque propoſita in imagine atque diſtinctius, quam ſui ipſius ſacra cura. Non hic ulla ab hoc munere ætas , ulla excluſa eſt dignitas : omnes, ſive juvenes ſint, ſive ſenes, ſive domini, ſive ſervi, omnes, inquam, his debent partibus defungi : ſunt enim & hactenus omnes unus in Chriſto Jeſu. [15] Suæ ſingulis ſtationes, ſui aſſignati ſunt loci, uti in templo ſui ſacerdotibus, ſui Levitis, quos tueri quiſque debet, ſi ſuam tueri ſalutem cupit. Audiamus *Salomonem* : שומר נפשו inquit ille, נוצר דרכו *Cuſtodiens animam ſuam* (*eſt*) *obſervans viam ſuam.* [16] Sic שמר פיו ולשונו שמר מצרות נפשו : *Cuſtodiens os ſuum , & linguam ſuam , cuſtodit ex anguſtiis animam ſuam* [17] item צנים פחים בדרך עקש שומר נפשו ירחק מהם : *Spinæ* [*&*] *laquei ſunt in via perverſi : ideo cuſtodiens animam ſuam procul aberit ab illis .* [18] En, quam conjunctæ invicem ſint cuſtodia viæ ſuæ & vitæ. Non eſt quidem, fateor, quod diffidentes ſint pii, aut metuant hoſtem, furem aut latro-

[1] מדרש תנחומא ad Deut. I. v. 1. p. m. 77. edit. Francof. 1701. [2] Hebr. IX. 11. Joh. II. 19. ſſ. [3] Col. II. 9. [4] Epheſ. II. 20. ſſ. IV. 15. ſ. [5] 1. Cor. III. 16. [6] 1. Cor. IV. 19. 2. Cor. VI. 16. [7] Lev. XXVI. 12. [8] Hebr. XIII. 17. [9] Eſ. LXII. 6. [10] 1. Petr. II. 5. [11] Diſſ. de regali fidelium ſacerdotio. Lipſ. habita 1695. [12] De Regali Sacerdotio. [13] Sacerdotio Chriſtianorum regio. [14] Obſ. Germ. Tom. I. obſ. 12. daß ein jeder Menſch ſe in eigner Selſorger ſeyn könne. [15] Gal. III. 28. [16] Prov. XVI. ,17 [17] Prov. XXI. 23. [18] Prov. XXII. 5.

nem animabus suis inhiantem ; cum certi esse queant, neminem se e manu Christi Patrisque erepturum [1] sed tamen omnes corporis angulos, ut cum *Augustino* [2] loquar, diligenter observant in honorem Dei, idque agunt unice, ut lux sua usque coram hominibus splendeat, nec unquam exstinguatur, quo illi bona ipsorum opera cernant, celebrentque Patrem illum suum, qui est in coelis [3] quod scilicet tam obsequentes filios, tam vigilantes habeat templi sui custodes. Hebræi noctu excubabant per integros manipulos ; nec exprimi verbis potest, quam alacres prisci fuerint Christiani in suis vigiliis obeundis, cœtibusque antelucanis, & stationibus, edcente *Basilio M.* [4] & ex ipsis gentibus *Plinio* [5] de quo videri argumento e recentioribus etiam *Polydorus Virgilius* [6] *Joh. Bapt. Casalius* [7] *Gabriel Albaspinæus* [8] *Matthias Zimmermannus* [9] *Klepperbeinius* quidam [10] & ingens quondam Academiæ nostræ decus *Christianus Kortholtus* [11] ex instituto possunt. Et decet certe Christianos semper exsurgere certatim, tantoque in fide ac pietate esse vigilantiores, quo minus de adventu supremi custodum præfecti nobis constat. Ipse alta exclamat voce γρηγορεῖτε ὐκ ὅτι οἴδατε τὴν ἡμέραν, οὐδὲ τὴν ὥραν ἐν ᾗ ὁ υἱὸς τῦ ἀνθρώπυ ἔρχεται. *Vigilate, quia non novistis diem, neque horam, in qua filius hominis est venturus* [12] quod & *Petrus* confirmat, dicens : ἥξει δὲ ἡ ἡμέρα Κυρίυ, ὡς κλέπτης ἐν νυκτὶ. *Veniet dies domini sicut fur in nocte.* [13] Μακάριοι οἱ δῦλοι ἐκεῖνοι, ὓς ἐλθὼν ὁ κύριος εὑρήσει γρηγορῦντας. *Beati servi hi, quos veniens Dominus invenerit vigilantes* [14] cui & succinit carus ipsius discipulus *Johannes* in *Apocalypsi* : Μακάριος ὁ γρηγορῶν, καὶ τηρῶν τὰ ἱμάτια αὐτῦ, ἵνα μὴ γυμνὸς περιπατῆ καὶ βλέπωσι τὴν ἀσχημοσύνην αὐτῦ. *Beatus qui vigilat, & servat vestimenta sua, ut non nudus ambulet, videantque pudorem ejus* [15] : quo ipso alludi ad Præfectum custodum templi creditur multis, ut supra a nobis annotatum. Hæc vero, cum præcipua sit veri Christiani solicitudo : non possum non *Balthasarum Kopkium*, Pastorem Navensem in Marchia Brandenburgica mirari, qui, cum professa opera templum Salomonis contemplaretur mystice, custodiam ejus tam negligenter prætervolavit. Nam etsi brevem injicit custodum sacrorum mentionem, mox tamen eos cum janitoribus confundit, & quæ his competunt solis, illis quoque adscribit, eaque ratione sacram mystici templi custodiam fere intactam relinquit, vel certe non distincte, uti conveniebat, considerat. [16] Quod si fecisset, vel sola hæc mystica custodia, a Deo tam severe præcepta, admonere eum potuisset erroris, quem cum Fanaticis omnibus communem habet : utpote qua sane opus non foret homini Christiano, si tam perfectus in hac vita esset, ut ille crepat. Sed nolumus hic immorari refellendis illius hominis falsitatibus, quandoquidem ferias nobis fecere pridem *Daniel Hartnaccius* [17] *Josua Schvvartzius*, [18] & celeberrimus noster *Mayerus*, [19] quique totum hoc exhauserunt argumentum *Joh. Georg. Neumannus*. [20] *Joh Nicol. Quistorpius* [21] *Henricus Vvideburgius* [22] *& Christophorus Frid. Timæus* [23]. Vigilandum est certe Christiano, erectoque pedibus insistendum, ne dormientem deprehendat extrema dies, ipsumque summus vigilium præfectus baculo suo percutiat, ejusque adurat vestimenta. Percutiet profecto hostes suos Christus baculo iræ suæ, & aduret incurios omnes, cum cœlitus descenderit cum igne flammante, ultionem inflicturus iis, qui Deum ignorant, neque evangelio obediunt Domini nostri Jesu Christi : qui pœnam luent, interitum æternum a facie Domini & a gloria roboris ipsius. [24] Tum vero clamor exaudietur miserorum, foris inferno igne ustulatorum : O montes, cadite in nos, & colles, occultate nos a conspectu ejus, qui insidet solio, & ab ira agni. [25] Excubate igitur (verba sunt *Christi*) omni tempore, deprecantes, ut digni habeamini, qui effugiatis ista omnia, quæ futura sunt, & ante filium hominis consistatis. [26]

HA-

[1] Jo. X. 28. 29. [2] Locus ipse jam non succurrit. [3] Matth. V. 16. 1. Petr. II. 12. [4] Epist. 63. ad Clericos in Ecclesia Neo-Cæsariana. [5] Libr. X. Epist. 97. ad Trajanum Imperatorem scripta. [6] De Inventoribus rerum Lib. VI. Cap. IV. de Ritu Vigiliarum. p. m. 380. edit. Amst. 1671. [7] De ritu Observatæ Quadragesimæ Cap. LXII. [8] Observat. de Vet. Eccles. Ritibus Libr. I. Obs. XVI. de Stationibus Christianorum p. 69. edit. Helmst. 1672. [9] In Dissert. Fiunt, non nascuntur Christiani p. 109. ss. edit. Lips. 1662. [10] In Dissert. de Ritu Vigiliarum Sacro & profano Witt. habita 1685. [11] In Commentario ad Plinii & Trajani de Christianis Epistolas p. 105. [12] Matth. XXV. 13. [13] 2. Petr. III. 10. Conf. Thess. V. 2. Apoc. XVI. 15. [14] Luc. XII. 37. [15] Apocal. XVI. 15. [16] Dialogo de Templo Salomoneo Part. III. c. 6. p. 167. edit. Amst. 1698. [17] In Bibliothecario suo. [18] In Homilia quadam super inauguratione cœmiterii cujusdam novi Rensburgi habita. [19] In scripto : Quare Theologi non possint consentire cum D. Spenero. [20] In Disp. de Perfectismo regenitis attributo Witt. hab 1699. [21] De absoluta Renatorum Ἀναμαρτησίᾳ. [22] Disp. de Imperfecta Renatorum & Justificatorum in hac vita perfectione. Helmst. hab. 1695. [23] In Tract. Superbæ Pavonum Alæ Amputatæ hoc est picta & ficta perfectio. Helmst. 1692. [24] 2. Thess. I. 7. ss. [25] Luc. XXIII. 30. Apoc. VI. 16. [26] Luc. XXI. 36.



ARCUS TRIUMPHALIS TITI
uti nunc Romæ conspicitur



HADRIANI RELANDI DE SPOLIIS TEMPLI HIEROSOLYMITANI

In arcu Titiano Romæ conſpicuis

LIBER SINGULARIS.

CAPUT PRIMUM.

ARGUMENTUM.

Scriptionis occaſio & ratio inſtituti. Arcus Titi ſingulari Dei providentia præ aliis monumentis conſervatus. Imagines lychnuchi ex illo deſcriptæ hactenus minus accuratæ. Cura adhibita in adipiſcenda nova & vera lychnuchi aliorumque vaſorum ibi ſculptorum effigie. Suſpiciones quædam natæ ex primo conſpectu picturæ lychnuchi Roma tranſmiſſæ. Mittitur illa Romam denuo, ut cum archetypo conferatur.

Quinquenium effluxit, ex quo effigies lychnuchi ſacri ab Juſto Fontanino, Abbate, viro clariſſimo, ad me rediit, quam Roma ante ad me delatam iterum eo miſeram, ut cum archetypo denuo conferretur. Non ſine fructu illam publico exponendam eſſe jam id temporis cenſui (quod propoſitum alia negotia in hos uſque dies diſtulerunt) & de nonnullis monendum ſpectatorem quæ mihi in hac imagine digna anmadverſione videbantur. Fieri enim non poteſt, quin dubia quædam oriantur alicui de fide & cura qua hæc delineatio expreſſa eſt, deque forma quæ deſcriptione lychnuchi Moſaica & Talmudica in multis diverſa eſt: quibus aut tollendis aut minuendis librum ſingularem deſtinavi. Hic ergo nequaquam univerſa quæ de lychnuchi auctore, materia, pretio, pondere, & ſitu in Sancto dici merentur comprehendet, aut quæ de uſu nocturno, oleo, concinnatione lychnorum quotidiana, vaſculis & forcipibus, ſignificatione denique horum omnium arcana; ſed ea tantummodo quæ ad formam lychnuchi, & hujus quidem qui in arcu Titi ſpectatur, pertinere viſa ſunt, ut li-

queat quatenus forma in monumento Romano repræsentata conveniat cum illa quæ in sacris literis & scriptis Talmudicorum lychnucho tribuitur : quod, ubi ad partes singulas nos ordo deduxerit, sigillatim notabimus. Ad hæc postquam accessisset mensæ quoque & acerrarum thuris ac tubarum effigies ex eodem arcu Titiano descripta, de illis quatuor Templi Hierosolymitani spoliis, quæ sola insigne hoc monumentum exhibet, paucis tractare in animum induxi. Quo in argumento ita versatus sum, ut ea potissimum mihi curæ essent ad quæ ipse conspectus monumenti quasi manu ducit: quandoquidem res in eo repræsentatas, adeoque arcum triumphalem ipsum, præcipue ante oculos habere & illustrare animus fuit. Vasa hæc ipsa alibi descripsimus, & quotannis solemus in scholis privatis auditoribus nostris exponere plura quæ tum in Codice sacro tum in aliis libris vetustis Hebraice confectis de forma & usu harum rerum scripta sunt.

Ad curam meam diligentiamque quod attinet, quam in hac re adhibui, nisi ea cura amicorum potius meorum nuncupanda sit, diu est quod optaverim accuratam nancisci imaginem sacri hujus lychnuchi, quem non sine singulari Dei providentia, quum tot numero & tam præclara Romæ ornamenta vetustate atque injuria dejecta sint, conspicuum extare hactenus in arcu Titi Vespesiani noveram. Illæ, quasconsului in scriptis virorum eruditorum, aut qui arcus triumphales urbis Romæ & monumenta vetera in æs incidi curaverant, unde eas alii magno numero libris suis inseruerunt, tantum abest ut desiderio meo fecerint satis, ut haud mediocriter illud auxerint. Exiles enim nimis illæ, & sibi mutuo erant adversæ, sic ut omnibus iis inter se collatis multo factus fuerim incertior quam dudum. Quumque viros doctos cernerem in explicanda forma craterum, malorum aliorumque ornamentorum lychnuchi, provocare ad imaginem, quam arcus Titi exhibebat, atque inde ipsi Sacro Codici lux aliqua sperari posse videretur, nihil esse putavi posse dulcius iis qui aliquam cupiditatem habent notitiæ rerum sacrarum quam si veram effigiem lychnuchi ex arcu Romano descriptam in vulgus ederem. Hanc geminam eodem tempore accepi, uti eam Romæ fieri curaverant duo amici mei, quorum alter est vir, cujus nobile per orbem literatum nomen est & laus ut eruditionis ita humanitatis maxima, Justus Abbas Fontaninus, Clementi XI. Pontifici Romano, ab honore sacri cubiculi, alter eruditus Britannus, eo tempore Romæ vivens, cujus amicitiam Nobilissimo Johanni Chamberlainio, Equiti & membro Regiæ Societatis Britannicæ, debeo, Antonius Twymannus. Ille quidem ab architecto Pontificis, delineari lychnuchi sacri imaginem & mihi mitti curavit; hic, scalarum ope arcui admotarum, lychnucho ipsi, in arcu sculpto, pulverem detersit, ut minimas quasque partes accuratius detegeret, rem non postulatam sed suam visus agere, imaginem que pictam ad me transmisit, literas addens a. d. xx. Junii CIƆIƆCCX. Romæ datas, e quibus hæc excerpo, quæ ad Lychnuchum nostrum faciunt. *Yet y vvould not be fatisfyd till he gave me leare to compare it vvith the original, vvhich vvhen y did by means of ladder & cleannig the parts, vvich vvere coverd vvith dust, & found them so very different, that y thought it necessary to take this, vvhich y here send you, of vvhich y can assure you of its exactness; for y stood by the painter all the vvhile he vvas designing of it, & y look the dimensions of it my self.* Et mox. *Y have taken lare to send you a scale, of tvvo feet Englisch measure divided into four & tvventy inches. The breadth of the base & top of the candlestick is exactly tvvoo feet. The height, includnig the base, is tvvo feet & nine inches. The candlestick is divided into three equal parts containnig eight inches a piece. I have not been so nice in the dimensions of the lesser members, as in their nuber & order.*

Statim

EFFIGIES LYCHNUCHI UTI, NUNC CONSPICITUR IN ARCU TITIANO



Statim has literas Twymanni accepi, in æs incisa est lychnuchi imago, ita ut eam delineari præsens ipse, sicut supra significavimus, jussit. Potuissem illam, ut erat, mox in lucem edere; sed malui exemplum ejus chartæ impressum Romam mittere ad Cl. Fontaninum, ut antequam cum observationibus meis eam ederem, conferretur denuo cum imagine in ipso arcu Titi, & de quibusdam certior redderer an revera ita se in arcu haberent ac in imagine ad me transmissa depicta erant. Videbam ramos lychnuchi maximos, & extremos, primum nempe & septimum, non esse similes; quod vix credendum putabam, quum ratio operis id flagitare videretur, quod cuivis facile intellectu est, ut non plura aut aliter essent disposita mala, crateres, & alia ornamenta in primo ramo ac in septimo. Deprehendebam in rami septimi parte infima, qua stipiti lychnuchi propinqua est, duos orbes, craterem, malum, craterem inversum, & tum florem: verum in ramo primo duntaxat duos orbes & deinde florem. Ita sculptos conspici nihilo secius hos ramos in arcu Titi, & brachium hoc non esse alteri illi opposito simile, rescripsit mihi Fontaninus, sic ut quadratarii ipsius error hic videatur. Præterea notavit Fontaninus puncta, quæ in malis conspiciuntur & crateribus, globulos non esse sed cavitates; partem pedis superiorem paullo strictiorem esse oportere [quod mox fieri curavi a sculptore) & reliqua quidem in effigie lychnuchi bene se habere adscripsit. Ex quo facillime potest judicari, quanta cura lychnuchi imago expressa sit ex arcu Romano. Fontanini ipsius verba addo, quum ad me remitteret effigiem illam in æs incisam, quam ei miseram, excepta ex literis ad me datis Roma x. Kal. Jan. CIƆIƆCCXI. ut eo certior evadat quicunque hæc leget, non aliter in arcu Titi lychnuchum sculptum esse ac eum damus in tabella æri incisa & hic inserta: *Accipe ergo orthographiam candelabri, a te huc missam, & cum ipso archetypo, non binis sed multis oculis illud explorantibus, diligentissime collatam, ita ut nihil accuratius expressum haberi possit.*

CA-

CAPUT II.

Argumentum.

Disquiritur an lychnuchus in arcu Titi conspicuus idem sit ac lychnuchus sacer. Primo Josephi verba triumphum Titi describentia hanc in rem adducuntur. Deinde pretium & excellentia spoliorum Templi suadent non alium lychnuchum quam sacrum intelligere. Tum, quod lychnuchus talis qualis in arcu Titi conspicitur lychnucho Mosaico similis fuerit. Non licuit ea forma lychnuchos ad alios usus fabricare. Onias in templo suo lychnuchum talem non ausus conficere. In templo qui erant lychnuchi ab hac forma diversi. Quæritur quomodo lycnuchi duo ex parietibus templi eruti a Thebuti filio similes fuisse lychnucho sacro dici possint. Λυχνίαι & Λυχνία usurpatum a Josepho de lychnucho. Erant lychnuchi sacro similes, qui servabantur ut substitui possent lychnucho sacro polluto. Confirmatur nostra sententia a rei probabilitate, quod Titus hæc vasa sancti haud dubie triumpho destinaverit: quodque non nisi unus lychnuchus & una mensa in arcu sculpta sint. Denique quod lychnuchus in triumpho latus a Josepho dicatur publicum esse testimonium honoris quo gens Judaica numerum septenarium prosequitur; quodque si is lychnuchus a sancto diversus fuisset, id Josephus indicasset.

Non desunt viri docti, qui dubitent hunc lychnuchum quem arcus Titianus exhibet imaginem esse lychnuchi Sacri in Sancto collocati, aliumque esse quemdam suspicentur, qui in conclavi aliquo atriorum Templi repertus sit: sic ut autument frustra in hac imagine quicquam quæri ad indagandam formam Lychnuchi Sacri. Hæc si ita se habeant, supervacuus omnis est labor a nobis in hanc rem insumtus: nec aliquid hinc sperari potest ad illustrationem divinarum tabularum, sacrorumve Judaicorum. Demonstremus itaque accuratius hunc ipsum illum esse Lychnuchum, qui in Sancto Templi Hierosolymitani fuit. Testis est Josephus lib. VII. τῆς Ἰουδαικῆς πραγματείας (ita enim ipse hos libros nuncupat Antiq. XIII. 9. aut Ἰουδαικῶν, uti lib. XIII. 18.) id est de bello Judaico cap. 24. secundum distinctionem Latin. at 17. Græc. in triumpho Titi spolia in Templo Hierosolymitano inventa fuisse circumlata, & inter illa eminuisse mensam auream, lychnuchum aureum, & volumen Legis: de lychnucho autem speciatim notat, longe alterius formæ eum fuisse quam vulgares esse lychnuchi solerent. Διέπρεπε δὲ πάντων τὰ ἐγκαταληφθέντα τῷ ἐν Ἱεροσολύμοις ἱερῷ χρυσῆ τε τράπεζα τὴν ὁλκὴν πολυτάλαντος, καὶ λυχνία χρυσοῦ μὲν ὁμοίως πεποιημένη· τὸ δὲ ἔργον ἐξήλλακτο τῆς κατὰ τὴν ἡμετέραν χρῆσιν συνηθείας· ὁ μὲν γὰρ μέσος ἦν κίων ἐκ τῆς βάσεως πεπηγὼς, λεπτοὶ δ' ἀπ' αὐτοῦ μεμήκυντο καυλίσκοι, τριαίνης σχήματι παραπλησίαν τὴν θέσιν ἔχοντες λύχνον ἕκαστος αὐτῶν ἐπ' ἄκρων κεχαλκευμένος· ἑπτὰ δ' ἦσαν οὗτοι τῆς παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις ἑβδομάδος τὴν τιμὴν ἐμφανίζοντες· ὅ τε νόμος ὁ τῶν Ἰουδαίων ἐπὶ τούτοις ἐφέρετο τῶν λαφύρων τελευταῖος. *Eminebant inter alia, quæ in Templo Hierosolymitano deprehensa sunt, mensa videlicet aurea quæ pondere plura talenta æquabat, & lychnuchus ex auro similiter constructus, sed cujus opus diversum erat a nostri usus consuetudine. Medius stipes ex basi cui impactus erat surgebat & tenues ab eo rami producebantur, uti in fuscina, in quorum singulorum apice lychnus erat fabricatus. Septem autem erant, numeri septnarii honorem apud Judæos indicantes. Lex denique Judæorum ultimum spoliorum circumferebatur.* Non immorabor confutandis aliorum interpretum erroribus, qui hæc Josephi aliter reddiderunt. Nec multis demonstrabo, licet ex ἱερῷ petita dicit, tamen ex ναῷ proprie illa fuisse eruta, si quis ἱεροῦ & ναοῦ nomina velit distinguere, uti & Josephus facere solet: ipse enim Josephus lib. XI. antiq. cap. 7. ἐν τῷ ἱερῷ scribit occisum Jesum fratrem Pontificis, at mox ἐν τῷ ναῷ plus semel: unde clarum est Josephum aliquando ipsam ædem sacram sive Ναὸν complecti nomine τοῦ ἱεροῦ. Hoc observari velim, lychnuchum a Josepho describi & mensam quæ ἐν τῷ ἱερῷ inventa sunt; lychnuchum & mensam auream fuisse; lychnuchum forma diversum fuisse a reliquis lychnuchis quibus Judæi vulgo utebantur, quique cum ea forma convenit quam Deus Mosi præscripsit, in illis videlicet, quæ Josephus hic commemorat: porro inter reliqua spolia Judaica hæc eminuisse: at cur eminuissent? anne ob pretium? anne ob formam? atqui lychnuchos alios aureos, illi qui in Templo erat similes, Titus a Sacerdote transfuga Jesu filio Thebuti acceperat. Atqui & tubæ duæ sacræ in triumpho circumlatæ fuerunt, instrumenta sancta, quæ lychnuchis & mensis (nisi sacra illa vasa fuerint & sancti

ſancti ornamenta) quantumvis aureis erant ſanctiora. Verum & hoc forſitan nobis non dabunt, tubarum par in arcu Romano ſculptum imaginem eſſe tubarum ſacrarum. Mittamus ergo. Excellentia certe ſanctitati tribuenda eſt. Ideo hæc excellebant quod ſanctiſſima eſſent & in loco Sancto cultui Divino ſacrata, nihilque evidentius oſtenderet magnitudinem triumphi de Judæis, quam quod ſanctiſſima ſpolia ex penetrali Templi Hieroſolymitani interiore erepta Romæ conſpicerentur ab unoquoque quæ ſolis antea Sacerdotibus patebant. Ideo Imperator gloriabatur & ſe præcipue efferebat ob illa ſacra Judæorum ſpolia, teſte Joſepho σεμνυνόμενος ἐπ' αὐτοῖς. Et quis credat, quum & lychnuchum & menſam in Templo inventa narret Joſephus, alium lychnuchum aliamve menſam fuiſſe quam duo illa celebria Sancti Hieroſolymitani ornamenta? nec ſi alius ille fuiſſet lychnuchus, alia menſa, id ſilentio involuturus fuiſſet Joſephus, qui contrario ita de iis loquitur ac de ſanctiſſimis illis lychnucho & menſa loqui eum oportuit. Titus ipſe in Sanctum ingreſſus fuit & quæ ibi erant ſpectavit, quum jam flamma depopularetur exteriora, uti Joſephus narrat lib. VII. cap. 10. vel Græcis cap. 26. Καῖσαρ δὲ, ὡς οὔτε τὰς ὁρμὰς ἐνθυσιώντων τῶν στρατιωτῶν κατασχεῖν οἷός τε ἦν καὶ τὸ πῦρ ἐπεκράτει, παρελθὼν μετὰ τῶν ἡγεμόνων ἔνδον ἐθεάσατο τοῦ ναοῦ τὸ ἅγιον καὶ τὰ ἐν αὐτῷ, πολὺ μὲν τῆς παρὰ τοῖς ἀλλοφύλοις φήμης ἀμείνω· τοῦ δὲ κόμπου καὶ τῆς παρὰ τοῖς οἰκείοις δόξης οὐκ ἐλάττω. *Cæſar autem, quum cobibere impetum inſanientium militum non poſſet, & flamma invaleſceret, cum præfectis ingreſſus intro Sanctum Templi conſpexit & quæ in eo erant, longe præſtantiora fama, qua apud extrarios erant, gloria autem & opinione qua erant apud Judæos non minora.* Quæ ſunt ea quæ in Sancto vidit adeo clara & celebrata? Certe illa quæ alibi lib. v. c. 14. de bell. Judaico nuncupat θαυμασιώτατα καὶ περιβόητα πᾶσιν ἀνθρώποις ἔργα, λυχνία, τράπεζα καὶ θυμιατήριον. Ita ipſum Templum erat περιβόητον, qua voce utitur in fine lib. I. c. Apionem, quam Plinius reddit *nobile*: & lib. xx. 2. Antiq. τὸ πᾶσιν ἀνθρώποις περιβόητον ἱερὸν τοῦ Θεοῦ. Hæc erant tria Sancti ornamenta. Hæc vidit Cæſar; quamvis de altari aureo dubitari poſſit quod in triumpho Titi non legatur fuiſſe, & forſitan ante Titi ingreſſum jam loco ſuo motum: qua de cauſa & a quibus incertum eſt. Sane inter Judæos non deſunt, qui putent lychnuchum & menſam loco ſuo removeri nunquam licuiſſe, quia Deus dixerat illa eſſe debere לפניו תמיד *coram facie ſua ſemper* Exod. 25. 30. quod de altari aureo non legitur. Vide Codicem Chagiga c. III. 5. Forſitan itaque altare hoc a ſacrilegis illis loco motum eſt, qui, teſte Joſepho, lib. VI. de bell. c. 16. πολλὰ πρὸς τὰς λειτουργίας ἀναγκαῖα σκεύη, κρατῆρας τε καὶ πίνακας καὶ τραπέζας, res ſacras plurimas, menſas, crateres aliaque ad cultum divinum neceſſaria in uſus privatos obſeſſo Templo converterunt, forſitan ab aliis. Sed non eſt hic niſi incertis conjecturis locus. Id mihi certum videtur, Titum, ſi potuit (milites enim tunc dicto audientes vix habuit, quum eo invito Templum exuſtum fuerit ἄκοντος Καίσαρος lib. VII. c. 10. de bell.) curaſſe ex Sancto vaſa hæc præſtantiſſima efferri, aut poſtea inter Templi rudera hæc inventa ad Titum delata fuiſſe: quod ſi etiam altari aureo potitus fuiſſet Imperator, abſque ullo dubio id quoque in triumpho circumferri juſſiſſet. Quod quum non fecerit, exiſtimem hoc altare ad manus Romanorum non perveniſſe.

Liquet porro hunc eſſe lychnuchum qui in Sancto Templi fuit ex eo quod forma ejus, in præcipuis certe partibus, conveniat cum forma lychnuchi Sacri a Moſe deſcripta. Nec licebat Judæis lychnuchum iſtiuſmodi conficere, etiamſi uſibus ſacris deſtinatum, veluti lychnuchum Sabbathicum aut feſti Encoeniorum cauſa. Sanciverunt Patres Talmudici in Gemara Roſh haſſchana fol. 25. & Gemara Avoda Zara fol. 43. 1. לא יעשה אדם בית תבנית היכל אכסדרא תבנית אולם חצר תבנית עזרה שולחן תבנית שולחן מנורה תבנית מנורה אבל הוא עושה של ה׳ ושל ו׳ ושל ח׳ ושל ז׳ לא יעשה אפילו של שאר מיני מתכות ר׳ יוסי בר יהודה אומר אף של עץ לא יעשה כדרך שעשו בית חשמונאי. *Ne extruat quiſquam domum ad ſimilitudinem ædis Sacræ, aut exedram inſtar pronai, aut aream inſtar atrii Sacri, aut menſam inſtar menſæ, aut lychnuchum inſtar lychnuchi ſacri: ſed licebit lychnuchum facere quinque, ſex, vel octo ramorum, nequaquam vero ramorum ſeptem, etiamſi non ex auro ſed ex aliis metallis conſtet. R. Joſe fil. Jehudæ ſententia eſt, etiamſi ex ligno lychnuchum faciat, non licere, quod talem Chaſmonæi fecerint.*

Quapropter ne Onias quidem, quum Templum in Ægypto ſtruxiſſet, at nec illud ſimile ædi Sacræ reſpectu conclavium & ſpatiorum quæ occupabant uti Joſephus indicat, & altare Hieroſolymitanum imitatus eſſet [quod ſibi licere arbitrabatur ob dictum Prophetæ Jeſ. 19. 18. in Ægypto fore urbes 5. &c. & quod etiam Elias & alii altaria conſtituerint extra locum Templi aut Tabernaculi] au-

ſus-

ſus fuit lychnuchum ſacro ſimilem facere: ſed ἀναθήμασιν quidem Templum exornaſſe legitur, χωρὶς τῆς περὶ τὴν λυχνίαν κατασκευῆς *excepta fabrica lychnuchi*. Οὐ γὰρ ἐποίησε λυχνίαν, *nec enim fecit lychnuchum*, ſed aliquid ſimile ei ſubſtituit, λύχνον χρυσοῦν *aureum lychnum*, tanquam ac ſi arderet ſplendore auri coruſcantem, ἐξεκρέμασε ſuſpendit.

Fuere quidem alii lychnuchi aurei in Templo מנורות הזהב qui 1. Chron. 28. 15. memorantur, & lychnuchi argentei, ſed non crediderim eos ſimiles fuiſſe lychnucho Moſaico. Memorantur מנורות של זהב in feſto Tabernaculorum *Succa*. v. 2. ſed quatuor lychnos habebant, nec ſimiles erant Moſaicis. Salomon fecit lychnuchos decem ſacros, fateor, qui ſimiles eſſe potuerunt Moſaico, ſed Prophetæ numine divino inſtincti, multa fecerunt aliis hominibus interdicta, uti Elias, dum Templum ſtabat, altare in monte Carmelo exſtruxit & illic ſacra fecit.

Verum, dicet aliquis, narrat Joſephus ſacerdotum quendam ex ædis ſacræ pariete lychnuchos duos aureos, ſacro ſimiles, depromtos Tito obtuliſſe: fuere itaque plures lychnuchi forma haud diverſi, iique ſacro lychnucho ſimiles, & ex his forſitan ille fuerit quem Titus in triumpho oſtendit. Poſſet reſponderi, Joſephum non ſcribere illos lychnucho ſacro ſimiles fuiſſe, ſed ταῖς λυχνίαις. Sed ut verum fatear, nolim hoc urgere. Confiteor ſæpe Joſephum hunc lychnuchum vocare λυχνίαν numero ſingulari. Sic de lychnucho Tabernaculi Antiq. III. 9. τὴν λυχνίαν ἐξ ἑβδομήκοντα &c. & cap. 10. καὶ τῆς λυχνίας καὶ θυμιατηρίου. Et cap. 7. λυχνία ἐκ χρυσοῦ κεχωνευμένη. Lib. I. de bell. Judaico cap. 5. de Pompejo ingreſſo in Sanctum τὰ ἔνδον ἐθεάσατο, λυχνίαν τε καὶ λύχνους καὶ τράπεζαν, ubi λυχνία ipſum lychnuchum & λύχνοι ſeptem lucernas ſive lychnos indicant. Rufinus minus recte illa vertit *candelabra cum lychnis & menſis*: ſi enim voce candelabri [licet minus apta] uti voluiſſet, utique non niſi *unum* memorare debuiſſet, non candelabra. Ita lib. XII. Antiq. cap. II. de Juda Chaſmonæo Templum luſtrante εἰσεκόμισε καὶ καινὰ σκεύη, λυχνίαν, τράπεζαν καὶ βωμόν. *Intulit nova vaſa, lychnuchum, menſam & altare* eaque *aurea*, ἐκ χρυσοῦ, contra ac R. Joſen audivimus exiſtimantem ſupra, *pag.* 16. Mox legitur, fateor, in Latina verſione, *accenderunt lumina in candelabris*, ſed Græca ἐπὶ τῆς λυχνίας unum candelabrum indicant. At non deſunt alii loci in Joſepho quibus lychnuchum in plurali numero λυχνίας videtur appellare, Ant. XI. I. 67. de Antiocho legitur eum abſtuliſſe λυχνίας χρυσέας, καὶ βωμὸν χρύσεον καὶ τράπεζαν *lichnos aureos & altare aureum & menſam*. Videlicet aut error erit librarii λυχνίας pro λυχνίαν exarantis, vel Joſephus lychnuchum hunc quod ſeptem λύχνους haberet, dixit λυχνίας, uti *quadrigæ* plurativo numero appellatur currus unus: qua de re confer Gellium noctium Atticarum lib. XIX. cap. 8. Nam & λύχνον ἀθάνατον λεγόμενον παρὰ Ἰουδαίοις hunc appellat lychnuchum Diodorus Siculus lib. XXXIV. quum alias λύχνοι in numero plurium dici quoque poſſit & ſoleat; æque enim λύχνους ac λύχνον in Templo arſiſſe dici poteſt: atque ita & λυχνίας æque ac λυχνίαν: quia quilibet ramus ex ſeptem quaſi λυχνία eſt. Sed non deerunt forte qui negabunt Diodorum λύχνου nomine totum lychnuchum innuere & ſolum hac voce indicari unum lychnum מערבי dictum qui ad veſperam uſque ardebat. Quicquid ſit, hinc colligitur per λυχνίας in Templo locatas intelligi lychnuchum ſacrum oportere: reditque ea difficultas quomodo duo illi lychnuchi Tito oblati ſimiles eſſe lychnucho ſacro potuerint, quum Judæi nefas putent lychnuchos uſurpare ſacro ſi miles. Reſponderi ergo hoc poſſet, de jure Judæos loqui, non facto: licitum eſſe negant iſtiuſmodi lychnuchos facere: at quid ſi fecerint illi, qui tam multa contra leges patrias facinora admiſerunt? Quid ſi fecerint eos non ad uſum (uſus autem ſolus videtur fuiſſe interdictus, non confectio: uti pulverem aromaticum ſacro pulveri ſimilem facere non licuit ad uſum communem, licuit tamen diſcendi gratia, ipſis teſtibus Judæis) ſed ad alios fines? Quid ſi ſimiles dicantur, ita tamen ut non omnino ſimiles fuerint?

Lubet ante omnia dare ipſa verba Joſephi, ut deinceps ea illuſtremus oſtendamuſque non fuiſſe unum ex iis lychnuchum, qui in arcu Titi cernitur, & quomodo hi lychnuchi ſacro ſimiles eſse potuerint, lib. VII. de bell. Judaico cap. 15. Ἐν δὲ ταῖς αὐταῖς ἡμέραις καὶ τῶν ἱερέων τις Θεβουθεὶ παῖς Ἰησοῦς ὄνομα, λαβὼν περὶ σωτηρίας ὅρκους παρὰ Καίσαρος, ἐφ᾽ ᾧ παραδώσει τινὰ τῶν ἱερῶν κειμηλίων, ἔξεισι καὶ παραδίδωσιν ἀπὸ τοῦ τοίχου τοῦ Ναοῦ λυχνίας δύο ταῖς κατὰ τὸν Ναὸν κειμέναις παραπλησίας, τραπέζας τε καὶ κρατῆρας καὶ φιάλας πάντ᾽ ὁλόχρυσα καὶ στιβαρώτατα. *Illis diebus Sacerdos aliquis Jeſus filius Thebuti accepta fide ſalutis a Cæſare, ut cimelia quædam ſacra traderet exit, & ex muro ædis ſacræ duos lychnuchos, iis qui in templo erant ſimiles, menſaſque & crateras & phialas, omnia ex auro ſolido & graviſſima tradidit*. Eadem fere Zonaras tom. I. annalium.

Sed

Sed Josephus, qui quorum illic lychnuchorum meminit, monuisset, ubi triumphum Titi narrat, unum ex iis hunc fuisse: & cur non duos ergo lychnuchos in triumpho gestarunt aut sculpserunt in arcu, & mensas plures? Nec hæc erant ἐγκαταληφθέντα ἐν τῷ ἱερῷ, sed a transfuga potius donata: & quomodo lychnuchus ille, si in Sancto non fuit, cum mensa sacra [quam duæ thuris acerræ, & limbi duo, & pedum verorum formæ satis ostendunt mensam sacram fuisse) in triumpho jungitur, quum alias lychnuchus & mensa sacra conjungi semper uti vasa præcipua Sancti sibi mutuo opposita soleant? Quid ergo lychnuchis illis ex pariete ædis sacræ desumtis dicendum est? Cui usui inservierunt? & quomodo similes illos fuisse ait Josephus lychnucho sacro? Dici posset, illas λυχνίας ex uno ramo constitisse & illum ramum similem fuisse ramo alicui lychnuchi sacri, aut potius ea ἀναθήματα vel donaria fuisse gentium in templi pronao reposita: nec enim vetitum fuisse existimo a gentibus dona recipere, quæ materia & forma convenirent cum rebus sacris, modo ne ad usum adhiberentur. Mensam auream in Templo dedicavit Ptolemæus, lychnuchum Helena Regina Adiabenorum in Pronao suspensum, & tabulam auream in qua פרשת סוטה erat inscripta; alii alia. Dici etiam posset per λυχνίας κατὰ τ̀ Ναὸν κειμένας intelligi nec debere nec posse lychnuchum sacrum in Sancto constitutum, quum uti supra diximus unicus tantum fuerit: at Josephum, qui λυχνίας hic commemorat, quum alias unam modo fuisse λυχνίαν in Sancto scribat, uti lib. XII. alias λυχνίας innuere, quæ, quum in æde sacra tot conclavia fuerint excepto Sancto & Sancto Sanctorum, variisque usibus destinata, aliis in locis collocatæ esse potuerunt: inprimis quum etiam מנורות זהב *lychnuchorum aureorum* in Templo primo fiat mentio, præter illos Salomonicos, qui decem ab eo in Sancto collocati fuere.

Malim tamen credere, quum lychnuchus posset pollui, & tempore dierum festorum monerentur juniores sacerdotes ne ad lychnuchum accederent, alios hos lychnuchos esse fabricatos ut ei ad tempus substituerentur, nam lychnuchus debebat ardere תמיד coram facie Dei. Adscribam quæ leguntur in Codice Chagiga, misna ultima מטבילים את הכלים שהיו במקדש ואומרין להן הזהרו שלא תגעו בשלחן ובמנורה ותטמתוהו כל הכלים שהיו במקדש יש להם שניים ושלישים שאם נטמאו הראשנים יביאו שניים תחתיהן *Immergere solebant aquis vasa quæ erant in Templo: dicebant autem illis cavete ne tangatis mensam aut lychnuchum & polluatis illa. Omnibus vasis quæ in templo erant, secunda & tertia erant (iis similia) ut si contingeret illa pollui hæc eorum loco ponerentur*. Aliquando loco suo motus & mersus fuit lychnuchus. Id Sadducæi Pharisæis (nam ex sententia Pharisæorum omnia facta fuisse quæ ad cultum publicum & sacra spectabant, Josephus adnotavit) vitio vertebant. Vide Gem. Hieros. Chagiga 79. 4. פעם אחת הטבילו את המנורה.

Sed quid sudamus in inquisitione hujus rei, ubi certi esse vix possumus an veram causam simus assecuturi & sexcentis, acutis licet argutisque conjecturis, rem perducturi ad liquidum. Sufficit in Josepho illud, uti nunc est, legi sacerdotem Tito dedisse lychnuchos similes lychnucho sacro. Unde illi, & cui bono, quis affirmabit? Nec tamen hos aut unum horum in arcu Titi sculptos esse existimo ob rationes quas adduxi, quum de excellentia & nobilitate vasorum in triumpho latorum egi. Quod si quis illius lychnuchi quem sacerdos Tito dedit imaginem hanc esse putet, quam nos pro lychnucho sacro habemus, dicat quidni duos ergo sculptor exhibuerit: duos enim Tito dedit. Et hoc certe confiteri debebit imaginem lychnuchi in arcu Titiano sculptam similem esse lychnucho sacro, quoniam λυχνίαι Tito datæ erant similes λυχνίαις κατὰ τ̀ ναὸν κειμέναις.

Præterea, etiamsi nobis non constaret Titum ex templo hæc vasa eruisse, an non probabile est Imperatorem imprimis de vasis his sanctissimis, quæ erant περιβόητα πᾶσιν ἀνθρώποις ἔργα, sollicitum fuisse ut illa flammæ subtraheret & in pompa triumphali circumferret? Multum erat quum Pompejus jure victoriæ templum ingressus vidit illud grande gentis arcanum patens, sub aureo vitem cœlo: verum plus erat adyti interioris vasa, mensam & lychnuchum, per plateas urbis Romanæ circumferri spectanda oculis omnium. Josephus in prologo lib. I. de bello, de Tito narrat eum sacra κειμήλια ex igne rapuisse. Quis credat illum, aliis rapiendis intentum, hæc, quæ ut videret ingressus est cum suis in Sanctum, igni prædam concessisse?

Tum ad hoc velim attendi: lychnuchum quem in triumpho Titus circumtulit, unicum fuisse, unicam & mensam: vel, ita potius loquamur, unicum hunc lychnuchum, unamque mensam, digna fuisse censita quæ præ multis aliis vasis & cimeliis, tanquam pretiosissima spolio-

rum in arcu triumphali ſculperentur in ſignum triumphi Judaici. Habuit tamen Titus, & ſine dubio in triumphum tulit, alios lychnuchos aureos, & menſas, quæ ipſi data fuerunt a ſacerdote transfuga, filio Thebuthi. Sed nec illa nec alia in arcu Titi ſculpta ſunt præter unum lychnuchum, menſam, acerras, & tubas duas, quibus nonnulli addunt volumen legis Moſaicæ, cujus indicium aliquod in arcu ipſo ſibi deprehendere viſi ſunt, inprimis quum & Joſephus Legis meminerit inter alia ſpolia circumlatæ. De tubis ergo duabus quum vix videatur dubium quin illæ ſacræ fuerint, & ad exemplum τῶν חצוצרות Moſaicarum factæ: acerras quum videamus geminas menſæ impoſitas, quæ multarum aliarum rerum capax erat: menſam ipſam & lychnuchum quum certe negari non poſſit multum convenire cum forma quæ lychnucho & menſæ ſacræ tribuitur, nil eſt proclivius exiſtimatu, quam hæc ipſa quæ Sanctum olim adytum templi Hieroſolymitani exornarunt, heic quoque conſpici.

Porro, ex deſcriptione lychnuchi in triumpho conſpicui, quæ apud Joſephum extat, liquet illum lychnuchum publicum fuiſſe teſtimonium quo honore gens Judaica numerum ſeptenarium proſequeretur, quod ſoli lychnucho ſacro convenit. Hunc nempe arcanam habere ſignificationem, nec ad ornatum modo ſeptem lychnos ejus fabrefactos fuiſſe, ſed eo numerum indicari ſeptem planetarum ipſe Joſephus libro III. Antiquitatum, ubi lychnuchum ſacrum deſcribit, affirmaverat. Hæc autem eſt τιμὴ ἑβδομάδος, non diei ſeptimi, ut quidam, ſed numeri ſeptenarii honor, quem ἐμφανίζουσι, evidenter declarant, lychni ipſius lychnuchi, quoniam ſeptem ſunt: ideoque a Joſepho ad clariſſimam ἑβδομάδα corporum cœleſtium, ad planetas nobis conſpicuos, referuntur: nec Joſepho tantum, ſed & Philone, qui operoſus eſt in laudibus ἑβδομάδος, & tantum ei τιμῆς defert ut SEPTEM ἀπὸ τοῦ σεμνοῦ & σεβασμοῦ dictum putet, & in libro de mundi opificio ſcribat de hoc numero quod τιμῆς ἔλαχεν ἐν τῇ φύσει τῇ ἀνωτάτω & poſtea ἐκπετίμηται ὑπὸ τοῦ Μωύσεως pag. 29. qua de re vide librum ejus ſingularem. Hic libro tertio de vita Moſis pag. *669.* Ἓξ μὲν κλάδοι τρεῖς δ᾽ ἑκατέρωθεν τῆς μέσης λυχνίας ἐκπεφύκασιν εἰς ἀριθμὸν ἕβδομον· ἐπὶ δὲ πάντων λαμπάδιά τε καὶ λύχνοι ἑπτά, σύμβολα τῶν λεγομένων παρὰ τοῖς φυσικοῖς ἀνδράσι πλανήτων. *Sex quidem rami, tres hinc & inde, ex medio lychnuchi prodeunt, ut numerum ſeptenarium efficiant: & ſupra illos lucernæ & lychni ſeptem ſunt, ſymbola planetarum de quibus phyſici agunt.* Idem in libro quis rer. divin. hær. pag. 511. Τῆς κατ᾽ οὐρανὸν τῶν ἑπτὰ πλανήτων πορείας μίμημά ἐστιν ἡ ἱερὰ λυχνία καὶ οἱ ἑπτὰ λύχνοι οἱ ἐπ᾽ αὐτῆς, *Imago eſt curſus ſeptem planetarum lychnuchus ſacer & ſeptem lychni qui ſupra illum ſunt.* Plura quæ addit omitto, hæc ratus ſufficere. Chriſtiani ipſi Judæorum ſententiam ſecuti ſunt in myſterio ſeptem lychnorum. Hieronymus epiſtola ad Fabiolam: *Septem lucernæ ſeptem errantia aſtra demonſtrant.* Clemens Alexandrinus Stromatum lib. V. ἥ τε λυχνία ἐν τοῖς νοτίοις ἔκειτο τοῦ θυμιατηρίου δι᾽ ἧς αἱ τῶν ἑπτὰ φωσφόρων κινήσεις δεδήλωνται. *Lychnuchus ad auſtrum altaris ſuffitus erat, quo ſeptem luminarium motus declarantur.* Alios prætereo ne ſim longior. Quo ergo, niſi hoc, modo manifeſtus fit honor quem ſeptenario numero deferunt Judæi, quod lychnuchus ſacer quum per plures vel pauciores digeri ramos potuerit, in ſeptem digeſtus ſit? Ad uſum enim cui non videantur aut ſex aut octo æque apti fuiſſe? Si autem lychnuchus in pompa triumphali Titi circumlatus ſacer ille non fuit, fuit certe uti ſacer, digeſtus in lychnos & ramos ſeptem. Id Joſephus teſtatur. Similis ergo hac parte eſt lychnucho ſacro. Cur nihil de lychnucho ſacro addit, qui ἀρχέτυπος eſſe hujus reſpectu debuit, & cur huic tribuit quod illi ſummo jure conveniebat? Si lychnuchus ille ſacer non fuit, quomodo dici poſſet illum declaraſſe quanto in honore ſit apud Judæos numerus ſeptenarius? Si nos, ut ſolemus, vel in ædibus privatis, vel templis, lychnuchos habeamus penſiles per ramos ſeptem aut novem digeſtos, num inde efficitur nobis numerum ſeptenarium aut alium, quiſcunque ſit, eſſe in honore? Si menſa convivalis quatuor cereos ſuſtinere ſoleat, vel unum candelabrum quadripartitum ſit ut totidem ferat candelas, quid inde ad τιμὴν τετράδος; Nihil omnino. Adeoque ſi in his vel illis conclavibus atriorum aut ædis ſacræ inventus fuiſſet lychnuchus ſeptem ramis inſtructus, inde ne colligi quidem poterat, nedum declarari, numerum ſeptenarium apud Judæos honorari. Quid? quod ſi vel maxime lychnuchus ejuſmodi ἑπτάλυχνος in æde ſacra repertus fuiſſet, vel a transfugis Tito traditus, poterat eſſe ἀνάθημα & donarium regum Ægypti vel Syriæ aliorumve. Ex conſpectu talis lychnuchi vix naſci hæc ſuſpicio potuit. Sed quum ipſa Judæorum confeſſione lychnuchus in Sancto ardens id myſterii adumbraret, & clarum eſſet cauſam

ſam eſſe oportere, cur ſeptem lychnos, non plures nec pauciores, ſuſtineret, apte & vere dicere potuit Joſephus illum lychnuchum declaraſſe Judæos ἑβδομάδα honore ſingulari proſequi.

Denique, ſi hæc menſa, hic lychnuchus, illa non ſint quæ in Sancto fuerunt, cur id verbulo non monet? Verum, dicet aliquis, ſi illa fuerint, uti tu opinaris, cur & hoc quoque Joſephus non adnotat? Reſpondeo, ne bis idem narraret, quum triumphum deſcribit, adnotaſſe menſam & lychnuchum ex Templo fuiſſe rapta, & ex omnibus quæ Joſephus narrat de Titi ingreſſu in templum & mora quam illic fecit ſatis liquere hæc vaſa Titi juſſu inde eruta. An non teſtatur Joſephus Titum voluiſſe ab incendio tutum præſtare templum & quæ in eo erant? Num ergo hæc vaſa in templo reliquiſſet inde egrediens flammis voranda aut rapienda a militibus, quæ triumphum ejus adeo poterant ornare & tam pretioſa erant? Mox etiam incenſo templo narrat ἁρπαγὴν fuiſſe, rapinam, omnium quæ iis in manus veniebant. Si lychnuchus, ſi menſa, alicui militi in prædam ceſſiſſet, num id Joſephus reticuiſſet? anne etiam Tito illa non fuiſſent oblata? Ex ſerie ergo narrationis Joſephi, iiſque quæ in deſcriptione horum vaſorum continentur, ſatis liquere arbitror illa eadem fuiſſe. Jungit menſam & lychnuchum [uti illa ab eo & aliis ſemper jungi ſolent quum de ſanctis vaſis agunt] utraque aurea, erepta utraque e Templo Hieroſolymitano, quæ præ aliis ſpoliis excelluerunt omnibus (διέπρεπε πάντων) & lychnuchum ait plane diverſæ formæ fuiſse ab iis lychnuchis, quibus Judæi vulgo utebantur, quique ſeptem ramos habuit ſuſtinentes totidem lychnos. Teſtor veſtram conſcientiam, quotquot unquam hæc Joſephum narrantem legiſtis, an non protinus de lychnucho & menſa ſacra cogitaſtis? Et quis non de iis cogitaret? Cur ergo, ſi de altero lychnucho & altera menſa intelligi voluit, lectorem ſuum non admonet? Oculos denique veſtros teſtor qui lychnuchum & menſam in arcu Titiano contemplati, & illa Templi eſſe Hieroſolymitani ſpolia edocti eſtis, an non menti veſtræ protinus obverſata fuit lychnuchi ſacri & menſæ imago?

CAPUT III.

ARGUMENTUM.

De altitudine ac latitudine lychnuchi nihil in ſacris literis proditum. Judæorum de his ſententia haud multum diverſa a forma lychnuchi uti in arcu Titi exhibetur. Deſcriptio formæ lychnuchi ex Talmude. Imagines lychnuchi a Judæis pictæ. Gemmæ, & lychni ſepulcrales, in quibus lychnuchus: Num ex effigie lychnuchi in monumentis ſepulcralibus conſpicua tuto colligatur Judæos ibi ſepultos eſſe. Hypſiſtarii lychnos venerabantur.

PRimum quod attentionem meretur in hac effigie lychnuchi eſt altitudo ac latitudo, quoniam de utraque nihil proditum eſt in ſacris literis? Sine dubio tamen Deus utramque definivit nec Moſis arbitrio reliquit, quoniam Moſes juſſus eſt eum conficere ſecundum figuram ei a Deo in monte monſtratam. Hoc Philo notat lib. quis rerum divinarum hær. pag. 512. ἄξιον δὲ σκέψασθαι διὰ τί, τῆς τραπέζης καὶ τοῦ θυμιατηρίου τὰ μέτρα δηλώσας, τῆς λυχνίας οὐδὲν ἀνέγραψε. *Illud inquiſitu dignum eſt, cur [Moſes] menſæ ac altaris ſuffitus dimenſiones declaraverit, lychnuchi vero nihil.* Id commune habuit lychnuchus cum operculo arcæ, cujus altitudo etiam in Codice ſacro non notatur, licet longitudo ejus & latitudo (par videlicet arcæ ipſi) ex ſacris literis nota ſit. Ita legitur in Gem. Hieroſ. Schabbath fol. 2. 4. כל הכלים שהיו במקדש נתנה התורה מידת ארכו ורחבו ונתנה שיעור קומתן חוץ מן הכפורת שניתנה התורה מידת אורכה ורחבה ולא נתנה שיעור קומתה, *Omnium vaſorum, quæ in ſanctuario fuerunt, quorum longitudo & latitudo in ſacris literis tradita eſt, etiam altitudo vel craſſitudo eſt tradita, excepto operculo arcæ, cujus longitudo quidem & latitudo in lege Moſis expreſſa eſt, craſſitudo nequaquam.*

Judæi autem altitudinem lychnuchi palmos octodecim complexam fuiſſe, latitudinem, id eſt, ab ramo primo ad ſeptimum fuiſſe palmorum duodecim. Ita autem in arcu Titi ſculptus eſt, ut latitudo duos pedes contineat, altitudo fere tres; ſic ut latitudo ad altitudinem ſe habeat uti 2. ad 3., id eſt 12. ad 18. Verum, ut diſtinctius cognoſci poſſit qua ratione hanc altitudinem digerant veteres Hebræi, ex corpore Talmudico non-

nulla promemus quæ in Gemara Menachoth leguntur fol. 28. 2. unde Raſchi ſua hauſit quæ habet in commentario ad Exod. 25. 31. גובהה של מנורה י"ח טפחים הרגלים והפרח ג' טפחים וטפחים חלק וטפח שבו גביע וכפתור ופרח וטפחים חלק וטפח כפתור ושני קנים יוצאין ממנו אחד אילך ואחד אילך ונמשכין ועולין כנגד גובהה של מנורה וטפח חלק וטפח כפתור ושני קנים יוצאין ממנו אחד אילך ואחד אילך נמשכין ועולין כנגד גובהה של מנורה וטפח חלק וטפח כפתור ושני קנים יוצאין ממנו אחד אילך ואחד אילך ונמשכין ועולין כנגד גובהה של מנורה וטפחיים חלק נשתיירו שם ג' טפחים שבהן ג' גביעין וכפתור ופרח *Altitudo lychnuchi erat 18. palmorum (qui hoc modo digeruntur) Pedes (quibus innitebatur) & flos (medii ſtipitis) faciunt 3 palmos: deinde ſpatium duorum palmorum erat læve & ſine ornamento alio: dein palmus in quo erant crater, malum & flos: dein duo palmi læves: dein palmus, in quo ſpatio erant malum & rami duo hinc & inde ex eo egredientes ſurgenteſque uſque ad altitudinem ſummam ipſius lychnuchi. Dein palmus lævis, palmus in quo malum & alii rami duo aſſurgentes ad altitudinem lychnuchi, palmus lævis, palmus in quo malum & rami duo ſurgentes ad altitudinem lychnuchi. Dein duo palmi læves, poſt quos relinquuntur tres palmi in quibus ſunt crateres, malum & flos.*



Verum hæc aptius in tabella oculis ſubjicientur, quam duplicem adjungimus, a Judæis ipſis, uti ipſi mentem patrum ſuorum interpretati ſunt, confectam. In illis quæ attentione digna ducimus, uti formam craterum & pedis cui lychnuchus innititur quæ longe aliter in una ac in altera conſpiciuntur, poſtea ſignificabimus ubi de iis agendum erit particulatim. Non deſunt aliæ imagines lychnuchi, in Synagogis Judæorum pictæ ut ornamento ſint parieti aut valvis armarii ſacri. Duas expreſſas e gemmis Roma ad me tranſmiſit Brencmannus noſter, quarum altera carniola eſt & ſatis accurate lychnuchum ſub tecto columnis fulto, quaſi in Tabernaculo Moſaico) exhibet, altera amethyſtus. Inventi ſunt & lychni in ſepulcris, in quibus hic lychnuchus ſacer depictus creditur, qualem ex Bellorio mox dabimus. Fabrettus in Inſcriptionibus ſuis pag. 389. etiam talem lychnuchum in lapide ſepulcrali exhibet, ſignum, uti opinatur, Judæi. Non repugno. Nec tamen affirmare auſim, ubicunque ejuſmodi lychnuchus in ſepulcris depictus conſpicitur, ſignum Judæi eſſe. Poſſent eſſe ſigna Hypſiſtariorum, qui multa cum Judæis communia habebant & τὸ πῦρ καὶ τὰ λύχνα τιμῶσι *ignem & lychnos venerabantur*, uti Gregorius Nazianzenus teſtatur in funebri patris ſui laudatione: de quibus multa nuper erudite diſſeruit amicus noſter certiſſimus Maturinus Veyſſiere de la Croze in vindiciis veterum ſcriptorum pag. 157.

C A-

CAPUT IV.

Argumentum.


Crassitudo ramorum lychnuchi, qualis in arcu Titi cernitur, nimia. Lychnuchus Mosaicus an habuerit ramos adeo crassos. Fueritne auri massa solida. מקשה *quid. Rami appellantur* קנים *cannæ,* καλαμίσκοι *& quidem* λεπτοί. *Videntur fuisse intus cavi & non admodum crassi. Quam ob rem sculptor in arcu Titi ramos adeo crassos effinxerit. Crassi hi rami lychnucho ligneo conveniunt, qualem Chasmonæi fecisse dicuntur a R. Jose. E qua materia lychnuchum fabricare liceat. Alii inter Judæos crassos quoque ejusmodi ramos lychnucho tribuunt: quorum sententia minus probatur. Rami omnes ad eandem altitudinem assurgentes.*

SI, uti vulgò creditur, lychnuchus Mosaicus ex massa auri solida constiterit, quæ intus nulla parte spatium vacuum admiserit, certe adeo crassi esse stipes & rami nequaquam potuerunt, ac in arcu Titi extant, quoniam plus auri in eo fuisset, quam talentum, quum tamen talenti pondus non æquaverit Exod. 37. 24. Sed non est adeo certum מקשה notare solidam ejusmodi massam, & Josephus certe lychnuchum factum fuisse διάκενον intus cavum disertis verbis notat. Sic ut מקשה credi possit intelligendum de auro quod non superinducitur ligno aut alii materiæ uti erat aurum altaris & mensæ ipsiusque arcæ fœderis, quod ὅλον [unde solum & solidum Latinorum ortum traxit] aurum est, sive ὁλόχρυσον. Ita & tubæ duæ argenteæ Num. 10. 2. jubentur fieri ex argento מקשה, quæ tamen intus esse cavæ debuerunt: adeoque & stipes lychnuchi & rami ex auro מקשה esse potuerunt & tamen intus cavæ. Adde & קנים *cannas* dici, quas notum est cavas esse.

At fuerint rami lychnuchi intus cavi, non est credibile adeo crassos ramos fuisse. *Cannas* קנים vocat Kimchi הבדים הדקים שהם כדמות הקנה *tenues bacillos, quia arundini similes.* Abenezra vocat hos ramos עגולים ארוכים חלולים *rotundos, oblongos & excavatos.* Καλαμίσκους nuncupat Philo in lib. *quis hæres rerum divin.* pag. 510. δεδημιούργηται (ἱερὰ λυχνία) ἓξ καλαμίσκους ἔχουσα τρεῖς ἑκατέρωθεν, ἑβδόμη δὲ αὐτὴ μέση διακειμένουσα καὶ διαιροῦσα τὰς τριάδας. *Ita factus est lychnuchus sacer, ut tres tenues calamos habeat utrimque: ipse autem medium stipes discernat ac dividat triades ramorum.* Josephus λεπτοὺς vocat ramos illius lychnuchi quem in triumpho Titus circumtulit, & quidem καλαμίσκους, qui quoniam hic ipse est de quo agimus, & in arcu Titi non sunt rami λεπτοί sed crassi, dicendum est sculptorem sibi indulsisse, aut oculis potius spectatorum, qui ut distinctius singula ornamenta singulorum ramorum possent conspicere, ampliora illa finxit. Ita in Columna Trajani factum est, in cujus parte summa imagines multo majores sculptæ sunt quam in ima, ut spectator humi stans suprema æque ac infima visu possit adsequi. Nec enim rami adeo crassi λεπτοὶ dici possunt. Longus in Poemenicis lib. 1. pag. 230. καλάμους λεπτοὺς cera junctos memorat ad usum canentum: quales isti calami fuerint & usus docet & notum est. Falluntur ergo quotquot tum inter Judæos tum Christianos ramos lychnuchi sacri adeo crassos fingunt ut λεπτῶν nomen iis non conveniat.

Crassi ejusmodi rami melius convenirent lychnucho ligneo quam aureo. Fuit, si R. Jose sit fides, lychnuchus ille ligneus, vel ξυλολυχνοῦχος [ut verbo Alexidis utar] ille, quem Chasmonæi, pulsis Syris, in Templo secundo dedicarunt. Gemara Avoda Zara fol. 43. 1. ר׳ יוסי בר יהודה אומר אף של עץ לא יעשה כדרך שעשו בית חשמונאי, *R. Jose dixit etiam ex ligno non licere lychnuchum facere similem lychnucho sacro, quoniam ex ligno lychnuchum sacrum fecerunt Chasmonæi.* Videlicet Antiochus rapuerat lychnuchum aureum e Sancto & in Syriam detulerat 1. Chasm. 1. 21. &c. καὶ ἔλαβε τὸ θυσιαστήριον τὸ χρυσοῦν καὶ τὴν λυχνίαν τοῦ φωτὸς καὶ πάντα τὰ σκεύη αὐτῆς. Chasmonæi autem alia vasa eorum loco intulisse in Sanctum leguntur eodem libro 1. Macc. 4. 49. εἰσήνεγκαν τὴν λυχνίαν καὶ τὸ θυσιαστήριον τῶν θυμιαμάτων [post hæc aliena & imperita manus inseruit satis inepte καὶ τῶν ὁλοκαυμάτων, quasi altare holocaustorum ἐν Ναῷ, sive in æde sacra, fuisset, aut eo illatum, quod fieri nec potuit nec debuit] καὶ τὴν τράπεζαν εἰς τὸν Ναόν. Hic non dicitur e qua materia vasa hæc constiterint. Ex inopia autem fecisse eos lychnuchum ex ligno innuunt satis ipsi scriptores Gemarici, quoniam dicunt, postquam res eorum melius se habere inciperent, factum esse lychnuchum

chum ex argento, denique ex auro העשירו עשאום של כסף חזרו והעשירו עשאום של זהב. Prolixe etiam disputant Patres Talmudici in Gem. Menachot fol. 28. f. 1. & 2. de materia e qua lychnuchum sacrum construi fas est. Concedunt, *si aurum tanta copia non suppetat, licere ex argento, aere, ferro, stanno, vel plumbo lychnuchum conficere* תניא אין לו זהב מביא אף של כסף של נחשת של ברזל ושל בדיל ושל עופרת. Ex ligno, osse & vitro non licere ibidem statuunt, nisi quod R. Jose lychnuchum ligneum esse ligitimum pronunciet, quia nempe talem Chasmonæi fabricarunt. Verum licet ex ligno confectus fuerit lychnuchus ille Chasmonæorum, & illi crassiores rami, similes huic nostro qui in arcu Titiano est, videantur posse tribui, quum tamen ex iis quæ diximus constet aureum fuisse lychnuchum, capiente urbem Tito, & καλαμίσκους appellent ramos ejus auctores idonei, crassitudo ramorum isti causæ, quam mox edidimus, videtur adscribenda. Non moramur alios inter Judæos, qui ramos quoque lychnuchi adeo crassos fere fingunt [vide alteram imaginem lychnuchi in æs inscriptam capite III.] quoniam graves rationes mox allatæ contra stant.



Forma Lychnuchi in Lucerna Sepulcrali


Denique observandum est ramos omnes ad parem altitudinem directos esse (confer quæ supra pag. 35. e Talmude dedimus) sic ut unus lychnus non fuerit altior altero; secus ac nonnulli ramos hujus lychnuchi pingunt ita ut extremi fuerint omnium minime alti, quemadmodum videre est in lychnucho quem lucernæ sepulcrali inscriptum Bellorius ita exhibet, ut tabella in æs incisa ostendit,

CAPUT V.

ARGUMENTUM.

Numerus & forma ornamentorum lychnuchi. In arcu Titiano quatuor genera, orbes, mala, flores, crateres, a Josepho quoque agnita. Sacer Codex non nisi tria memorat. Numerus craterum certus ex sacris literis. Mala an 9. an vero 11. Flores an 8. vel 9. Judæorum sententia, ad examen revocata. Non omnia quæ Judæi tradunt pro falsis, nec omnia pro veris habenda. Distinguenda illa quæ Hebræi veteres narrant veluti historica a majoribus accepta ab iis quæ ipsi argumentando colligunt latere in verbis Sacri Codicis. Forma craterum quæ. גבעים *num pocula alta & operculis tecta.* Scala, *genus poculi. Pilei sacerdotum non dicti* מגבעות *ab insigni altitudine.* משוקדים *quid. Loci 5. in Sacro Codice, in quibus notatur incertum esse quorsum vox aliqua referri debeat, ad antecedentia an consequentia. Pocula Alexandrina celebrata.* Baucale *quid.* Κιβώριον *Ægyptiacum. Mala quæ. Flores, an lilia.*

QUI attendit ad singula ornamenta, lychnuchi quem arcus Titi repræsentat, videbit ad quatuor genera illa referri posse 1. Orbes. 2. Mala. 3. Flores. 4. Crateres. Formam singulorum subjungo



Josephus lib. III. Antiq. cap. 7. etiam quatuor recenset ejusmodi ornamenta. Πεποίηται δὲ σφαίρια ϗ κρίνα σὺν ῥοΐσκοις ϗ κρατηριδίοις, ἑβδομήκοντα δὲ πάντα. Vetus interpres ita reddit, *Fecit autem & sphærulas & lilia cum calamis & scyphis, erantque hæc omnia septuaginta.* Ροΐσκα calamos reddit pro malis. In Sacro Codice non nisi tria ejusmodi recensentur, mala, flores & crateres. Quantum vero ad numerum eorum attinet Exod. 25. 33. de crateribus legitur, tres esse debuisse in unoquoque ramo egrediente ex stipite medio, & in ipso stipite medio quatuor, adeoque certus est craterum numærus

18
4
———
22.

Malum unum jubetur constitui in unoquoque ramo egrediente ex stipite medio. Deinde tria mala in stipite medio sub unoquoque ramorum pari egrediente ex hoc stipite, quæ tria erant. Hinc nascuntur mala novem. Sed Judæi duo addenda esse existimant quia stipiti medio tribuuntur Exod. 25. 34. כפתוריה *mala ejus*, quæ vox, quia in numero plurium est, minimum duo notat: quamvis alii putent illa כפתורים non esse distincta a כפתורים quæ commate 35. jubentur poni sub unoquoque ramorum pari. Adeoque secundum Judæos numerus erit malorum

6
3
2
———
11

Flos unus erat in unoquoque ramo, atque adeo sex. Exod. 25. 33. In stipite medio leguntur fuisse פרחים *flores*, commate 34. Ergo sane aliqui flores illic constitui debent: quot numero incertum est. Quia vox in plurali numero scripta est, non pauciores fuere duobus. Inde nascuntur flores octo. His quidam addunt florem unum, qui stipiti medio tribuitur Num. 8. 4. *usque ad florem ejus* פרחה. Unde resultat numerus

6
2
1
———
9

Ipsa Judæorum verba adscribo, quidemonstrare satagunt illum esse numerum craterum, malorum & florum, quem indicavi. Ita legitur in Gemara Menachoth fol. 28. 2. ונמצאו גביעים כ׳ ושנים כפתורים אחד עשר פרחים תשעה גביעים מעכבין זה את זה כפתורין מעכבין זה את.

את זה פרחים מעכבין זה את זה גביעין כפתורים ופרחים מעכבין זה את זה בשלמא גביעים עשרים ושנים דכתיב ובמנורה ד' גביעים וגו' וכתיב ג' גביעים משוקדים בקנה האחד כפתור ופרח וגו' ד' ותמני סר דקנים הא עשרין ותרתין כפתורין נמי אחד עשר כפתורים תרי וששה דקני' וכפת' וכפתו' וכפת' הא חדי סר אלא פרחים תשעה מנלן פרחים תרי וששה דקנים תמני' הוו אמר ר' שלמן כתיב עד ירכה ועד פרחה מקשה היא *Deprehenduntur esse crateres* 22, *mala* 11, *flores* 9. *Craterum unus si desit, reliquos facit illegitimos. Malorum unum si desit, reliqua facit illegitima. Florum unus si desit reliquos facit illegitimos. Quid? quod si vel craterum, malorum, vel florum unum desit, reliqua reddat illegitima. Verum, dicet aliquis, concedo tibi de numero craterum, eos esse* 22. *quia scriptum est Exod.* 25. 34. *In ipso lychnucho* [*id est, medio stipite qui* מנורה *appellatur*] *quatuor sunt crateres, & commate præcedenti tres crateres in unoquoque ramo, malum & flos: nam quatuor &* 18. *faciunt* 22. *De malis quoque largior ea esse undecim quia scriptum est Exod.* 25. 34. *in lychnucho,* [*id est medio stipite*] *esse mala* כפתרים *quod ad minimum duo notat, & unum in singulis ramis Exod.* 25. 33. *& dein commate* 35. *ter vox* כפתור *mali legitur, quæ mala essent in medio stipite sub ramis inde prodeuntibus: atqui ea efficiunt undecim. Sed flores esse novem unde colligitur? scilicet* פרחים *flores tribuuntur stipiti medio Exod.* 25. 34. *quo ad minimum debent duo intelligi, & commate præcedenti singulis sex ramis tribuitur flos. Adeoque hæc octo efficiunt. Nonus flos, uti R. Schalman dicit, commemoratur Numer.* 8. 4. *usque ad florem ejus opus erit mikscha.*

De numero ipso dubitari posset an revera tot fuerint, si recesserimus a numero craterum in Sacro Codice definito, de quo dubium non est: quoniam in arcu nostro ramis sex a stipite egredientibus plura tribuuntur ornamenta ac Patres Talmudici volunt: nec enim tres duntaxat crateres in unoquoque ramo sed & poma & flores conspiciuntur. Hæc quidem cur ita voluerit sculptor multiplicare, & ramos hac parte stipiti similes reddere, rationem expiscari nullam queo, nisi quod in archetypo ita viderit. Præterea plura fuisse poma & flores quam Talmudici tradunt, suspicari licet ex Josepho qui LXX. numero partes fuisse lychnuchi scribit Antiq. III. 9. Non solemus quidem ea quæ de forma vasorum sacrorum ab antiquissimis Hebræorum doctoribus memoriæ sunt prodita falsi arguere aut negligere, si nec Sacro Codici nec rationi adversantur: & fidem, quam historicam dicimus, iis non negamus, quando ostendi non potest illos errasse. Distinguendum tamen arbitramur inter ea quæ testantur fide majorum, a patribus & avis per manus tradita, & inter ea quæ ipsi per modum argumentationis aut sequelæ eliciunt ex verbis Legis divinæ. In illis non repugno quo minus pro veris habeantur, quæ falsi argui nequeunt: in his disquirere oportet quo jure ex Codice Sacro rem ita se habuisse colligant. Quidni enim nobis liceat ad examen revocare Judaicas legum Dei interpretationes & dispicere an vim vocum atque modorum loquendi assecuti & recte sint interpretati? Inter hæc si retulero quæ de numero florum in lychnucho Gemarici scribunt, non dubito quin habiturus sim qui mecum sentient. Mihi certe non fit verosimile ex illis verbis Dei quæ laudant posse effici numerum malorum illum fuisse, quem ipsi secundum suam argumentandi consuetudinem fuisse ex iis se posse elicere autumant.

Ad formam quod attinet singulorum horum vasorum, exceptis σφαιρίοις de quibus nihil nisi ex Josepho constat & arcu Titiano, ita describitur a Maimonide in hilcoth beth habbechira cap. III. §. IX. הגביעים דומין לכוסות אלכסנדריאה שפיהן רחב ושוליהן קצר והכפתורים כמין תיפוחי כרותיים שהן ארורין מעט כביצה ששני כאשיה כרין והפרחים כמו פרחי העמודים שהן כמין קערה ושפתה כפולה לחוץ *Crateres similes erant poculis Alexandrinis, quod os esset latum & fundus angustus. Mala erant similia malis Cretensibus quæ oblonga sunt instar ovi & ab utraque extremitate lata. Flores erant uti flores columnarum, lanci similes cujus labia foras convoluta sunt.* Hæc fere ex Talmude descripta sunt, in Gemara Menachoth fol. 28. 2. וגביעין למה הן דומין כמין כוסות אלכסנדריים כפתורים למה הן דומין כמין תפוחי הכרתיים פרחים למה הן דומין כמין פרחי העמודים *Cui rei similes erant crateres? Poculis Alexandrinis. Cui rei similia erant mala? Malis Cretensibus. Flores cui rei? floribus qui in columnis conspiciuntur.* De singulis aliqua notabimus.

Crateres גביעים appellantur, cui voci hanc vim subjectam esse volunt Judæi, ut altum quid & elatum notet. Non refragor. Voces cognatæ גבע *collis*, גבע *extollere*, & aliæ, eo nos ducunt. Nec tamen existimem necessario de insigni aliqua altitudine hic cogitandum esse. Modica altitudo, qualis est collium, sufficit ut aliquid a גבע dici possit. In lychnu-

lychnucho certe nostro quem arcus Titi habet nihil conspicitur, quod craterum nomen gerere aptum est, præter ea pocula quæ modo recta modo inversa sculpta cernimus supra & infra mala tum in trunco tum ramis lychnuchi. Id genus poculi nos *een schaal* dicimus, meminitque hujus vocis Paulus Warnefridi filius, vulgo dictus Diaconus, lib. 1. de gestis Longobardorum cap. 27. *In eo prælio Alboin Cunimundum occidit, caputque illius sublatum ad bibendum ex eo poculum fecit quod genus poculi apud eos scala dicitur, lingua vero Latina patera vocitatur.* Nec video quid obstet quo minus credamus crateres lychnuchi hanc formam habuisse. Crater ejusmodi inversus collem omnino refert; sic ut non sit necessarium collis formam quærere in operculis poculorum Alexandrinorum, sive βαυκαλίων, ut Judæi videntur fecisse. Nihil cogit majorem iis altitudinem aut profunditatem tribuere, licet Judæi & his, & pileis sacerdotum, qui & ipsi מגבעות dicuntur a גבע, insignem tribuere soleant altitudinem, quos non sequor ob rationem modo allatam. Veteres interpretes Græci etiam varie reddiderunt σκύφον, φιάλην, κόνδυ.

Si constaret quæ vis subjecta sit voci משוקדים, & an referenda sit ad נביעם, hinc aliqua ad illustrationem formæ craterum peti possent. Sed Judæi incertum arbitrantur, debeatne hoc ad præcedentia an ad sequentia reduci, uti videre est in Gemara Hierosolymitana Avoda Zara fol. 41. 4. ubi inrer 5 locos Sacri Codicis qui כרע non habent, hunc quoque recensent. Horum locorum indicia sunt voces quinque שאת ארור מחר משוקדים וקם secundum seriem qua occurrunt in Pentateucho. Primus est, qui ibi memoratur Gen. 4. 7. הלוא אם תיטיב שאת *nonne si bene feceris, condonatio?* ubi incertum est an שאת debeat ita jungi in constructione vocibus antecedentibus, an vero debeat sequentibus adjungi, ut sensus sit *pœnam feres si male feceris*. Alter est Gen. 49. 7. עקרו שור ארור *avulserunt bovem maledicti*, ubi incertum est an non ארור debeat referri ad sequentia, *maledicta est ira eorum*. Tertius Exod. 17. 9. הלחם בעמלק מחר *pugna cum Amaleco cras*, ubi istud *cras* jungi posset sequentibus, *cras stabo in vertice collis*. Quartus est hic ipse locus agens de lychnuchi crateribus, de quibus ambigitur debeatne ita legi במנורה ארבעה גביעים משוקדים *in lychnucho erunt quatuor crateres amygdalati*, an vero משוקדים כפתוריה ופרחיה *amygdalata mala ejus & flores* Exod. 25. 34. Quintus locus est Deut. 31. 16. ubi incerta dicitur esse constructio vocis וקם debeatne jungi præcedentibus הנך שוכב עם אבותיך וקם *ecce tu cubabis cum patribus tuis & resurges*, an vero sequentibus וקם *& surget* populus hic & scortabitur. De ultimo loco observa etiam R. Gamalielem, ut videre est in Sanhedrin initio capitis *chelek*, demonstrare conatum ex eo resurrectionem mortuorum quia Mosi dicitur וקם *& resurges*: adeoque junxisse illud וקם cum antecedentibus. Quod vehementer mirabuntur nonnulli, quoniam accentus athnach in voce præcedenti אבותיך videtur suadere contrarium. Sic quoque in loco tertio supra laudato עמלק habet athnach & גביעים in loco quarto. Ipsi tamen fatentur Talmudici incertam esse harum vocum constructionem, nec liquere quo debeant referri; licet mihi dubium non sit quin משוקדים debeat jungi cum גביעים quia commate 33. ejusdem capitis non potest nisi ad גביעים referri. Cur ergo commate sequenti referretur alio? Græci משוקדים reddunt ἐκτετυπωμένους καρυΐσκους, vel ἐξημυγδαλωμένους *incisos forma amygdali, vel nucis*, ita ut partes incisæ amygdalum referant: καρυΐνην enim nonnulli, quod alii ἀμυγδαλίνην, vertunt, uti observavit Chrysostomus ad Jerem. 1. 11. Theodoretus quoque ibidem מקל שקד, ῥάβδον καρυΐνην ἢ κατὰ τ̀ Σύρον καὶ τ̀ Ἑβραῖον ἀμυγδαλίνην. Sic Philo virgam Aaronis κάρυα protulisse scribit lib. 111. de vita Mosis.

Quod attinet ad pocula Alexandrina, formam satis describunt Judæi. Meminerunt etiam scriptores alii, apud quos frequens mentio vitrorum Ægyptiacorum. Martialis.

Quum tibi Niliacus portet crystalla
cataplus.

Βαυκαλίαι τῆς Κλεοπάτρας memorantur etiam. Nos quoque *baucale* appellamus ejusmodi poculum, *een bocaal*. *Bauca* legitur apud Anastasium in vitis Pontificum, unde baucale. Glossæ. Βαύκη, hoc viniferum. Βόκκολα, εἶδος ἀγγείου. Acron ad Horat. 11. 7. *Ciboria Alexandrina poma quæ habent similia colocasiis folia, in quorum similitudinem facta pocula eodem nomine appellantur*, Hesychius, Κιβώριον Αἰγύπτιον ὄνομα.

Mala כפתורים videntur quibusdam esse mala Punica, ῥοιαι. Figura horum expressa cernitur in nummis in quibus est imago Minervæ victricis quæ dextra habet ῥοιαν, sinistra galeam. Vide Suidam ad vocem Νίκη, Σφαιρωτῆρας reddunt Græci.

Flores, פרחים, κρίνα τοῖς ὁ, uti & שושנים

שושנים *lilia* Targumistæ, & ἄνθη Symmacho, videntur nonnullis flores malorum Punicorum fuisse, sive balaustia, quorum imagines in Nummis Rhodiorum conspici viri docti existimant qua de re vide Spanhemii, viri illustris, opus egregium de Nummis. Aliis quoque lychnis tribuitur פרח flos in Misna Oholoth. c. ix. 8. quo nomine suprema pars lychni extrorsum voluta intelligitur. Qui lilia intelligunt, nituntur voce *κρίνων*. At illa quosvis flores significare apta est, quod ad Matth. 6. 28. jam ab Interpretibus adnotatum est: hinc Ps. 35. 1. pro חבצלת *κρίνον* quoque habent Græci.

CAPUT VI.

ARGUMENTUM.

De basi lychnuchi disputatur. Num referat gradus ante lychnuchum locatos. Num ירך *pars inferior lychnuchi an non a sacrilegis ablata. Basis quæ in arcu Titiano cernitur non videtur in templo fuisse. Potuit pegma esse sustinens lychnuchum. Sculptor non exhibuit accurate lychnuchum. Aquilarum simulacra, lusus sculptoris. Judæi abhorrebant imagines animalium. Alienissimi, stante Templo secundo, ab omni idololatria. Monstra marina non fuere in lychnucho sacro. Modis diversis illa picta a veteribus. Conjectura de causa quamobrem hæc monstra hoc loco sculptor finxerit. Alæ monstrorum. Alarum varia genera ad certas classes relata.*

JUdæi tradunt tribus pedibus nixum fuisse lychnuchum: sed nihil simile in arcu Titiano. Meminerunt quidem graduum collocatorum ante lychnuchum, per quos adscenderet sacerdos lychnuchum concinnaturus: sed illi tres erant, non duo: nec illis lychnuchus insistebat, verum erant ante ipsum. Est tamen ירך lychnuchi, sive basis, quam ita describunt, ut videatur posse haberi pro eo, quod in arcu Titi conspicitur. Abarbanel scribit in comm. ad Pentateuch. ירך הוא הרגל של מנורה של מטה העשוי כמין תיבה שעליו נשענת המנורה. *Jerech est pes lychnuchi factus instar cistæ, cui insistit lychnuchus.* Sed in Gemara Menachot tres pedes memorant, quibus lychnuchus nititur: ergo forma arcæ huc nil facit. Alii itaque hanc formam arcæ concipiunt supra pedes tres. Ita Raschi ירך הוא הרגל של מטה העשוי כמין תיבה ושלשי הרגלים יוצאים וכו'. *Jerech est pes inferior lychnuchi factus ad formam arcæ & tres pedes alii inde egrediuntur.* Idem ad Num. 8. 3. scribit esse etiam *in lychnuchis argenteis principum* מנורת כסף שלפני השרים istiusmodi ירך supra pedes, vel שידה *cistæ speciem*. Nos quoque in usu quotidiano habemus candelabra quæ in medio stipitis vel in parte inferiore habent fere ejusmodi ירך quale adscribit Raschi.

Dici posset, quia lychnuchus ex auro constabat, partem ejus aliquam, basin videlicet, a Joanne ablatam, & aliam substitutam qualis in arcu Titi conspicitur, (si imagines excipias a sculptore Romano profectas) quum vasis templi aureis manus sacrilegas injiceret. Josephus rem narrat lib. VI. de bell. Judaico cap. 16. Πολλὰ μὲν ἐκ τῶν ἀναθημάτων κατεχώνευε τοῦ Ναοῦ· πολλὰ δὲ τῶν πρὸς τὰς λειτουργίας ἀναγκαίων σκεύη, κρατῆρας τε καὶ πίνακας καὶ τραπέζας. *Multa ex anathematibus in Templo dedicatis sustulit, & multa vasa ad cultum Dei necessaria, crateras, lances & mensas.* Verum, licet aliquis, si lychnuchum mutilasset, id non præteriisset silentio Josephus. Quis id affirmare ausit? Certe, uti altare aureum a Tito inventum non fuit in Sancto, quod tamen ibi fuit, & esse debuit, nec id conspicitur in arcu Titi cum mensa & lychnucho, ita potuit pars lychnuchi ex Sancto fuisse ablata antequam eo Titus potiretur. Sed quid his immoramur? Plures causæ esse potuerunt quamobrem sacrilegi illi manus suas ab hoc vase Sancti, imo templi totius, pretiosissimo, abstinere non voluerint, & fieri vix potest ut ex iis una certa causa eligatur, quoniam vetera monumenta silent.

Mea certe sententia, quod in arcu nostro conspicitur infimo loco & pro basi lychnuchi posset haberi, non videtur pars censenda lychnuchi sacri aut in Templo Hierosolymitano unquam fuisse. Quum Deus Mosen jussit lychnuchum totum aureum conficere, non fuisse molem auream adeo ingentem & auri collati ratio (quoniam lychnuchus & omnia vasa ad eum spectantia talenti pondus modo æquarunt) & alia suadent. Quod si pegma illud esse dicamus, cui superpositus fuit lychnuchus dum in triumpho ferebatur, & reliqua, sursum oculos tollendo, credamus lychnuchum ipsum esse, quid fiet de proportione, inter latitudinem

nem & altitudinem? quid de fulcro aut pedibus quibus corpus adeo in latum expansum niti debuit? an credibile est fulcrum adeo exiguum destinatum fuisse tantæ moli sustinendæ, quæ ad minimum contactum sacerdotis lychnos parantis in periculo corruendi fuisset? Vix mihi tempero, quin errasse sculptorem non dubitanter affirmem, illumque videri contentum fuisse si aliquo modo exhibuerit lychnuchum & partes quasdam ut erant sculpserit, alias secus. Uti enim nec tot mala nec tot crateres exhibet in stipite medio, quot Deus ipse in eo fabricari jussit, quotque sine dubio etiam in lychnucho Templi secundi a Tito diruti fuerunt (nec enim ratio dari potest, quamobrem voluissent ii qui lychnuchum fabricarunt a numero malorum a Deo jusso recedere) ita in aliis ingenio suo indulgere potuit. Qua propter nec hoc solo monumento niti aliquem volo, ut ea quæ hic videt revera in vasis sacris hic exhibitis fuisse sibi persuadeat; sed si aliqua hic conspiciantur quæ aut ratio doceat, aut Josephi aliorumque Hebræorum auctoritas, in istis vasis locum habuisse, hi quidem lucem hinc accipiant, & nobis ipsis argumentum disquisitionis præbeatur quatenus vera forma vasorum sacrorum videatur in hoc eximio monumento Romano expressa.

Sculptoris quoque lusus est, si quid judico, par aquilarum basi insculptum, qui ornamenta hæc fore lychnucho existimavit. In Romanorum monumentis sæpe duas aquilas conspici, orientis & occidentis Romanis subjecti indicia, notum est. Josephus lib. III. de bello capite 5. scribit aquilam esse τῆς ἡγεμονίας τεκμήριον Romanis. Judæos certe non est credibile aquilarum imagines ferre voluisse in æde Sancta, & illo vase, cujus fabricam adeo accurate Deus Mosi descripserat, nulla facta aquilarum mentione aliarumve belluarum quæ hic conspiciuntur. Nam aquilæ in labris Salomonicis, non erant in æde sacra, & a Deo erant jussæ aut ejus instinctu factæ & ideo probatæ. Cherubini etiam a Deo jussi erant confici, nec similes animali creato. Aquilam ne imponi quidem portæ magnæ ab Herode permiserunt Judæi, teste Josepho. Verba sunt lib. XVII. Αρχαιολογ. c. 8. Ἦν γὰρ τῷ Ἡρώδῃ τινὰ πραγματευθέντα παρὰ τὸν νόμον, ἃ δὴ ἐπεκάλουν οἱ περὶ τὸν Ἰούδαν καὶ Ματθίαν· κατεσκευάκει ὁ δὲ βασιλεὺς ὑπὲρ τοῦ πυλῶνος μεγάλου τοῦ ναοῦ ἀνάθημα καὶ λίαν πολυτελὲς ἀετὸν χρύσεον μέγαν· κωλύει δὲ ὁ νόμος εἰκόνων τε ἀναστάσεις ἐπινοεῖν καὶ τινῶν ζώων ἀναθέσεις ἐπιτηδεύεσθαι τοῖς βιοῦν κατ' αὐτὸν προῃρημένοις, ὥς τε ἐκέλευον οἱ σοφισταὶ τὸν ἀετὸν κατασπᾶν. *Fecerat enim Herodes aliqua quæ vitio ipsi vertebant illi qui cum Juda & Matthia erant. Dedicaverat enim aquilam magnam auream & pretiosam supra portam magnam Templi. Quumque lex nostra eos qui vitam suam secundum illam instituere student vetet erigere imagines aut animantium effigies, discipulos illos doctores instigarunt ut aquilam detraherent*. Idem lib. I. de bell. Jud. cap. ult. ubi factum hoc narrat addit, ἀθέμιτον γὰρ εἶναι κατὰ τὸν ναὸν ἢ εἰκόνας ἢ προτομὰς ἢ ζώου τινὸς ἐπώνυμον ἔργον εἶναι. *Nefas esse, si in æde sacra imagines, vultus aut simulacra animalis cujusdam existerent*. Hæc verba erant doctorum. Illic dixerant l. XVII. nempe Ant. c. 8. interdictum esse εἰκόνων ἀναστάσεις ἐπινοεῖν, *erigere imagines*, vel *erectionem imaginum comminisci* (τὸν πύργον ἐπινοήσαντες apud Eusebium in Onomastico apud vocem Βαβὲλ reddit Hieronymus *qui ædificaverunt turrim*) aut τινῶν ζώων ἀναθέσεις ἐπιτηδεύεσθαι. Quæ manifesto ostendunt, non licuisse aquilarum in Sancto imagines tolerare.

Quid? quod adeo abhorrerent ab omni specie cultus imaginum, ut trophæa ipsa, in theatro Hierosolymitano ab rege Herode erecta in honorem Cæsaris, suspicarentur nescio quid sub armis reconditum habere, & εἰκόνας esse τοῖς ὅπλοις περιειλημμένας, *imagines armis vestitas*, quum tamen meri essent stipites; & voluerint ea retegi, ne viderentur vetitas imagines in urbem recepisse. Rem narrat Josephus Antiquitatum lib. XV. cap. 11. Petronio se mactandos obtulerunt potius quam imagines Cæsaris inferri Hierosolymis sinerent. Josephus Antiq. XVIII. 11. Pilatus quum nocte intempesta opertas Cæsares imagines insciis Judæis Hierosolymis intulisset, coactus fuit eas auferre. Vide Josephum de bell. Judaico lib. II. c. 8. Idem quum non in Templo sed in Regia Herodis, quæ simul erat οἰκία ἐπιτρόπων in qua Pilatus uti procurator Judææ degebat, auratos clypeos dedicasset nulla imagine insignes nec quicquam habentes Legi divinæ contrarium, solum nomen dedicantis & cui dedicati essent continentes, commota plebs petiit eos tolli: quod quum Pilatus recusaret, Tiberii Imperatoris jussu facere coactus est. Rem narrat Rex Agrippa in epistola ad Cajum, quæ extat apud Philonem legatione ad Cajum, pag. 1033. & 1034. qui & testatur in Templo nullam esse effigiem, aut in occulto aut in propatulo οὐδέν ἐστιν ἀφίδρυμα οὔτε φανερὸν οὔτε ἀφανές. Unda clarum est aquilas & monstra marina nulla lychnucho insculpta fuisse.

fuisse. Quomodo rex Agrippa pro gente Judaica intercesserit, ne statua Caji Hierosolymis poneretur, legere est in eadem Philonis legatione ad Cajum & Josephi Antiq. l. XVIII. cap. 15. Quid? quod ipsum Salomonem in eo peccasse censeat Josephus Antiquitatum lib. VIII. capite 2. quod boves æreos labro suo sive mari supposuerit: οὐδὲ γὰρ, inquit, αὐτὰ ποιῶν ὅσιον. Ego quidem heic cum Josepho non facio: nec enim videtur Deus, si Salomon imagines boum contra Dei legem in atrio Templi locasset, hanc ædem sibi ut gratam sedem agniturus fuisse & probaturus operam a Salomone in ea constituenda atque adornanda positam. Vide 1. Reg. 8. 10. & *9.* 3. adde 2. Chron. 7. 1. Sed licet erraverit hac in re Josephus, discimus tamen quam alieno fuerint Judæi qui stante Templo secundo vixerunt ab idololatria animo, quippe qui sine offensa Numinis imagines boum in atrio constitui non posse crederent. Idem lib. III. Antiq. 5. varias res pictas in velis tabernaculi narrat, exceptis ζώοις, & ibidem, πλὴν ζώων μορφῆς *exceptis animalibus*. Verum, dicit aliquis, Cherubini ipsi ζῶα Josepho dicuntur. Fateor: sed ipse addit ζῶα fuisse nullis cognitis ζώοις similia, quod de aquilis certe dici nequit. Quæ quum ita se habeant, credat qui volet, has imagines quas lychnuchus arcus Titiani oculis offert, ab Judæis ipsis lychnucho impressas: ego non adducar ut credam.

Non magis mihi laborandum censeo, ut ostendam monstra illa marina, caudis & alis instructa operis Romani esse, non Judaici. Qui aliqua monumenta veteris ævi ante oculos habuerunt, viderunt animalia his similia. In Claudii Menetreji opere, quo symbolicam Dianæ Ephesiæ statuam illustravit Romæ edito anno 1688. est pag. 57. icuncula Dianæ duplex in cujus parte adversa monstrum huic simile conspicitur. In columna Trajani, pag. 31. 42. 72. & *76.* edit. Bartoli, etiam haud multum diversa animalia conspiciuntur. Capita modo equina, modo vitulina, modo alia pro arbitrio iis tribuuntur. Vide Bellorii lucernas sepulcrales tab. 1. fig. 4. Ipsum illud monstrum cui Andromeda fuit exposita (quod ante urbem Palæstinæ Joppen in insula Paria contigisse quidam veterum memoriæ prodiderunt: unde suspicari aliquis posset, ut repræsentaret memoriam victoriæ de Syris Palæstinis, id est, Judæis, reportatæ, hæc animalia hic sculpta fuisse) in nummo Trajani ita ferre pingitur.

Alas sæpe addiderunt veteres hippocampis & similibus monstris marinis, quod & ipsum heic videre est. Quod ad earum spectat magnitudinem, non est quod conqueramur nimis exiguas illas appictas esse quam ut ad usum volandi comparatæ videantur. Non ignorarunt prisci artifices, quum heroibus aut Diis speciem humanam indutis alas tribuebant, illas spatiosas esse & prolixas debuisse, quod clarum est ex nummis Græcorum & Romanorum in quibus Victoriæ imago alata conspicitur. Solus est Cupido alis adeo exiguis instructus in monumentis veterum, ut vix alarum nomen mereantur. Verum temere nimis propterea carpuntur artifices. Habuit olim Cupido, ut quo vellet pervolare posset, alas maximas, sed Dii eas præsecuerunt, & Victoriæ illas dedere gestandas. Rem narrat Aristophon in Pythagoriste, postquam dixisset Cupidinem a Diis duodecim condemnatum fuisse ut cœlo ejiceretur ob seditiones & lites quas excitabat.

--- ἀποκόψαντες αὐτοῦ τὰ πτερὰ
Ἵνα μὴ πέτηται πρὸς τὸν οὐρανὸν πάλιν
Δεῦρ' αὐτὸν ἐφυγάδευσαν ὡς ἡμᾶς κάτω·
Τὰς δὲ πτέρυγας ἃς εἶχε τῇ νίκῃ φορεῖν
Ἔδοσαν περιφανὲς σκῦλον ἀπὸ τῶν πολεμίων.

--- Alas ipsi præciderunt
Ne in cœlum posset iterum evolare.
Et illum in exilium depulerunt huc ad nos.
Quas autem ipse gesserat alas, Victoriæ
Dederunt, spolium hostile præclarum.

Verum & aliud mihi videor in forma harum alarum observasse. Temere luserim si hoc nil sit. Incurvæ sunt & quales animalibus monstrosis (quales etiam in arcu nostro conspiciuntur) veteribus tribui deprehendo; non certe tales, quales Dea Victoria gestat. Confer alarum quadruplicum formam in nummo, qui in Begeri thesauro Brandeburgico tom. 1. pag. 301. extat.

Quæ quum ita se habeant, videntur alæ in monumentis veterum pictæ aut sculptæ in quinque genera dispertiri posse, quorum primum constituunt alæ Cupidini datæ, de quibus mox egimus. His non memini alas minores videre tributas alicui Deo vel animali. Alterum genus est alarum, quas mysticas nuncupare possumus vel arcani quidpiam denotantes, nec adeo ad usum volandi datas quam quidem ut per eas aliqua velocitas rerum quibus tribuitur aut quidpiam simile indicetur. Ita in gemma thesauri Brandenburgici pag. 78. & *76.* operis Begeriani sunt lapides quibus caput impositum est & pone ala, quos ille pro Termino alato vel Jove terminali habet. In eodem opere pag. *269.* in nummo regis


Prusiæ

Prusiæ caput est alatum, & pag. 49. Minervæ cassis alam habet. Ita & caduceus Mercurii est virga volatilis, ut Marcianus Capella loquitut. Tertium alarum genus est recurvum, quod monstrosis animalibus tribuitur : vide gryphem ita alatum in opere modo laudato Begeri pag. 496. Sphingem alis insigniter in orbem flexis pag. 421. Equum marinum alatum pag. 331. qui sine alis exhibetur p. 325. & 294. omnia ex nummis descripta. Adde equum marinum alis istius formæ instructum in nummo Commodi a Lampsacenis cuso : vide Patini numism. Impp. ex ære pag. 211. Quartum dein & maximum alarum genus est, quod Victoriæ tribuitur, in nummis sexcentis qui supersunt & passim conspiciuntur in cimeliarchiis. Egregie sculpta illa hodieque videnda est in columna Trajana, ubi humana forma major & alata clypeo votivo inscribit. Vide, cui Romam adire non licet, tabellam in æs incisam, numero septuagesimam, rerum in Columna Trajana sculptarum. Quintum Psyches alæ, quæ formam habent alarum papilionum. Notum est Psychen amicam esse Cupidinis. Huc gemmam refero a me visam, in qua Cupido face admota papilionem urebat. Hæc sunt quæ de alis monstrorum monenda habui, & universim de iis, quæ animadvertenda duxi in simulacro lychnuchi. Ad mensam sacram me confero.

CAPUT VII.

ARGUMENTUM.

Mensæ sacræ effigies in arcu Titi. *Superficies ejus plana, nec limbo eminente circumdata. Id probabile redditur ex usu quem præbuit in excipiendis panibus. Cautio, ne confidentius de forma vasorum sacrorum loquamur, aut quid decorum quid indecens fuerit. Duo limbi in mensa sacra, unus qui tabulam mensæ supremam, alter qui cingulum pedum, ambit.* זר *quid.* Στρεπτὸν κυμάτιον, ςρεπτὴ ςεφάνη. *Opus interrasile quid. Varia cymatiorum genera. Quare* ςρεπτὰ *quædam dicantur.* Ὀρθὸν & ἄςρεπτον *opposita. Emendatio Isidori tentata. Limbus, quia* זר*, num propterea eminuisse supra superficiem mensæ dici debeat. Limbum altaris aurei & arcæ fœderis hac parte similes fuisse hinc suspicari licet.*



Effi-

Effigies mensæ, quam in æs inscriptam vides, ita conspicitur hodie in arcu Titi, ad me missa ab Henrico Brencmanno, Academico Florentino, ut mihi, qui id rogaveram & cui eum maxime cupere non ignorabam, satis faceret. Primum quod in illa dignum animadversione duco hoc est, quod ex conspectu vasculorum mensæ impositorum, quorum unum satis est integrum, colligere liceat planam fuisse omnino mensæ superficiem, nec circumdatam limbo ejusmodi aut corona quæ eminuerit supra ipsam mensæ superficiem, & ab viris doctis tantum non omnibus creditur mensam cinxisse. Quum enim hæc vascula non desierint in acumen, qua ratione consistere non potuissent, sed planitiem in ima parte habere debuerint, ita hic exhibentur, ut haud minor planities, quam hic conspicienda est, videatur ipsis dari posse cui insistant. Tota itaque conspiciuntur ab imo ad summum, adeoque limbus elevatus supra tabellæ superficiem nullus hic loci est, qui si esset partem vasculorum infimam conspectui subduxisset, quandoquidem videlicet ita sculpta est mensæ superficies, ut oculus spectatoris non intelligatur sublimior illa extitisse, quare & ipsa superficiei planities non conspicitur ita uti solet ab aliquo cujus oculus ipsa superficie est altior. Quoniam ergo in simulacro mensæ arcui Titi insculpto non animadvertimus quicquam, quod indicet planam non fuisse omnem mensæ superficiem, & in Sacro Codice nihil legatur quod huic sententiæ adversum sit (de limbo enim cingulum mensæ ambiente videbimus infra) putamus mensam ita pingi oportere ut æqualis per omnia sit summa tabulæ superficies.

Suadere hoc ipsum quoque videtur usus mensæ, panum exceptio. Quum enim fieri vix possit quin particulæ quædam aut micæ in mensam decidant, tolli debuerunt & mensa purgari, quod adducta manu aut alio instrumento commodius fieri potuisse videtur, ita ut colligantur in aliquod vasculum, quam si in pavimentum Sancti flatu oris spargantur aut instrumento aliquo idoneo congregentur, quod ex angulis limbi eruere partes minimas haud ita facile poterat.

Sed hæc ita dicta sunto ut sententiam meam confirmem; nequaquam ut contendam aliter se rem habere non potuisse, aut potiorem futuram fuisse mensæ formam si sine limbo eminente fuisset quam si omnino. Absit enim vero ut ego aut mortalis quisquam tantum sibi tribuat ut de vasis sacris scribens, de quorum forma ambigitur inter viros doctos, dicere audeat eam formam, quam ipse decoram autumat, adeo præferendam formæ alii, ut eam solam veram esse affirmet, & reliquas inornatas esse & minus aptas ad usus, quibus illa vasa Deus destinavit, asserat. Quum enim homines simus & quotidie imbecillitatem ingenii nostri experiamur, atque adeo falli possimus, quid futurum credimus si hac in re fallamur, & uti ineptam rejecerimus atque indecoram illam vasorum sacrorum formam, quæ revera auctorem habet Deum? Fieri certe potest, ut illá forma, quæ nunc mihi uti vera arridet, postea ob rationum graviorum momenta displiceat. Temere ergo mihi agere videntur quotquot aut de templo aut Tabernaculo vasisque sacris scribentes audacter, licet certa & extra dubium posita sententiæ suæ firmamenta non habeant, aliter esse non potuisse, vel si aliter res se habuerit, incongruum & indecorum futurum fuisse scribunt. Nobis sufficit dicere, videri, quantum quidem nobis perspicere datur, aptissimam fore ad usus a Deo definitos talem vasorum formam; nec tamen ita ut aliæ ineptæ sint. Multo minus de ornatu & elegantia judicium ferendum est, & ex nostris moribus & consuetudine templa aut palatia extruendi censendum de structura tabernaculi & templi. Unicuique genti suum est ingenium, & quod in Europa ornatum atque elegans videtur, Asiaticis sæpe displicet: atque ita vicissim. Quid? quod una eademque gens in ornatu vasorum & forma sibi non constet, verum illa forma mensarum, cistarum, lectorum vestium, quæ patrum nostrorum memoria elegans habebatur, nobis haud placet: nec meliorem auguror nostram sortem fore venturorum respectu nepotum. Præterea, quum de ornatu templi aut vasorum sacrorum agitur, non hominum judicia sed lex & voluntas Dei ponderanda sunt. Ornatum sufficientem habet, quod ita confectum est uti Deus voluit: nec est quod ars humana & ingenium credant ornatius fore, si de suo quid addiderint.

Ceterum duos fuisse limbos in mensa Exod. 25. Moses docet. Josephus etiam meminit ἕλικος quæ non modo partem superiorem mensæ, τὸ ἄνω μέρος τοῦ σώματος, verum & inferiorem, τὸ κάτω, cingebat. Uterque in mensa arcus Titiani conspicitur, superior integer, inferior confractus. זר dicitur uterque, *labium* Interpreti vulgato, στρεπτὸν κυμάτιον Alexandrinis, quod genus est ornamenti habens undæ similitudinem, qua propter a Vitruvio nonnunquam unda nuncupatur. Alibi vertunt στρεπτὴν στεφάνην. Josephus

phus lib. XII. Antiquitatum cap. 2. ubi menſam deſcribit a Ptolemæo Philadelpho Ægypti rege donatam Templo Hieroſolymitano (quæ deſcriptio omnino enucleanda eſt ab illo qui deſcriptionem menſæ hujus ſacræ apud Joſephum intelligere cupit aut explanare) illi quoque tribuit στεφάνην παλαιστιαῖαν & κυματία στρεπτὰ, uti & Ariſteas lib. de 70. Interpp. Clemens Alexandrinus στρωμάτων libro VI. eadem κυμάτια menſæ memorat, & viſus eſt ſibi myſterium quoque eorum detexiſſe. Γῆς δ' οἶμαι εἰκόνα ἡ τράπεζα δηλοῖ, τέσσαρσιν ἐπερειδομένη ποσὶ, θέρει, μετοπώρῳ, ἔαρι, χειμῶνι, δι' ὧν ὁδεύει τὸ ἔτος. Διὸ καὶ κυμάτια στρεπτά φησὶν ἔχειν τὴν τράπεζαν, ἤτοι περιόδοις καιρῶν κυκλεῖται τὰ πάντα, ἢ καὶ τάχα τὴν ὠκεανῷ περιῤῥεομένην ἐδήλου γῆν. *Menſa videtur telluris imaginem exhibere, fulta quatuor pedibus, æſtate, autumno, vere & hyeme, per quos annus fertur. Propterea & undulata ornamenta habere menſam dicit, quoniam circuitu tempeſtatum omnia ambiuntur, aut forſitan quod Oceani undis terra cingatur*. Plutarchus in Sympoſiacis *lib.* VII. *quæſt.* 4. menſam ipſam domeſticam imaginem telluris referre exiſtimat: ἐμοὶ δὲ ἐδόκει καὶ μίμημα τῆς γῆς ἡ τράπεζα εἶναι &c. quæ ibi legere eſt. Nomen זר a זרה ſpargendo ductum videtur aliquid ſignificare quod ultra ſuperficiem alterius rei ſpargitur & ſeſe effundit. Nec menſæ huic modo ſed & altari aureo & arcæ fœderis tribuitur זר aureus.

Qui formam limbi ſuperioris & inferioris (utrobique enim זר fuit) in menſa contemplatur, videbit mediam ejus partem magis eſſe depreſſam & formare cavitatem, quod opus interraſile [hanc vocem Vulgatus hic habet pro στρεπτὸν, uti & gloſſæ στρεπτὸν *interraſile*] dici poteſt. Quare & illos qui cymatium hic fuiſſe ſtatuunt, & qui opus interraſile,



quique coronam & στεφάνην [modo voces hæ accipiantur uti apud veteres ſolebant] in unam ſententiam congregare licet. Hoc eſt quod Joſephus innuit, quum de menſa ſcribit quod civitatem habeat ad unumquodque latus, quæ per ſpatium palmare excavet ipſam limbi ſubſtantiam tam ſuperioris quam inferioris. Videlicet plana non erat limbi ſuperficies ſed excavata cymatiis, ita quidem ut ſpatium profundius in medio eſſet, quod iſtis cymatiis cingebatur. Quare Interpretes Græci στρεπτὰ illa κυμάτια appellabant, id eſt quæ non eſſent eodem ductu in longum porrecta, ſed flexa & circumlata, quale ornamenti genus etiam hodie ſolet adhiberi in fabrica menſarum & vaſorum ſimilium. Cernimus illa κυμάτια στρεπτὰ evidenter in ipſa menſa arcus noſtri, in qua illuſtranda verſamur, non in limbo tantum ſuperiore ſed inferiore: & ut mentem noſtram clarius exponamus, in tabella delineatam damus partem columnæ ordinis Corinthiaci in

rude-

ruderibus templi Hierapolitani inventæ, ubi ad literam A *κυματίȣ* formam videre eſt & quidem recti. Literæ autem CDEF indicant figuram *κυματίȣ στρεπτȣ̃* & circumflexi. Κυμάτιον ab undæ forma dici certum eſt, quare in cymatio duplex flexus ſive curvatura cernitur uti ad literam A. Hæc aliquando a forma convexa incipit & deſinit in concavam, uti ad *lit.* B. aliquando a concava capit initium & deſinit in convexam. Vitruvius etiam duplex genus *κυματίων*, Doricum & Lesbium, diſtinguit. Eſt & *κυμάτιον* inverſum : vide literam G.

Ex iis quæ diximus de cymatiis poſſet aliquis ſuſpicari illa quæ *κυμάτια στρεπτὰ* nuncupantur Joſepho non dici *στρεπτιὰ* quod convertantur in orbem, ſive quod flectantur per quatuor latera limbi, ſed quod voce *στρεπτῶν* notetur quale genus id cymatiorum fuerit. Duplex enim eſt Vitruvio & aliis cymatiorum genus, rectum alterum, quale reperitur in ſummo trabeationis Corinthiæ, quare Heſychius *κυμάτια* eſſe dicit *ὑπεροχὰς παρὰ τέκτοσι κ̀ λιθοποιοῖς*, alterum inverſum, quale in ſtylobate ordinis ejuſdem. Adeoque rectum, *ὀρθὸν*, quum ſit *ἄστρεπτον*, interprete Heſychio, inverſum, quod *τῷ ὀρθῷ* opponitur, *στρεπτὸν* erit. Verum quo minus hæc ſententia mihi probetur, ſequentia faciunt. Στρεπτὸν in gloſſis veteribus *interraſile* redditur, atque ita etiam Vulgatus interpres, *coronam interraſilem* menſæ tribuit pro *κυματίοις στρεπτοῖς*. Præterea cymatium *ὀρθὸν* ſive rectum idem eſt ac inverſum, quando nempe *κυμάτιον* in quadrum, uti in menſa noſtra, circumducitur: illud enim quod conſpicitur a C uſque ad D rectum erit, quod ab E ad F, erit inverſum: atque ita, ſi menſa invertatur, *κυμάτιον* quod ante erat inverſum apparebit rectum. Quapropter hæc *κυμάτια* inverſa non magis quam recta dici poſſunt, nec *στρεπτὰ* dicuntur, ita ut huic nomini illa vis ſubjecta ſit, quod ſint cymatia *inverſa*, non *recta*: ſic ut alia de cauſa nomen *στρεπτῶν* adepta ſint. Adde quod in deſcriptione menſæ Ptolemaicæ Joſephus *στρεπτὰ* fuiſſe *κυμάτια* ſcribat & deinde quam formam *ἀναγλυφῆ* referrent addat, unde conſequitur *στρεπτὰ* illa non dici reſpectu formæ quam gerebant aut ſculpturæ, ſed converſionis qua circa limbi ſuperficiem euntia in ſe redibant, quali limbo tabulæ pictæ & ſpecula cingi atque ornari ſolent.

Obiter dum de cymatiis agimus, emendandum ſuſpicamur locum in gloſſis Iſidori, *Cima*, *cocumula*. Scripſit forſitan Iſidorus, *Cymation*, *undula*. Illi qui Vitruvium & alios architectonicen tractantes inſpicit, apud quos *cymation* & *undula* promiſcue uſurpantur, non diſplicebit, uti opinor, hæc correctio.

Ut limbus hic fuiſſe credatur altior ipſa menſæ ſuperficie (licet hic certe nulla indicia appareant limbi eminentis, & plura ad hujus rei confirmationem dicta ſint in initio hujus capitis ubi de menſæ ſuperficie) impulit quoſdam vox coronæ, ac ſi illa miro artificio efficta imaginem regiarum coronarum geſſiſſet. Sunt qui & originem vocis זרה ad partes vocent, ac ſi *ſpargere* ſe debuerit זר ſupra menſæ ſuperficiem. Sufficit quod ultra menſæ ſuperficiem ſe ſpargat & planitiem tabulæ ſuperioris aliqua parte augeat illam ambiendo. Simus ergo his contenti, & credamus limbum talem aureum menſæ tabulam cinxiſſe qualis in arcu Titi exhibetur.

Ex quibus intelligitur non videri alium limbum tribuendum eſſe altari aureo & arcæ fœderis, quoniam iiſdem verbis traditur Exod. 37. 26. ויעש לו זר זהב סביב *& fecit ipſi limbum aureum circumquaque*, & commate 2. ubi neſcio quæ ornamenta pro ſuo & ſeculi noſtri genio pictores & artifices fingunt, quæ nos omnia uti non neceſſaria, & maxime incerta, omittimus, quoniam non liquet ea illic fuiſſe. Limbum quidem arcæ fœderis concedi poſſet aliqua ſui parte eminuiſſe ultra arcæ ſuperficiem, quantum videlicet requiritur ad coercendum arcæ impoſitum operculum, ne moveri loco poſſet; quamvis ne hoc quidem ſit neceſſarium, quoniam vel minima pars eminens, vel particula auri gemina inſtar clavi ferrei in latere interiori operculi vel margine arcæ, prohibere apta eſt ne operculum delabi poſſit; ſed altaris aurei limbum menſæ noſtræ, quamobrem ipſa altaris ſuperficie altiorem ſtatuerem cauſam nullo video. E contrario, quoniam hoc altare imaginem habebat altaris exterioris quod in atrio erat, *ἰσόπεδον* id in ſummo fuiſſe, ut ſola cornua eminuerint, ſuſpicor. Porro ipſa cinerum ablatio ex altari aureo, uti a Judæis veteribus deſcribitur, ita ut cinis everriculo propulſus vaſculo excipiatur (כיבר את השאר לתוכו אל הטני Tamid. III. 9. id eſt, poſtquam pugillo quantum poterat cinerum ceperat, *reliquum everriculo propulit in vaſculum*) videtur oſtendere non eminuiſſe circumquaque limbum ejuſmodi; ſic ut ex hoc ipſo limbo altaris aurei aliquid viciſſim petamus ad confirmandam ſententiam noſtram de limbi figura qui menſam cinxit, quoniam idem loquendi modus de utroque uſurpatur [uti vidimus]

mus]

mus] & in altari aureo non eminuit ultra superficiem altaris.

Præterea, si quæ in limbis arcæ & altaris ornamenta statuenda sint, dicamus, judicium ferentes de uno vase secundum id quod de altero certum est, more Judaico, דניך כלי מכלי, opere interrasili fuisse, ita ut κυμάτια quoque τρεπτὰ illic fuerint. Ita Vulgatus interpres 1. Reg. 7. 27. reddit, *ipsum opus basium interrasile erat*, ubi in contextu Hebræo legitur וזה מעשה המכונות מסגרות להם *hoc autem erat opus basium, cingula ipsis erant*. Videlicet, uti מסגרת mensæ sacræ erat opere interrasili, ita quoque hæc מסגרות esse credidit.

CAPUT VIII.

ARGUMENTUM.

De cingulo pedum mensæ. Id sacer codex מסגרת *nuncupat. Tria probe distinguenda* 1. זר, limbus *ambiens summam mensæ tabulam*. 2. מסגרת cingulum *pedes mensæ in medio connectens*, & 3. זר limbus *alter qui cingulum ambiit. Forma nominis* missgereth *enucleata. Grammatici Arabum in formis nominum explicandis diligentes. Nomina loci quæ. Latitudo hujus cinguli palmaris. Cubitus pentadorus & hexadorus Judæis. Discrimen palmæ & palmi. Limbus cingulum ambiens qualis.*

IN arcu Titi adeo manifeste cingulum mensæ conspiciendum datur, ut nisi ipsa ratio & consuetudo juberet illud ibi fuisse necessarium ad pedes suo loco retinendos jungendosque, & Sacer Codex illud indicasset voce מסגרת, non debuerit ita negligi ac vulgo fieri consuevit.

Deus, postquam commate 24. capitis xxv. Exodi dixerat, *& facies mensæ limbum* (זר) *aureum circumquaque*, mox addit, *& facies ei* (מסגרת) *cingulum palmare circumquaque, & cingulo ipsi facies limbum aureum circumquaque*. His verbis clarum puto innui, postquam tabulæ supremæ limbus aureus erat circumdatus, conficiendum esse cingulum ex eadem materia, ligno videlicet, qua ipsa mensa constans, & auro obductum, quod pedes contineret, ne loco suo dimoveri & recedere a se invicem possent: & huic quoque cingulo limbum non ex ligno, sed ex auro, confectum addendum esse, quo pars ejus anterior ornaretur, & similis esset parti mensæ superiori quam alter limbus aureus circumdabat.

Hæ partes videntur mihi a Mose ita distincte indicatæ ut sæpe miratus fuerim tam obscure & intricate hæc verba ab interpretibus versa fuisse, quo ipso prodiderunt sibi tenebras in illorum lectione offusas fuisse. Vulgatus interpres ita reddidit: *Facies illi* [mensæ] *labium aureum per circuitum: & ipsi labio coronam interrasilem altam quatuor digitis & super illam alteram coronam aureolam*. Hæc & ab Hebræo contextu abeunt, nec aliquid clari distinctive animo offerunt. Versiones alias prudens prætereo. Distinguenda erant tria, quorum primum est זר, *limbus*, cingens ipsam supremam mensæ tabulam, alterum מסגרת, *cingulum*, sive tænia palmaris quæ pedes conjungit & cohibet, tertium זר, limbus qui hoc cingulum ambit.

Ipsa forma vocis מסגרת collata cum vi subjecta verbo unde originem traxit, סגר nempe, veram notionem vocabuli vel sola prodere apta est. סגר *sagar* est *clausit, conclusit*. Græci per κλείω, ἀποκλείω & συγκλείω, reddere solent. Ab eo itaque quod pedes ambitu suo includat & clausum (סגור) conjunctione eorum corpus efficiat cingulum hoc nomen adeptum est. Quare & מסגרת per σύγκλεισον reddunt Græci 1. Reg. 7. 27. alibi per συγκλεισμόν.

Ad formam nominis quod attinet, video illam plerumque negligi a lexicographis & interpretibus, quamvis & frequentibus exemplis in usu sermonis Hebræi, & monitis grammaticorum Arabum, qui in illis distinguendis accuratissimi sunt, eo duci debuerint, ut conferendo voces similium formarum elicerent significationem quæ ipsis convenit. Deprehendit nullo negotio, qui deducta a verbis nomina, præposito tribus radicalibus literis Mem cum Chirek, contemplatur, illa fere similia esse voci מקדש & locum indicare cui actio illa convenit quæ per tres literas radicales notatur. Ita שכן est habitavit, משכן *locus habitatus, tentorium*, in quo veteres habitare solebant. A שמר *custodiit* fit משמר locus custodiæ, i. e. carcer; a בצר *munivit* מבצר locus munitus, a סתר *latuit* מסתר locus in quo latere licet, a שגב *altum esse* משגב locus editus, a פרץ *rupit* מפרץ locus perruptus, & quæ sunt plura talia. Nec in his tantum, quæ appellare possumus nomina formam loci perfectam habentia, sed & in aliis quæ ob literarum ex qui-

bus constant naturam paullum ab hac forma quæ in perfectis est recedunt, cernere est hanc significationem obtinere. Ita מזבח altare est, ac si locum dicas ד זבחים, sic מעבר locum transitus notat ab עבר *transiit*, ubi Chirek sub Mem non est, ob sequens catephpatach sub litera gutturali Ain. Sic מעמד locus quo statur, statio, a עמד *stetit*. Interdum additur ה vel ת fœmininum, quod nec ipsum tollit significationem vocis ad quam forma modo indicata manu ducit, uti מקלעת locum incisionis notat a קלע *incidit*, משבצה locus ocellatus a שבץ, sic מפשעה locus in corpore humano ubi ingressus incipit, coxendix, a פשע *incessit*.

Nec tamen in his omnibus adeo rigide notio loci spectanda est, ut non in ea ipsa contineri significatio instrumenti sæpe credatur, quoniam sæpe idem locus & instrumentum est, uti carcer משמר locus est & instrumentum custodiæ, uti מקטר & מקטרת thuribulum notat, locum nempe & instrumentum in quo odores incenduntur; atque ita & מסגרת significabit locum in quo pedes conjunguntur, vel, si quis mavelit, instrumentum conjunctionis: nec enim hæc sollicite & more Philosophico enucleamus, solum spectantes usum & significationem vocum quam illis assignari ab Hebræis cernimus: nec aliquas voces esse negamus hujus farinæ, quibus tamen illa loci notio non adeo convenire existimabitur, de quibus hic uberius agere non constituimus. Quia enim non omnes significationes radicum Hebraicarum nobis hodie sunt cognitæ, vix videtur observatio plurimarum vocum exemplis nixa debere convelli paucis aliis, quæ si sermo Hebræus integer ad ætatem nostram pervenisset, forsitan iis ipsis confirmaretur. Certe quum vocem מסגרת ita explicamus, uti fecimus, nihil nos ea in re commisisse a linguæ genio alienum, facile, ut opinor, unusquisque nobis largietur.

De latitudine cinguli hujus mensæ non agam multis. Notum est Judæos tradere in quibusdam vasis templi adhibitos fuisse cubitos qui sex palmos comprehenderent, in aliis autem cubitos qui quinque essent palmorum. Ad sola autem altaria, vel nonnullas partes eorum, spectavit cubitus quinque cubitorum, sic ut mensa hæc sacra & cetera vasa ad cubiti hexadori, non pentadori, mensuram confecta sint. Ad illustrationem eorum quæ dixi duos adscribo locos, Hieronymi alterum, alterum Vitruvii. Hieronymus ita scribit comm. in Ezechielis caput XL. *Palmus rectius Græce dicitur παλαιςὴ & est sexta pars cubiti. Alioquin palmus σπιθαμὴν sonat, quam nonnulli pro distinctione palmam, porro παλαιςὴν palmum, appellare consueverunt.* Vitruvius lib. II. de architect. cap. 3. *Doron Græci appellant palmum, quod munerum datio Græce Δῶρον appellatur: id autem semper geritur per manus palmum. Ita quod est quoquoversus quinque palmorum pentadoron, quod quatuor, tetradoron dicitur: & quæ sunt publica opera pentadoro, quæ privato tetradoro struuntur.* Idem lib. III. cap. I. *Palmus habet quatuor digitos.*

Ornatum fuit hoc mensæ cingulum limbo זר *dicto* in sacris literis, qui similis fuit, quantum ex arcu Titiano datur colligere, limbo alteri qui tabulæ supremæ latera ambiit, & κυματίοις ςρεπτοῖς, quemadmodum ille, ornatus. Quæ itaque de illo limbo capite præcedenti notavi, huc quoque referri possunt.

CAPUT IX.

ARGUMENTUM.

Pedes mensæ formam habuere pedum animalium. Ita in arcu Titi conspiciuntur. Ita & Josephus testatur. Τελέως ἀπηρτισμένον *quid. Pedes lectorum Doricorum. Interpres Josephi vetus ad partes vocatus. Pars superior pedum fuit quadrata. Ab eo discrimine aliquid petitur ad confirmandum locum cinguli mensæ in medio pedum.*

MEnsæ sacræ pedes (qui singulari artificio fusi ex auro non lignei & inaurati, uti mensæ ἐπίθεμα, & cingulum erant Exod. 37. 13.) in arcu Romano fictos non ita læsit confectrix rerum vetustas, quin deprehendere liceat illos desinere in simulacra verorum pedum, quales sunt animalium; nam ungularum tripartita distinctio manifeste adeo se oculis ingerit, ut data opera hanc iis formam sculptor dedisse credi debeat, quod ita viderit in ipsa mensa aurea se pedes habuisse. Josephi verba eodem nos ducunt lib. III. Antiquitatum cap. 6. Ἦσαν δ᾽ αὐτῇ πόδες τὰ μὲν ἐξ ἡμίσεως ἕως τοῦ κάτω τελέως ἀπηρτισμένοι, οἷς Δωριεῖς προςιθεῖσι ταῖς κλίναις ἐμφερεῖς, τὸ δὲ πρὸς αὐτὴν ἀνατεῖνον τετράγωνοι τῇ ἐργασίᾳ.

Quo-

Quorum ſenſum ita reddimus: *Erant menſæ pedes, qui dimidia parte illa quæ inferior erat perfectam omnino pedum formam habebant, quales lectis ſuis apponere ſolent Dores; illa autem parte dimidia quæ ſurſum tendebat quadranguli erant operis.* Convenit forma pedum ejuſmodi cum gravitate & ſoliditate operum Doricorum. Amabant illis naturam ipſam imitari. Quid convenientius, quam pedes fingere pedibus animalium ſimiles? Pedes erant τελέως omnino, uti Joſepho Antiq. III. 1. regio, qua ducebantur Hebræi ad montem Sinai appellatur χώρα τελέως ἔρημος, ac ſi diceret, nomen illa habet מדבר ſolitudinis, ac revera τελέως ita erat. Et hi demum ποδῶν nomine vere nuncupari merebantur, qui imaginem pedum habebant. כרעי המטה vocant Talmudici tales lecti pedes: vide Succa cap. II. miſn. 2. Illi erant pedes τελέως ἀπηρτισμένοι *omnino perfecti*, vel *ad plenum* (uti in gloſſis veterum eſt) quod noſtrates dicerent, *volmaakte voeten*. Quid enim obſecro, ſibi hæc volunt, quod pedes dicantur τελέως ἀπηρτισμένοι, niſi id quod monuimus illis innuatur? Num id erit, pedes fuiſſe perfectos & ſummo artificio elaboratos? Verum an hoc de pedibus magis affirmari debuit quam aliis partibus? Et quis non animadvertit aliquid ad formæ deſcriptionem ſpectans in his verbis latere, quum pars ſuperior pedis & inferior opponantur, ita quidem ut illa operis fuerit quadranguli, hæc autem τοῦς τελέως ἀπηρτισμένος, quod & magis convenit parti inferiori quam ſuperiori, quoniam pars inferior, uti & planta pedis animalis, ſolum ſubjectum premit, & attingit. Quare ad verum acceſſit mea ſententia propius interpres Joſephi vetuſtus, quem Epiphanium vocant, qui ita reddit: *Erant autem pedes ejus ex medietate inferioris partis facti per circuitum rotundi & tornatiles, quod vero ad ſuperiora tendebat quadranguli operis erat.* Sed nec ille mihi ſatis facit, quod Flaviana illa οἷς Δωριεῖς προςιθέασι ταῖς κλίναις ἐμφερεῖς plane prætermiſerit ac ſi in ſuo codice illa non legiſſet; &, quod caput rei eſt, verba τελέως ἀπηρτισμένοι in Latinum ſermonem convertens ſcribat *facti per circuitum rotundi & tornatiles*. Hanc ego vim in illis verbis non agnoſco, ſed in τετορνευμένοι, ϛρόγγυλοι & ſimilibus.

Ad partem quod ſpectat pedum ſuperiorem, quæ exhibetur in arcu Titiano, fateor illam quadrangularis formæ fuiſſe inde non poſſe colligi. Sed quis ignorat quadrata, ut poetæ verbis utar, attritis angulis rotari? Si pedes, ante ſexdecim ſecula quadratim ſculptos eoſque ut hi ſunt exiguos, tempus ipſum ambederit, ſi quod alias partes hujus operis læſit atque eroſit, heic quoque effecit ne adeo diſtincte acuta angulorum promineant, quid miramur? Joſepho ſane accurate menſam deſcribenti fides omnino habenda eſt præ ſculptore, ſi vel maxime partem pedum ſuperiorem rotundam dediſſet. Quod autem pes menſæ uſque ad medium quadratæ, & inde ulterius formæ diverſæ fuerit, præterquam quod ad ornatum faciat, etiam confirmat & illuſtrat ea de loco cinguli pedes connectentis ſcripſimus. Id in medio locabamus, quod illic in arcu Titi conſpiciatur, quum ceteroquin poni potuerit circa infimam partem pedum non longe ab ipſo ſolo. Nunc quum didicerimus pedes in duo diſtinctos fuiſſe, ita ut aliam formam habuerit pars ſuperior alteram inferior, conveniens eſt ut circa medium locetur, ubi flexus & quaſi crus pedis eſt, & quoniam quadratum erat, ut impingat in latus pedis quadratum, ſic ut infima pars cinguli congruat infimæ parti quadratæ pedis.

CAPUT X.

ARGUMENTUM.

Annuli pedibus menſæ ſacræ affixi heic nulli. Fuerunt tamen in menſa Moſaica. Num poſtea, quando menſa efferri extra Sanctum non debuit, annulis caruerit. Sculptor videtur annulorum rationem non habuiſſe. Cui lateri menſæ annuli fuerint appoſiti. Forma horum quæ. Collatio Sacri Codicis cum Joſepho ut ſitus annulorum & figura eruatur. לעמת *quid.* Νέρθεν ἐξαίρετον *quid. Vectium per annulos tranſmiſſorum nomina Hebræa & Græca.* Boia *quid.*

ANnulos vel uncos hic nullos cernimus ad latera pedum menſæ. Fuiſſe tamen in menſa Moſaica certum eſt, diſerte mandante Deo Exod. 25. 26. ועשית לו ארבע טבעות זהב *& facies ei quatuor annulos aureos*. Salomonem, quum templo ſuo menſas inferret, imitatum eſſe formam menſæ Moſaicæ credibile eſt:

certe contrarium non legitur. Ita quoque de mensa Templi secundi credere par est. Nec est quod quis putet annulos mensæ affixos duntaxat usum suum habuisse stante tabernaculo quum vasa sacra deferri ad loca diversa debuerunt, & inutiles fuisse postquam templo condito illata locum mutare non habebant necesse. Judæi quidem nonnulli, ut supra vidimus, de mensa & lychnucho Templi secundi agentes, monent illa non licuisse loco suo movere, quoniam תמיד, *semper*, coram facie Dei illa manere oportuit. Verum manere illa semper loco suo debuerint, ideone annulis caruisse mensam credemus? Quid ergo de arca fœderis statuendum est, quam Deus voluit etiam in Templo Salomonico non modo annulos retinere quos habuit, sed & vectes eis perpetuo inesse, etiamsi illa ad מנוחה & quietem suam pervenisset. Adde quod Josephus hos annulos ita describat ut non e Mose sed αὐτοψίᾳ didicisse eorum formam videatur.

Omiserit ergo forsitan sculptor Romanus hos uncos, uti res exigui momenti & vix futuras conspicuas spectatori in solo consistenti: præcipue quum vectes ipsos, quorum gratia hi unici facti erant, secum non attulisset Titus. An potius hic illud latus mensæ exhibitum dicemus in quo annuli non erant? Nam a duobus modo lateribus erant annuli. Sed tunc certe ad latera pedum sculpi debuissent. Prius magis mihi arridet. Si tamen sculpi annuli debuerint in hac imagine, ad latera collocandi fuisse videntur: quod colligimus ex Josepho qui vectes mensæ describens illos dicit non fuisse διηνεκεῖς aut perpetuo rectos, sed desinentes in περονίδας antequam εἰς τὸ ἄπειρον pertinerent. Illud videtur indicare longiores fuisse vectes, quam fuissent siquidem lateribus mensæ minoribus fuissent applicati & illic annuli fuissent: nam ita vix cubiti spatium fuisset plane διηνεκὲς, quoniam vectes διηνεκεῖς non erant nisi usque ad locum annulorum: annuli autem, si lateri mensæ breviori fuissent affixi, cubiti spatio, certe non amplius, distabant. Probabile ergo est, ut longiori spatio διηνεκεῖς concipiantur fuisse vectes, longiori mensæ lateri adhæsisse. Ceterum non memini hac de re aliquid certi in scriptis Hebræorum legere, fuerintne vectes latitudini mensæ an longitudini admoti. De arca tradunt vectes ejus lateribus brevioribus adhæsisse, ita ut velum quod Sanctum & S. S. distinguebat contingerent; quum arca ita esse posita, ut longitudo ejus latitudini tabernaculi & temᵻli esset obversa.

Hi annuli Hebraice טבעות dicuntur, ab infigendo, טבע adeoque licet annulos etiam notent quibus digiti inseruntur, aptissime tamen uncos & alia indicant, in & per quæ aliquid transmittitur, notatusque jam est ab aliis eorum error, qui quando vectes aut transtilla jungentia asseres tabernaculi trajecta per טבעות legunt, annulos sibi fingunt pendulos, per quos transtilla missa non tam arcte asseres jungunt ac per uncos qui dimidii circuli aut quadrati figuram habent, & ejusdem formæ transtilla admittunt. Δακτυλίους Græci interpretes reddunt ubique, excepto quod bis σύμβλησιν exhibeant. De annulis per quos vectes arcæ fœderis mittebantur, diserte notat Josephus Ant. III. *6.* illos per totam ligni substantiam penetrasse, κρίκοι τοῦ παντὸς διήκοντες ξύλου. De annulis mensæ nihil tale memoriæ prodidit.

Situs horum annulorum vix potest explicari nisi & figura simul sciatur, quam unus Jusephus tradidit. Videndum paucis quid in Sacro Codice de illis legatur. Jubetur artifex annulos vel uncos collocare לעמת מסגרת, id est (uti nos vertimus mox reddituri rationem versionis) *ut respiciant versus cingulum*, Misgereth dictum, quod pedes mensæ ambit in medio altitudinis mensæ. Sunt qui hæc verba ita ceperint ac si ipsi cingulo misgereth annuli affigi debuerint; sed aliud notat לעמת, *versus*, *e regione*. Abesse ergo a misgereth debuit, sed ita tamen ut ad eam conversi sint: quod ut clarissime capi possit Josephus facit, qui docet vectes immissos in hos uncos fuisse νέρθεν ἐξαιρετοὺς *deorsum exemtiles*, id est, si quis eos ex annulis vellet eximere, non debuisse vectes usque ad capita sua & ulterius per uncos propelli (quod fieri non poterat propter vectium περονίδας) sed versus inferiora ferri secundum ductum ipsius unci, donec per spatium apertum inter uncum & pedem mensæ demitti possent & eximi.

Vectes ipsi στελεοὶ appellantur a Josepho, qui tamen vectes arcæ & altaris aurei non ita vocat, sed σκυταλίδας, unde suspicio oritur credidisse eum vectes mensæ fuisse figuræ reliquorum. בדים appellantur Num. 36. 14. vectes mensæ, uti & arcæ & altaris aurei: nam lychnuchus non portabatur vectibus בדים dictis sed super-המוט. Confudisse videntur hæc duo בדים & מוט interpretes Græci, vel potius utrisque vocibus nomen dedisse commune, ἀναφορεῖς reddentes & hanc illam, uti & Latinus, *vectes*. Rectius tamen distinxissent, uti alibi מוט per ζυγὸν & κλοιὸν reddentes.

Κλοιὸς

Κλοιὸς in gloſſis veteribus redditur *Boia* & equuleum. Et ibidem *in Boia*, χλοιὸν περιτίθημι. Ita enim has voces uſus videtur junxiſse, ut pro una habita hunc locum in gloſsario occupaverit. Sic puella *in capillo* dicta fuit medio ævo innupta. Sic *in craſtinum*, *in domo*, *in procinctu* & alia inter voces ab litera i. inchoatas in gloſſis inveniuntur. Ceterum in gloſsario Latino Saxonico Aelfrici grammatici legitur *Nervi*, *Boia*, ſot-copſa. Boia vocem eſse probam Hieronymus docet in libello de nominibus Hebraicis ad vocem Luza, ἀμύγδαλον. *Licet quidam interpretentur* κλοιὸν, *torquem videlicet damnatorum*, *quam vulgo Boiam vocant*. Inde eſt vox Belgica, *boeyen*, i. e. vincula quibus rei conſtricti tenentur. Idem in commentario ad Jeremiæ cap. XXVII. Κλοιοὺς *qui Hebraice appellantur MUTOTH*, *&* *ſermone vulgari* boias *vocant*.

CAPUT XI.

ARGUMENTUM.

Duæ acerræ thuris ſupra menſam in arcu Titi conſpicuæ. Probabile redditur non alia vaſcula illic ſculpta eſſe quam ea quæ thus continebant. Forma acerrarum thuris quæ. כף *quid notet.* בזכין *appellantur a Judæis. Conciliantur Joſephi & Talmudicorum dicta de igne altaris in quem thus cremandum immitteretur.* Μαγὶς *patera diſtincta a* בזך, *& idem quod* σεχτάριον. Scuta, Scutella, אסקוטלא, *Belgarum* ſchotel. Citra, cetra. קערות *forſitan vaſa quibus acerræ thuris deferendæ ad menſam imponebantur. Conſuetudo orientalium vaſa majora minoribus ſupponentium ad uſum & ornatum. Acerras thuris impoſitas vaſis majoribus teſtantur Talmudici. Vaſcula minora* בזכין *appellant, majora* כפות. *Judæi ſæpe voces Hebræas in ſcriptis ſuis aliter uſurpant ac ſcriptores ſacri. Utrumque illud vas* כף *a Judæis aliquando dictum. Quinque vaſorum haud multum diſſimilium genera, quorum uſus erat quotidie in Sancto.* קערות *quid notet. Conjectura de* קשות *&* מנקיות, *forſitan, & illa par vaſorum fuiſſe quorum unum ſuſtinuit alterum, & ad menſam ſpectaſſe. Num calami inter panes poſiti & ſtipites erecti illis vocibus indicentur. Thus effuſum e vaſis in ignem altaris. Hæc vaſa* σπονδεῖα *recte dicta.* φιάλαι *&* σπονδεῖα *diverſa. Acerræ in quibus thus ad altare deferebatur,* θυμιατήρια *Joſepho, uti & illæ in quibus prunæ in Sanctum inferebantur.* Θυμιατήριον *in Sancto Sanctorum non erat altare ſuffitus. Altaris aurei mentio vel omiſſa ab iis qui vaſa Sancti deſcribunt vel non conjuncta cum deſcriptione menſæ & lychnuchi. Vox* θυμιατήρια *in Joſepho reſtituta. Nomen acerrarum* כף *nos ducit ad formam literæ Caph. Acerrarum thuris magnitudo.*

PAr vaſculorum menſæ impoſitum non videtur niſi geminas thuris acerras exhibere. Præter panes, quos hic nullos conſpicimus, quoniam Titus eos in menſam non invenit, ceſſante diu cultu ſacro, nihil aliud in menſa ſolebat poni præter duo illa vaſcula, vel ſola, vel uti nos ſuſpicamur impoſita ταῖς קערות de quibus mox; quum videlicet menſa loco ſuo in tabernaculo vel templo erat conſtituta. Quum enim velo contecta una cum apparatu ſuo deportari debuit per deſerta Arabiæ, voluit Deus non tantum panes ſuper eam eſſe, & has acerras, verum & קשות ומנקיות. De quarum vocum ſignificatione, præcipue ultimarum, ambigitur inter viros doctos: nam קערות probabile eſt lances vel vaſcula planiora & ſupponenda vaſculis כפות dictis indicare, qua de re mox uberius erit diſceptandi locus. Adeoque quum non alia vaſcula quam geminæ thuris acerræ juſſa ſint a Deo menſæ ſacræ imponi, cur in arcu Romano ſuper menſam conſpicuum par vaſculorum aliud fuiſſe crederemus?

Huc facit quod ipſe ſitus id ſuadeat. Sola illa conſpiciuntur ſuper menſam, quum tamen plura vaſa ſacra Hieroſolymis delata ad manum fuerint, quæ vix illuſtriori loco in pompa circumferri & ſpectatorum oculis exponi poterant quam ſupra menſam. Cauſſa ergo fuit quamobrem hæc duo minuta vaſcula, eaque ſola, ſuper menſam ſint collocata, de quibus ſine dubio interrogaturi eſſent omnes qui ea viderent quid ſibi illa minuta vaſcula, eaque ſolitaria, & vix aliquo externo ornatu, ſi materiam excipias, oculos perſtringentia vellent. Hoc videlicet erat quod hæ acerræ vaſa eſſent ipſi menſæ propria, adeoque ſupra ipſam menſam ſculpi debuerint, & ea quidem ſola quod ſola illa menſæ olim imponi con-

consuevissent. Unde obiter animadvertere licet, hinc quoque liquere mensam quæ hic conspicitur esse mensam sacram, non aliam, quoniam acerræ solæ huic mensæ vascula erant propria.

Forma ipsa id confirmat. Nomen כפות, si quis ex vocis origine judicium de figura ferre deberet, istiusmodi vascula notare, quæ uti hæc cava sunt, & recipiendo thuri aptissima, qualia hic exhibentur, unusquisque nec injuria existimaret. Quamobrem nihil vetat quominus hoc vasculorum par idem esse credamus quod nomine כפות in Sacro Codice nuncupatur.

Veteres quidem Hebræi in Misna Joma cap. v. misn. I. appellant thuris illas acerras mensæ sacræ imponendas non כפות, uti Moses, sed בזיכי לבונה של לחם הפנים *Bezeche thuris quod apponi debet* [*aut imponi*] *panibus propositionis*. Ita & in Siphra nuncupantur fol. 263. I. editionis Venetæ quæ cum luculento commentario קרבן אהרן prodiit. Unde suspicari licet idem vas כף & בזך nuncupari. Ita quoque in Codice Tamid cap. II. mn. 5. שם היו נותנין שני בזיכי לבונה של לחם הפנים *Illic* (loquitur de foco altaris exterioris secundo, qui erat circa angulum altaris notozephyrinum, 4 cubitis fere ab illo septentrionem versus remotus) *dabant* (in ignem) *duo Bezeche thuris panum facierum*. At Josephus ab hujus Misnæ auctore dissentire videtur lib. III. Antiq. cap. 10. scribens illud thus quod in sacra mensa fuit crematum fuisse ἐπὶ τῷ ἱερῷ πυρὶ ἐφ᾽ ᾧ καὶ ὁλοκαυτοῦσι τὰ πάντα, *igne sacro quo omnia holocausta cremabantur*. Is erat focus altaris primus, id est major, ad ortum altaris: nisi forsitan Josephus omnem altaris exterioris ignem appellaverit ignem holocaustorum, uti altare ipsum altare holocaustorum dici solet, etiamsi non iis solum sed aliis multis usibus servierit: præterquam quod ipsi Talmudici de numero focorum in altari exteriori non consentiant. Sed omnino notandum, Josephum non de altari Templi secundi loqui, in quo tot foci distincti fuerunt, sed de altari tabernaculi, ubi non nisi unus fuisse videtur.

Chaldæus quoque interpres כפות reddit בזיכין, & בזיכין sane vascula notat aut eadem ac כפות aut certe haud multum diversa. Judæi etiam בזיכין vocant vascula quibus oleum in lychnucho sacro continetur, quæ si respiciamus formam quam illa habent, aut cavitates in quas immittuntur, in lychnucho arcus Titiani (vide supra pag. 6.) non adeo profunda erant quam כפות sive acerræ thuris, concava tamen ita ut a lancibus planioribus debeant distingui. In cultu quotidiano agnus mane, agnus vesperi, mactabatur, & quum aliæ partes manu deferrentur ad altare, *intestina & pedes* קרבים וכרעים dicuntur imposita vasi בזך versus altare delata. Tamid. IV. 3. Ita quoque sanguis agni Paschalis excipiebatur in בזיך, quod ipsa rei natura suadet concavum & profundum fuisse ut sanguinem rite continere posset: verum ablegmina ejusdem agni in מגיס ἐν μαγίδι, deferebantur danda in altare. Ita legere est in Codice Misnico Pesachim capite quinto, misna 5. & 10. Sic in Joma VI. 8. in μαγίδι juvenci & hirci comburendorum ablegmina deferebantur ad altare. Sunt autem μαγίδες lances, [vide Plinium Hist. XXXIII. II.) & μαγὶς λέγεται παρὰ Ἄραψι τὸ σκουτάριον, *Magis apud Arabes nuncupatur scutella*. Liceat ita reddere verba auctoris Etymologici magni. Nos ipsi a forma scuti [aut scutulæ, quod Salmasio placet] solemus lances *schotelen* nuncupare quasi scutellas. Scutam enim, uti scutum, veteres dixere. Lucilius: *scutam ligneolam cerebro infixit*. Scutum minus erat clypeo. Clypei peditum, scuta equitum erant, teste Servio Æn. IX. 370. Hebræi veteres in Codice Misnico Moed Katon cap. III. 7. hanc vocem אסקוטלא usurparunt pro vase in quo cibus deferri solet, uti & קנון quod est κανοῦν Græcum, canistrum unde Belgicum *Canis*. Σκουτάριον in glossis veteribus redditur *Citra*. Docta manus ad marginem codicis mei emendavit *Cetra*. Non dubito, quin vere Chaldæus interpres Onkelosus voce eadem מניסיא reddit vocem Hebræam קערות Num. 4. 7. quod & ipsum nomen est quo vas exprimitur mensæ sacræ non quidem semper sed aliquando (quum deferebatur de loco in locum) impositum, & uti nos quidem existimamus lanx istiusmodi, cui כף id est acerra thuris imponebatur, quando thus ad mensam sacram deferri debuit: quod quoniam ad illustrationem notionis & usus ipsarum λιβανωτίδων de quibus agimus, omnino facit, paullo altius repetendum est ab ipsis gentium Asiaticarum consuetudinibus.

Mos est populorum orientalium, qui una cum potu calidæ ad nos dimanavit, vasculis rotundioribus & minoribus [qualia nos quoque & plerique Europæi, vocibus ab Hebræa כף ortis, solemus appellare *copas*, *couppes*, *&* *coppen*] supponere & usus & ornatus causa; ne videlicet aliquid ex vase minori effusum pereat, aut, si liquor sit calidus, manum

num bibentis lædat admotam vaſculo, vaſcula alia planiora quæ lancium magis formam habent, & nobis *ſchoteltjes* vel *bakjes* dicuntur, his fere ſimilia.



Id hodie copioſius docere non eſt neceſſarium quo uſus potus calidi foliis Theae & fabis Coffi mixti ita invaluit, ut vix dies, imo vix diei particula, ſine illo multis abeat, non ſine diſpendio bonarum horarum. Vaſcula in quibus oleum erat ad uſum nocturni luminis habebant apud ipſos, uti & apud nos aliquando, alia vaſa planiora, כלי תחת הנר לקבל בהם את השמן וניצוצות quibus oleum excipitur, ſi quod ex vaſe interiori effunderetur, aut ſcintillæ, uti Talmudici loquuntur, in Codice Schabbath, capite III. miſna *6*. aut quibus aqua infunditur, uti ibidem legere eſt.

Quum pulvis ſuffitus quotidie deferretur in Templum Hieroſolymitaum, eodem modo acerra ipſa thuris ſolebat imponi alii vaſi, minor majori, ne quid ex vaſculo minori effuſum in pavimentum decideret: tunc enim, ſi quid pulveris aromatici ex vaſculo minori in majus ſparſum eſſet (נתפזר ממנו) poterat ex majori in quod inciderat tolli, uti legere eſt in Codice Miſnico Tamid capite VI. miſna 3. Vaſculum autem minus in quo thus erat appellant Hebraei in eodem capite & Miſna בזך, uti & Chaldæum interpretem reddidiſſe vocem Biblicam כף audivimus, & vaſculum majus nuncupant כף, uti ſolet tempus vocum uſum immutare, & Iudæis ipſis non eſt religio vocibus Biblicis aliam ſignificationem tribuere ac iis convenire certum eſt in Codice ſacro: quod ſi hoc ageremus ex uſu vocis, שופר עצרת & aliarum poſſemus confirmare. In verſione Hiſpanica Codicis Tamid, a Judæis edita, hæc verba שזכה בקטורת היתה נוטל את הבזך מתוך הכף ונותנו לאוהבו ita exhibentur *Aquien tacaua el ſabumerio tomava la copa pequenna de entre le grande, y daua la grande a ſu amigo*. Appoſite, ſi quid judico. בזך eſt *copa* [liceat ea voce uti] *minor*, & כף eſt *copa major*, copa tamen utraque.

Ita etiam כף uti vas majus deſcribitur capite quinto Tamid §. 4. הכף דומה לתרקב גדול של זהב מחזיק שלושה קבין והבזך היה בתוכו מלא וגדוש קטורת וכסוי היה לו *Vas*, כף *dictum*, *ſimile erat tricabio* (*modio* alii. Hiſpani *quarteron*: ita & *Sabinorum lingua trimodiæ dicebantur vaſa minora quæ capiunt quinque aut ſex modios*, teſte Acrone ad Horat. Sat. I. I.) *magno aureo, quod continebat tres cabos, & בזך erat in medio ipſius plenum & operculo contectum*. Erat ergo בזך, uti alii Hebræorum recte ſcribunt, כף קטון בתוך כף גדול *Caph parvum in medio caph magni*. Quare ſuſpicor aliquando permutata fuiſſe in Miſna ipſa voces כף & בזך tanquam ſynonymas, uti quum in hoc ipſo Codice Tamid capite ſeptimo, miſna 2. legitur ſacerdotes, munere peracto in Sancto, ſtetiſſe in gradibus pronai cum quinque vaſis quibus uſi fuerant, ita ut ſinguli ſingula hæc manu tenerent.

1. הטני, vaſculum aureum, quo cinis ab altari interiori exceptus continebatur. Deſcribitur in Miſna Tamid. III. *6*. mentio fit etiam in Miſna Kelim XVI. 7. operimenti vel כסוי quo Teni tegitur. Mox videbimus & כף habuiſſe כסוי.
2. הכוז, quod eſt الكوز Arabum, القسط Damaſcenorum. Vaſculum aureum quo utebatur ille qui lychnuchum ſacrum aptabat. Diſtinguendum hoc eſt a כוס, quod in eodem capite tertio §. 4. nomen datur vaſi vel poculo aureo ex quo agnus ſacrificii jugis adaquari ſolebat, & in Siphra vaſi, quo ſanguis victimarum excipitur & ſpargitur.
3. המחתה, πυρεῖον. Vaſculum in quo prunæ continebantur ab altari exteriori petitæ ad adolendum ſuffitum. *la paletta* Hiſpanis. Eodem nomine & illud vas argenteum dicitur, quo prunæ ab altari exteriori tolli & deferri conſuevere ad pavimentum ad

ortum

ortum altaris, ubi avium ingluvies & cineres altaris interioris & lychnuchi colligebantur: quod dicitur תרום את המזבח. Vide Tamid. I. 4. ubi dicitur illud פסכתר poſitum fuiſſe in angulo inter clivum & altare ad occidentem clivi. Probe diſtinguendum hoc a פסכתר ſive olla cinerum quam ſacerdos hinc & ſacerdos inde per ſolum clivi dirigebat. Tamid. V. 5. מורידין בו את הדשן מעל גבי המזבח adeoque hoc eſt דישון את המזבח, non vero תרום.

4. הבזך.
5. כף וכסויה vaſculum כף, & operculum ejus.

Hic ſane כף dicitur operculo tegi, quod modo de בזך dictum fuerat.

Quæ quum ita ſe habeant, crediderim per קערות quæ conjunguntur cum כפורת uti vaſcula menſæ imponenda, quum deportanda eſſet alio, intelligi oportere vaſa alia majora quibus כף imponitur quando ad menſam defertur. Chaldæus, uti vidimus, *μαγίδων* nomen iis tribuit, Alexandrini *τρυβλία*. Joſephus etiam pro קערה *τρυβλίον* habet Antiquitatum libro tertio, capite nono, quando confertur cum Numerorum capite VII. commate 12. ubi *τρυβλίον* pro קערה, *φιάλην* pro מזרק, *θυίσκην* ponit pro כף, & de כף quidem ibidem legitur vas fuiſſe thure plenum, vel pulvere adolendo, מלא קטורת, ſic ut כף in Sacro Codice exhiberi fere videatur pro acerra thuris. קערה appellatur in Codice Schabbat cap. XVI. 7. vas quod invertitur ſuper lucernam (ita tamen ne extinguat) ne flamma trabem corripiat, & ſuper ſcorpionem ne moderat. In Siphra & Korban Aharon, eximio in librum illum commentario fol. * 262. legitur tres fuiſſe ſpecies vaſorum, quæ *τύποι*, דפוסין, a Judæis dicuntur, quod formam panum propoſitionis aut efficiant aut conſervent, primam in qua panis forma ſua datur, ſecundam in qua dum coquitur in furno eſt, tertiam in qua ſunt panes e furno exempti, ut formam eandem retineant. Tertiam hanc ſpeciem eſſe illa menſæ ſacræ vaſa, quæ קערות dicuntur, ibidem legere eſt.

Obſervatio illa, de more gentium Aſiaticarum ſupponendi vaſcula majora minoribus, non modo uſum habet in vaſis deſcribendis quæ ad odores quotidie incendendos adhibebantur & in iis quæ in menſa poſita thus continebant; verum quum & קשות & מנקיות ita jungi videamus; facit ut ſuſpicemur etiam iis indicari par ſimilium vaſculorum, quorum unum alterum ſuſtinet. Fuerunt certe hæc vaſcula ad menſæ ſacræ uſum facta, nam appellantur קשותיו & מנקיותיו, *keſchoth ipſius & menakkioth ipſius*. Sic ut de ſpondeis (ita Apulejus ſcriberet) aut vaſculis quibus vinum libabatur in altari exteriori neutiquam cogitandum ſit. Tunc enim non menſæ ſed altaris קשות videntur dici debuiſſe. Præterquam quod ſi iſtum uſum habuiſſent, ratio dari vix poſſit cur illa, quando tabernaculi vaſa alio tranſportabantur menſæ fuerint impoſita. Vaſa erant altaris exterioris. Cum iis potius transferenda eſſent: aut ſi cum aliquo vaſe Sancti, cum altari interiori, quoniam utrumque altare erat, inter quæ major eſt convenientia quam inter altare & menſam.

Quoniam ergo Keſoth & Menakkioth vaſcula fuerunt menſæ ſacræ uſui aptata, quænam illa fuiſſe dicemus? Non niſi panes & thus menſæ erant impoſita, panes ipſi menſæ, thus in כפורת ſupra panes, quæ כפורת, uti mox vidimus, potuerunt *ταῖς* קערות imponi. Quem uſum ergo præſtiterunt קשות ומנקיות? Sunt Judæi qui de calamis inter panes collocandis & ſtipitibus hic cogitant. Et profecto conjecturis locus eſt, quoniam incerta eſt vocis utriuſque ſignificatio. Mihi magis placet veſtigia veterum Græcorum & Chaldæi interpretis legere, & his nominibus vaſcula duo, alterum alteri imponendum, denotari, in quæ thus infundebatur quod in Sancto per dies ſeptem fuerat, ut ex iis in altare exterius daretur igni cremandum. Hoc ſuadet uſus quem ſacræ literæ iis adſignant אשר יסך בהן *quibus libabitur*, *effundetur*, in altare exterius. Ideo Keſoth appellantur הנסך *effuſionis* Num. 4. 7. In Joma cap. V. miſn. I. diſerte leguntur in Sanctum inferri ſolita ſingulis Sabbathis בזיכי לבונה acerræ thuris, quibus ſane thus inerat diverſum a thure quod in menſa erat: adeoque uti panes, ita & thus permutari oportuit. Hæc vaſcula apte *σπονδεῖα* nuncupantur ab effundendo thure.

Falluntur ſane qui *σπονδὴν* & *σπένδειν* non niſi de vino libaminis accipi poſſe autumant, & propterea vaſcula vino repleta menſæ huic impoſita fuiſſe crediderunt. Joſephus certe *οἰνοχόας* vocat [nomine a *σπονδείοις* diverſo] vaſa in atrio collocata juxta vel e regione altaris exterioris, quæ non poſſunt eſſe niſi vaſcula e quibus vinum libandum invergebatur ſimpulo altaris, lib. III. Antiquit. cap. 7. Sic etiam Antiq. III. 2. diſtinguit ſuis nominibus, agens de menſa ſacra, *φιάλας καὶ σπόνδια*, feciſſe illa Salomonem narrans, & ſupra menſam ea fuiſ-

fe

ſe collocata : quæ indicant [ni fallor] par illud vaſorum quod thus continebat, ſic ut minus φιάλα dicatur, majus σπονδεῖον. Certe ita vaſcula thure repleta phialæ appellantur Apocal. 5. 8. Φιάλαι γέμουσαι θυμιαμάτων, & nomen ܟܦܠ [quod convenit cum nomine כפורה quod Moſes acerris thuris tribuit) Syrus interpres Apoc. 15. 18. pro φιάλη adhibet. Joſephus voce φιάλης utitur Antiq. lib. II. 3. pro vaſe e quo bibitur, uti & Antiq. III. 10. ubi vas e quo mulier adulterii ſuſpecta bibit φιάλην vocat, uti & illud פיאלי dicitur in Miſna Sota II. I. Ita & in Siphra fol. * 129. I. vas ſupra quod avis leproſi mactatur פיילי φιάλα nuncupatur, & Chaldæus interpres Judic. 6. 38. pro Hebræo ספל, vaſe quo aqua continebatur, habet פיילי. Aelfricus denique in gloſſario, *Filia* vel *ſcala*, *bledu*, id eſt, vas potorium, Angloſaxonibus.

Videtur ergo Joſephus φιάλων nomen, de menſa ſacra agens, tribuiſſe acerris thuris, ſive כפורה, & σπονδείων nomen vaſculis majoribus quæ ſupponebantur acerris; certe non vaſis iſtis quibus vinum libabatur : nam eodem loco quem mox indicavimus [Antiq. III. 2.] ſed poſt interpoſitam lychnuchi deſcriptionem, diſtinguit οἰνοχόας & φιάλας, ſic ut οἰνοχόας vocet vaſa vinum continentia, vel meraria, (ἀκρατοφόρα, ut loquitur idem lib. VI. de bello cap. 16.) & alia vaſa ſacra commemorat quorum nomina & uſum notat, πίνακας, in quibus ſimila macerata ad altare deferebatur, κρατῆρας in quibus ſimila oleo ſubacta deferebatur, μέτρα quibus metiebantur arida & liquida, θυμιατήρια quibus ignis ab altari majori ad minus portari conſuevit & thus deferebatur in ſanctum. Hæc ideo diligentius adſcribo, ne quum hæ voces aliis locis in Joſepho leguntur aliquis putet ſe vim earum aſſecutum eſſe, ſi noverit quid κρατὴρ, quid πίναξ, Græcis ſonet. Immo vero ex Joſepho ipſo diſcere convenit quid fuerint κρατῆρες, non quælibet vaſa, non illa in quibus vinum aquæ miſcebatur, aut pocula (uti Græci vocem κρατήρων uſurpare ſolent) ſed ea quæ ſupra deſcripſimus ex Joſepho (niſi ipſe doceat quo modo velit intelligi, uti quum πίνακας thure plenos commemorat lib. III. Ant.) qui etiam Antiq. XII. 2. κρατῆρας, & φιάλας & σπονδεῖα a Ptolemæo miſſa diſtinguit plus ſemel.

Præterea σπονδείων nomen non neceſſario ad libationem vini nos ducit. Αἷμα eſſe σπονδὴν ψυχῆς Philo ſcribit libro de victimis. Αἷμα ἐπισπένδειν dicit Joſephus Antiq. XIII. 18. Θυσία καὶ σπονδὴ Græci reddunt Dan. 9. 27. voces זבח ומנחה. Heſychius Σπενδόμενος, ἀνατιθεὶς τῷ Θεῷ, & Σπένδεται, θύεται. Jerem. 52. 18. Aquila & Theodotion reddiderunt מזרקות per σπονδία. Adeoque σπονδεῖα, licet vulgo ſignificaret vaſcula vinum libandum continentia, tamen illa ſemper a Joſepho & aliis hac notione uſurpari debuiſſe non magis conſequitur quam vocem κρατῆρας, quæ, ſi originem ejus ſpectes, notat vaſa quibus vinum aquæ miſcebatur, & tamen a Joſepho uſurpatur pro vaſis in quibus ſimila ad altare deferebatur.

Ex his intelligitur apte illa vaſcula ex quibus thus in ignem altaris exterioris effundebatur σπονδεῖα dici poſſe, præcipue ſtante Templo ſecundo, quando eædem illæ acerræ quæ in menſa Sancti fuerant ad altare exterius deferebantur & σπονδείων vicem præſtabant. Ita enim Judæi in Codice Menachoth cap. XI. §. 7. deſcribunt modum permutandi panes & acerras thuris, ut duo ſacerdotes reciperent duos panum ordines ex menſa, & duo acerras thuris, alii duo inferrent panes recentes, & duo alii recentes thuris acerras. Quem quidem ritum an ab ætate Moſaica non derivabimus (quando potuerint acerræ thuris evacuatæ & thus in alius formæ vaſcula infuſum igni immiſſum fuiſſe) ſed recentiorum temporum conſuetudine, quando omnia ex Phariſaica Leges Divinas interpretandi methodo fieri conſueverunt, ſecus ac olim? An potius hoc dici poſſit, plures numero acerras thuris fuiſſe, ſicut & plurima θυμιατήρια in templo primo & ſecundo fuiſſe memorantur : ita ut כפות ſive acerræ thuris permutatæ fuerint in menſa ſingulis Sabbathis, & thus, quando adolendum eſſet in altari exteriori, infuſum in alia vaſcula quæ nomen Keſoth & Menakkioth gerunt. Ita non videtur ſupereſſe difficultas. Quod enim Talmudici ſcribunt הקטירו הבזיכין *adolent acerras*, non acerras ipſas ſpectat ſed thus in iis contentum, ut ſenſus ſit thus quod fuerat in בזיכין adolitum fuiſſe in altari : unde non efficitur neceſſario thus quando adolebatur ex ipſis illis בזיכין euffudi debuiſſe.

Convenit idem cum vulgari dicto Talmudicorum אין עניות במקום עשירות *non eſt paupertas in loco divitiarum* : quo innuunt nihil non magnificum in vaſis & apparatu templi credi oportere, nec illic ad uſus duntaxat neceſſarios vaſa fuiſſe comparata verum & ad magnificentiam & decus. Non ſolebat illic canon philoſophorum obſervari, quod fieri poteſt per pauciora non eſſe faciendum per plura, & exem-

exempla non desunt quædam ex uno vase in aliud transfusa fuisse, licet in vase priori commode manere potuerint & ad locum quo destinabantur deferri. Vide quæ de prunis ab altari exteriori petitis leguntur in Tamid v. 5.

Josephus thuris acerras impositas mensæ sacræ (vel panibus ipsis : ita enim plus uno loco scribit, quamvis in Siphra fol. * 263. 1. legatur, ne pondere suo panes premerent impositas fuisse acerras ipsi mensæ נותנם על גבי השלחן כדי שלא יבצעו את הלחם) nuncupat libro III. Antiquitatum πίνακας λιβανωτȣ γέμοντας. *Pateras thure plenas* reddidit interpres vetus Latinus, Epiphanius creditus. Sed acerras, quibus thus imponebatur adolendum in altari interiori, θυμιατήρια vocat libro octavo, & idem nomen dat illis vasis quibus prunæ ab altari exteriori desumtæ deferuntur ad altare interius, quorum tamen illa Hebræis כפות, hæc מחתות, appellantur. Ita scribit loco laudato θυμιατήρια δὲ χρυσᾶ ἐν οἷς ἐκομίζετο θυμίαμα εἰς τ̀ ναὸν δισμύρια, ὁμοίως ἀλλὰ θυμιατήρια, οἷς ἐκόμιζον ἀπὸ τȣ̃ μεγάλȣ βωμȣ̃ πῦρ ἐπὶ τ̀ μικρὰν βωμὸν τ̀ ἐν τῷ ναῷ, πεντακισμύρια. Fecit Salomo θυμιατήρια *aurea, quibus thus in ædem sacram inferebatur, viginti mille, & alia* θυμιατήρια, *quibus ignis desumtus ab altari majori defertur ad altare minus in æde sacra, quinquaginta millia*. Quo magis admiranda est illorum temeritas, qui per θυμιατήριον in epistola ad Hebræos, capite nono, commate quarto, ipsum altare aureum indicari autumant; quod certe in Sancto Sanctorum fuisse unquam collocatum scribere audere quemquam hoc nostro seculo, & in tanta qua fruimur luce literarum, non putem. Et quidni omittere potuit mentionem altaris aurei scriptor sacer, etiamsi id in sancto fuerit, qui se negat de singulis agere velle, qui Mosis vestigia legisse dici potest qui de mensæ quidem & lychnuchi fabrica agit sed de altari nonnisi magno postea intervallo? Josephum ipsum addo, qui quum Pompejum in Sanctum introducit lib. 1. de bello cap. 5. vidisse eum narrat lychnuchum, mensam & vasa libatoria, ac acerras, nulla facta altaris aurei mentione; uti nec illud a Tito ex sancto elatum est, conspiciendum ceteroquin una cum mensa & lychnucho in hoc ipso arcu triumphali. Erat tamen illic altare tempore Pompeji, quod haud ita diu ante Judas ipse novum fabricaverat, teste Josepho : & ipse, templum describens a Tito obsessum, memorat præter mensam & lychnuchum in Sancto altare fuisse.

Reposuerim libens in Josepho lib. XII. cap. 7. vocem hanc θυμιατήρια pro ea quæ nunc legitur θυσιαστήρια, ubi Antiochus ex Templo rapuisse dicitur λυχνίας χρυσέας, κ̀ βωμὸν χρύσεον κ̀ τράπεζαν κ̀ τὰ θυσιαστήρια. Præter enim βωμὸν χρύσεον non erat nisi unum θυσιαστήριον, nec illud ἐν ναῷ, nec dirutum aut ablatum ab Antiocho, sed profanatum, & quod Judas ipse Macchabæus demolitus est.

Ceterum quod spectat ad nomen כף his acerris datum, facile quivis intelligit, si formam literæ Caph cum iis conferamus, ea ipsa fere imaginem horum vasorum exprimi. Sic Vau litera & notat & figura sua exprimit clavos, qui solo infixi funes tabernaculi erecti tendebant.

Denique illud te, lector, esse admonitum volo ut ad harum acerrarum attendas magnitudinem, quæ satis bene convenit cum iis quæ Judæi de illa tradunt. Volunt *pugillum thuris* קומץ לבונה singulis fuisse impositum. Disertis verbis id R. Simeon tradit, cujus sententia refertur in Siphra, antiquo illo in Leviticum commentario, qui & תורת כהנים dicitur ac si Pandectas juris Sacerdotalis diceres, fol. * 262. 1. שהיא טעונה שני קמצים מלא הקומץ לסדר הזה ומלא הקומץ לסדר הזה. *Requiruntur duo pugilli thuris, unus pugillus plenus pro uno ordine panum, alter pro altero*. Capacia ergo vasa debuerunt esse pugilli, qualia omnino hæ acerræ sunt.

CAPUT XII.

ARGUMENTUM.

Tubæ duæ ſacræ apud Judæos in uſu. Lex Dei de illis inflandis. Joſephi verba. Non in omnibus ſacrificiis audiebantur tubæ ſed holocauſtis tantum & ſalutaribus. Receptacula nummorum in templo ſimilia tubis. Stante templo ſecundo & poſtea confuſæ voces שופר buccina & חצוצרות tubæ. *Joſephus quoque illas confundit ſæpius.* שופר *eſt* κέρας, חצוצרות σάλπιγγες. *Hieronymi monitum de diſtinctione buccinæ & tubæ.*

QUartum & ultimum ſpoliorum ſacrorum genus per triumphum a Tito latum, & in arcu ei erecto conſpicuum, tubæ ſunt eæque geminæ. Tot numero Deus olim eas fabricari juſſit Num. 10. 1. *Fac duas* חצוצרות *argenteas, operis* Mikſcha (*ductiles* reddit Hieron. ad Ezech. VII. ita ut opponatur opus hoc malleo ductum operi quod funditur & מוצק dicitur) *facito illas, & ſunto ad hos uſus, ut convoces multitudinem, & proficiſci facias exercitum.* Deinde a Sacerdotibus quidem illas inflari voluit, & non tantum illo tempore, ſed perpetuo quandiu ſalva eſſet res publica Iſraelitica לחקת עולם לדורתיכם in *ſtatutum ſempiternum in ætates veſtras.* Quare ſubjungit iis utendum eſſe quum prælia inirent, quum publice dies lætos feſtoſque & novilunia agerent, quumque holocauſta ac ſacrificia ſalutaria facerent. Hæc quidem lex Moſis, quam ita interpretatur, qui ipſum fratrem Moſis inter majores ſuos numerabat, Joſephus lib. III. cap. II. Εὗρε δὲ καὶ βυκάνης τρόπον ἐξ ἀργυρείου ποιησάμενος· Ἔστι δὲ τοιαύτη· μῆκος μὲν ἔχει πηχυαῖον ὀλίγῳ λεῖπον· στενὴ δ᾽ ἐστὶ σύριγξ αὐλοῦ βραχὺ παχυτέρα· παρέχουσα δὲ εὖρος ἀρκοῦν ἐπὶ τῷ στόματι πρὸς ὑποδοχὴν πνεύματος, εἰς κώδωνα ταῖς σάλπιγξι παραπλησίως τελοῦν· Ἀσώσρα καλεῖται κατὰ τὴν Ἑβραίων γλῶσσαν. Γίνονται τε δύο. Quæ ita reddit Epiphanius, vel ſi quod aliud nomen eſt interpreti veteri. *Adinvenit autem & modum tubæ ex argento factæ quæ eſt hujuſmodi. Longitudine quidem habens pene cubitum: eſt autem anguſta fiſtula cantatoria, calamo capacior, præbens latitudinem quæ conveniat ori ad ſuſceptionem ſpiritus & claſſico ſono vicina eſt, quæ Hebraica lingua vocatur Aſoſra.* [Confer Hoſ. 5. 8.] *Factæ ſunt tales duæ.*

Quod vero attinet ad uſum, præter convocationem populi & motionem caſtrorum (ubi tamen nota unam inflatam aliquando, aliquando alteram) obſervat harum uſum fuiſſe in oblatione victimarum & ſabbathis & reliquis diebus: nulla facta diſtinctione ſacrificiorum ſalutarium holocauſtorumque a reliquis, ac ſi ad ſingula ſacrificia tubis clanxiſſent. In Codice Tamid cap. VII. 3. legitur quotidie ſtetiſſe ſacerdotes duos in atrio templi ſecundi ad menſam adipum quæ erat ad occaſum clivi altaris & שתים חצוצרות של כסף בידם *duæ tubæ argenteæ erant in manibus eorum*, quibus clangebant quum vinum libabatur. Tradunt porro Judæi in oblatione ſacrificiorum illorum quæ libamen vini non requirebant, qualia erant ſacrificia piacularia & pro delicto, ſacerdotes tubas non inflaſſe, ideoque Deum juſſiſſe clangorem tubarum non in omnibus ſacrificiis ſed tantum in עולות ושלמים *holocauſtis & ſalutaribus.* Ceterum ſemel & vigeſies ad minimum quotidie inflatas fuiſſe tubas in templo docetur in Codice Succa cap. V. miſn. 5. ubi videre eſt quando & quam ob rem. Rabbini etiam in jejuniis publicis tubas adhibuerunt, id colligentes ex verbis Dei Num. 10. 9. *contra hoſtem prementem.* Vide codicem Roſh haſſchana cap. III. 4.



Forma tubarum, præterquam quod luculenter ex descriptione Flaviana possit intelligi, alia quoque vasa Templi Hierosolymitani illustrat. Fuerunt in atrio mulierum tredecim receptacula nummorum, in quæ sicli & alii immittebantur, [nec in Templo solum sed in aliis urbibus Palestinæ, uti traditur in Schekalim cap. 11. misn. 1.] quæ a forma sua *tubæ* appellantur sive שופרות Vide Cod. Schekalim VI. 5. Ita enim nunc reddo hanc vocem, quam, stante templo primo aut tabernaculo si vixissem, buccinas aut cornua reddidissem: usum secutus, quem penes loquendi norma & arbitrium est. Judæi enim stante Templo secundo cœperunt confundere tubas & buccinas, instrumenta diversa omnino, uti alio loco ubertim ostendimus, & post ejus excidium plane unum pro altero substituerunt, uti Raf Chasda testatur, & חצוצרתא שופרא ושופרא חצוצרתא *chatzotzarta* appellarunt *schophra*, *schophra* autem *chatzotzarta*. Forsitan boni ominis causa cœpta est substitui vox Schophar pro Chatzotzera, quoniam Schophar index esse rerum lætarum solebat. In Mechilta lego fol. 40. 1. כל מקום שנאמר שופר סימן טוב לישראל, *Ubicunque legitur in Codice Sacro vox* שופר, *signum est rerum faustarum Israelitis*. Videntur ergo illa receptacula nummorum hujus fere figuræ fuisse, & ideo tubarum nomine dicta quoniam διὰ τὸ ἐκ στενότητος ἀνευρύνεσθαι κώδωνι σάλπιγγος, erant similia, ut verbis utamur Pollucis 11. 4. Κώδων proprie est πλατὺ τῆς σάλπιγγος, teste scholiaste Sophoclis in Ajace μαστιγοφ. In os angustum superne immittebantur nummi, & extrinsecus inscriptum erat receptaculis quibus nummis recipiendis essent destinata, uti in uno videre est quod tabella in æs incisa oculis subjicit.

Josephus βυκάνας vocans has tubas innuit jam suo tempore buccinarum & tubarum vocem cœpisse confundi. Sic ut βυκάναι sint חצוצרות. Ita & Antiq. IX. 12. scribit ἱερεῖς βυκάνας ἔχοντες ἐσάλπισαν. At erant tubæ i. e. חצוצרות, vide 2. Chron. 29. 26. Juvat idem confirmare ex antiquo volumine Midrasch schir hasschirim dicto fol. 12. col. 2. ubi שופרות distinguuntur a βυκάναις plane uti apud Josephum. Verba hæc sunt כשבא המלך ומצאם ישנים העמיד עליהם בקלאניק בוקינס ושופר *quum venit Rex & invenit eos dormientes excitat eos* קלאניק *buccinis & שופר*. Sunt tres species instrumentorum sonum edentium, מיני משמיעין קול uti glossator notat. Hic βυκάναι diversæ sunt a שופר, & eædem ac חצוצרות. Verum alibi Josephus lib. V. Antiq. cap. 1. שופרות appellat κέρατα, uti etiam Jos. 6. 5.

6. 5. idem קרן & שופר dicitur. Κέρασιν σαλπίζειν ei est inflare cornua, & σαλπίσας κέρατι scribit Antiq. VII. 10. & cap. 11. κέρασιν ἐπισαλπίζοντας βοᾷν & lib. IX. 4. σαλπίζοντες κέρασιν. Atque ita interpretes V.T. שופר per κερατίνην sæpe reddiderunt, sed frequentius per σάλπιγγα. At quum חצוצרה semper reddant per σάλπιγγα, & sine dubio שופר & חצוצרות instrumenta fuerint diversa, præstitisset שופר semper per κερατίνην reddere & חצוצרות per σάλπιγγας. Joseph. lib. V. 8. שופר quod appellatur Judic. VII. describit κριοῦ κέρας, ᾧ ἐχρῶντο ἀντὶ σάλπιγγος *cornu arietinum quo utebantur loco tubæ*, & propterea ipsum illud cornu σάλπιγγα vocat paullo post, quia σάλπιγγος sive tubæ vicem præstabat, σάλπιγγι scribens ἠχήσαντες. Sic quoque lib. VII. Antiq. cap. 11. quod. 1. Reg. 1. legitur שופר, σάλπιγξ dicitur Josepho. Σάλπιγξ ceterum tuba est, quumque de Romanis agit lib. III. de bell. Jud. cap. 3. ἐξιέναι τοῦ στρατοπέδου δέον ὑποσημαίνει ἡ σάλπιγξ. *Signum exeundi e castis facit tuba*. Et Josephus ipsas has tubas σάλπιγγας vocat Antiq. VIII. 2. κατὰ Μωυσέως ἐντολὴν μυριάδες εἴκοσι 20. *myriades tubarum*.

Hieronymus prudenter in commentario ad Hos. 5. tubas & buccinas ita docet distinguere. *Buccina pastoralis est & cornu recurvo efficitur: unde & proprie Hebraice sophar, Græce* κερατινὴ, *appellatur. Tuba autem de aere efficitur vel argento, qua in bellis & solennitatibus concrepabant*. Ita & lituum a tuba distinguit Acron Horatianus carm. 1. 1. *Inter lituum & tubam hoc distare inveni: lituus equitum est & incurvus; tuba vero peditum est & directa*.

CAPUT XIII.

Fata horum spoliorum enarrantur, postquam e Templo Hierosolymitano rapta sunt. Judæorum commenta de Tito. Καταπετάσματα *duo inter sanctum & sanctum sanctorum. Spolia hæc Romæ in templo Pacis collocata. R. Eliezer filius Jose testatur se laminam frontalem Pontificis Maximi Romæ vidisse. Sub imperio Commodi templum Pacis conflagravit. Rumor Alaricum Roma capta Carcassonem hæc spolia detulisse. Gezerichus illa in Africam transtulit postquam Roma potitus erat. Belizarius devictis Vandalis ex Africa Constantinopolim ea tulit. Inde Hierosolymas missa sunt. Ratio quamobrem illa Constantinopoli Imperator servare non duxerit consultum.*

ULtimo hoc capite ea consectabor quæ de fatis horum spoliorum in monumentis veterum memoriæ prodita inveni, utque illa per tres partes orbis eo tempore cogniti, Asiam, Europam, atque Africam lata sint. Josephus quidem libro VII. de bello cap. 24. meminit velorum templi, καταπετασμάτων, & libri Legis Judaicæ, quæ Romæ in palatio fuerint reposita. Hebræi narrant, sed ex odio Titi quem אותו הרשע vocant, ac si Latine hominem longe post homines natos sceleratissimum diceres, non modo velis sacris eum vasa templi imposuisse, sed & contaminasse adytum impio facinore, in Gemara Gittin. fol. 56. 2. תפש זונה ונכנס לבית קדשי הקדשים והציע ס״ת ועבר עליה עבירה נטל סייף וגידר את הפרכת ונעשה נס והיה דם מבצבץ ויוצא וקסבור הרג את עצמו *Cepit meretricem eaque inducta in sanctum sanctorum, stratoque Legis volumine, facinus patravit super illud: dein stricto gladio velum perrupit, unde sanguis, facto miraculo, missus est, sic ut exiens Titus putaret se Deum ipsum peremisse*. sc. in aliis codd. post עצמו sequitur (הקב״ה) & deinceps נטל את הפרכת ועשאה כמין גרגותני והביא כל כלים שבמקדש והניחן בהן והושיבן בספינה לילך ולהשתבח בעירו *Acceptum velum* (in midras Coheleth ubi idem fere fol. 101. col. 3. legitur שתי הפרכות *duo vela*: videlicet utrumque hoc פרכת & καταπέτασμα dici potest, quia unum velum ita suspendi potuit, ut utraque sui parte, pendula & cubiti spatium distante, speciem duorum velorum exhibuerit: quo sensu Matthæus c. 27. 51. καταπέτασμα ruptum scribit, licet utrumque velum ruptum fuisse, non unum, probabile sit) *in formam sacci composuit* (glossa סל גדול ששפין בו יין) *& vasa omnia Templi ei imposita navi commisit, ut Romæ ea ostentaret*, σεμνυνόμενος ἐπὶ αὐτοῖς, uti Josephus loquitur lib. VI. de bello Judaico c. 24. Postquam Romæ in triumpho Titi Vespasiani lychnuchus circumlatus est, uti liquet ex arcu triumphali adhuc superstite, collocatus fuit in Templo Pacis [loco aptissimo, quum etiam *Jerusalem* nil nisi *possessionem pacis* significet] teste Josepho lib. VII. de bell. Jud. cap. 24. [sequor distinctionem Rufini] Ἀνέθηκε δ' ἐνταῦθα καὶ τὰ ἐκ τοῦ ἱεροῦ τῶν Ἰουδαίων χρυσᾶ κατασκευάσματα. *Deposuit illic quoque aurea vasa Templi Judæorum*. Fuisse autem lychnuchum & alia spolia Templi Hieroso-

rosolymitani in hoc Templo pacis usque ad ejus incendium probabile est. Judæi certe memorant laminam auream fronti Pontificis Maximi præfigi solitam Romæ conspectam fuisse a R. Eliezere filio Jose, qui R. Akibæ σύγχρονος imperante Hadriano fuit. Legitur in Gemara Succa fol. 5. 1. ציץ דומה כמין טס של זהב ורחב שני אצבעות ומוקף מאזן לאזן וכתוב עליו שני שיטין יו״ד הא׳ למעלה וקדש ל״מד למטה ואמר ר׳ אליעזר בר יוסי אני ראיתיו ברומי וכתוב עליו קדש לה׳ בשיטה אחת *Lamina erat instar folii aurei* [πέταλον ideo Græci vocant] *cujus latitudo erat duorum digitorum, longitudo pertinebat ab una aure ad alteram; scriptum erat in ea duobus versibus, nomen* יהוה *supra & literæ* קדש ל׳ *infra* (ea, licet videantur ordine præpostero disposita, quidam ita scripta fuisse autumant, ut nomen Dei sanctissimum obtineat primum & supremum locum) *R. Eliezer filius Jose dicit: ipse conspexi Romæ hanc laminam, sed uno versu erant omnia* קדש ליהוה. Huc spectant etiam quæ de hac lamina Josephus Antiquit. VII. 2. scribit, ἡ στεφάνη εἰς Μωυσῆς τὸν Θεὸν ἔγραψε, μία ἦν καὶ διέμενεν ἄχρι τῆς δὲ τῆς ἡμέρας. *Corona in qua Moses Dei nomen inscripsit unica erat, & superstes est in hunc usque diem*: adeoque post urbis excidium.

Imperante. Commodo deflagravit hoc templum Pacis, teste Herodiano historiarum lib. I. cap. 14. sed cum eo non periisse hæc spolia Hierosolymitana certum est, quoniam sæculo quinto a Christo nato ea in Africam delata sunt, ut mox videbimus.

Ab illo tempore secula quædam elapsa sunt, quibus altum apud scriptores, quos quidem nos legerimus, silentium est de loco ubi hæc templi spolia latuerunt. Invenio apud Procopium lib. I. de bello Gothico, pag. 343. editionis regiæ, quæ huc possent referri. Καρκασιωνὴν δὲ πολλῇ σπουδῇ ἐπολιόρκουν ἐπεὶ τὸν βασιλικὸν πλοῦτον ἐνταῦθεν ἐπύθοντο εἶναι ὃν δὴ ἐν τοῖς ἄνω χρόνοις Ἀλάριχος ὁ πρεσβύτατος Ῥώμην ἑλὼν ἐληΐζατο. Ἐν τοῖς ἦν καὶ τὰ Σαλομῶνος τοῦ Ἑβραίων βασιλέως κειμήλια ἀξιοθέατα ἐς ἄγαν ὄντα. Πρασία γὰρ λίθος αὐτῶν τὰ πολλὰ τὸ ἐκαλλώπιζεν, ἅπερ ἐξ Ἱεροσολύμων Ῥωμαῖοι τὸ παλαιὸν εἷλον. *Summa contentione Carcassionem obsident, ferente fama, gazam ibi Imperatoriam asservari, quam ætate superiori, Roma capta, Alaricus senior abstulerat. In ea erant Salomonis Hebræorum regis cimelia visu dignissima. Erant enim prasiis ornata lapidibus complura vasa quæ quondam Romani Hierosolymis exportaverant.*

Verum diserta magis sunt verba Anastasii, bibliothecarii, historiæ ecclesiasticæ pag. 43. editionis regiæ [qui in his, ut alibi, Theophanem exprimit] ex quibus docemur hæc vasa anno aeræ Christianæ 450. Roma in Africam fuisse delata. *Præterea Gezerichus, nemine sibi resistente, introivit Romam tertia die Maximi fugæ, & sublatis omnibus pecuniis & civitatis miraculis in naves receptis, in quibus erant ecclesiastica cimilia tota ex auro, lapidibus pretiosis ornata, & vasa Hebraica, quæ Titus Vespasiani filius post captivitatem Hierosolymorum Romam detulerat, una cum Eudoxia Imperatrice ac filiabus ejus in Africam navigavit.*

Deinde circa annum 520. devictis a Belizario Vandalis iterum ex Africa in Europam delata sunt. Anastasius: *Cumque Belizarius Byzantium una cum Gelimere & Vvandalis pervenisset magna præmia percipere meruit, qualibus nimirum temporibus priscis Romanorum prætores in maximis victoriis digni efficiebantur. Sexcentis enim annis transactis nemo ad talem pervenit honorem nisi Titus, Trajanus, & alii Imperatores qui magistratum contra barbaricas nationes obtinentes mirabiliter triumpharunt, exuviisque ostensis & ex bello mancipiis in media urbe pompis hæc publicavit, quod triumphum vocant Romani. Sic veteri quidem modo sed pedestri incedens in domo sua usque ad Hippodromium. Erant autem exuviæ quotquot administratorio principis ordini competebant, id est, throni aurei & rhedæ quibus regum uxores vehuntur ornatusque de lapidibus pretiosis compositus, argenti quoque multa millia talentorum & diversorum Imperialium vasorum quæ Gezerichus, Romano despoliato palatio, in Africam tulit: inter quæ & Judæorum vasa quæ Vespasiani filius Titus post captam Hierosolymam Romam detulerat.*

Procopius lib. II. cap. 9. de bello Vandalico, ultimus est, quod sciam, qui meminit horum spoliorum in descriptione triumphi Belisarii. Ἦν δὲ λάφυρα μὲν ὅσα δὴ ὑπουργίᾳ τῇ βασιλέως ἀνεῖσθαι εἴωθε, θρόνοι τε χρυσοῖ καὶ ὀχήματα οἷς δὴ τὴν βασιλέως γυναῖκα ὀλεῖσθαι νόμος· καὶ κόσμος πολὺς ἐκ λίθων ἐντίμων συγκείμενος· ἐκπώματά τε χρυσᾶ καὶ τὰ ἄλλα σύμπαντα ὅσα ἐς τὴν βασιλέως θοίνην χρήσιμα. ἦν δὲ καὶ ἄργυρος ἕλκων μυριάδας ταλάντων πολλὰς καὶ πάντων τῶν βασιλικῶν κειμηλίων πάμπολύ τι χρῆμα ἅτε Γιζερίχου τὸ ἐν Ῥώμῃ σεσυληκότος παλάτιον ὥσπερ ἐν τοῖς ἔμπροσθεν λόγοις ἐρρέθη, ἐν τοῖς καὶ τὰ Ἰουδαίων κειμήλια ἦν ἅπερ· Οὐεσπασιανοῦ Τίτος μετὰ τὴν τῶν Ἱεροσολύμων ἅλωσιν ἐς Ῥώμην ξὺν ἑτέροις τισὶν ἤνεγκε. Καὶ αὐτὰ τῶν βασιλέως γνωρίμων τινί· ταῦτα, ἔφη, τὰ χρήματα ἐς τὸ ἐν Βυζαντίῳ

πα-

παλάτιον ἐσκομίζεσθαι ἀξύμφορον οἴομαι εἶναι. οὐ γὰρ οἷόν τε αὐτὰ ἑτέρωθι εἶναι ἢ ἐν τῷ χώρῳ, οὗ δὴ Σολομὼν αὐτὰ πρότερον ὁ τῶν Ἰουδαίων βασιλεὺς ἔθετο. Διὰ ταῦτα γὰρ καὶ Γιζέριχος τὰ Ῥωμαίων βασίλεια εἷλε καὶ νῦν τὰ Βανδίλων ὁ Ῥωμαίων στρατός. Ταῦτα ἐπεὶ ἀνενεχθέντα βασιλεὺς ἤκουσεν· ἔδεισέ τε, καὶ ξύμπαντα κατὰ τάχος ἐς τῶν Χριστιανῶν τὰ ἐν Ἱεροσολύμοις ἱερὰ ἔπεμψεν. *Erant autem spolia, ea quæ regiis usibus inservire solent, sellæ aureæ, vehicula uxoris Principis, mundi gemmei ingens vis, pocula ex auro, epularis omnis supellex regis, talentorum argenti multæ myriades & magna regiorum vasorum copia quæ Gezericus, uti supra memoravimus, ex Romano palatio rapuerat. In his vasa Judæorum erant quæ Titus Vespasiani filius post Hierosolymorum excidium Romam cum aliis adsportaverat. Ea conspicatus Judæus quidam adstans uni ex Augusti familiaribus eum monuit :* non expedit, uti ego existimo, hæc in palatium Byzantinum inferri. Nusquam enim servari possunt, nisi ubi principio reposita fuerunt a Salomone Judæorum rege. Quod quia factum non est (& alieno loco hæc vasa Templi in terris Gentium collocata sunt) ideo Gezerichus Romanam regiam cepit, & Vandalicam Romani. *Hæc Imperatori renuntiata metum incusserunt, ita ut omnia illa Hierosolymas miserit ad templa Christianorum quæ ibi erant.* Credibile est Judæo in mentem venisse quod arcæ fœderis acciderat, quæ in urbes gentium delata ubicunque esset male mulctabat incolas, donec coacti fuerunt Philistæi illam ad locum suum & populi Israelitici regiones remittere. Forsitan & ad Belsazarem respexit, qui vasis templi in regia sua usus est & ea re pœnas dedit. Quid porro his spoliis acciderit, & an navis, cui credita sunt, in Palæstinam appulsa sit, aut alia his vasis reditum præciderint, nos latet. Certe Hierosolymis nunc non conspiciuntur.

والله يعلم.



THEO.



THEODORI DASSOVII
IMAGINES HEBRÆARUM
RERUM.

I. N. J.

PRÆFAMEN.

CUM nervi atque artus sint sapientiæ non temere credere, merito miramur, qui fiat, quod, hoc scripturiente seculo, quibuslibet assertis, quæ de Hebræorum rebus circumferuntur, sine ulla indagine credatur. Nam inter eos, qui Hebræis operantur literis, oppido multum est discriminis: cum nec pari ad institutum ingenio accedant omnes, nec parem omnes, quæ requirebatur, conferant industriam, nec discendi adminiculis idoneis universi gaudeant, sed in pulcherrima contentione industriæ, aliqui in primis, aliqui in secundis vel tertiis, prout temporis vel operæ ferebat ratio, subsistere cogantur. Ut autem constet discendi avidæ juventuti Academicæ, quinam Hebræas res illustrare imaginibus aggessi sint, eam sibi operam sumserunt, præter *Joh. Baptistam Vilalpandum, Romæ in fol. excusum, & Ariam Montanum, Eduardus Lee peculiari libro in fol. imaginibus in singulis paginis referto; Johannes Seldenus, in libro de jure naturali & gentium juxta disciplinam Hebræorum in fol. & 4; Joannes Braunius, Prof. Groningens. in libro de vestitu Sacerdotum Hebræorum in 4. & in Selectis Sacris in 4; Johannes Christoph. Wagenseilius, Prof. Altorfinus, in Sota in 4. Constantinus l'Empereur in Middoth in 4. vir in his literis præcipuus, Joannes Saubertus Prof. Altorfin. in Jacobi Jehudæ Leon. librum de templo Hierosolymitano in 4. Hermann. Witsius in Miscellaneis sacris in 4. Guilielmus Sarenbusius in Mischna, sive totius Hebræorum juris rituum, antiquitatum & legum oralium Systemate aliquot Tomis in fol. anno 1698. & sequentibus excuso; Wilhelmus Goereus in Judaicis antiquitatibus Belgico idiomate expressis, 2. vol. in fol. Amst. an. 1690. ut & ex Goeræi Manuscriptis in nova editione Cunæi Belgica tribus voluminibus in 8. anno 1675. Amsterd. impressis, ubi inumeræ fere imagines occurrunt; Joannes Coccejus in Ezechielem operum T. 3. edit. Francof. in fol.; Matthias Hasenrefferus in templo Ezechielis edit. Tubingensis; Ludovicus de Compiegne de Veil in libro de cultu divino ex Mosis Majemonidæ secunda lege, Parisiis anno 1678. in 4. excuso; Salomon van Till,*

Till, *Profess. Dordracenus*, *in libro Belgico idiomate de veterum & inprimis Hebræorum musica*, *Dordraci anno 1692. edito*; *Moses filius Gersom in libro Chaphetz*, *Venetiis multis imaginibus distincto*; *Jehuda Leonis in Planta de la situacion del tabernaculo & in Planta del admirable real en todo al derredor del tabernaculo*; *Leonh. Christ. Sturmius in sciagraphia Templi Hierosolymit. in 4. & nuper Joannes Lundius*, *sacerdos Tunderanus*, *in nova edit. posthuma in fol. Hamburgii Germanice excusa anno 1701. publici juris facta*. * Quorum omnium diligentiam, quam adhibuerunt, si mente mecum animoque reputo, non possum non primas Professoribus Academicis deferre partes, utpote in his literis exercitatis; Sacerdotibus autem & iis, qui aliis impediti curis minus ad hanc rem contulerunt operæ, non nisi secundæ vel tertiæ relinquuntur, laudantur tamen, quod progredi eousque voluerint, quo poterant. Hoc enim extra omnem dubitationis poni videtur aleam, illos, qui libros Hebræorum non legerunt, sed Christianorum tantum vitula ararunt, non posse anteferri illis, qui ipsam linguæ indolem & præcipuos ejusdem magistros nocturna diurnaque versarunt manu, & in dissensionibus literariis, juxta concilium Hierosolymitanum summum, rem deciderunt, cum reliqui, harum decisionum ignari, nescio quas sententias sequantur, ne quidem probabiles. Ii autem inprimis rem videntur retigisse acu, qui imagines, a Judæis ad mentem veterum expressas, secuti sunt, v. g. imagines, quas oculis subjeceruut *Josephus Barisaschar in sepher Joseph Daath edit. Pragensis in 4. & Jacobus Kaphelius in Sepher Omeck halacha edit. Cracoviensis in 4.* quorum autorum fides vix vocari in dubium potest, cum decisa Hierosolymitana sequantur. His præmissis ad rem ipsam accedimus. Sit itaque.

THESIS I.

Arcæ fœderis insistebant Cherubini duo, puerorum instar, quorum alis imminebat nubes gloriæ.

I.

Sunt qui Cherubinos delineant, quasi arcæ in virili forma adstiterint, sed re-

fragantur Hebræi veteres, qui constanter asserunt, ex ipsa propitiatorii sacri massa solida fuisse fabrili opere confectos, ut removeri ab ea non potuerint, & in ejus latitudine positos, idque probant ex Exod. 25. commate decimo nono. Videantur *Jarchius in h. l. in Bibl. Buxtorff. & Levi Ben Gerson*, *in Perusch al hattora edit. Venet. in fol. fol. tot. col. 3.* Quod autem in latitudine ponerentur, multis rationibus confirmat *Alphonsus Tostatus Operum T. 2. part. 2. edit Colon. p. 53.* Quid autem significarint, docet *Jacobus Leonitius in tractatu de Cherubinis Amstel. in 4. excuso*. **

II.

Alii Cherubinos effigiant, quasi in genua procumbant in propitiatorium; sed, steterint, Hebræi volunt, quia ipsimet, stantes illos exhibent in *titulo versionis Germanicæ V. T. Jekuthielis*, *Amstelod. in fol. excusæ*.

III.

Alii nubem gloriæ infra & supra alas Cherubinorum collocant, sed Deus nuspiam in sacro codice sedere infra Cherubinos, sed sedere supra Cherubinos dicitur. Imo Majestati divinæ adversaretur, si Cherubinorum alis protegi necesse haberet. Hebræi autem illud spatium, a nube gloriæ vacuum, quod inter alas Cherubinorum & inter propitiatorium erat, abitrantur fuisse palmorum decem sicut eleganter docet *Elias Orientalis in Pentateuch. edit. Cracov. in fol. f. 127. col. 4.*

THESIS II.

Sanguines, ante vel supra arcam fœderis sparsi, inter vectes arcæ spargebantur.

I.

Cernimus, sacerdotem summum sanguinem spargentem in festo expiationis ita effigiari, ut a latere arcæ extra vectes consistens sanguinem nuda manu illinat propitiatorio, quæ sententia omni antiquitatis consensu caret. Nam quod sacerdos summus inter vectes arcæ steterit, expressis verbis affirmat *Maimonides in opere antiquitatum*, *in libro de festo expiationis cap. 4. edit. Venetæ majoris*, *T. 2. fol. 476. col. 4. & edit. Venetæ minoris T. 3. fol. 266. p. 1.* Idem docetur in *Mischna Joma c. 4.* ubi præ- terea

* Adde auturem ἀνώνυμον libri inscripti: Der Tempel Salomonis nebst allen in folgender Beschreibung und beygfügten Kupfern enthaltenen Theilen desselben / in eniem eigentl. Modell tc. in dem Waysenhause zu Glaucha an Halle anno 1717. aufgerichtet Hall / 1718. in 4. In cujus præfat. nonnulli etiam alii libri hujus argumenti excitantur, & dijudicantur. Conf. etiam Cel. *Fabricius in bibliogr. antiq. p. 8. seqq. & Jac. Le Long. biblioth. sacræ Tom. II. p. 1063. seq.*

** Conf. *H. J. von Bashuysen disput. de Cherubinis ad* Hebr. IX. 5. *Joann. Spencerus de leg. Mos. rit. lib. 3 diss. 5. c. 3. & seqq. it. Joann. Clericus ad* Exod. XXV. 18. alii a Ven. *Fabricio in Bibliographia antiqu. p. 288. citati.*

terea adjungitur, non solum inter vectes stetisse sacerdotem, cum sanguinem spargeret, sed & cum suffitum in sancto sanctorum adoleret.

II.

Ut autem se habuerit modus ille spargendi sanguinem, docetur in locis jam citatis. Nempe sacerdos summus nudo digito in ære spargebat sanguinem ante propitiatorium, semel sursum, & septies deorsum, ac singulas aspersiones numerabat. Quod autem sanguinem non illeverit propitiatorio, quin potius nulla guttula tangere propitiatorium debuerit, perspicue docet *Obadias de Bartenora in Mischnajoma edit. Rivensis in fol.* 93. *pag.* 1.

III.

Ubi simul observentur phrases, Levit. 16. v. 14. adhibitæ, nimirum, *spargere sanguinem ante propitiatorium*, quæ phrasis notat spargere in latere propitiatorii orientali, [& multum fecit negotii Tostato, Bonfrerio & Lorino, existimantibus pone propitiatorium stetisse Sacerdotem summum,] & *spargere sanguinem e regione propitiatorii*, quæ phrasis notat spargere æquali cum propitiatorio altitune. Quo pertinet etiam phrasis: *spargere supra propitiatorium*, quæ notat altius spargere propitiatorio.

THESIS III.

Candelabrum sacrum concinnatum erat ex pomogranatis & floribus, & crateribus tectis, ac ponebatur in austro, ita tamen ut rami inter austrum & aquilonem collocarentur.

I.

Nonnullæ imagines in candelabro sacro exhibent lilia, sed lilia non sunt pomogranatorum flores, qui hic intelliguntur.

II.

Aliæ imagines scutellas exhibent, qui error exinde natus est, quod Hebræi scribant, flores illos pomogranatorum fuisse scutellarum instar expansos diductosque; inde tamen non sequitur, quod scutellæ fuerint, quandoquidem illa expansio non figuram scutellarum sed latitudinem scutellarum aut paterarum quodammodo habebat.

III.

Aliæ imagines pocula effigiant aperta, cum crateres tectos debuissent exhibere oculis. Nam Hebræa vox נביעים alterius erat figuræ quam כוס, ut docet *Kimchi in libro Radicum edit. Ven. in fol. f.* 29. & quidem in parte superiori lati, in inferiore angusti; cujusmodi erant pocula Alexandrina, quæ vocabantur Madernos. Conferantur *Maimon. in Mischnam Menachoth. c.* 3. *edit. Rivensis in fol. f.* 362. *p.* 1. & *Jarchius in in Gemaram Menachoth edit. Amstelod. Immanuelis Benevenisti, fol.* 28. *p.* 2. Quod autem in illis locis Menachoth crateres tecti intelligantur, docet *Josephus Bar Isaschar in Sepher Joseph. Daath edit. Pragensis in* 4. *fol.* 58. *p.* 2. qui sequi se Gemaram Menachoth fatetur, & crateres tectos delineat, simulque mentem *Jarchii* interpretatur, cujus exempla Manuscripta multoties allegat. Similiter *Jacobus Kaphelius in Omeck Halacha edit. Cracov. in* 4. *f.* 47. *p.* 1. crateres tectos exhibet ad mentem veterum, & simul, quomodo amygdalato opere confecti sint, oculis subjicere conatur. Quod majus est, in arcu triumphali Titi Vespasiani, (qui candelabrum sacrum usurpavit oculis, & Romam deportari jussit,) crateres tecti reperiuntur, cujusmodi imago in *Vilalpando* occurrit, ex quo suam fecit *Salomon van Till in libro de Musica veterum, inprimis Hebræorum, Belgico idiomate Dordraci in quarto edito p.* 481. Nec ab hac sententia alienus *Forsterus* est, qui in *dictionarii Hebraici p.* 127. *edit. Basileens.* scribit, נביע esse scyphum sive poculi genus a forma colliculi sive galeri, volebat dicere, quia quasi galero tegebatur, quia vox גבע notat collem, qui est instar galeæ vel galeri. Cum quo consentit *Johannes Lorinus in Commentar. in Levitic. edit. Lugdun. in fol. f.* 219.

IV.

Aliæ imagines pocula poculis inserunt, quasi tria & tria pocula candelabri sibi invicem insererentur, quæ imagines nequidem responsione dignæ sunt, cum phrasi Hebrææ repugnent.

V.

Licet autem candelabrum sacrum in austro poneretur, tamen rami ejusdem inter austrum & aquilonem conspiciebantur. Ita enim candelabrum sacrum delineat *Jom Tobh Lipman, Nathanis filius, in commentario in Middoth. edit. Vvulmersdorff.* 4. *ad fol.* 144. ubi simul totum Hierosolymitanum templum cum omnibus atriis, & illorum conclavibus, ad mentem veterum Doctorum Mischnicorum incredibili industria, & non mediocri ingenio, oculis humanis subjicit. Cum quo consentit *Moses Ben Gersom*, qui ante paucos annos *Venetiis* 58. capitibus delineavit templum. Adstipulatur quoque celeberrimus *Lightfootus in descriptione templi Hierosolymitani edit. Roterodamensis in fol. T. I. p.* 584. *col.* 2.

VI.

VI.

Ex quibus facillime apparet, candelabra Salomonea decem, quæ una cum candelabro Mosaico in australi templi sacri latere ponebantur, ita fuisse collocata, ut rami omnes inter austrum & aquilonem, non autem inter orientem & occidentem, conspicerentur, non levi errore recentiorum scriptorum, qui ramos candelabrorum omnium inter orientem & occidentem collocant, & ab erudita gente veterum Hebræorum merito deseruntur; si quidem hac ratione lucerna media candelabri Mosaici non posset vocari occidentalis, cum aliæ lucernæ essent occidenti viciniores, quod tamen Hebræi negant. vid. *Jephe Mareh. edit. Venet. in fol. f.* 127. *p.* 1. *col.* 1.

VII.

Quid autem illa candelabra significarint, interpretatur *Josua Aben Sueb in legem edit. Cracoviensis in fol. f.* 30. *colon.* 2. *f.*

THESIS IV.

Mensa panum facierum non nisi uno limbo infra tabulam cingebatur, & duo panes infimi imponebantur mensæ, reliqui furculis & calamis sustinebantur.

I.

Vix videre licet, mensam panum facierum uno cingi limbo, sed communiter cingi duobus solet, cum tamen, si supra tabulam limbus poneretur, panes facierum infimi, utpote ultra tabulæ latitudinem prominentes, imponi mensæ non potuissent, siquidem limbus iste superior impedimento erat. Ita Hebræi sentiunt, quorum sententiæ congruit ipse arcus triumphalis *Titi Vespasiani*, ubi mensa panum facierum in triumphum portata, non nisi uno limbo inferiore gaudet, non levi documento, bona fide hæc transmissa a Judæis prosteritati esse, cum ipsa antiqua marmora de veritate historiæ testentur.

II.

Sunt qui duos panes infimos in patinis, reliquos in calamis positos, exhibeant, cum tamen sine patinis in nuda mensa requiescerent illi duo infimi & cæteri sustinerentur calamis. Nam duo stipites aurei cuilibet panum ordini in terra adstabant, ex quibus calami prodibant aurei, quibus singuli sustinebantur panes, exceptis infimis. Quæ fusius explicantur in *Maimonide. T.* 3. *Antiquit. edit. Venet. minoris tit. de Domo electa c.* 3. §. 13. *seqq.* Ubi scribit, stipites vocari Kaschoth, calamos vocari Menaccijoth, & præterea adjungit, vasa, in quibus thus apponebatur panibus, vocari Cappoth, & formas, in quibus coquebantur panes, vocari Kearoth, quæ vocabula occurrunt Exod. 25. v. 28. Conferantur *Jarchius* in h. l. ubi paria leguntur, & *Mischna de muneribus cap. XI.* §. 6. & *in eam Maimon. edit. Rivens. in fol. f.* 368. *p.* 1. *ut & in eandem Mischnam Jom. Tobb. edit. Vvulmersdorf. in* 4. *f.* 45. *p.* 1. *ac denique Moses Ben Gersom & Fortunatus Scacchus sacrorum eleochrysmatum myrothec. edit. Roman. in* 4. *T.* 2. *c.* 40. *p.* 386. qui panes illos declineant.

III.

Sunt qui omnes panes, etiam qui innituntur calamis, una cum patinis exhibeant, sed patinæ omnes abesse debent, ac inprimis patinæ calamis imponendæ ne cogitari quidem mente poterant, cum nullum haberent usum, quoniam calami sustinendis panibus sufficiebant.

IV.

Sunt denique, qui panes cum calamis sed sine furculis exhibeant, sed si furculæ demantur, panes fuissent sibi invicem impositi, & sustinere inferiores molem superiorum non potuissent, sed frangi debuissent.

THESIS V.

Panes facierum non quadrati sed oblongi erant, ac in duabus extremitatibus inflectebantur, quæ flexuræ vocabantur panum cornua.

I.

Non satis accurate depingunt panes facierum, qui illos quadratos faciunt; Siquidem longitudo panum erat palmorum decem, latitudo palmorum quinque, ceu legitur in *Mischna de muneribus. cap. XI.* §. 5. & *in Simeonis Jalkuth. edit. Cracoviens. in fol. T.* 1. *fol.* 100. *col.* 3.

II.

Flexuræ illæ erant altæ 7. digitos, & duæ erant in quolibet pane juxta *Mischnam jam citatam C. XI.* quas flexuras delineat *Jehuda Leonis in Planta de la Situacion del tabernaculo*, ex quibus alii hanc imaginem fecerunt suam. Non autem erant acuminatæ, sed planæ (quia nec cornua altaris erant acuminata) ad palmi latitudinem. vid. *Jom Tobb. l. c. f.* 44. *p.* 2. *f.*

III.

Perperam autem flexuræ illæ ab aliis omittuntur, qui panum tantum longitudinem & latitudinem effigiant, altitudinem omittunt, cum tamen juxta altitudinem inprimis vocarentur panes facie-

rum sive laterum, docentibus Hebræis; latus autem sive facies continebat palmi latitudinem.

THESIS VI.

Lamina aurea fronti sacerdotis summi applicabatur, non autem tiaræ sacerdotalis apici imponi debet.

I.

Novus error imaginum in tiara deprehenditur, cujus apici lamina aurea affigitur, quæ frontem sacerdotis summi, non vero tiaram tegere debebat. Nam tiaræ apex non vocari frons sacerdotis poterat, nec hac ratione lamina frontale dici potuisset, si fronti non adhæreret; quid quod ipse *Maimon. T. 3. in libro de vasis sanctuarii* scribat, sacerdotis summi capillum inter laminam & tiaram comparuisse, quod fieri non potuisset, nisi fronti illa lamina fuisset applicata. Cui suffragantur *Levi Ben Gersom in Peruscb al battora edit. Venet. f. 107. col. 2. & Rabbenu Bechaj in Biur al battora edit. Cracoviensis in fol. f. 114. col. 4.* qui totam laminam describit. Unde recte *Braunius* Sacerdotalem laminam expressit in *libro de vestitu sacerdotum Hebræorum, p. 822. & 823. in 4. edit. Amstelod.* Cur autem fronti applicari debuerit, explicat *Salomo de domo Levi in Part. I. edit. Ven. in fol. f. 250. col. 4.*

II.

Ex Romano-Catholicis *Lorinus* rei veritate victus itidem illam laminam fronti sacerdotali applicat, & ex *Comestore* hunc in modum commentatur, *edit. Lugdunens. in f. p. 212. super frontem laminam auream* [habebat] *quam petalum dicunt, ad modum lunæ dimidiæ factum, quæ arcuationem sursum habens & in medio annulum aureum, uncino aureo inserebatur, quod erat in tiara hyacinthina*, & post pauca: *& circumducta capiti ligabatur in occipite*,

III.

Nec laminæ, fronti applicandæ, aliis gentibus præter Judæos ignotæ erant si quidem *Paschalius in libro de coronis edit. Lugdun. Batavor. in 8. p. 269.* scribit, laminas ferreas frontibus fuisse a militibus applicatas, si confligere cum hoste cuperent.

IV.

Si autem indagetur, qui factum sit, ut tiaræ apici imponeretur lamina, inde videtur natus error, quod illa lamina cum tiara sacerdotali constringeretur, ut recte ex Exod. 28. v. 36. docent *Joannes Lightfoot Operum T. I. edit. Roterodamensis in fol. p. 682. & Joannes Henricus Otho, in Lexico Rabbinico Philologico edit. Genevensis in 8. p. 547.*

THESIS VII.

Sacerdotum coma ita tondebatur, ut infra aures, non supra demeretur, & aures tegerentur crinibus; quod si non fieret, sed aures apparerent nudæ, tonsio erat idololatrica, sacerdotibus interdicta.

I.

Nostra ætate sacerdos Hebræorum nudis auribus a nonnullis pingitur, cum tamen Levitic. 19. v. 27. injungatur, quod anguli capitis non tonderi debeant, sive quod aures tegi crinibus debeant; si quidem anguli capitis complectebantur aures, quoniam a maxilla superiori anguli barbæ incipiebant. Hæc magno consensu Hebrææ gentis asseruntur. Nam quod removeri crines circa tempora non debeant, legitur in *Siphra sive Torath Cohanim edit. Venet. T. 2. in fol. fol. 210. col. 3.* ubi anguli capitis exacte describuntur. Quod autem illa tonsio esset idololatrica, si aures denudarentur, fuse ex Hebræis ostendimus in *dissertatione Vuittenbergensi de coma Hebræorum licita & interdicta a. 1695. habita*, ut huic supersedere negotio facile possimus, ubi simul imaginem idololatricæ hujusmodi tonsionis oculis subjecimus. Possent etiam exempla ex historia Ægyptiaca repeti, siquidem sacerdos Ægyptius supra aures tondebatur, cujus imaginem exhibet *Michael Angelus Causæus de la Chausse in Romano Musæo edit. Rom. in fol. sectione 2. imagine 36.*

II.

Adstipulatur nobis quoque *Henricus Ainsvvorthus*, qui in *commentar. Anglico in Levitic. p. 117. edit. Londinensis in f.* hanc tonsionem fuisse idololatricam ex *Herodoto, & ipso Maimonide in libro de idololatria, c. 12. §. 1.* probat. Paria leguntur in *Cornelio a Lapide edit. Antvverpiens. T. 1. p. 712.*

III.

Multo minus dici potest, angulos capitis sacerdotalis supra frontem quærendos esse. Nam duo anguli capitis ad finem aurium quærebantur, sive infra aures sicut ex Judæorum mente illos angulos delineat *Jacobus Kaphelius in Sepher Omeck halacha edit. Cracoviensis in 4. fol. 34. p. 2.*

IV.

Quodsi *Joannem Clericum* hac de re consulamus *in commentar. in Levitic. edit. Amstel. in fol. f. 257.* apparet, illum quidem extremitatem capitis, quæ tonderi interdicebatur, intelligere de ejusmodi tonsura,

ra, qua crines in orbem circa totum caput tondeantur, & sic nobiscum facere, nisi quod illam tonsionem ad cutem fuisse factam arbitretur, cui sententiæ Hebræi refragantur, licet illam Græci interpretes, Hebræarum rerum ignari, amplectantur.

THESIS VIII.

Pallium sacerdotis summi, tintinnabulis & pomogranatis ornatum, ad pedes usque descendebat, & erat in utroque latere apertum.

I.

Plerique imaginum scriptores illud pallium clausum ad genua usque delineant, sed, quod a collo usque ad infimas corporis partes descenderit, [sicut omnia Hebræorum pallia descendere eo modo solebant,] docet *Maimon. T. 3. Operum titulo de vasis sanctuarii cap. 9. §. 3.* in quem locum commentatur *Josep Karo*, hanc phrasin a Nachmanide explicari. *Nachmanides* autem *in Biur al hattora edit. Venetæ in fol. fol. 70. col. 4.* commentatur, illud pallium non fuisse breve instar indusii, sed usque ad pedes pertigisse, & caruisse manicis. Quæ res partim ex Orientalium populorum consuetudine, vestes longas gestantium, partim ex vestibus tintinnabulis & pomogranatis vestitis, quæ etiam puellis & pueris præcipuæ dignitatis in usu erant, probari luculenter posset.

II.

Hinc in *Mischna c. 7. §. 1.* scribitur: si præfectus sacerdotum audivisset sonum pedum sacerdotis summi (non vero sonum crurum), quod velum portæ templi oppansum elevarit. vid. *Jom Tobh in h. l.* Hinc etiam *Moses Alschech in Sepher Torath Mosche edit. Pragensis in fol. f. 152. p. 1. col. 1.* scribit, tintinnabula fuisse terræ allisa, & quid illa allisio significarit, ibidem explicat. Quo pertinet annotatio *Isaaci Aramæ in Akedath jitzchak edit. Venetæ in fol. f. 138. col. 3.* qui Meil pallium fuisse Prophetarum & Pharisæorum scribit, quorum pallia oblonga erant. Præterea *Isaacus Athias in Thesoro de Preceptos edit. Amstel. in 4. f. 16. col. 2.* Meil ad imum descendisse asserit.

III.

Cum Judæis faciunt quoque Christiani interpretes, qui, teste *Eduardo Leigh in Critica sacra edit. Amstel. in fol. p. 129.* Hebræorum Meil per vestem talarem, ad talos descendentem, ut & per stolam, & per togam, cujusmodi quoque vestes talares erant, interpretantur. Quibus suffragatur *Joannes Forsterus in Dictionario Hebraico edit. Basil. in fol. pag. 478. & 450.* scribens, fuisse vestimenti genus, quo superinduebantur reges, fuisse idem quoque cum Græcorum pallio. Sed pallia Græcorum fuisse ad pedes fusa extra omnem dubitationis aleam ponit *Octavius Ferrarius in libro de re vestiaria Parte 2. p. 139. edit. Patavinæ in 4.*

IV.

Nec illud reticendum est, etiam Pectorale Sacerdotis summi ad pedes descendisse. Videatur *Obadias de Saphorno in Biur al hattora edit. Venet. in 4. f. 40. col. 1.*

THESIS IX.

Non communis Hebræorum sententia est, divaricationem digitorum in benedictione sacerdotali quinque habuisse spatia.

I.

Tam etsi in libro *Schepha Tal edit. Hanoviensis in fol.* in præfatione delineantur manus sacerdotis benedicentis cum quinque digitorum spatiis, tamen nondum sequitur, hanc esse communem Hebræorum sententiam, quasi quinque illa spatia necessario requirantur.

II.

Nam manus illæ benedicentes, cum tribus tantum spatiis, junctis utriusque manus digitis creberrime ab ipsis Judæis delineantur, etiam ab iis, qui sacerdotali munere funguntur, ut illorum sententiæ merito niveum adjiciamus calculum. Hanc enim imaginem, quam defendimus, reperimus in libris *Levuschim Mardochai Japhe in fol. 4. Tomis Pragæ excusis*, ubi illa imago in singulorum librorum fronte apparet. Reperimus illam quoque in titulo versionis Germanicæ *Jekuthielis Amstel. in fol. excusæ*, ut & in titulo libri *Celi Jakar R. Ephraim edit. Pragens. in fol.* ac in aliis libris passim magno numero, quos recensere operæ non est pretium.

THESIS X.

Altaris holocaustorum scala major usque ad altaris apicem pertingebat, nec duæ scalæ minores a radicibus scalæ majoris derivabantur.

I.

Nemo Hebræorum refragatur, scalam altaris majorem ad apicem ejusdem pertigisse. Nam *Maimon in libro de domo electa c. 2. §. 13.* commentatur, altitudinem scalæ majoris pertigisse usque ad locum, in quo sacri ignes struebantur, i. e. usque ad altaris apicem. Ita etiam de-

delineant majorem ſcalam *Moſes Ben Gerſom loc. ſupra citato Jom. Tobb in Middoth ad fol.* 147. & ex Judæis converſis *Ludovicus de Compigne de Veil. in libro de cultu divino ad pag.* 38. *edit. Pariſ.* Erat autem ſcala illa lapidea, ſicut & altare ipſum erat lapideum, ex lapidibus magnis & integris conſtructum, non autem ex lapidibus Gaſith, de qua ſtructura altaris legantur *Samuel Tzirſa* interpres Aben Eſræ, *in Mecor Chajim edit. Mantuanæ in fol. f.* 46. *col.* 2. *&* 3. *Medraſch Hammechilta in Exodum edit. Venet. in fol. f.* 27. *col.* 4. f. & *Moſes Bar Nachman Gerundenſis in Biur al hattora edit. Venetæ in fol. f.* 62. *col.* 1.

II.

Ex duabus autem ſcalis minoribus illa, quæ ad altaris pavimentum tendebat, a radicibus ſcalæ majoris derivabatur; altera autem ſcala, quæ in ambitum altaris medium tendebat, a media ſcala majori in illum altaris ambitum derivabatur. Deſcripſit has duas ſcalas *Maimon. de domo electa*, *c.* 2. §. 14. & ad noſtram eas mentem effigiant *Conſtantinus l'Empereur in Middoth*, *Moſes Ben Gerſon l. c. in figura* 1. *num.* 33. *& Johannes Jacobus Cramerus in Exercitationibus Philologicis de ara exteriore templi ſecundi ad pag.* 198. *edit. Amſt. in* 4. Plura, quæ huc pertinent, videantur in *diſſertatione noſtra Vvittenb. de altari exteriore a.* 1697. *habita*, ubi altare holocauſtorum totum cum omnibus, quæ huc pertineant, æri inciſum exhibetur.

III.

Magis videtur mirum, altare holocauſtorum cum ſuis tribus ſcalis tabernaculo tribui, quaſi cum iſtis ſcalis portari debuerit, quod quomodo fieri potuerit, vix aſſequitur. Licet enim una ſcala iſti altari competat, ut docet *Jarchius in Exod.* 27. tamen circuitus, ſerviens ambulationi ſacerdotum, non erat in altari holocauſtorum tabernaculi Moſaici, niſi in ejus apice inter cornua, docente *Jarchio loc. cit.* cui ergo uſui fuiſſent ſcalæ reliquæ? imo quomodo, ſi ſacerdotes inter cornua deberent ambulare, ſcala altaris major poterat eſſe brevior, quam ut ad apicem altaris pertingeret?

THESIS XI.

Scala altaris holocauſtorum major carebat gradibus.

I.

Non ſine faſtidio gradus cernuntur in ſcala majore, cum tamen lex Moſaica gradus prohibeat, ceu expreſſis verbis legitur Exod. 20. v. 26. unde & illa ſcala Cebheſch ſive clivus vocabatur, quod gradibus careret, quod cum aliis Judæis communi conſenſu affirmat *Don Iſaac Abarbanel in Peruſch hattora edit. Venet. in fol. f.* 177. *col.* 3. *& Joſephus Karo in Ceſeph Miſchne in Maimonidem de domo electa c.* 1. §. 13. *edit. Venet. minor. fol.* 169. *p.* 1.

II.

Videntur autem illæ imagines, quæ gradus exhibent, originem duxiſſe ex *Bibliis Anglicis Cantabrigenſibus majoribus*, ubi ſcala magnifice, cum gradibus delineatur, cum tamen eruditiores Angli ipſimet gradus ſcalæ huic denegent, ut ex illorum ſcriptis Philologicis paſſim apparet, circuitus tamen altaris circa menſam marmoream recte expreſſus eſt, qui in aliis altaris hujus imaginibus male omittitur.

III.

Quod ad rationem attinet, cur carere ſcala gradibus deberet, ne ſcilicet retegeretur ſacerdotum nuditas, exiſtimat *Joannes Clericus in commentar. in Exod. p.* 99. *Sacerdotes ſine ſubligaculis ſive femoralibus quandoque feciſſe ſacra, laxioribus tantum tunicis induti, quo fieri poterat, ut, vento tunicam agitante atque inflante, retegeretur ſacra facientium nuditas.* Sed cum inauditum apud Hebræos ſit, ſacerdotes ſine femoralibus unquam miniſtraſſe, rectius hanc rem explicat *Jarchius in h. l.* & ſcribit, ſi gradibus aſcenderent altare ſacerdotes crura divaricare debuiſſe, non aliter ac ſi nudi vellent conſpici, qui modus incedendi a ſanctitate & reverentia ſacerdotum alienus erat.

THESES XII.

Altare ſuffitus non habebat cornua tecta, (ſicut nec altare holocauſtorum) nec inter menſam & candelabrum verſus ſanctum ſanctorum, ſed verſus portam templi orientalem ponebatur.

I.

Duo circa altare ſuffitus errores obſervantur, primus error hic eſt, quod cornua ejuſdem pingantur tecta, cum tamen nulla cornua altaris, ſive interioris ſive exterioris, tegerentur, ſed omnia cornua eſſent aperta, ad palmi latitudinem formata. Non immorabimur in præſens *Spenceri* ſententiæ, qui cornua altaris fuiſſe curvaturas ex ære ad cornuum tauri vel arietis figuram factas opinatur in *libro de legibus Hebræorum ritualibus*, *edit. Cantabrigenſis in fol. f.* 562. *ſeqq.* utpote quæ ſententia nullum reperit apud veteres Hebræos calculum, ſed

quod

quod illa cornua haberent altitudinem, longitudinem & latitudinem unius palmi, & sic quadrata & aperta essent, facile probabimus. Ita enim hanc cornuum fabricam describunt *Jarchius comment. in librum Menachoth edit. Amstelod. Immanuelis Benevenisti fol. 97. p. 1. f. & Maimon. in librum Middoth edit. Rivensis fol. 396. p. 2.* Itaque non vocabantur cornua a figura, sed a robore, quod robur altaris his cornibus contineretur, sicut robur animalium est in cornibus.

II.

Alter error circa altare suffitus est, quod versus sanctum sanctorum collocetur, cum collocari versus portam orientalem debeat. Quod enim inter mensam & cadelabrum altare suffitus foras promineret nempe versus portam orientalem,) non vero intus, (versus sanctum sanctorum,) disertis verbis asserunt *Maimon. T. 3. operum titulo de domo electa c. 3. §. 17. & Moses Ben Gersom nuper Venetiis editus in figura* 1. ubi recte ad mentem veterum delineat.

THESIS XIII.

Mare æneum Salomonis cum nimium multis epistomiis delineatur.

I.

Nemo est qui ambigat, duobus ordinibus fuisse in mari æneo exhibita epistomia, sed, an tam numerosa fuerint, & an omnia simul aperta fuerint, merito ambigitur. Nam si ponderamus rem accuratiori mentis trutina, merito occurret dubitandi ratio, quandoquidem totum mare æneum non nisi singulis diebus semel nova aqua replebatur, fidem faciente *Maimonide T. 3. oper. titulo de ingressu in sanctuarium c. 5. §. 14. & Ainsworth in Exodum fol. 128. col. 2. editionis Londinensis in fol.* Jam vero si illa aqua per totum diem ex triginta duobus epistomiis vel etiam juxta alios pluribus simul ingenti copia deflueret, annon paucis horis reddebatur vacuum, & sic Judæi caruissent in templo aquis?

II.

Accedit, quod nullius usus tot essent epistomia simul aperta. Nam *Ben Kathin, sacerdos summus*, sua ætate non necesse arbitrabatur, ut plura epistomia, quam duodecim aperirentur, ut duodecim sacerdotes, membra jugis sacrificii in altare deportaturi, simul lavarentur. Licet enim sacerdotes tredecim ad hoc ministerium requirerentur, tamen, qui juge sacrificium mactarat, etiam extraneus, sive Judæus non in sacerdotali munere constitutus, esse poterat, & hinc lotione non indigebat, ceu docetur in *Mischna de festo expiationis c. 3. §. 10. & in eam in Bartenora edit. Rivensis fol. 92.*

III.

Hinc longe aliam Maris ænei imaginem exhibet *Eduardus Bernhardi in libro de mensuris & ponderibus antiquis, edit. Oxoniensis in 8.*

THESIS XIV.

Duodecim gradus, quibus de loco, qui erat inter templum & altare, ascendebatur in porticum, non ascendebatur in ædificium, sed in ambulacrum, nec erant in tres ordines divisi, quolibet continente gradus quatuor.

I.

Recte quidem asseritur, duodecim gradibus Judæos ascendisse in porticum Salomoneam, sed porticus delineari instar ædificii multis conclavibus in parte superiore distincti, non debet, ne porticus pro ipso templo habebatur, sed porticus erat tantum ambulacrum fornicibus ornatum, vel etiam se habebat, sicut se habebant ambulacra, ad templi latera formata, ut docet *David Himchius, in libro Radicum edit. Venetæ in fol. p. 30. & 203. in R.* אלם *& in R.* יצע.

II.

Itaque porticus Salomonea ambulacrum erat, & gradus illi duodecim ita dividebantur, ut ad portam orientalem ascenderetur primo gradibus quatuor, deinde aliquo intervallo gradibus tribus, & denique iterum aliquo intervallo gradibus quinque, sicut totam portam cum gradibus, & trabibus quinque cedrinis superjectis, ac denique cum adjacente muro pulcherrime ad mentem veterum delineat *Moses Ben Gerson loc. cit. in figura 2.*

III.

Qui graduum ascensus si cum ascensu ad templum Lunæ sive Isidis, ab *Alexandro Donato in Roma vetere ac recente descripto, edit. Amstelod. in 4. ad p.* 184. 185. conferatur, apparebit gentiles quoque gradus non æqualiter divisisse, cum gradus inferiores ad templum Lunæ quinque, superiores autem aliquo ab iis intervallo numerentur quatuor.

IV.

Ex porticu autem in templum via plana incedebant, ut docet *Moses Maimonides in Mischnam Middoth edit. Rivensis in fol. f. 396. p. 1. init.*

THE-

THESIS XV.

Delineatio totius templi & omnium atriorum ad mentem Doctorum Mischnicorum concinnari debet.

I.

Doctorum Mischnicorum mentem, in delineanda totius templi & omnium atriorum fabrica, eleganter expresserunt *Jom. Tobh ad Mischnam Middoth. edit. Vvulmersd. in 4. ad p. 144. & Moses Ben Gersom ante paucos annos Venetiis, supra aliquoties laudatus.*

II.

Quas delineationes si cum iis conferimus, quæ hodie circumferuntur, facile apparebit, Christianos nonnullos mentem veterum Hebræorum non esse per omnia assecutos, licet aliqua satis idonee delinearint.

III.

Ut dentur exempla, ipsum templum ambitus habebat quinque, qui a tribus lateribus excepto latere orientali illud cingebant, sed a Christianis nonnullis ambitus saltem unus, vel ad summum duo exhibentur, ceteris præteritis.

IV.

Præterea in porticu Salomonis duæ erant mensæ, in quibus panes facierum deponebantur, (distinctæ a duabus mensis prope altare positis, in quibus sacrificiorum carnes dividebantur,) quæ mensæ a Christianis nonnullis omittuntur.

V.

Beth Mokad, sive culina major, prope adjacebat columnis mactatoriis, non vero altius pingi debet. Ejus vero cameræ erant camera agnorum, camera panum facierum, camera lapidum, & camera ignis.

VI.

Scala, qua ascendebatur in porticum Salomonis, gradibus constabat duodecim. ergo non pingi pauciores debent.

VII.

Omnes tres altaris holocaustorum scalæ non æqualiter ad apicem altaris tendebant, sed sola scala media.

VIII.

Annuli mactatorii, ad altare holocaustorum effigiati, non quatuor ordinibus sed sex ordinibus ponebantur, quolibet ordine annulos continente quatuor.

IX.

Camera lotionis ab Hebræis ponitur in austro atrii sacerdotalis, non vero in aquilone, ut Christiani nonnulli delineant.

X.

Gradus, quibus ex atrio Israelitarum in atrium sacerdotum ascendebatur, non sua longitudine totius atrii latitudini æquales erant.

XI.

Camera salis & camera lapidum erant quidem in atrio Israelitarum, sed non ambæ in aquilone ejusdem atrii, sed camera lapidum in aquilone, camera vero salis in austro ab Hebræis collocatur.

XII.

In atrio Israelitarum cameræ duæ subterraneæ, in quibus Levitæ abscondebant instrumenta musica, a Christianis nonnullis omittuntur.

XIII.

Porta atrii exterioris (sive atrii gentium) cum porta Nicanoris conjungi non debet, quia hac ratione totum atrium mulierum, utpote quod inter atrium gentium & atrium Israelitarum interjacebat, omitteretur, in quo atrio mulierum quatuor erant conclavia, duo versus aquilonem nempe, conclave lignorum, & conclave leprosorum, & duo versus austrum, nimirum conclave Nasiræorum & conclave rerum pinguium, nempe olei & vini.

XIV.

Portæ templi meridionales ita collocari debent, ut suprema versus meridiem sit porta incensionis, altera sit porta primogenitorum, tertia sit porta aquæ. quem ordinem Hebræi tenent, a quibus temere recedendum non est.

XV.

Loca Synedriorum duorum, viginti trium personarum, quorum unum sedebat in atrio mulierum, alterum in atrio gentium, eleganter delineavit *Moses Ben Gersom*, qui utrumque Synedrium versus aquilonem collocat. Ergo pingi non debet versus austrum, multo minus ad atrium Israelitarum poni locus synedrii potest. Duo autem fuisse Siynedria personarum 23. extra dubium est; siquidem a Synedrio 23. sedente in atrio gentium, appellare poterant ad Synedrium, 23. sedens in atrio mulierum ut scribit *Maimon. T. 4. operum edit. Ven. minoris, tit. de rebellibus c. 3. §. 8.* De variis etiam Synedriis commentatur *Elias Levita in Methurgeman edit. Isnensis in fol. f. tot. p. 2.*

THE-

THESIS XVI.

Lecti Judæorum, in quibus accumbebant mensæ, non juxta suam latitudinem, sed juxta suam longitudinem, admovebantur mensæ.

I.

Recentiores scriptores lector ita circa mensam collocant, quasi una tantum persona accumbere in lecto uno possit, ut corpora juxta lecti longitudinem extendantur, & latitudo lecti mensæ admoveatur, sicut etim accubitum ad agnum paschalem Servatoris cum discipulis oculis subjecit *Vilalpandus*. Quem tamen ex parte melius delineavit *Ant. Bynæus de morte J. C. Lib.* 1. *ed Amst. in* 4. *p.* 260.

II.

Sed cum Hebræi constanter doceant, unum accubuisse ad genua alterius, (sicut traditur in *Gemara capit.* 10. *Peschim fol.* 108. *p.* 1. *edit. Amstel. & a Jarchio in Gemaram Berachoth fol.* 46. *p.* 2.) non possunt non lecti ita mente concipi, quod juxta suam longitudinem mensæ admoverentur, ut tres vel quatuor personæ in lecto uno simul accumbentes, cibum de mensa caperent quod fieri non poterat, si lecti juxta suam latitudinem mensæ admoverentur, quia sic non nisi unus in uno lecto capere cibum poterat.

III.

Sed hanc rem non persequemur luculentius, cum illum accubitum Hebræorum in *dissertatione Vvittenberg. de accubitu ad agnum paschalem Hebræorum veterum anno* 1698. *habita* prolixe excussérimus.

IV.

Hoc saltem adjicimus, nisi lecti secundum longitudinem mensæ admoverentur, non posse explicari, quomodo corpus in cubitum sinistrum requieverit, nec quomodo pedes in terram protenderentur, ne secundo vel tertio loco accumbenti impedimento essent; imo sic nec explicari posse, quid sit in sinu Abrahæ accumbere, si omnem accubitum in sinu Hebræis adimamus. Videantur *Joannes Saubertus in Palæstra Theologico Philologica edit. Norimb. in* 4. *p.* 278. *seqq. & Joan. Henric. Otho in lexico Rabbin. Philolog. edit. Genevens. in* 8. *p.* 5.

THESIS XVII.

Pharisæus si cum peniculamentis pingitur, non nisi octo fila in quolibet vestimenti angulo pingi debent.

I.

Veram imaginem Pharisæi cum peniculamentis exhibet *Vvagenseilius in libro Sotha, edit. Altorf. in* 4. *p.* 407. sed male ejusdem imago expressa est ab aliis, qui cum 8. tantum fila exhibere in quolibet vestis angulo deberent, vel centena exhibent, & sic Pharisæorum consuetudinem evertunt. Licet autem variæ essent Pharisæorum classes, [ut patet ex *lexico Aruch. edit. Venetæ in fol. f.* 127. *&* 128. *& ex Thomæ Godvvin Mose & Aaron edit. Bremens. in* 8. *p.* 99.] tamen omnes gerebant peniculamenta. Quod autem nonnisi 8. fuerint fila, explicat quoque *Doctor Addison in statu Judæorum in Barbaria edit. Lond. in* 8. *p.* 95.

II.

Multo minus Pharisæi cum suis peniculamentis verrebant terram, qui sanctitatis erant studiosissimi. Nam licet vestes gererent oblongas, tamen oblongis vestibus non applicabant peniculamenta, nec necesse erat, ut omnes vestes peniculamentis ornatæ ad terram pertingerent, sicut illud nec hodierni Judæi attendunt.

III.

Quomodo autem ista peniculamenta se habuerint, quod alba vel coerulea fuerint, quod non nisi vestibus laneis vel lineis annecterentur, præterea quod si vestes essent virides vel rubræ, peniculamenta coloris consueti adjungerentur, si essent cœruleæ, non peniculamenta cœrulea sed alba assuerentur, & alia ejusmodi ex *Maimonide* docent *Henricus Ainsvvorth in commentar. Anglico in Exodum edit. Londinens. in fol. f.* 96. *col.* 2. *& Purchasius in libro Angelico, quem vocat Pilgrimage edit. Londinens. in fol. f.* 209. conferantur *Piske Tosephoth post titulum Menachoth num.* 155. *seqq.*

IV.

Quomodo autem Phylacteria brachio sinistro applicuerint Pharisæi, & quod illa etiam super cubitum inter humerum & cubitum posuerint, expressis verbis asserit *Maimonides Operum T.* 1. *edit. Ven. minoris titulo Tephillin. c.* 4. §. 2. *fol.* 83. *p.* 2. Nam e regione cordis ponebantur, sicut *ex Sohar* probat *Menaham Rekanatensis in sepher Taame Hammitzvath. editionis Constantinopolitanæ in* 8. *ti-*

8. *titulo : præceptum est applicare phylacteria.*

V.

Connectimus autem phylacteria cum peniculamentis, quia Pharisæus utraque sibi applicabat. Licet enim extra orandi tempus phylacteriis non uteretur, vestem tamen peniculamentis ornatam gestabat a pallio precatorio peniculamentis ornato distinctam.

THESIS XVIII.

Scribæ duo Synedrio majori non assidebant, sed adstabant.

I.

Pinguntur illi scribæ a nonnullis, quasi mensis duabus, pulcherrimis tapetibus ornatis, assideant, & in prolixum Megilla annotent, quæ annotare debebant. Sed *Maimonides T. 4. Operum edit. Venet. min. titulo de Synedriis* III. §. 9. *fol.* 228. *p.* 1. scribit, duos illos scribas stetisse ante Synedrii assessores, unum a dextra, alterum a sinistra, unum annotasse vota absolventium hominum accusatum, alterum annotasse vota condemnantium. Quando autem Synedrium majus in semicirculo effigiatur, recte se imago habet. Videatur *Moses Cotzensis in Smag. T. 2. edit. Venet. in fol. f. 186. col. 2.*

II.

Qui illa fusius legere voluerit, consulat *Henricum Houting. in versione Maimonidis de Synedriis, & pœnis, Amstelod. An. 1695. in 4. edita, p. 7.*

III.

Adstipulatur quoque sententiæ nostræ *Joannes Seldenus de Synedriis & præfecturis veterum Hebræorum lib. 2. c. 6. p. 161. edit. Amstelod. in 4. & Campegius Vitringa de Synagoga vetere, lib. 1. part. 1. c. 7. p. 159. edit. Franequeranæ in 4.*

IV.

Synedria autem Hebræorum & matutino & vespertino tempore judicabant, licet in criminalibus matutinum tempus tantum Hebræis tribuat judicibus *Simeon de Muis, Professor Parisinus, in Psalmos, edit. Parisinæ in fol. p. 24.*

THESIS XIX.

Homo lapidibus jussu Synedrii obrutus, post lapidationem, suspendebatur in cruce junctis manibus.

I.

Si quæritur, quomodo ille homo suspensus fuerit, respondetur ad Hebræorum mentem, suspensum fuisse junctis manibus. Nam cum manus lapidando constringerentur, illis constrictis manibus post mortem suspendebatur, ut maledictionem sustineret, & sic inferiore corpore vestibus operto, ut & pedibus tectis elevabatur in crucem, quia eo modo lapidatus fuerat, nec opus erat in cruce vel latera vel pedes detegere, quia illa in lapidatione non detegebantur.

II.

Quod junctis manibus suspenderetur, docetur expressis verbis in *Mischna de Synedriis C. 6. §. 4. vid. in h. l. Jom Tobb. edit. Vvilmersd. in 4. f. 85. p. 2.* ubi ob maledictionem ita suspensum fuisse asserit. Idem probatur ex *codice Manuscripto Anglico in cap. Nigmar Haddin hal. 2. titul. de Synedriis*. Videatur *dissertatio nostra Vvittenberg. de suspendio hominis lapidibus obruti a. 1694. habita* §. 3. 4. 5.

THESIS XX.

Lorum, quo jussu Synedrii cedebantur rei ita concinnatum erat, ut ex eo duo lora lateralia prodirent.

I.

Pingitur illud lorum quasi duo lateralia lora ex manubrio prodierint, sed illa prodibant ex loro medio vitulino oblongo. Ita enim legitur in *Mischna Maccoth. c. 3. §. 12.* quod minister Synagogæ cæsurus reum tenuerit manu sua lorum vitulinum quadruplicatum, ex quo loro vitulino (non vero ex manubrio) prodierint duo lora ascendentia & descendentia.

II.

Quod illa duo lora asinina fuerint & quidem tenuiora, quam erat lorum medium oblongum, non vero ejusdem cum loro medio latitudinis, docet *Bartenora in Mischna Maccoth. l. c.* Quomodo autem illa dua lora ex loco medio ascenderint & descenderint, interpretatur *Jom Tobb in Mischnam Maccoth*, quando scribit, quod foramen in loro medio fuerit inferius versus manubrium, ex quo unum laterale lorum prodierit, & præterea fuerit inferius versus manubrium, ex quo unum laterale lorum prodierit, & præterea fuerit foramen in loro medio superius, ex quo alterum laterale lorum prodierit, & sic, cum attolleretur lorum medium, videbantur lora lateralia ascendere & descendere.

III.

Hodienum etiam flagitatio obtinet, si urgeat necessitas, videantur *Joel Sircki ope-*

operum T. 4. Tur Choschen Hammischpath edit. Cracoviens. in fol. f. p. 1. & Joseph Karo in schylchan Aruch T. 4. edit. Venet. in 8. f. 2. col. 2. 3.

THESIS XXI.

Pulvis aquæ injectus, quem jussu Synedrii bibere debebat uxor adulterii suspecta, non ex atrio sacerdotali capiebatur.

I.

Pingitur a nonnullis fœminæ adulterii suspectæ potatio, quasi aliqui ex Levitis, verrendo sacerdotale atrium, pulverem colligant, quem aquæ fœminæ exhibendæ injiciant. Sed *Maimon. T. 2. operum edit. Venet. min. in libro Sotha c. 3. §. 10. fol. 109. p. 2.* commentatur, quod sacerdos pulverem allaturus ingressus templum sit, ubi locus fuerit ad dextram, in quo tabula erat marmorea, quam tollebat sacerdos, & pulverem sub illa tabula acceptum aquæ injiciebat, deinde absynthium, vel aliquid aliud, unde amaræ redderentur, cum iis conjungebat.

II.

In eadem imagine nec altare nec labrum suis ponuntur locis, ad hebræorum mentem, sed prout ei placuit, qui æri incidit.

III.

Hæc in præsens dixisse de imaginibus hebræarum rerum sufficiat. Si enim singulas persequi imagines vellemus, multa adhuc de structura tabernaculi Mosaici attingi debuissent v. g. delineatur tabernaculum Mosaicum quinque vectium exteriorum ordinibus, qui multis annulis inseruntur, cum tamen ex hebræis constet, vectes superiores & inferiores tantum fuisse annulis insertos, vectem autem medium transiisse perforatos asseres, & sic intra asseres fuisse. Videatur *Jarchius in Exod. 26.* Sed hæc & alia ejusmodi alio excutientur tempore. Quæ autem hic excussimus, sine ullius læsione, solius amore veritatis, in medium protulimus, ne illi, qui imagines hebræarum rerum intuentur, falsam pro vera arripiant; neque librorum autores propterea accusantur, si aliqua in imaginibus non recte se se habeant, cum forsan chalcographi suis indulserint ingeniis vel secure secuti aliorum imagines, non illas censuræ literariæ subjecerint, & sic errores facile irrepserint. Tantum.

I. *Judicat* de hac Disputat. Dassoviana.

(*a*) Cel. *Jacob Frid. Reimmanus Catalog. Biblioth. suæ* p. 907. *In qua* (Dassovii Disput.) *licet Joh. Lundii nomen strenue dissimulet auctor, totus tamen in eo est, ut quam parum fidei mereantur rerum hebræarum imagines Lundiano operi insertæ, significet.*
Quod judicium Reimmanianum rectum quidem in eo est, quum fidem detraxisse figuris Lundianis dicitur Dassovius; (qui suo quoque exemplari Lundiano, in Bibliotheca Acad. Vitembergensi exstanti, hæc inscripsit: *Imagines Lundii falsæ rejectæ sunt in mea disput. Kiloniensi de hebræarum rerum imaginibus. Lundius ex lectionibus publicis professorum academicorum profecit, ex meis quoque prælectionibus varia rapuit: sed vix autorem hebræum legere potuit, ut sacerdotes Cimbrici testati sunt.*)
Satis tamen clare Lundium notavit Dassovius, in præfamine disputat; his usus verbis: *sacerdotibus autem non nisi secundæ vel tertiæ relinquuntur partes &c.* Quippe nullum ibi alium, præter Lundium, sacerdotem nominaverat Dassovius.

(*b*) Auctor anon. libri: der Tempel Salamonis tc. zu Staucha aufuerichtet tc. in præfat. §. XXIII. dicens: auch hat *Dassovius* in der *Dissertat. de imaginibus rerum hebraicarum* viele Fehler entdeket, weiche andere biß her niecht *observi* haben.

II. eodem *de argumento* exponunt.

(*a*) *Johann. Fabritius* in Disp. Theol. qua historia sacra contra nonnullos pictorum errores vindicatur, Altdorf 1684. 3. plagg.

(*b*) *M. Philipp.* Rohr, in disp. pictor errans in historia sacra Lips. *1679.* 5 : $\frac{1}{2}$ plag. recus. Eisenbergæ 1700. iterum recus. in thesaur. disputt.

(*c*) *M. Mich.* Liebentans exercit. de facie Mosis cornuta recusa in thesaur. disp.

(*d*) *Thomas Brovvne*, cujus Pseudodoxiæ epidemicæ totum librum quintum eo nomine commendat Cel. Reimmannus Cat. bibl. p. 103.

(*e*) *Huldericus Pulsnicensis* in Nachrichten von allerhand Jerichumum reret Mahler, so sie Entwerffung der Bibl. Geschichten Alt, und Testaments zu begbe pflegen Frf. und Leip. 1323. in 8. Qui inter alia etiam hanc Dassov. Disputationem eamque in Germanicam linguam translatum exhibet p. 26. 83, 96. 108. 118. Quare studiosos Dassovii, Latinæ linguæ expertes, ad illud volumen delegamus.

F I N I S.

INDEX CAPITUM

OPUSCULORUM, QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

R. ABRAMI B. DAVID

Comment. de Templo.

JOHANNIS LIGTFOOTI

Descriptio Templi.

JOHANNIS LIGTFOOTI

Descriptio Ministerii Templi.

CAPUT PRIMUM.

HADRIANI RELANDI

Liber de spoliis Templi Hierosolymitani in arcu Titiano.

CAPUT PRIMUM.